BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30 C
2

0 8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE AVGVSTISS. ET SANCTISS.

TRINITATE PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, COGNOSCENDA, AMANDA, LAVDANDA,

LIBRI DVODECIM,

AVCTORE

R. P. GISBERTO SCHEVICHAVIO ARNHEMIO, SOCIETATIS IESV Doctore Theologo;

AD POTENTISSIMVM HVNGARORUM ac Bohemorum Regem

FERDINANDVM II.

Auſtriæ Archiducem, &c.

Cum Gratia ac Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

MOGVNTIÆ,

Ex Officina Typographica IOANNIS ALBINI.

ANNO M. DC. XIX.

suo in Chro P. P. Theodoro Busaeo Societatis J[esu] ...
... Autor se ... commendat

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV.

CVm Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſeriò firmiterq́; inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel inpoſterum edendos, intra Sacri Romani Imperij regnorum, & Dominiorum ſuæ Caſ. Maieſtatis hæreditariorum fines, ſimili vel alio Characteris genere aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clam ſeu palam, citra iudicium & teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat. Concedo ego IOANNES COPPERVS *Societatis* IESV, *per Rheni Prouinciam Præpoſitus Prouincialis (poteſtate mihi ad id facta ab Admodum Reuerendo P. N. Generali* MVTIO VITALESCHO) IOANNI ALBINO

Moguntino Typographo facultatem excudendi duodecim de Beatiſſima Trinitate libros à GISBERTO SCHEVICHAVIO *Societatis noſtræ Theologo conſcriptos, atq; à deputatis ad id Patribus lectos & approbatos. In quorum fidem hoc ei Teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare voluimus. Moguntiæ pridie aſſumptæ in cælos Deiparæ Virginis Anno M.DC.XVIII.*

SERE-

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISS.
Hungarorum & Bohemorum Regi

FERDINANDO II. ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIAE, STYRIAE, CARINTHIÆ, Carniolæ, Comiti Tyrolis, Goritiæ, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

INCHOATOS à me Græcij, Nobili Maieſtatis T. Ciuitate, de Auguſtiſſima, & longè Sanctiſsima TRINITATE libros, Moguntiæ inter alias curas & occupationes perfeci, & ad vmbilicum perduxi. Idcirco autem in reconditum illud & abſtruſum Religionis Noſtrę Myſterium oculos animumque intuli, ac Opus in duodecim libros digeſsi, vt qualicunque opella mea Deum Vni-trinum totius fælicitatis fontem mihi conciliarem, & pro facultate

demererer, & Chriſtianum populum ad Trini Numinis amorem cultumq; inflã-marem. Quod certè & ingenio meo ab ineunte ætate, Beatiſſimam TRINITATEM præcipua veneratione proſecuto, & Religioſo meo Inſtituto maximè cõſentaneum fuit: Nam Beatiſſimus Noſter Pater Ignatius eiusq; poſteri Societatis Noſtræ IESV, vt incunabula, ita & profectum vni Sanctiſſimæ TRINITATI accepta referre debent. Neque mirabere Rex Potentiſſime, audaciam meam, quod hanc lucubrationem Nomini TUO inſcripſerim, & dedicarim, miraturus ſi ſecus feciſſem, & ingrati animi crimen vltro ſuſcepiſſem, talia enim ſunt, tantaq; Maieſtatis Tuæ, & in me ſeparatim beneficia, quæ ſilens prudẽſ-que prætereo, & in vniuerſam Noſtram Societatem communiter, quâ Catholicæ fidei propagandæ cauſa complecteris, promerita, & Chriſtiano orbi teſtatiſſima, vt quamuis inuitos, ingratos tamen nos mori cogas; neque enim vnquam referendæ gratiæ pares erimus, ſed Protector Tuus erit, & merces magna nimis Deus, ad cuius honorem & gloriam iſta molitis, & fæliciter conficis.

cis. Quin & ipſum voluminis argumentum probatum iri Maieſtati Tuæ, imò gratiſsimum fore nihil ambigo: quid enim Beatiſſimæ TRINITATIS cognitione ſublimius, & iucundius? quid eius amore ſanctius & feliciùs? quid Religioſo ipſius cultu fructuoſius? veriſſimum enim eſt illud Apoſtoli oraculum; *Pietas ad omnia vtilis eſt*, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Quam pietatem vt Sanctiſſimæ TRINITATI adhibeas, quotidie incruento Miſſæ Sacrificio intereſſe ſolitus, crebro Sacroſanctam Euchariſtiam (in qua propter vnionem Hypoſtaticam tres Diuiniſſimæ Perſonæ ſingulari modo præſentes ſunt) ritè expiata mente, ac præcipuo amore percipis. Qua in pietate dum inſiſtis Auguſtorum Tuorum Progenitorum, Rodolphi I. Maximiliani I. Abaui, & Ferdinandi I. Aui Tui veſtigiis inſiſtis. atq; D. P. Vuenceslai Bohemi, & Leopoldi Auſtrij, aduerſus Deum Religionem imitatione conſequeris, ſentisque viciſſim, quod etiamſi voluntate Tua gratis Præcelſiſſimam TRINITATEM colas, gratis tamen ipſius beneficentia non colas: ſiquidem

Regnis ac Prouinciis multis Te auxit, & præclaris gratiæ ac naturæ dotibus ornauit, animi magnitudine ac modeſtia, humanitate & affabilitate ſingulari, clementia in ſontes, liberalitate erga omnes, præſertim egenos, in quibus propriis manibus CHRISTO Domino miniſtras; eximiâ temperantiâ & lenitate, & id genus aliis ornamentis cõdecorauit; quæ non alieno ſermone abſens hauſi, ſed oculatus teſtis, pluribus annis coram ſuſpexi & adamaui. Quapropter, Sereniſſime Rex, hoc Opus pro innata Tibi Benignitate, tanquam perpetuum grati animi mei monumentum clementer ſuſcipe, vt Tuo patrocinio, & inuidiam effugiat, & in hom̃nũ oculos manusque ſe inſinuet. Præpotens TRINITAS Maieſtatem Tuam pace ac bello florentiſſimã ſeruet, ac multis pro Chriſtiano Orbe perfunctæ laboribus, ſempiterna præmia perſoluat. Moguntiæ ex Archiepiſcopali Societatis IESV Collegio.

Regiæ Maieſtatis Veſtræ

Humillimus in Chriſto Seruus

Giſbertus Scheuichauius Arnhemius.

AD

AD SANCTISSIMAM TRINITATEM AVCTORIS VOTVM, SIVE OPERIS dedicatio.

CONgeſsi ego ſummo iure, nexu omni mancipioq; Tuus, Præpotens atque adoranda Trinitas, Conditor, Liberator, donorum cœleſtiũ diribitor, munificentiſsime Deus, ad illuſtrandam Naturæ tuæ indiuiduæ vnitatem immenſitatemq́, ad Trinitatis incomprehenſæ gloriam, honorem ac venerationem excitandam & amplificandam, Opuſculum, atq; interminatum illum myſteriorum Oceanum, te Patre hortante, te Filio inſtigante, te Spiritu Sancto auxiliante ingreſſus ſum, non vt tumentis animi temeritate ac confidentia, ſed ſubmiſſo pietatis in Te meæ affectu, in exiguam huius libelli ſcrobem tenui mei ingenioli, doni tui hauſtro nõ infundere, ſed quaſi per incile quodpiam deriuare connixus ſum. Quis enim Te infinitum bonum, cum omnes definitis naturæ ac perfectionis limitibus circumſcripti ſumus, animo complectatur? Longiſsimè noſtram ſuperas intelligentiam. Iob 36. v. 26. Vrſi propoſitum quod ſpe ducerer fore, vt quotquot illum inſpecturi libellum, vel euoluturi aliquando eſſent, tanto fidei Sacramento, tanto Maieſtatis tuæ immenſæ fulgore, tanta naturæ ſimplicis fœcunditate, tanta trium Perſonarum in Relationibus diſtantia, in eſſentia congruitate, in be-

neficiis conferendis accumulandisq́ꝫ benignitate, ad perpetuum cultum Tuum venerationemque ſubmiſsiſsimam inflammarentur. Et cui me, meaque omnia, atque Opuſculum hoc Tua ope ac præſidio perfectum, aut ardentius velim, aut vtilius poſsim, aut æquius debeam, quam æterno Numini Tuo ac ſupremæ Maieſtati conſecrare, ô ter Beatiſsima Trinitas, in cuius manu & nos ſumus, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia & operum ſcientia & diſciplina, Sap. 7. v. 16. Et quamuis in dignitatem, autoritatem ac gloriam Tuam cum intueor, noctuæ inſtar aut veſpertilionis cæcutientis reuerberor, nec mirum ſiquidem & felices cœlorum Aquilæ, vernæ Tui, Cherubici ac Seraphici ſpiritus non pedes tantum, ſed mentis etiam perſpicaciſsimæ aciem venerabundi obuelant. Iſa. 6. v. 2. Eſſentia Tua Te nobiliſsimum ac præſtantiſsimum, Vnitas perfectiſsimum ac omnibus numeris abſolutiſsimum, Trinitas fecundiſsimum demonſtrat. Operum à Te productorum vniuerſitas, molitorem omnium atque opificem longè ſapientiſsimum excellentiſsimumq́ꝫ eſſe, tot linguis prædicat, quot rerũ genere quidem ſpecieq́ꝫ ac numero diſsidentes, in tanta tamen tamque diuerſa varietate congruas inter ſeſe formas complectitur: In quibus etſi vmbræ quædam perfectionum tuarum eluceant, tantum tamen inter claritatem tuam, & fuſcedinem illam, quantum inter æterni Solis iubar, & tenuiſsimam Cincindelæ internoctu ſubmicantis nitelam diſcrimen intercedit. In tanta tamen tamque admirabili præſtantia tua nullius laborem deſpicis, nullius tibi merx putet, acceptiſsimum tibi eſt, quicquid bona piaque voluntate offertur, nec frigidæ hau-
ſtus

ſtus tua cauſa porrectus mercede caret, Matthæi 10. ver. 42. & ſacrificium tibi eſt, cor contritum & humiliatum, Pſalmo 50. Animum ponderas non donum, & coronas voluntatem, vbi non inuenis facultatem. Vnde & meam tibi eo gratiorem opellam futuram confido, quo pluribus eam nominibus & beneficiis quaſi lucri auidus proxeneta, cum nullius indigeas, ꝓlicuiſti, inuitaſti, expreſsiſti.

Et quis ex ſacrilega Arij colluuie, ex blaſphema Tritheitarum fece, ex impientiſsima Trinitariorum hæreſi, ex Lutheri luſtro, & Caluini ſpelunca inimicorum Tuorum in hunc librum canina rabie, infernate rictu, tartarina calumnia furte inſanientes & impetum facientes certius compeſcere, refrænare, ac frangere valet, quam tu Domine Deus meus, cuius voluntati reſiſtere poteſt nemo? Heſter. 13. verſu 9. Romanorum 9. verſu 19. Verùm conuerte illos hæreſeos peſtilentia infectos ad te, vt cognoſcant te Patrem, & Filium tuum, quem miſiſti IESVM CHRISTVM cum Sancto & viuifico Spiritu vnum eſſe ſolum verumDeum Ioannis 17. verſu 3. & *reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem,* 2. Timothei 2. verſu 26. *& enarrent magnalia tua.* Ec. li. 36. v. 2.

Neque inficias eo, ô præpotens TRINITAS, ſed valde lubenterque confiteor, me tuam hoc tenui munuſculo gratiam ambire, captare beneuolentiam, amorem aucupari, imo hoc vnum omnes meæ ſpectant cogitationes. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Pſalmo 72. verſu 25. Quapropter illud humillimè contendo, vt qui

ſuffi-

ſufficientem omnibus præſtas, mihi aptam, congruam, efficacem, atque perſeuerantem largiaris gratiam, quæ operum meorum omnium vſque ad ſupremum vitæ ſpiritum comes ad Te non in ſpeculo & ænigmate conſpiciendum, ſed facie ad faciem, intimè & penitiſsimè, quantum fieri poteſt, contemplandum, perducat, 1. Corinthiacæ. 13. verſu 12. Hanc ego gratiam, hoc operæ pretium meę, hāc omnis laboris mercedem prenſo, qui inſtinctu tuo & Sacramento meo ab omnibus mę caducis rebus, te vno vt fruerer, abdicaui. Deniq; hac luçubratiuncula immenſæ tuæ bonitati & prolixæ in mę beneficentiæ, gratias & agere & habęre conatus ſum. Nam non communia tantum in me contuliſti merita, ſingularibus etiam & pluribus me donis proſecutus es. Tu ſapiētia & potentia tua quaſi quibuſdam manibus & animam & corpus mirabilis artifex elaboraſti & perpoliuiſti, cute & carne me operuiſti & circumdediſti, oſsibus & neruis vniuerſas corporis partes colligaſti, animum conſilij, virtutis, & tuæ diuinitatis capacem impertiuiſti, vitam etiā ac probitatis igniculos tribuiſti, & benęuolentiſsimè prorſus mecum egiſti. Tua præſentia ac prouidentia me ſemper tutata eſt, fouit, conſeruauit. Iob 10. v. 8. 11. 12. E materno vtero à te eductum, vt puer etiam omnes ſpes meas in te vno defigerem, edocuiſti, & te perpetuo mihi clementiſsimum ac benigniſsimum Deum præbuiſti, me amantiſsimè gubernans, tum mala prouidè auertendo, tum bona vbertim conferendo, Pſal. 21. v. 10. 11. 12. Tu me ſcelere meo perditiſsimum ingenti bonitate & lytro redemiſti non argento, nō auro, non gemmis, non aliis rebus caducis & perituris, ſed pretioſo puriſsimi ac ſanctiſsimi illius

Agni

Agni Chriſti Ieſu Domini noſtri Sanguine, 1. Petri 1. v. 18. Tu me in Eccleſiæ tuæ, extra quã nulli eſt ſalus, gremio, Catholicæ veritatis & ſalutaris doctrinæ lacte enutriſti, & vt hæreſeos venena agnoſcerem, horrerem, fugerem & refutarem, inſpiraſti, neque enim te vnquam habebit Patrem, qui Eccleſiam matrem non habuerit, S. Cypr. lib. de vnitate Eccleſiæ.

Tu me in Societatem Ieſu Chriſti Domini mei vocaſti, 1. Cor. 1. v. 9. & tuo indignum obſequio ad fidelisſimorum ſeruorum tuorum numerum aggregaſti, vbi me non modo immeritum, ſed etiam, proh dolor, ingratum innumerabilibus bonis & ſpiritalibus donis affeciſti, & porro cumulare non deſinis. In quã Societate Ieſu vt ſaluti meæmet & perfectioni aliorum etiam profectui, reiq; Chriſtianæ exactiorem nauare operam poſſem, & me totum in amorem & obſequium tuum impẽderem, hortatu & conſilio tuo Paupertas me ab omni opũ cupiditate, integritas à carnis illecebris, propriȩ voluntatis abdicatio à philautia & pernitioſa mundi pompa vindicauit. Tu mihi in hoc pio propoſito & laudabili inſtituto perſeuerantiæ certam ſpem inieciſti, vt hac mortalitate defunctus ad beatam immortalitatem gloriamque ſempiternam tuo euehar beneficio, & Te potiar ſummo immenſoq; bono, qui eris mihi Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28.

Age igitur, ô Beatisſima Trias, age ô ȩternum Numen, ſupreme rerum omnium moderator & præſes, cui quicquid ſum, quicquid poſſum, plus millies debeo, boni meam Opellam diuino Nomini conſecratam conſule, meq; vnà animo iuxta ac corpore Tibi deuinctum deuotumque volens ac propitius ſuſcipe, ſerua, bea.

Ita

Auctoris Votum ad SS. Trinitatem.

Ita ſupplex voueo, atque animitùs obteſtor Te ô Deus potentiſsimè Pater, ſapientiſsime Fili, Spiritus Sanctiſsime, cui à me & ab omni conditarum rerum ordine, omnis honor & gloria in ſempiternum deferatur.

ΘΑΥΚΑ-

ΘΑΥΚΑΣΤΙΚΟΝ

DE OPERIS ALTITV-DINE ET PROFVNDI-TATE

AD AVCTOREM.

Audacem (ô ſuperi!) calamum, quis te igneus ardor
Deſubitò in tantum ſcribendi detulit æquor?
O quid agis Calame? Oceani viden' orbita quanta,
Quantus in immenſum ſe circumgyret hiatus?
Hic tu abſorptus aquis, crenâque & criſpide fractis
Excidium Ponto debes: Iam, iam ecce vorago
Hiſcit, & ex imo ſubſultat gurgite vortex,
Et brevia, & ſcopuli, ſexcenta pericula Nerei;
Scylleaque Petra irrauceſcunt murmure ſaxo.
O quid agis? tantumnè tibi ſperare furorem
Auctor, an hos animos propria indulgentia fecit,
Vt formicina alueolo comprendere crena
Oceanum te poſſe putes, cui nullus ab ortu,
Nullus ab occiduo tractu diſcribitur vſquam
Terminus, immenſo ſupra conuexa polorum
Fonte ſuperiectum, ſubter tenebroſa ſilentum
Tartara inexhauſto, impenetrato gurgite euntem,
Omnia complentem patuli auia, & inuia mundi.
Auguſtinei neſcis temeraria pupi
Conſilia, & foueam & cochlear? Pulmone cachinnum
Diducto tollis, quoties fabella recurrit.
Quiſquis in annuleâ ſperet ſe claudere mundum
Poſſe palâ, herculeis inclinatumque lacertis
Sidereum ſtellantis opus ſuſpendere tecti
Pollicis è nodo, tanquam leue pondus amici,
Hunc ego vel Luna furiatum ſidere credam
Sanandum ſucco Argolico, vel ſomnia vana
Endymionea deluſum agitare cauernâ;
Nec meliore aſtro Cygnea ô Filia pluma
Penna, papyroſo deliria iugere ſulcas.

Tune

Tune inſcrutatum, fundo impenetrabile Numen,
Magnum, infinitum, Maieſtatiſque profundæ
Æternum chaos, in tenues haurire lacunas;
Tu Triadem, Monademque vnà (quis credat?) in arctū
Illam incomprenſam Triadem, Monadem incompren-
ſam
Paruule te Calamille putas deducere poſſe?
Troica (ſi fas eſt narranti credere famæ)
Damna, ſenem Priamum, Anchiſei ſanguinis iras,
Hectoreaſque rotas, curruſque furentis Achillei,
Aiaceſque feros, & quicquid Pergama triſte
Poſt ignes Danaûm luxerunt, cortice in vno
Deſcripſit quidam muſcæ pede lynceus Argus.
Obſtupuêre vmbræ Dolopum, poſtquam impiger alis
Tartareas peruaſit aquas rumore ſecundo
Nuncius: ecquid enim parua nuce magnus Achilles
Et Simoentei laquearia tanta Tyranni;
Fortunæque Aſiæ; & tantis virtutibus vmbrā
Claudantur? Sed enim, quicquid memorabile rerum
Mars antiquus habet, nux vna anguſtat in arctum;
Peltatas lunas, Sarpedoniaſque machæras:
Indignum exclamant facinus, quis ſanguine partas
Exuuias, veteriſque incana decennia pugnæ
Mæoniâ exoculus nunc ſupputet alite vates?
Quando decem nucino meſſes in carcere Scriptor
Colligit, & fatalis equi caua machina, parui
Corticis hoſpitium capite inclinata ſubintrat?
Tu maiora paras viuaci inarare papyro
Prodigia, & celſo deductum Numen olympo
Subiicere ante oculos, hauſtroque accerſere rurſus
In ſpecus exiguum Hipponei fluminis ingens
Littus, inexhauſtâ mare MAIESTATE profundum
Deriuare viâ tenui, ſirtiſque petroſæ
Aequoreas numerare atomos, ac millia mille
Millibus innumeris numero ſuperaddere fruſtra.
Perge tamen Calamille tuum furiare furorem,

Conſi-

Ad Auctorem

Conſilium in magnis furor, & ſapientia ſæpe eſt;
Namque nec intentata via eſt, neque ſemper (opinor)
Diſperiit caſſo labor infæcundus abortu.
Pugnarunt alij hoc circo, & ſpolia ampla tulerunt
Magnanimi Heroes: Hipponam ſemita trita
Ducit ad Aurelij fontes, vbi dulcior hauſtu
Arguto exundat de pumice riuulus, hic tu
Incipe: tum Franci pete tablinaria myſta,
Sic alias deinceps quercus, ſic excute poſtes,
Seu Latios mauis, ſeu quos tibi Græcia pandit.
Inuenies calcata prius veſtigia, quæ tu
Ponè ſequens Domino exolues damnata Trinuno
Vota. Nec incaſſum labor exſpirabit in auras.
Ecce iterum Arrij (fœdum, & miſerabile dictu!)
Graiugenis bellata diu, bellata Latinis
De Phlegethonteis egreſſa paludibus vmbra.
Pannonios populos, & quod circumiacet agri
Cerbereo pure inteſtat, labroque repando
Eiectans, quicquid piceo ſtabulatur Auerno
Monſtrorum, putres ſquamoſo tergore cenchres,
Amphiſibænarum, ſalamandrarumque cohortes
Cœlo iterum impurus cœli artificique Monarchæ
Serueti lituo indicit bella, horrida bella,
Gentilemque Italum, latij damnabile ſemen,
Tercipitis fœtum Catuli, vomicamque Megeræ
Arma iubet capere, & ferro thoracat aheno
Indomitum, accendens monitis, commiſceat orbem
Marte fero, Chriſtum (non exhorreſcitis aures?)
Vnigenam Patris, lumen de lumine, Chriſtum,
Præcipitet Deitate ſua, humanâque figurâ
Veſtitum tantum, Briareo ſæuius auſu
Rurſus in arboreâ (exhorreſco) patibulet arâ.
Nec ſatis hoc: etiam ſceleratis proruat auſis
Longius, atque omnem Triados populetur honorem
Ore Sabelliaco: Ardorem Natique, Patriſque
Cœleſti vſtrinâ coctum ſpiramine cuius

 Viuifi-

Viuiſico biſſeni olim caluêre Dynaſta,
Folle pruinoſo difflet furialis Enyus.
Quis Tempeſtati obiiciat retinacula tantæ?
Quis peſtem indomitam è Libycâ nouus exul arenâ
Danubÿ tranſuectus aquas, diſpulueret ore?
Eliſamque ſtylo fodicet, quis tam improba mundi
Oſtenta eloquio iugulet Baſilius Achiuo?
Quis perterricrepo latialis fulmine Pithus
Aduena Bethlemicus Damaſæa in rupe cohærens
Tracturos iterum vitiata mole ruinam
Nutantes ſolidet? Quis contra edicta nouercæ
Efferа Cæſareæ Ambroſius ſeſe offerat audax?
Vnus pro cunctis loquitur Liber, vnus in vno
Conſpirat Patrum ſenſus: iugulatur Auernas
Tranſiluanenſis Sathanæ, victrixque triumphat
Indiuiſa Trias. Calame ô Calamille triumpha,
Perge age, transterebræ peſtes, quibus impia cœlos
Lingua Mimanteo latratrix attonat auſa.
Summates oppone tuos, quibus integra vita
Et ſeruata fides Triados, vel ſanguine ſuſo
Immortale decus peperit, palmæque tropeum.
Extrahe de tenebris, & opaco carcere centum
Prodigia, & Patrum monumenta antiqua reclude,
Fac lucem exemplis; Quicquid ſonat omnibus olim
Ambroſius chartis. fluido Chryſoſtomus ore,
Quicquid in Hippone Aurelius deſudat arenis,
Quicquid item docti Comes indiuiſus Achatæ
Cecropio Xyſto ructat Baſilius, aceruа,
Accumula: Res ampla quidem eſt, ſed & ampla corona;
Gisberto Scheuickhauio duce, & auſpice perge,
Ille tibi prodromo ſoluet penetralia paſſu,
Ille viam oſtendet, nec cœlo maximus auſpex
Ipſe aberit Deus, in cuius ſudatur honorem,
Hoc quantumcunque eſt operis, Viden' vt tibi dexter
Annuerit de nube Pater niue candidus ora,
Cæruleâque latus roſeum veſtitus abollâ

Aſpice

Ad Auctorem.

Aſpice de Verbo, leni quod verba ſuſurro
Inſtar aquæ manent, queis tu ſitientia libri
Arua preme, ô quoties indigeſtæ incubus vndæ
Spirator flatus paphiâ Iordanis ad amnem
Alite conſectus Zephyro propellet amico!
I procul, & latè ſementem diſiice ſulcis,
Vnde quadruplatas Decumano *fænore ſpicas*
Demetat Agricolæ plus quam ſperata voluptas
Tum propagatum Triuni *extende* Monarchæ,
Qua Sol cumque ſuos agitat temone iugales
Nomen, ad Auroræ populos à Gadibus *vſque*
Et quà frigoribus Boreas, quà Solibus *Auſter*
Aſsiduis torpet, ſat Patri Gloria, Nato
Gloria, Spiritui Sancto *ſat* Gloria *creſcat:*

ΕΙΣ ΒΙΒΛΟΝ

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΠΑΝΑΓΙΟΥ ΤΡΙΑΔΟΣ

Σεβασμίου Πατρὸς Γισβέρτου Σκευιγκαβίου Θεολόγου τοῦ Ἰησοῦ Ἑταιρείας.

Οὐκ ἄρα τήνδε βίβλον φαίην βροτῷ αὐδεῖ πτύχθαι
Εἰ μὴ χαλκογράφος οὔνομα θῆκε βροτοῦ·
Τοῖον ἔπος τεὸν ἐστι, Πάτερ, ποῖον δέ τε δόγμα
Τοῖς δ' εὐεπίης κάρτει πάντας ἄγεις·
Εἴτε φύσιν Μονάδος τριφαοῦς ἀνέφικτον αἰνίγων,
Εἴτ' ἀνδρῶν κραδίας θείῳ ἔρωτι φλέγων.
Ἦ ῥα τεὸν οὐρανόθεν, Γίσβερτε σοὶ ἔργον ἐπέμφθη,
Ἢ αὐτὸς μακάρων ἐκ δόμου αὐτὸ φέρεις.

ΕΙΣ ΤΟ ΑΥΤΟ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΡΙΣΑΓΙΟΥ ΤΡΙΑΔΟΣ ΕΡΓΟΝ.

Αἰδομένοιο πυρὸς κοτέων ποτὲ κρύψατο φέγγος
Ζεὺς κρονίδης μερόπων εἵνεκα δυσσεβίης·
Αἶψα δὲ κερδαλέον βουλομένη τις ἀνήγαγε Παλλὰς
Ἰαπετιονίδην δώματ' ἐς ἠελίου·
Ἔνθ' ὅγε προσπελάσας δίφρῳ ἱερῷ φέγγει πυρσὸν,
Τοῖσιν ἐπιχθονίοις δῶρον ἔνειμε φίλον.
Αὐτὰρ ὁ πῆμ' ὀλοὸν μερόπεσσιν ἔτευξε καὶ αὐτῷ
Σχέτλιος, ἀντὶ πυρὸς τὴν κακότητα λαχών.
Σὺ κρείσσων, πολύσεμνε Πάτερ, πολὺ φωσφόρος ἐστὶ
λαμ-

Google

Λαμπάδος ἐκπροφέρων ἀθανάτοιο σέλας,
Οὐ μὲν ἐπαυγάζει φωστὴρ τεὸς ὄμματα σαρκὸς
Οὐ σπινθῆρα τρέφει οὐ λομένοιο πυρός,
Ἔνδε βροτῶν πραπίδεσσιν ἀνάπτει θέσκελον αὐ-
γὴν
Ἀμβροσίη φέγγων ἰδμοσύνη ΤΡΙΑΔΟΣ·
Ἴχνια δὲ καθαροῖς στίλβων ἀκτῖσι πιταίνει
Ὑψικέλευθα θεοῦ ὡς πυρόεντα θρόνον,
Καὶ ψυχὴν ἐλαφριζομένην νοσφίζει ἀπ' αἴας
Ἄφθιτα οὐρανιδῶν ἐς τὰ μέλαθρα φέρων
Τῷ σ' οὔ φημι θεοῦ ἀέκητι φερέσβιον ἅψαι
Ὡς γόνον Ἰαπετοῦ, λαμπάδα τήνδε, Πάτερ.
Ἀλλ' αὐτή σε ΤΡΙΑΣ θνητῶν μεδέουσα ποίησε
Πεπνυμένον ταμίην ζωοφόροιο πυρός.
Τοὔνεκα τῷδε βροτοὶ δαδούχῳ πάντες ἕπονται.
Ὄλβιον ἀπλανέως εἰς βίον οὗτος ἄγει,

IDYL.

IDYLLION ΘΕΙΟΛΟΓΟΝ.

IN SACRVM VNITRI-ni Dei librum.

QVacunq; Titan lampade fulgurat,
Terraſq; pulla noctis imagine
Ferruginatas luce veſtit,
Et roſei iubaris nitore
Detergit vmbras, ſiue per algidos
Currat Triones, ſiue per arida
Mauriq;, Phœnicisq; luſtra,
Seu per Eon volet, Heſperonq;;
Genteſq;, & vrbes, & populi, & duces,
Quotquot ſub anni, Solis & orbitâ
In hoſpitales, hoſpitales
Aetheriâ recreantur aurâ,
Regnare terras Numen, & aſtrici
Credunt Olympi celſa palatia,
Quod victimæ, thuriſque nidor,
Sacrificij deceatq; cultus.
Sic ipſa primis finxit ab vnguibus
Natura gentes, impigra Numinis
Ancilla, Curetiſq; nutrix
Euiadum generis Meliſſa.
Sed fulua poſtquam ſæcula decolor
Infecit ætas; fibraq; ferrea
Argenteum detriuit æuum
Degeneris vitio nepotis;
Mox tortuoſo falſiparens hydro
Crinitus error cornua ſuſtulit;
Criſtamq; ſubrexit colubris
Vana ſuperſtitio comantem.

Demenſ-

Digitized by Google

Demensq́ verò ſuppoſuit Deo
Nothos Deaſtros: prô pudor,& ſielus!
Viuoq́,ſpiranti Patre
Fuſile ſuppoſuit metallum,
Ductosq́ vultus ære Corinthio,
Creſſaue gleba, vel Samio luto,
Aut de ſaligno dedolato
Stipite marmarinove ſaxo.
Vah caſſa viuo Numina ſpiritu!
Oris diſerti quæ ſimulamine
Labris in oris muſonare
Crœſiadæ nequeunt puelli.
Aures repandas vota ferentibus,
Choriq́ lætis plauſibus arrigunt;
Aureſq́ plus ſurdas Canopi
Littore Threicioq́ geſtant.
Dextras amici fœderis hoſpitas
Tendunt,lacertos Herculis exerunt;
Palmæq́ dureſcunt, & anni,
Vt rigidus lapideſcit Atlas.
Mentitur hirquos, binaq́ ſidera
Imago,frontis,nigrior Oedipi,
Aut Sicani Cyclopis orbe,
Quem dolus Ithacidæ forauit.
Quid monſtra Diuûm prodigialia
Verſu retractem, quæ ſuper æthera
Transferre, diuiniſq́ gentes
Haud puduit miniare ceris.
Memphis colonis Indigetes Dij
Stetêre Anubis terrifico Canis
Augurq́,labatorq́ rictu,
Corniger & vitulus Serapis,
Felisq́,& Ibis, cæpaq́ porrinis
Replicta bulbis.plus tamen vrbium
Vrbs Roma delirauit,atque
Arx Sophiæ Marathonis Aſty.

Quando trifures, pędophagos, procos
Inceſtuoſos, ſemiferos viros,
Cœloq; latrones beârunt,
Et vitiis poſuêre fana.
Vulgata Chriſti dogmate ſed Fides
Nos Vnitrini Numinis imbuit
Myſterio, obſcœnoſq; Diuos
Ad lemures, Erebumq; damnat.
Hæc lege ſancit non violabili,
Et Numen vnum clarigat omnibus,
Vna vſia ſimplex, idemq;,
Treis per Hypoſtaſias triplexq;.
Numen beatum ter, quater amplius;
Aeuo beatum non variabili,
Sanctumq; perfectumq;, pluſquam
Neſtoreo queat ore dici.
Hoc Numen alma munificum manu,
Diues boni omnis principiũ, & caput;
Priuus Deus, priuuſq; mundi
Omnipotẽs Dominus, Monarcha,
Seruator, altor, legifer, arbiter
Vindex nefaſti criminis, & probi
Iuſtiq; largus præmiator
Imperio premit vnus æquo,
Quodcunque cœli cluditur ambitu.
Hinc omnis illi Regia Cœlitum
Subditq; faſces, & voluta
Ambroſios iacet ante vultus
Altè reflexo poplite, nomina
Dei ſalutans perpete carmine.
Hinc illius frenos tremiſcens
Attoniti ſubit aula Ditis.
Illum & pauentes terricolæ prece,
Votoq; amicant; thuris honoribus,
Et victimis placant litatis,
Et poſitis venerantur aris,

Genius

Genuq́; curuo; & laudibus inſonant,
Hymniſq́; tollunt: (quodq́; Deo ſuper
Eſt omne melli) intaminato
Pectore, caſtificaq́; mente
Ardent, & hiſcunt, vincula corporis
Dum rupta letho ſpiritus exeat,
Liberq́; ventoſas per auras
Tranſuolet ad ſolium Tonantis.
Hic ſiſte Muſa, & Pindaricæ fidis
Reconde plectrum: iam TRIADOS liber
Dignus cedro reſponſa nobis
Veridici tripodis loquatur.

Ad maiorem Dei gloriam.

Tune inſcrutatum, fundo impenetrabile Numen,
Magnum, infinitum, Maieſtatiſque profundæ
Æternum chaos, in tenues haurire lacunas;
Tu Triadem, Monademque vnà (quis credat?) in arctū
Illam incomprenſam Triadem, Monadem incompren-
ſam
Paruule te Calamille putas deducere poſſe?
Troica (ſi fas eſt narranti credere famæ)
Damna, ſenem Priamum, Anchiſei ſanguinis iras,
Hectoreaſque rotas, curruſque furentis Achillei,
Aiaceſque feros, & quicquid Pergama triſte
Poſt ignes Danaûm luxerunt, cortice in vno
Deſcripſit quidam muſcæ pede lynceus Argus.
Obſtupuêre vmbræ Dolopum, poſtquam impiger alis
Tartareas peruaſit aquas rumore ſecundo
Nuncius: ecquid enim parua nuce magnus Achilles
Et Simoentei laquearia tanta Tyranni;
Fortunæque Aſiæ; & tantis virtutibus vmbrâ
Claudantur? Sed enim, quicquid memorabile rerum
Mars antiquus habet, nux vna anguſtat in arctum;
Peltatas lunas, Sarpedoniaſque macharas:
Indignum exclamant facinus, quis ſanguine partas
Exuuias, veteriſque incana decennia pugnæ
Mæoniâ exoculus nunc ſupputet alite vates?
Quando decem nucino meſſes in carcere Scriptor
Colligit, & fatalis equi caua machina, parui
Corticis hoſpitium capite inclinata ſubintrat?
Tu maiora paras viuaci inarare papyro
Prodigia, & celſo deductum Numen olympo
Subiicere ante oculos, hauſtroque accerſere rurſus
In ſpecus exiguum Hipponei fluminis ingens
Littus, inexhauſtâ mare MAIESTATE profundum
Deriuare viâ tenui, ſirtiſque petroſæ
Aequoreas numerare atomos, ac millia mille
Millibus innumeris numero ſuperaddere fruſtra.
Perge tamen Calamille tuum furiare furorem,

Conſi-

quod ſciam, ex deſtinato conſilio, & certo propoſito hoc cæteroquin pręſtantiſsimum munus ſuſtinuit, ne dum expleuit; fortaſſe perſuaſi, declarato: præpotentem Trinitatem eſſe vnum ac verum Deum, cunctos animo percipere ſummum illi honorem & cultum eſſe tribuendum. Sed non id æquè ac pariter omnes capiunt, neque maximopere debiti cultus momenta & vberrimos fructus pro dignitate expendunt & æſtimant, quorum ſaluti cõſulendum commodiſque ſeruiendum fuit. Neſcius non ſum ſapientiſsimè monuiſſe S. Auguſtinum clariſsimum Eccleſiæ lumen lib. 1. de Trinit. c. 3. *quod nec periculoſius alicubi erretur, nec laborioſius aliquid quæratur, nec fructuoſius aliquid inueniatur, quàm vbi quæritur vnitas Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Verùm vt inuentio Sanctiſsimæ Trinitatis infiniti & incomparabilis theſauri me adſcribendum animauit & impulit, ita nec errandi periculum vias tritas & certas ingredienti metum iniecit, nec animi contentio, vel corporis defatigatio, cum omnia libentiſsime velim pro ſempiternæ Trinitatis gloria, ab incœpto deterruit. Laborem iſtum ſemper & vbique honorandæ Trinitatis & afflatu ſuſcepi, & auxilio pertuli, & promotu exanthlaui non ſolum ſine vlla moleſtia, ſed cum ingenti etiam iucunditate. Amanti enim nihil difficile, nihil aſperum, nihil durum, & quid amem, ſi ſacratiſsimam Trinitatem Deum meum & ſummum bonum meum, non amem? *Omnia*, ait S. Auguſt. ſerm. 9. de verbis Domini, *ſæua & immania prorſus facilia & propè nulla efficit amor: Immaniſſimis bellis miles atteritur, pluribus fortaſſe annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus. Quibus tempeſtatibus & procellis, quam horribili & tremenda ſæuitia cœli & maris*

impleti

impleti ſunt mercatores, vt diuitias ventoſas & perituras acquirant, maioribus quam quibus acquiſitæ ſunt periculis & tempeſtatibus plenas? Quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à foſſis, a præcipitiis, à fluminibus, a feris perferunt venatores, quem laborem eſuriendi & ſitiendi, quantus viliſſimi & ſordidiſſimi cibi & potus anguſtias vt beſtiam capiant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui verò amant eadem quidem, ſed nõ grauia pati videntur. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miſeriam quantum potuit, cupiditas fecit? Nil cogitatur ſanctius. Nihil profertur rectius: Nihil auditur melius, quàm Trinitas vnus Deus. Alexander apud S. Cyrillũ Alex. lib. 3. contra Iulianum: *Summa*, inquit, *noſtra felicitas eſt in pietate erga Deum, quando non externas quaſdam merces præter illum exſpectamus, ſed in colendo ipſomet, quod bonorum eſt maximum, aſſequimur: In diuinorum contemplatione noſtra felicitas eſt.*

Profecto mihi hoc altiſsimum ac iucundiſsimum myſterium conſideranti ſimilem ſi non parem pietatis ſenſum indidit Deus, quem olim Dauidi ingenerauit, cùm diceret Pſalm. 26. v. 4. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.* In quem Pſalmum & verſum S. Aug. *Hæc eſt illa vna res*, ait, *quæ debet amari, vt habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ noſtræ, & contemplemur delectationem Domini. Si vos delectant bona, quæ non ſunt per ſe bona, qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni ſemper eodem modo manentis? quandoquidem iſta, quæ dicuntur bona, nullo modo nos delectarent, niſi eſſent bona, nec alio pacto eſſent bona, niſi ab illo*

illo eſſent, qui ſimpliciter bonus eſt. Ecce quare habitare volo, inquit David in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, vt contempler delectationem Domini, & contempler ſemper, & nulla moleſtia me contingat contemplantem, nulla ſuggeſtio auertat, nulla auferat alicuius potentia, nullum inimicum patiar in contemplando & perfruar delitiis ſecurus ipſo Domino Deo meo.

Poterit Lector inoffenſo pede hunc librum percurrere: cum non modo nullum hic hæreſeos, ſed neque erroris ſit periculum: tum quod omnia mea ſcripta volens ac iubens Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio ac cenſuræ demiſsiſsimè ſubmittam, tum quod ſemper & vbique deuia vitans regiis ac tutiſsimis maiorum itineribus iuerim, non neque meis inuentis aut commentis, tanquam ſimia ſuo fœtu delectatus fuerim, ſed in diuinæ Scripturæ oraculis, in ſacrorum Conciliorum ac Canonum decretis, in conſpirantibus Sanctorum Patrum ſententiis, tanquã certiſsimis veritatis veſtigiis mordicùs & conſtanter inſtiterim. Quædam acutiſsima & excellentiſsima ingenia tanto grauius offenderunt, & tanto longius à veritatis regula aberrarunt, quanto confidentius ingenij ſui viribus cucurrerunt, nec ſupplice ac ſincero animo Deum ipſis, vt lucem & viam oſtenderet, petiuerunt, nec aliorum iudicia & ſententias inquiſiuerunt, aut ſequi noluerunt.

Aut fortaſsis opinabitur quiſpiam hoc myſterio cum ſit abſtruſiſsimum, & ab humana intelligentia remotiſsimum explanando & tractando fuiſſe ſuperſedendum, præſertim cum diſertè ſapientes moneant: Salomon quidem Prouerbiorum vigeſimoquinto verſu 27. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur a gloria.*

Syra-

Syracides verò Eccli 3. v.22. *Altiora te ne quæſieris,& fortiora te ne ſcrutatus fueris,ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi.* Non vereor, vt verbis vtar S.Bernardi Ser.62.in Cant.*quod Scriptura minatur ſcrutatoribus Maieſtatis: quia ſimplicem & purum affero oculum, neque meam, ſed Sanctiſſimæ Trinitatis Dei mei quæro gloriam, à qua proinde non opprimar, ſed ad eam admittar. Alioquin ſua quiſque opprimitur, non Dei gloria, dum procliuis in iſtam, ad illam leuare ceruicem nō ſinitur, nimirum grauem cupiditate. Hac excuſſa ſecurè ſcrutemur,* &c. Profectò non ſcrutor maieſtatem, vt opprimar à gloria, neque altiora me inquiro, dum S. Trinitatis myſterium non ad rationis calculos vocò, non humanæ indagationis trutina examino, ſed ſicut ipſiſsima ac colendiſsima Trinitas illud per Scripturam per Eccleſiam patefecit, ac credendum propoſuit, explano. Sapientiſsimi illi duo viri illos exhortantur & coarguunt; qui curioſitate ducti, illotis pedibus ad ſacra iſta non tam cognoſcenda quàm temeranda proſiliunt, & religionis arcana ſui animuli anguſtiis metiuntur, nullo autem modo illos perſtringunt, qui intellectum ſuum in fidei obſequium captiuum ducunt, qui Eccleſiæ cognitioni & ſententiæ ſe totos permittunt, qui iſta dogmata idcirco expendunt, vt rectius cognoſcāt; cognita altius animo infigant, infixa maiori admiratione, iucunditate, ac ſubmiſsione contemplētur, & ſe ipſi ad certiorem fidem, ad firmiorem ſpem, ad ardentiorem caritatem, ad auguſtiorem Dei cultum, ad omnimodam virtutem concitent & inflamment, cæteroquin & hortatur Dominus Ioann.5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere?*

bere? & illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Non ait, legite Scripturas, ſed ſcrutamini, excutite, enucleate, vt ſpiritum ſub litera, medullam ſub cortice, veritatem ſub vmbra latitantem reperiatis. Apoſtolici etiam actus cap. 17. v. 11. Pauli & Silæ auditores laudibus extollunt, quod cũ omni auiditate verbum Dei ſuſceperint, & quotidie Scripturas fuerint ſcrutati, ſi hæc ita ſe haberent. Quin & S. Lucas cap. 2. v. 19. hoc elogio Deiparam commendat: *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Vniuerſa dicta & facta in Angeli Gabrielis ſalutatione, in conceptu de Spiritu Sancto, in Elizabethæ congreſsione, in partu Saluatoris ſine dolore, in paſtorum aduentu, & eorum narratione, de viſis auditiſque Angelis in harum rerum nouarum cum veteribus figuris & vaticiniis conuenientia ſapientiſsima Virgo inter ſe comparabat, & vt ait ibidem S. Ambroſius, argumenta fidei cõferebat in corde: Latens eſt, & reconditum ſacratiſsimæ Triados myſterium, non tamen idcirco tantum ſilentio venerandum. Quis deſiderat, amat, colit incognitum? Et cum *fidei ſit ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparẽtium*, Hebr. 11. v. 1. quod eſt fidei dogma non abditum & occultum? Nonne omnia Chriſtianæ fidei dogmata parem à veraciſsima Dei illa manifeſtantis autoritate lucem accipiunt. Et quod myſterium ſæpiùs & clarius in nouo Teſtamento patefecit Deus quàm Beatiſsimæ Trinitatis? Ergo vel omnia Chriſtianæ fidei decreta in tenebras quaſi carcerem, quod abſurdiſsimum eſt, retrudantur, vel hoc Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium ante omnia alia, quod rectæ rationi & pietati maximè conſentaneum eſt, in lucem proferatur, ſermone & Scriptura explanetur,

cele-

celebretur, & identidem inculcetur: nam vt affirmat S. Cyrillus Alexan. lib. 1. Theſauri cap. 2. *Neceſſaria eſt fidelibus S. Trinitatis cognitio.* Et vt ait B. Gregorius Nazianz. cognomentoq; Theologus Apol. 1. *Doctrinæ noſtræ fideique caput eſt, quid de principe & regia ac Beata Trinitate credendum ſit, explicare.* Qui idem doctiſsimus & ſanctiſsimus Pater in Oratione de moderatione in diſputatione ſeruanda, egregiè tradit, vt temporalia bona, ita & ſpiritalia omnibus eſſe comunia, & præcipuè Chriſtianæ religionis myſteria, ne quis falſo opinetur S. Trinitatis arcanum à vulgo cælandum. Sic autem ipſe loquitur: *Neque enim in rebus creatis excellentiſsima quæque nonnullorum duntaxat, ſed omnium mortalium ſunt, atque ad vnum idemque figmentum communis Dei gratia patet: neque in fidei ratione ea quæ ſalutem afferunt, potentiorum ſunt, ſed volentium. Quid pulchrius aere, igne, aqua, terra, pluuiis, fructibus, ſatiuis iuxta atque agreſtibus, tecto, indumentis? Atque hæc ſunt eiuſmodi, vt omnes ea communiter percipiant. Deus enim Solem ſuum æquabiliter omnibus oriri facit, diuitibus ac pauperibus pluit: communis diei noctiſque alternatio & viciſſitudo, commune donum ſanitas, communis vitæ terminus, communis quoq; menſura, corporis venuſtas, communis ſenſuum vis & facultas. Ac fortaſſe hoc nomine, meliori quoque conditione ſunt pauperes, quod pro his beneficiis vberiores Deo gratias agant, iucundiuſque ipſi communibus, quam potentiores ſuperfluis minimeque ad vitam neceſſariis fruantur. Atque hæc quidem communia ſunt, omnibuſque expoſita, Deique iuſtitiam perſpicuo argumento teſtantur. At aurum & pellucidæ ac deauratæ gemmæ, & veſtes molles, & accuratius concinnatæ, & menſa ferculis intumeſcens, atq; homines furioſos efficiens, & ſuperfluæ facultates, quæ homines labore conficiunt, paucorum hominum ornamenta*

menta

*menta ſunt. Idem planè circa fidem animaduertere licet. Communia ſunt lex, Propheta, Teſtamenta, Teſtamentorum oracula, gratia, inſtitutio, myſtica initiatio, Chriſti paßiones, noua creatio, Apoſtoli, Euangelia, Spiritus diſtributio, fides, ſpes, charitas, eaque tum ergá Deum, tum ex Deo, nec ea ad menſuram data, quemadmodum olim manna illud ingrato Iſraheli ac beneficij immemori donatum, ſed ad vniuſcuiuſque voluntatem; ſpiritalis item progreſſus atque accenſus, & illuminatio, ſubobſcura quidem hac, qua in hac vita contingit, clarior autem illa magisque perſpicua, quàm ſpe conceptam habemus: Denique quod maximum eſt, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti agnitio atque confeßio, hoc eſt, primaria noſtra ſpei. Quid his maius ac praſtantius? quid rurſus communius magisque omnibus promptum & obuium? Nihil fide noſtra, fratres, iniquius fingi poßit, ſi in eruditos tantum, dicendique facultate ac Logicis demonſtrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, vt auro & argento, aliisque omnibus rebus, qua hic plerique magna & praclara exiſtimant, auidiſſimeque expetunt, ſic hac quoque (*fide*) *fruſtraretur, ac Deus id, quod altum & excelſum eſt, nec niſi paucis patet, gratum acceptumque haberet, contra quod propinquius eſt, nec vulgi captum ſuperat, aſpernaretur ac reijceret. Nam ne moderatiores quidem homines mihi facturi videntur, vt nõ quales ipſis haberi honores poſſunt, exigant, ſed excellentibus tantum eximiisque delectentur, nedum Deus: cui; cum multis nominibus admirabilis nobis & ſuſpiciendus occurrat, nihil tamen tam proprium eſt, quàm omnes beneficiis ornare.* Hæc omnia diuinus ille Gregorius. Ad hæc ipſius nullo non loco, tempore, & modo prædicandæ Trinitatis fides & notitia, ſi ea fuerit, quæ eſſe debet, aut vtilius, ant ſalutarius eſſe poteſt quicquam: *ſi fides ſit, qua per caritatem operatur*, Galat. 5. v. 6. Si morigera Deo ſit notitia: *nam qui dicit, ſe noſſe*

Deum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. 1. Ioan. 2. v. 4. Talis enim datam in Baptiſmo fidem frangit, promiſſam in pœnitentiæ Sacramento conſtantiam violat, contra ipſam agit mentem, & Syntereſis conſcientiæque dictamen infringit, perſonam quidem hominis gerit Chriſtiani, ſed inane nomen eſt, & res profeſsioni non ſubeſt, depoſitum non cuſtodit, 1. Tim. 6. v. 20. & 2. epiſt. c. 1. v. 14. non vtiliter Domino villicatur, Luc. 16. verſ. 1. non negotiatur doctrina gratiæ, ſed eius donis vel abutitur, vel non, vt par eſt, vtitur Matth. 25. v. 18. Luc. 19. v. 11. Si ergo ſit pia & obtemperans Sanctiſſ. Trinitatis ea notio, quam maximè homini eſt ſalutaris, Ioan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna* (id eſt cauſa & origo ſempiternæ felicitatis) *vt cognoſcant te ſolum Deum verum* (falſos Deos & idola ſpernentes) *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Simili ratione precatur tres pueri Daniel. 3. v. 45. *Sciant, quia tu es Dominus Deus ſolus, & glorioſus ſuper orbem terrarum.* Salomon diuinæ cognitionis præſtantiam explanans hunc in modum, Sap. 15. v. 3. Deum appellat: *Noſſe enim te conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalis:* Scientiam Dei omnium eſſe nobiliſsimam, Hier. 9. v. 24. confirmat ipſemet Deus: *Non glorietur,* inquit, *ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc glorietur ſcire, & noſſe me: quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium, & iuſtitiam in terra: hæc enim mihi placent, ait Dominus.* Quam Dei piam cognitionem & ſacrificiis anteponit Hoſeæ 6. v. 6. *Volui ſcientiam Dei,* ait, *plus quàm holocauſta.* S. Hiero. c. 31. *Notitia vnius Dei omnium virtutum poſſeſsio eſt.*

Denique ſicut rectiſsima in cœlum & ad Sanctiſsimam Trinitatem via eſt eiuſdem perfecta fides & integra caritas, ita & in eiuſdem Beatiſſ.

Trinitatis clariſsima contemplatione & ardentiſsimo amore ſempiterna noſtra erit felicitas, quemadmodum ſentiunt, & rectè ſentiunt duo ſanctiſsimi & doctiſsimi Patres, & cum iis alij, nimirum Gregorius Theologus, & Theologorũ princeps Auguſtinus: Gregorius quidem Naz. Orat. ad Arianos ita eorum vnumquemque alloquitur: *Vt breuiter tecum agam cõfeſsionis tua memor eſto. In quo nomine baptizatus es? In Patre? rectè: verùm id adhuc Iudaicum. In Filio? praclarè: hoc iam nequaquam Iudaicum, ſed nondum tamen plenum atque perfectum. In Spiritu Sancto? optimè: numeris omnibus abſolutus eſt hic Baptiſmus. Verùm heus tu, an ſimpliciter in hac tria? aut quoddam etiam nomen eſt, quod tribus his communiter conueniat? maximè: quodnam hoc? nimirum Dei nomen. In hoc igitur commune nomen crede, & proſperè incede & regna, atque hinc ad alterius vita beatitudinem emigrabis. Ea porro (vt mihi quidem videtur) in expreſsiore horum cognitione ac perceptione ſita eſt: ad quam vtinam ipſi quoque perueniamus in Chriſto Deo noſtro, cui gloria & imperium cum Patre principio carente, & viuifico Spiritu nunc & ſemper & in ſacula ſaculorum, Amen.* Nunc & Magnum attendamus Auguſtinum: Is libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 14. *Diligere,* inquit, *debemus trinam quandam vnitatem Patrem, & Filiũ, & Spiritum Sanctum, quod nihil aliud dicam eſſe, niſi idipſum eſſe. Eſt enim verè ſummeque Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Qui quanto melius atque diffuſius diffamatur, tanto diligitur & amatur ardentius. Quod cum ſit nihil aliud ab humano genere, quam certo & conſtanti gradu in optimam vitam & beatiſsimam pergitur. Nam quid erit optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſsimum? Id autem eſt ſolus Deus, cui hærere certè non valemus, niſi dilectione, amore, caritate.*

 Quid

Quid verò in vnoquoque libro & ſingulis eius tractetur capitibus, ſubiectus Index declarabit, quem pręter, & in calce tres alios Scripturarum hic explicatarum, rerum memorabilium, & Euangeliorum reperies. Tu ergo amantiſsime in Chriſto Lector noſtro labore ad præcellentiſsimæ Trinitatis gloriam, tuamq; ſalutem vtere, & me tuis precibus eidem feliciſsimæ Triadi commenda. Vale.

INDEX

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De diuinarum perſonarum in eſſentia vnitate, ſiue quod vnus ſit Deus, & quis quantuſque ille ſit.

Cap. 1. Vnus eſt ſingulari natura Deus Opt. Maximus pag. 1
Cap. 2. De huius vnius Dei Maieſtate & excellentia 8
Cap. 3. De modis Deum cognoſcendi 15
Cap. 4. Quod Deus in hac vita perfecte non cognoſcatur 24
Cap. 5. Dei deſcriptio ex creaturarum negatione 30
Cap. 6. Dei deſcriptio ex illius ad creaturas cōparatione 32
Cap. 7. Ex abſolutis attributis Dei deſcriptio 34
Cap. 8. Deſcriptio Dei ex ipſius natura, & comparatione ad creaturas 38
Cap. 9. De Dei infinitate 40
Cap. 10. De Dei immutabilitate 41
Cap. 11. De Dei immenſitate 42
Cap. 12. De Dei æternitate 43
Cap. 13. Deus in omnimodam hominis, vel Angeli notitiam non venit 44
Cap. 14. Deus ſub humanum non cadit aſpectum 44

Cap. 15. Deus nullo ſermone, vt eſt, explicari poteſt 45
Cap. 16. Deus vbique exiſtens nullius rei contagione inquinatur 46
Cap. 17. Deo nulla nocere poteſt creatura 47
Cap. 18. Deus neque compoſitus eſt, neque in alterius rei compoſitionem venit 49
Cap. 19. Dignam Deo æſtimationem habere nemo poteſt 53
Cap. 20. De Dei bonitate 55
Cap. 21. Deus ſummum creaturarum bonum 62
Cap. 22. De Dei ſcientia 65
Cap. 23. De Dei voluntate 69
Cap. 24. De Dei omnipotentia 74
Cap. 25. De Dei prouidentia 77
Cap. 26. Breuis dictorum complexio 81
Cap. 27. Cur de diuinitate, eiuſque Maieſtate ſint iſta diſſerta 83

LIBER SECVNDVS.

De Summa diuinarum perſonarum Trinitate.

Cap. 1. Quod vnus ille Deus ſint tres perſonæ, Pater, Filius, Spiritus ſanctus 86
Cap. 2. Geneſis, ſiue libri primi Moſis teſtimonio ſanctiſsima Trinitas declaratur 89
Cap. 3. Regij Prophetæ, & S. Iob documentis probatur S. Trinitas 6
Cap. 4. Iſaiæ teſtimoniis B. Trinitas probatur 100
Cap. 5. Teſtificatione Filij Dei apud eundem Euangelicum vatem declaratur S. Trinitas 108
Cap. 6. Ex conceptu, Baptiſmo, & Transfiguratione Domini S. Trinitas oſtenditur 112

Cap. 7. Ex mandata à Chriſto Domino Baptiſmi forma demonſtratur S. Trinitas 116
Cap. 8. Ex materia Baptiimi & trina ablutione docetur S. Trinitas 123
Cap. 9. Quid cauſæ cur baptizandus S. Trinitatis nomen diſertè profiteatur 127
Cap. 10. Variis Chriſti Domini ſententiis apud S. Ioannem monſtratur S. Trinitas 136
Cap. 11. Beatiſsima Trinitas docetur ab Apoſtolo 141
Cap. 12. Vnanimis SS. Patrum de ſumma Trinitate ſententia 148
Cap. 13. Beatiſsima Trinitas humano captu incomprehenſa 154
Cap. 14. Quod gentiles ſine fide non agnouerint S. Trinitatem 160
Cap. 15. Similia S. Auguſtini abſtruſiſſimum S. Trinitatis myſterium declarantia 165
Cap. 16. Aliæ ſimilitudines S. Trinitatis ex aliis S. Patribus 172
Cap. 17. Cur glorioſiſsimam Trinitatem Chriſtus Dominus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum appellauerit 179

LIBER TERTIVS

In quo ſingillatim tractatur de Deo Patre.

Cap. 1. Nomen Patris tribus diuinis perſonis ſubinde commune 182
Cap. 2. Cur Deus S. Trinitas ſit, voceturque Pater noſter 186
Cap. 3. Oratio Dominica ad totam dirigitur S. Trinitatem 191

Cap. 4. Nomen & ratio Patris ſoli ſubinde primæ perſonæ attribuitur 195
Cap. 5. Cur & quomodo diuinus Pater dicatur ingenitus 201
Cap. 6. Quod principij nomen rectiſsimè Deo Patri tribuatur 204
Cap. 7. Quod Pater ſit Deus 206
Cap. 8. Dei Patris erga nos homines beneficentia 208
Cap. 9. Quibus nobis ſit officiis honorandus Deus Pater 211
Cap. 10. Quibus aliis rebus honorem cultumq; tribuit Patri Chriſtus, & à nobis adhibendus ſit 215

LIBER QVARTVS

De Deo Filio.

Cap. 1. De multiplici nominis Filij notione ac ſignificatione 224
Cap. 2. Quod homines ſint filij Dei 227
Cap. 3. Quod Angeli ſint filij Dei 229
Cap. 4. De hominum & Angelorum in Dei filios adoptione 233
Cap. 5. Quod noſtrum poſtulet officium, adoptionis beneficium 241
Cap. 6. Chriſtus Dominus & vnigenitus Dei & primogenitus 246
Cap. 7. Patre, Filio, & Spiritu Sancto teſtibus Chriſti Domini diuinitas confirmatur 248
Cap. 8. Apoſtolicis Ioannis & Pauli teſtimoniis Chriſti Domini diuinitas adſtruitur 257
Cap. 9. Aliis Apoſtoli ſententiis Chriſti Domini diui-

diuinitas aſtruitur 265

Cap. 10. Apoſtolicis confeſsionibus & teſtimoniis Chriſti probatur Deitas 273

Cap. 11. Chriſto Domino diuinæ naturæ proprietates attribuuntur, ac ideo ipſe Deus 280

Cap. 12. Ex actionibus Deo propriis Chriſti demonſtratur diuinitas, ex rerum creatione, conſeruatione, Angelorum ac hominum ſaluatione, & ſanctificatione 284

Cap. 13. Probatur Chriſti Domini diuinitas ex cogitationum inſpectione 287

Cap. 14. Oſtenditur Saluatoris diuinitas, ex futurorum prænotione & prædictione 290

Cap. 15. Ex miraculorum magnitudine Liberatoris diuinitas aſtruitur 298

Cap. 16. Ex diuinæ eſſentiæ comprehenſione, ex prædeſtinatione, ex peccatorum condonatione, ex perpetuæ beatitatis largitione Aſſertoris noſtri Chriſti Domini affirmatur diuinitas 303

Cap 17. Qua ratione nobis Chriſtus Dominus vt Deus noſter colendus 305

Cap. 18. Nominum Chriſto Domino tributorum ex S. Greg. Naz. & B. Ambroſio explanatio 313

Cap. 19. Quod ſecunda S. Triadis perſona verè ſit naturalis Dei Filius 320

Cap. 20. Diuina Filij Dei generatio non modo noſtrum ſuperat ſermonem, ſed etiam intelligentiam excedit 323

Cap. 21. Quomodo Filius ſit & dicatur verbum 328

Cap. 22. Quale verbum ſit Dei Filius 332

Cap. 23. Proferuntur cauſæ, quas propter verbum caro factum ſit 335
Cap. 24. Quamobrem Dei Filius, Dei ſiue Patris imago nuncupetur 341
Cap. 25. De aliis variiſque Dei Filij nominibus 346
Cap. 26. Cur Dei Filius creberrimè ſe hominis Filium appellauerit 353
Cap. 27. Verbum, ſiue Dei Filius ſapientia Patris 358

LIBER QVINTVS.

De Sancto Spiritu.

Cap. 1. Hæreticorum contra S. Spiritus diuinitatem refelluntur argumenta 361
Cap. 2. Tum ex Dei appellatione, tum ex actibus Dei internis ſancti Spiritus probatur diuinitas 370
Cap. 3. Ex externis Dei actionibus S. Spiritus diuinitas comprobatur 374
Cap. 4. Ex Dei attributis S. Spiritus diuinitas demonſtratur 380
Cap. 5. Ex comparatione S. Spiritus cum Chriſto homine ipſius oſtenditur Deitas 383
Cap. 6. Spiritus ſancti diuinitas ex eo liquet, quod nunquam in creaturarum, ſed ſemper in diuinarum numero perſonarum ponatur 385
Cap. 7. Pluribus & aliis documentis ſancti Spiritus oſtenditur diuinitas 388
Cap. 8. Ex nominibus Spiritui ſancto attributis eius Deitas manifeſto colligitur. 391

Cap. 9.

Cap. 9. Ex vna eademque perpetua ſancti Spiritus cum Patre & Filio externa actione eius demonſtratur diuinitas 395

Cap. 10. Spiritus ſanctus Deus, quia ſoli Deo templa dedicantur 398

Cap. 11. Breuis argumentorum de ſancti Spiritus diuinitate complexio 401

Cap. 12. Spiritus ſancti tam ex Filio quàm Patre proceſsio 404

Cap. 13. Sicut naturam habet à Patre Filius, ita & habet, vt cum eo producat Spiritum ſanctum 412

Cap. 14. Qualis quantuſque nobis cogitandus ſuſpiciendusque ſit Spiritus ſanctus 414

Cap. 15. Tertia in Trinitate perſona quomodo appelletur Spiritus ſanctus 417

Cap. 16. Spiritui ſancto cur rationalis creaturæ aſsignetur ſanctificatio 420

Cap. 17. Quo nomine & ratione ſanctitatem homini impertiat Spiritus ſanctus 422

Cap. 18. Tertia ſanctæ Triadis perſona, cur Spiritus veritatis appelletur 432

Cap. 19. Quod Spiritus ſanctus nos doceat, & intus in animo per ſuam illuſtrationem, & extra per Eccleſiæ eruditionem, & doctrinam 435

Cap. 20. Quatuor viis Spiritus ſanct⁹ ad veritatis notitiam perducit 437

Cap. 21. Spiritus ſanctus veram diuinorum eloquiorum intelligẽtiam Eccleſiæ tribuit 440

Cap. 22. Ex Apoſtolico ſancti Petri & Succeſſorum eius ſolio veritatem edocet Spiritus ſanctus 442

Cap. 23. In approbatis Conciliis veram tradit doctrinam Spiritus Sanctus 444
Cap. 24. Conſpirante SS. Patrum doctrina informat nos Spiritus Sanctus 446
Cap. 25. Quam felix homo, quem & intus inſtinctu ſuo, & extra per Eccleſiam erudit Spiritus Sanctus 448
Cap. 26. De nomine Paracleti, quo S. Spiritus à Chriſto Domino appellatur 452
Cap. 27. Cur Paracletus in noua lege ſit vocatus Spiritus ſanctus 456
Cap. 28. Quibus quantiſque ſolatiis & gaudiis Spiritus ſanctus pios perfundat & demulceat 464
Cap. 29. Plura de diuinorum ſolatiorum & gaudiorum tam magnitudine quàm multitudine 470
Cap. 30. De plurimis iuſtorum ſolatiis & gaudiis 475
Cap. 31. Quæ gaudendi materia iuſto 480
Cap. 32. Quod Spiritus S. ſit in diuinis amor ſiue charitas 487
Cap. 33. Laus charitatis, & quod Spiritus ſanctus ſit Patris & Filij donum 492
Cap. 34. De 7. donis ſancti Spiritus 498
Cap. 35. De ſancti Spiritus fructibus 502
Cap. 36. De gratiis gratis datis 507
Cap. 37. De caritate maximo ſancti Spiritus dono 512
Cap. 38. Encomia & effecta ſancti Spiritus 530
Cap. 39. De ſancti Spiritus & eius gratiæ neceſſitate 534
Cap. 40. Magna opus puritate, vt conſequamur

Spiri-

Digitized by Google

Spiritum ſanctum 543
*Cap.*41.Quibus virtutibus concilietur, & conſeruetur Spiritus ſancti gratia 548

LIBER SEXTVS

De diuinarum Perſonarum miſsione.

*Cap.*1.Quod nõ Pater, ſed Filius & Spiritus ſanctus miſsi dicantur 553
*Cap.*2.Quid ſit diuinæ Perſonæ miſsio 556
*Cap.*3. Quæ perſona diuina, & à qua, vna, vel duabus mittatur 559
*Cap.*4. Bipartita Filij & Spiritus ſancti miſsio 561
*Cap.*5. Filius & Spiritus ſanctus proprie in animam non mittuntur niſi per ſanctificantem gratiam 562
*Cap.*6. Vna cum ſanctificantibus donis & diuinæ donantur perſonæ 565
*Cap.*7. De illapſu diuinarum perſonarum in animam 567
*Cap.*8. De miſsione viſibili, quid illa ſit & quotuplex 570
*Cap.*9. De aſpectabili ſancti Spiritus columbæ ſpecie in Chriſtum acceſſu 572
*Cap.*10.Cur columbæ forma ad Saluatorem Spiritus ſanctus aduenerit 576
*Cap.*11. Cur Spiritus ſanctus columbæ ſpecie ſuam declararit præſentiam 578
*Cap.*12.Cur Baptiſmi tempore apparuerit ſpecie columbæ ſanctus Spiritus, quod noſtræ inſtitutionis cauſa factum 580
*Cap.*13. Quibus de cauſis in Domini Transfiguratione

rationenubis ſpecie ſanctus Spiritus apparuerit 585

Cap. 14. Miſsio, ſiue donatio ſancti Spiritus in afflatu ſiue vento 593

Cap. 15. De apparitione ſancti Spiritus in linguis igneis, & primo cur in igne 599

Cap. 16. Cur in linguis apparuerit Spiritus ſanctus 610

Cap. 17. Cur diſpertitis linguis viſus ſit Spiritus ſanctus 612

LIBER SEPTIMVS

De apparitionibus S. Trinitatis.

Cap. 1. Quæ hactenus ſanctæ Trinitatis apparitiones ſint commemoratæ 614

Cap. 2. Sacroſanctum diuinæ Trinitatis myſterium ſancto Gregorio Taumaturgo Neocæſarienſi Epiſcopo cœlitus patefactum 615

Cap. 3. Apparitio ſancto Annoni facta 618

Cap. 4. Viſio S. Trinitatis 617

Cap. 5. Stupenda ſanctiſsimæ Trinitatis viſio Pro vnius homunculi conuerſione 621

Cap. 6. Sacroſanctum eminentiſsimæ Trinitatis arcanum Beato Ignatio Loiolæ Societatis Ieſu parenti cœlitus patefactum 628

Cap. 7. S. Trinitatis imago S. Margaretæ oſtenſa 629

Cap. 8. Chriſtus Dominus de ſanctiſsimæ Trinitatis myſterio ambigenti ſcrupulum eximit 630

Cap. 9. Quod nemo mortalium niſi Chriſtus Dominus diuinam Trinitatem clare viderit 631

Cap. 10. Sanctiſsima Trinitas, quæ eſt Deus noſter, per eſſentiam à Beatis videtur 640

LIBER OCTAVVS.

De honore, laude & inuocatione Sanctiſsimæ Trinitatis, & eius cauſis.

Cap. 1. Beatiſsima Trias pro Maieſtate ſua à nullis creaturis dignè & congruenter honorari & laudari poteſt 648

Cap. 2. Quatuor modis honorari S. Trinitatem 650

Cap. 3. Quo conatu & ſtudio ad S. Trinitatis honorem amplificandum contendere debeamus 654

Cap. 4. Quod ob Maieſtatis præcellentiam nobis honoranda ſit diuiniſsima Trinitas, 657

Cap. 5. Cunctis præcellentiſsima Trinitas à nobis eſt laudibus ornanda ob ſuam aduerſus nos beneficentiam 659

Cap. 6. Ob gratiæ & gloriæ præparationem celebrandæ nobis ſemper celſiſsimæ Triadis laudes 661

Cap. 7. Quia à ſanctiſsima Trinitate conditi ſumus, illi à nobis omnis debetur honor & gloria 662

Cap. 8. Ampliſsimis Beatiſsima Trinitas laudibus efferenda, quia noſtra eſt conſeruatrix 665

Cap. 9. Quod omne poſsibile obſequium noſtrum

noſtrum iure ſibi vendicet excellentiſsima Trinitas propter liberationis beneficiũ 667

*Cap.*10. Honorem cultumq; S. Trinitatis poſtulat iuſtificationis beneficium 669

Cap. 11. Veneranda nobis S. Trinitas idcirco, quod precibus votiſque noſtris benigne annuat 672

Cap. 12. Quod ſuper omnia benedictæ Trinitatis beneficia & opera ſint indiſcreta, & indiuiſibilia 674

*Cap.*13. Declaratur indiuidua atque inſeparabilis, tum in conferendis beneficiis, tum in omnibus creaturis ſanctiſſ. Trinitatis operatio: & 1. quidem ex creatione 676

Cap. 14. Eadem indiuidua S. Trinitatis actio in opere redemptionis 677

Cap. 15. Indiſcreta S. Trinitatis actio ex miraculorum patratione, ex Chriſti Domini paſſione & reſurrectione ac noſtra liberatione declaratur 679

Cap. 16. Sanctificationem noſtram indiſcriminatim S. Trinitas operatur 681

Cap. 17. Cur cum ſanctiſſ. Trinitatis opera conditis in rebus ſint communia, quædam tamen quaſi propria ſingulis diuinis perſonis attribuantur, vt Patri creatio, Filio redemptio, Spiritui S. ſanctificatio adſignatur 686.

*Cap.*18. Vt diuino pareamus imperio ſummè colenda diuiniſſ. Trinitas 689

Cap. 19. Quatuor potiſsimum de cauſis de ſuo cultu & veneratione mandata dedit Deus Trinitas 690

Cap. 20. Quas ſanctiſſ. Trinitatis inuocatio & veneratio

neratio vtilitates nobis afferat 692

Cap. 21. Honore & cultu S. Trinitatis offenſa ipſius deuitetur & culpa 696

Cap. 22. Maximis ſæpe ſuppliciis S. Trias hoſtes ſuos perſecuta. 697

Cap. 23. Cultus ſanctiſſ. Trinitatis Deo gratiſſimus 699

Cap. 24. Quàm efficax contra dæmonum machinationes ſit S. Trinitatis inuocatio & cultus 701

Cap. 25. Quam efficax ſit S. Trinitatis inuocatio ad impetrandam veniam & impunitatem peccatorum 705

Cap. 26. Propter ſanctæ Trinitatis in Baptiſmo inuocationem multis corporis ſanitatem etiam diuinitùs tributam 708

Cap. 27. S. Victor lib. 3. Vuandalicæ perſecutionis rem geſtam hac narratione proſequitur 710

Cap. 28. Quod & in Pœnitentiæ Sacramento & hominis ad Deum conuerſione S. Trinitatis auctoritate & gratia nobis peccata donentur 712

Cap. 29. Ad impetrandam diuinam gratiam plurimum, plurimum iuuat ſanctæ Trinitatis inuocatio 716

Cap. 30. His verbis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, omnia conſecrantur, aqua, panis, cerei, herbæ; Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifices, Principes, Reges, Imperatores 721

Cap. 31. Inuocatio & cultus S. Trinitatis corporis

ris pellit morbos 724

Cap. 32. Multimoda ſanitas fide & imploratione SS. Trinitatis collata 729

Cap. 33. Valet plurimum S. Trinitatis inuocatio contra tempeſtates, aeris iniurias, & alia incommoda 731

Cap. 34. Honor & cultus Beatiſſ. Trinitatis ſitibundis aquam impetrat 752

Cap. 35. Miracula ad teſtandam ſtabiliendamq; S. Trinitatis fidem edita 733

Cap. 36. Alia recenſentur miracula ad fidei dogma de S. Trinitate confirmandum 736

Cap. 37. Hauſtum in Sanctæ Trinitatis nomine venenum B. Iuliano nocumenti nihil affert 738

Cap. 38. Malbodienſis religioſa S. Trinitatis inuocatione ab incendio liberatur 739

Cap. 39. Paralyticus fide & confeſsione S. Trinitatis à S. Simeone Stilita curatur 740

Cap. 40. Concluſio libri octaui 741

LIBER NONVS

Qui pro fide Sanctiſsimæ Trinitatis vel graues cruciatus, vel mortem perpeſsi.

Cap. 1. De S. Ermigildo Rege pro Sacroſanctæ Trinitatis fide Martyrium obeunte 742

Cap. 2. Epiſcopi exſectis propter Sanctæ Trinitatis confeſsionem linguis perfecte vt ante loquuntur. Ex S. Victore Vticenſi Epiſcopo 743

Cap. 3. De B. Hilario S. Trinitatis propugnatore 745

Cap. 4. De celeberrimo Turonum Epiſcopo S. Martino 747
Cap. 5. S. Vindemialis ob S. Trinitatis confeſsionem gladio cæditur, & S. Eugenius gladio ſubiectus in exilium exturbatur, cæduntur & alij 749
Cap. 6. B. Victor Vricenſis Epiſcopus l. 2. Vuandalicæ perſecut. de S. Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo miraculum faciente 751
Cap. 7. Quamplurimi Epiſcopi & presbyteri, vel in durum proiecti exilium, vel crudeli occiſione occiſi ob Sanctiſſ. Trinitatis confeſsionem 755
Cap. 8. Memorabile exemplum Sebaſtiani Comitis & Martyris, notandum iis, qui fidem S. Trinitatis & Catholicam religionem temerè derelinquunt 756
Cap. 9. Exempla recenſentur plurium SS. Martyrum qui pro fide Sanctiſſ. Trinitatis paſsi ſunt, auctore S. Victore Vticenſi Epiſcopo li. 1. Vuand. perſec. 759
Cap. 10. Arianorum in S. Trinitatis cultores ſæuitia, & ſacrilega rerum ſacrarum profanatio, & direptio ex eodem S. Victoris libro 761
Cap. 11. Ex memorati S. Victoris libro de Maſculo fortiſsimo S. Trinitatis confeſſore 762
Cap. 12. De Sancti Saturi in fide Sanctæ Trinitatis conſtantia ex eodem S. Victoris volumine 763
Cap. 13. De SS. Confeſſoribus dira tormenta pro S. Trinitatis fide ſuſtinentibus, ex S. Victore Vticen-

Vticenſi Epiſcopo libr.2. Vuandalicæ perſe-cutionis 764
*Cap.*14. De multitudine & varietate pœnarum ſanctæ Trinitatis confeſſoribus irrogatarum 766
Cap. 15. S. Victor Vticenſis libr. 3. Vuandalicæ perſecutionis de SS. Victoria, Victoriano, & duobus fratribus conſtantiſsimis Beatiſsimę Trinitatis teſtib. 767
Cap. 16. De genere, virtute, & ſanctæ Trinitatis confeſſione nobilis fœminæ Dagilæ 770
Cap. 17. De duodecim puerulis ſanctiſſ. Trinitatis teſtibus S. Victor. Vticen. lib. 3. Vuandal. perſecut. 771
Cap. 18. B. Victor. Vticenſ. ad calcem libr. 3. de Vuandalica perſec. de præclaris ſeptem S. Trinitatis confeſſoribus 772
Cap. 19. Tres germani fratres vno partu editi S. Trinitatis teſtes Martyrium obeunt 775
Cap. 20. S. Martyres & fortiter confitentur, & ſuppliciter Beatam Trinitatem implorant. 777
Cap. 21. Sancti gratias agunt, quod ob ſanctæ Trinitatis teſtificationem mortem oppetant 778
Cap. 22. Sex illuſtres Martyres pro Sanctæ Trinitatis gloria decertant & triumphant 779
Cap. 23. Duo præclari Martyres non aliter ad ſupplicium, quàm ad ſolenne epulum pro fide & amore S. Trinitatis maturant & accelerant 780

Cap. 24.

Cap. 24. S. Epipodius eo quod vitam & ſalutem à S. Trinitate acceperit ſe eidem libenter & ſanguinem ſuum offert 781
Cap. 25. S. Rupertus Vuormatienſium Epiſcopus, & pòſt Salisburgenſium pro digniſſima Trinitate indignisſima paſſus 782
Cap. 26. S. Alexander S. Trinitatem confeſſus & interemptus, ab Angelis in cœlum deducitur 783
Cap. 27. S. Acacius quantumuis Centurio, Sanctæ Trinitatis myſterium, vt Theologus explanat, & eidem gratias agens interficitur 785
Cap. 28. B. Tatianus ob S. Trinitatis fidem vltrò mortalem cum immortali vita commutat 786
Cap. 29. Virgo Auguſtisſimam Trinitatem cōfitetur, & eius hoſtes pudefacit 787
Cap. 30. Regij coniuges Sanctæ Trinitatis teſtes 788
Cap. 31. S. Pelagia & S. Barbara ob Sanctisſimæ Trinitatis confeſsionem occiſæ 789
Cap. 32. De ſancto Iſacio & Valente Imperatore 791
Cap. 33. Viginti millia Martyrum pariter in S. Trinitatis confeſsione viui comburuntur 793
Cap. 34. Quali quantoque Chriſtiani ſtudio pro Sanctisſimæ Trinitatis fide martyrium obire percupiuerint 794
Cap. 35. Noni huius libri concluſio 796

LIBER DECIMVS.

Encomiaſtæ & laudatores Sanctiſsimæ Trinitatis.

Cap. 1. Deus dilaudat ſeipſum 797

Cap. 2. Prædicat Deus ſuam veram ac ſolam diuinitatem 98

Cap. 3. Immenſam poteſtatem ſuam celebrat Deus 799

Cap. 4. Laudat miſericordiam ſuam Deus 800

Cap. 5. Commendat Deus Iuſtitiam ſuam 801

Cap. 6. Extollit & immutabilitatem ſuam, & ęternitatem Deus 801

Cap. 7. Suam laudat Deus vbique præſentiam & immenſitatem 802

Cap. 8. Rectiſsime & ſanctiſsime ſeipſum laudat Deus 803

Cap. 9. Iuſtis de cauſis, quæ in ſua laudatione ſemper, vt vidimus, Deo in promptu ſunt, & homo ſeipſum laudare poteſt 804

Cap. 10. Tres diuinæ perſonæ ſe mutuo glorificant 807

Cap. 11. Vt Filium Pater glorificat, ita viciſsim Filius Patrem, ac Spiritum Sanctum & vtrũque ſimiliter 810

Cap. 12. Beati ſpiritus perpetui Beatiſsimæ Trinitatis laudatores 814

Cap. 13. Angeli monentur, rogantur & inuitantur ab hominibus ſanctiſsimam vt laudent Trinitatem 819

Cap. 14. Dei ſiue S. Trinitatis præconium à nobis repoſcunt Angeli 821

Cap. 15. Vna cum ſanctis Angelis beati homi-

nes

nes infinitis modis excellentiſsimam Trinitatem collaudant 823

Cap. 16. Catholica Eccleſia perpetuis Sanctiſsimam Trinitatem laudibus extollit 825

Cap. 17. Quam pio & tenero affectu Catholica Eccleſia ſanctiſsimam colat Trinitatem 829

Cap. 18. B. Auguſtinus acerrimus fidei de ſanctiſsima Trinitate propugnator 830

Cap. 19. B. Athanaſius mirificus celſiſsimæ Trinitatis prædicator 833

Cap. 20. S. Baſilij Cæſarienſis Archiepiſcopi erga præpotentem Trinitatem religio 839

Cap. 21. Egregius teſtis & Præco S. Greg. Naz. S. Trinitatis 844

Cap. 22. D. Hieronymus Beatiſs. Trinitatis aſſertor 848

Cap. 23. D. Ambroſius Sanctæ Trinitatis aſſertor 849

Cap. 24. S. Epiphanius Beatiſſ. Trinitatis prædicator 854

Cap. 25. S. Ioannes Chryſoſtomus acer vitiorũ caſtigator, & eximius Catholicæ de S. Trinitate fidei defenſor 857

Cap. 26. Conſtitutio Imperatoris Theodoſij de Sanctiſſ. Trinitate, Caſsiodorus lib. 9. Hiſtor. Tripart. cap. 7. ex Sozomeno de Theodoſio Magno 860

Cap. 27. Aliorum Impp. de S. Trinitate ſententia 862

Cap. 28. Chriſtianorum Imperatorum & Principum ſpeculum à S. Auguſtino Doctore maximo propoſitum libr. 5. de Ciuitate Dei capite 24 864

Cap. 29. Peregrinatum gentium de S. Trinitatis fide teſtificatio 865
Cap. 30. Probi ac pij homines S. Trinitatis laudatores 866
Cap. 31. Hominem maximoperè decet Sanctiſſimam laudare Trinitatem 873
Cap. 32. Laudanda homini Sanctiſſ. Trinitas, ob ſummam quam illi exhibuit beneuolentiam & caritatem 879

LIBER VNDECIMVS.

Quo pacto res inanimæ ſiue etiam rationis expertes dilaudent S. Trinitatem.

Cap. 1. Conditarum rerum vniuerſitas effectorem ſuum, Deum trinum & vnum aſsiduè collaudat, etiam quæ rationis expertes ſunt 882
Cap. 2. Qua ratione & modo Deum laudent creaturæ rationis expertes 885
Cap. 3. Omnis creatura non modo indicat ſuum conditorem, ſed & ipſius præcellentiam declarat 888
Cap. 4. Quę Dei attributa & perfectiones in creaturis eluceant 895
Cap. 5. Ex pulcherrimo conſtantiſsimoque rerum ordine maxime Dei ſapientiam cognoſci 901
Cap. 6. Alia ex creaturis diuinæ ſapientiæ argumenta 913
Cap. 7. Aues Dei ſapientiam declarant 917
Cap. 8. Beſtiæ diuinæ ſapientiæ indices 922

Cap. 9.

Cap. 9. Res conditæ Dei effectoris bonitatem multis modis demonſtrant 926
Cap. 10. Alia diuinæ pietatis ac indulgentiæ argumenta 933
Cap. 11. Reliqua diuinæ bonitatis documenta & notæ 938
Cap. 12. Quis ſcopus aut finis auctori propoſitus in tractatione & explicatione creaturarum 945
Cap. 13. In creaturis rationis expertibus tenue quoddam S. Trinitatis indicium cernitur, perfectius verò in mente & conſilio præditis hominibus & Angelis 948
Cap. 14. Omnis creatura quaſi clamat ſuam procreatricem eſſe ſanctiſsimam Trinitatem 951

LIBER DVODECIMVS.

Quibus rebus Auguſtiſsimæ Trinitati honos & cultus tribuatur.

Cap. 1. Quanam ratione præpotentem veneremur Triadem 957
Cap. 2. Quo modo humana mens S. Trinitatem veneretur 959
Cap. 3. Fide eximium Sanctiſsimæ Trinitati cultum & honorem humanus animus tribuit 966
Cap. 4. Quo modo humana voluntas Sanctiſsimam Trinitatem colat & honoret 978
Cap. 5. Noſtra Beatiſſ. Trinitatem voluntas, fide colit, ſpe & caritate 982
Cap. 6. Quod fide, ſpe, caritate, Deum non co-

lant hæretici & improbi Catholici 990
Cap. 7. Aperiuntur aliæ viæ & modi, quibus humana voluntas Sanctiſſ. veneratur Trinitatem 995
Cap. 8. Quomodo voce Sancta Trinitas laudetur 1005
Cap. 9. Pſalmus 144. explanatur 1008
Cap. 10. Quibus operibus honoranda colendaque ſit Beatiſſ. Trinitas 1015

Finis Indicis Librorum & Capitum.

Digitized by Google

LIBER I.

DE DIVINARVM PERSONARVM IN ESſentia Vnitate: ſiue quod vnus ſit Deus & quis, quantuſq; ille ſit.

CAPVT I.

VNVS EST SINGVlari natura DEVS Opt. Max.

NE noſtrum illum præcipuum amorem, timorem, cultum in plures, qui non niſi ficti ſunt & commentitij, Deos partiamur, ſed vniuerſum in ſupremum Numen conferamus: Vnum eſſe ſolum verum DEVM ſæpiſſime S. literæ demonſtrant. Deut. 4. v. 35. Dominus ipſe eſt DEVS & non eſt alius præter eum. & v. 39. Scito ergo hodie & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe ſit DEVS in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, & non ſit alius, & cap. 6. v. 4. Audi Iſrahel, Dominus DEVS noſter DEVS vnus eſt, & Salomon in precatione ſua 3. Reg. 8. v. 23. Domine DEVS Iſrahel, non

Digitized by Google

eſt ſimilis tui DEVS in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum. Pſalm. 17. v. 32. Quoniam quis DEVS præter Dominum, aut quis Deus præter DEVM noſtrum? & Pſal. 85. v. 10. Quoniam magnus es tu & faciēs mirabilia, tu es DEVS ſolus. Sap. 12. v. 13. Non eſt alius DEVS quam tu, cui cura eſt de omnibus. *Hoc ſæpiſſime* Iſa. 45. *inculcat* DEVS. v. 5. Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt DEVS. v. 6. Ego Dominus & non eſt alter. v. 18. Ego Dominus, & non eſt alius. v. 21. Nunquid non ego Dominus, & nō eſt vltra DEVS abſque me? DEVS iuſtus, & ſaluans non eſt præter me. v. 22. Conuertimini, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego DEVS & non eſt alius. *Vno breui capite quinquies iterat DEVS, quod ipſe ſit vnus, ſolus DEVS, ne alium fingamus, agnoſcamus, veneremur pro DEO, noſtræ æternæ ſalutis periculo.*

Qua de cauſſa & idem in nouo Teſtamento creberrime repetitur, & inculcatur Matth. 4. v. 10. Dominū Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matth. 19. v. 17. Vnus eſt bonus DEVS. Marci 12. v. 29. Audi Iſrahel Dominus DEVS tuus DEVS vnus eſt. Et v. 32. ait illi ſcriba: Bone Magiſter in veritate dixiſti, quia vnus eſt DEVS, & non eſt alius præter eum. 1. Cor. 8. v. 4. Scimus quia nullus eſt DEVS, niſi vnus, Gal. 3. v. 20. Deus vnus eſt. 1. Tim. 2. v. 5. Vnus DEVS, & vnus mediator DEI, & hominum, homo Chriſtus IESVS.

Ex S. Scripturæ fontibus vnius Dei fidem, & doctrinam hauſerunt S. Patres, inter quos S. Clemens Rom. l. 6. Conſtit. Apoſtolicarū. c. 14. Deus omnipotēs vnus tantum eſt, & pręter hunc nullus alius eſt, & oportet hunc ſolum colere & venerari. Et l. 2. Recog. Vnus eſt Deus, idem qui conditor mūdi, iuſtus iudex, & vnicuique pro actibus ſuis quan-

quandoque reſtituens. S. Aug. l.1. contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum c.12. Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus vnum, per ter indiuiduam, eandemq; naturã. S.Athan. in Symbolo: Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. S.Cyrill. Alex.l.9. in Ioannem c.30. Eadem eſt ſubſtantia Deitatis, quare non tres, ſed vnum Deum prædicamus. S.Greg. Nazianz. oratione 3. de Theologia. Tria hęc, inquit, vnum, ſi diuinitatem ſpectes,& vnum tria, ſi proprietatum rationem habeas. Et oratione 1. de Pace: Trinitas vnus Deus eſt,& eſſe creditur, non minus propter concordiam, quam propter ſubſtantiæ identitatem. S. Damaſus Papa in expoſitione fidei ad Paulinũ. Si quis, ait, nõ confitetur Patris, Filij, & Spiritus ſancti vnam diuinitatem, poteſtatẽ, & maieſtatem, anathema ſit, *quemadmodum & affirmat 6. Synodus Act. 11. vnam eſſe numero in tribus perſonis Deitatem. Idem habet act.4.* Conciliũ Toletanũ 6.& 11. Confitemur, *inquiunt,* Trinitatẽ vnius eſſentiæ, virtutis, maieſtatis ac naturę. *Et Conc. Lateran. ſub Inno.3. de ſũma Trinit. c. Damnam⁹. & S. Aug. l.3. cõtra Maximinũ c.14. Quod Pater, hoc ſimul eſt verbũ Patris, hoc vtriuſque Spiritus, hic Deus eſt vnus, & vna fides.*

Neque mirum Chriſtianos vnum ſenſiſſe ac confeſſos eſſe Deum, cum id Gentiles non fugerit: vt de Socrate ac Platone affirmat S.Iuſtinus Apologia ad Antoninũ Imp. & eiuſmodi plura adducit exempla Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis. & Arnobius l.3. contra Gentes. Lactant. l.1.c.3.& ſeq. Clemens Alexan. in exhortatione ad Gentes. Euſeb. l.11. præpar. Euang. c.9. Et illos vnum verum Deum cognouiſſe tradit Apoſtolus Rom. 1. v. 19. 20. idque naturaliter fieri potuiſſe docet S.Iren. l.2.c.5. cum *ait:* Ratio mentibus infixa mouet & reuelat quoniam vnus eſt DEVS omnium Dominus.

Vnde & idolorum cultores cum in anguſtiis ſunt, oculos ad cœlum attollunt & obliti Deorum, vnum Deum naturaliter inuocant, vt teſtatur Tertull. in Apolog. c. 17. & Arnob. l. 2. contra Gentes DEVM eſſe, inquit; omnes naturaliter ſcimus, ſiue cũ exclamamus O Deus, ſiue cum illum teſtem Deum conſtituimus improborum, & quaſi nos cernat, faciem ſubleuamus ad cœlum.

Solent & homines in negotiorum aggreſſione Dei fauorem precari, & dicere: Adſit Deus, & ab eo felicem exitum exſpectare, cũ dicunt, Si Deus voluerit: nam Deo præeunte nullus officit obex. Illud & verum quod Paulus Oroſius l. 6. hiſt. c. 1. aſſerit communem ſapientum ſententiam: eſſe vnum Deum verum, cœteros autem, qui dicuntur dij, vnius illius DEI eſſe adminiſtros. Quod & indicat S. Cypr. l. de idolorum vanitate. Hoſtanes Gẽtilium præcipuus, & formam veri DEI negat conſpici poſſe, & angelos veros ſedi eius dicit aſsiſtere. In quo & Plato pari ratione conſentit, & vnum DEVM ſeruans, cœteros angelos, vel dœmones dicit. Hermes quoque Triſmegiſtus, vnum Deum loquitur, *eumque incomprehenſibilem atque inæſtimabilem confitetur. Sane multitudinem Deorum in l. de natura Deorum confutat* Cicero, & Seneca Philoſophus & Senator Romanus colebat quod reprehẽdebat, agebat quod arguebat, quod culpabat, adorabat in templo propter leges ciuium, moreſque hominum, vt ait S. Aug. *l. 6. de Ciuit. Dei c. 10.*

Et profecto recta ratio illos conuincebat: Nemo eſt quidem qui ſapiat (ſententia eſt Lactantij l. 1. Inſtit. c. 3.) rationeque ſecum putet, qui non vnum Deum eſſe intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem, quà condidit, virtute moderetur; *cum enim DEVS ſit ſummum & perfectiſsimum ens, colligere poterãt eum eſſe ſumme vnum: cum vnitas*

ſit

ſit entis proprietas. Et monarchia ſiue vnius Principis rectio eſt optima, ſecundum illam 2. Iliados Homeri ſententiam, quam citans Philo & laudans in l. de confuſione linguarum. Illud, inquit: Imperitare malum eſt multos, Rex vnicus eſto: *non ad ciuitates & homines magis pertinet, quam ad mundum & DEVM. Quo & illud pertinet Prouerbium: Multitudo Imperatorum Cariam perdidit. Quod cur, & quomodo fiat eleganti ſimilitudine docet* Lactant. l. 1. diu. Inſtit. c. 3. & l. de ira c. 2. Sicut nec res quidem, inquit, militaris, niſi vnum habeat ducem atq; rectorem. Quod ſi tot in exercitu fuerint Imperatores, & Duces, ac rectores, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, primum nec inſtrui poteſt acies, vnoquoque periculum recuſante, nec regi facile aut temperari, quod ſuis propriis cõſiliis vtantur omnes, quorum diuerſitates plus noceant, quam proſint, ſic in hoc naturæ rerum principio, niſi vnus fuerit, ad quem totius ſumma cura referatur, vniuerſa ſoluentur & corruent. *Vnus ergo DEVS vniuerſitatis moderator. Luculentis hoc verbis & rationibus dilucidat B. Cypr. l. de idolorum vanitate, vbi ſic loquitur:* Vnus omnium Dominus eſt DEVS, neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem: cum ſola omnem teneat poteſtatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplũ. Quando vnquã regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanẽs rogis diſsidentibus etiam in morte diſcordia: & Romanos geminos vnum nõ capit regnum, quos vnum vteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſsitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec hoc tantum de homine mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus, & dux vnus in gregibus,

His ſimilia habet Minutius Felix in in Octauio.

in armentis rector vnus: multo magis mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa quæcunque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec compræhendi, tactu purior eſt; nec æſtimari, ſenſu maior eſt, & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Quod vero templum habere poſsit DEVS, cuius templum totus eſt mũdus? & cum homo latius maneat, intra vnam ædiculam (*vt putabant de dijs ſuis idololatræ*) vim tantæ maieſtatis includam? In noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore. Nec nomen Dei quæras: Deus nomen eſt illi, illic vocabulis opus eſt, vbi propriis appellationum inſignibus multitudo dirimenda eſt. DEO qui ſolus eſt, DEVS vocabulum totum eſt. Ergo vnus eſt, & vbique totus diffuſus eſt. Nam & vulgus in multis DEVM naturaliter confitetur, cũ mens & anima ſui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus. O DEVS; & DEVS mihi reddet; & quod vult DEVS; & ſi DEVS dederit. Atque hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſsis. *Hactenus magnus ille Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus & martyr Cypr. Oportune hic memorabile S. Attali Martyris dictum ſubiungam de quo Euſeb. Cæſ. l. 4. hiſt. Eccl. c. 3.* Attalus quoque populi vocibus poſtulatur. Erat enim valde nobilis, & quod cunctis nobilius eſt, vir optimæ conſcientiæ, & in fide Chriſti per omnia exercitia ſemper martyr. Qui circumactus in amphitheatro, titulo ſe præcedente, in quo ſcriptum erat, Attalus Chriſtianus, cum prunis ſubteriectis in ſella ferrea torreretur, & interrogaretur, quod nomen habet Deus? reſpon-

ſpondit: Qui plu es ſunt, nominibus diſcernuntur. qui vnus eſt, non indiget nomine.

Ergo, vt ait Eccleſiaſticus c.1.v.8. Vnus eſt altiſsimus, creator omnipotens, & rex potens & metuendus nimis: *qui, quia altiſsimus eſt, non poteſt habere ſuperiorem; & quia vnus, non poteſt habere conſortem, qui principium & finis. Apoc.21. v.6. Siquidem, vt ex eo vno omnia proueniunt, ita in eum vnum tendere & dirigi debent, cui ſoli ſeruiendum: quia* nemo poteſt duobus Dominis ſeruire *Matth. 6. v.24. qui ſolus ſuper omnia, & in omnibus diligendus, ſicut mandatum eſt Deut.6.v.5. Matth.22.v.37. Marci 12.v.29. Lucæ* 10.v.27. Audi Iſrahel, ait Moyſes, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tuá. *Primum præmiſit vnum eſſe Deum. Deinde ſubiungit hunc vnum Deum omni, quo poſſumus, conatu amandum, vt nihil illi in amore noſtro anteponatur, nihil æquetur.* Qui amat, ait Dominus Matt.10.v.37. Patrẽ aut matrem ſuper me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. *Peccant hic mãmonæ ſerui Matth. 6. v. 24. quia* auaritia eſt idolorum ſeruitus. Eph.5.v.5. Coll. 3.v.5. *peccant ventricolæ, ſiue, vt cum Apoſtolo loquar Philip.*3.v.ij, quorum Deus venter eſt; *qui epulis, potationibus, voluptatibus, & libidinibus omnia metiuntur, maluntque Deum offendere, quam ab hiſce ſe abſtinere. Peccant hic omnes, qui mortifero ſcelere ſe alligant: quia poſthabẽt creaturæ Creatorẽ, & vt illa fruantur, hunc contẽnunt.* Quemadmodum monoceros vnicum haber cornu: ſic populus vere pius vnicum DEVM adorat, ait Theodoretus *in Num.*9.44. *Abſoluamus hoc Cap. eleganti Iacobi Billij Carmine:*

Lucroni venter Deus eſt, ac munus auaro.
Et cui ſunt Veneris gaudia prima, Venus.

Huic honor & vero De' eſt,p Numine Fama,
Quẽ famæ exſtimulat,non ſatianda fames.
Cui nimio Chriſtus ſtudij vileſcit amore,
An non is ſtudium numinis inſtar habet?
Deniq; q Chriſto quiſq; plus quærit amatq;,
Nonne ſibi ſummũ Numen id eſſe putat?

Da quæſumus Domine populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

CAPVT II.

DE HVIVS VNIVS DEI MAIESTATE & excellentia.

S. Baſil.hom.15.de fide. Nemo, inquit, ita demens, aut tanta mentis cæcitate eſt, vt ad ſummamDei comprehenſionem ſeſe perueniſſe exiſtimet, ſed quanto magis ad ipſius notitiã accedere videbitur, tanto maiorem ſentiet infirmitatem. Talis erat Abraham, talis Moſes. Quando enim Deum videre, quantum fas erat homini, potuerunt, tunc maxime vterq; ſe humilem tenuemque putauit. Abraham ſe terram & cinerem nominans Gen.18.v.27. Moſes vero ſe lingua balbum ac ſermone tardum appellans Exod.4.v.10. Videbat enim ſe rerum cognitarum magnitudini nequaquam linguæ debilitate poſſe reſpondere. Dicemus autem nõ quantus ſit Deus, ſed quam nobis deprehendi poſsit. Nam vt quæ ſunt intra cœlum & terram media, licet plane oculis aſpicere non valemus, non tamen propterea cauſſa nobis fuerit, vt quantum poſſumus, non aſpiciamus. Sic & nos paucis nunc verbis pietatis in hac parte officio ſatisfaciemus. Naturę vero magnitudini triumphum contra omnem ſermonis facultatẽ concedemus.

cedemus. Nam nec angelorum linguæ qualeſcunque, aut quantęcunque hæ ſunt, neque item Archangelorum cum omni rationali natura congregatæ vel minimam illius diuinitatis partem ſatis congrue proſequi, nedum toti explicandæ pares eſſe valebunt. *Iſta S. Baſilius.*

Quamuis igitur diuinitatem eiuſque perfectiones ſatis explicarę non poſſimus, ſi tamen Sacra Scriptura & Eccleſiæ Doctorum veſtigiis inſiſtamus, à veritatis tramite non aberrabimus. Vidit Moyſes DEVM modo, quo videre poterat & mox ſtupore tantæ excellentiæ correptus in has voces prorupit Exod. 34. v. 6. 7. 1. Dominator Dominę 2. Deus, 3. miſericors & 4. clemens, 5. patiens, & 6. multæ miſericordiæ, & 7. verax, 8. qui cuſtodis miſericordiã in millia, 9. qui aufers iniquitatem & ſcelera atq; peccata, 10. nullusque apud te per ſe innocens eſt, 11. qui reddis iniquitatem patrum filiis 12. ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. *Duodecim quaſi epithetis hic Deũ ornat Moyſes 1. quod ſit Iehoua, & vniuerſis imperans Dominus 2. quod ſit Deus & ſummum ac infinitum bonum 3. quod ſit miſericors eripiens nos ex omnibus miſeriis 4. quod ſit clemens pœnas commeritas vel condonans vel mitigans. 5. quod ſit patiens, longanimis & tardus ad iram. 6. quod ſit multæ miſericordiæ ad omnem miſerationem propenſiſſimus, omnibus noſtris calamitatibus ſpiritalibus & externis benigniſſime ſubueniens. 7. quod ſit verax & in promiſſis ſeruandis conſtans & fidelis. 8. quod cuſtodiat miſericordiam in millia poſterorum: & additur Exodi* 20. v. 6. *his qui diligunt me & cuſtodiũt præcepta mea. Et Deut.* 5. v. 10. *Faciens miſericordiam in multa millia diligentibus me. Talibus parentibus & filiis ac nepotibus benigniſſime facit Deus. 9. quod à quibuſcunque peccatis magnis & paruis, multis & paucis nos liberet. 10. quod nemo mortalium non indigeat eius gratia,*

tuum inclytum. *Similiter & S. Iob c. 9. v. 4. ad 11. & ipſe de ſe Deus apud eundē c. 38. v. 4. vſq; ad 38. Iere. 10. v. 12. 13. Amos 4. v. 13. diuinā amplitudinē cōcelebrāt.*

Euangelicum Prophetam diuinas laudes celebrantem audiamus, erit operæ pretium. Iſa. cap. 40. verſ. 12. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? Quis adiuuit Spiritum Dñi, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cũ quo iniit cõſiliũ, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiã, & viã prudentiæ oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentũ ſtateræ reputatæ ſunt; ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. Et Libanus nõ ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius nõ ſufficient ad holocauſtum. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei. Et v. 26. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum caſtrorũ, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris virtutiſq; eius, neq; vnũ reliquum fuit. Et v. 28. Nunquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ nõ deficiet, neq; laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. Qui dat laſſo virtutẽ, & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. *Laudat S. Vates Deum à creatione & facilitate creationis, ac conſeruationis rerum omnium, ab omnimoda & infinita ſcientia, ab immenſitate, vt cui comparatus mundus nihil ſit, à ſupremo principatu & dominatione, cui omnis religio & cultus longe inferior ſit, ab omnipotentia & æternitate ac bonitate.*

Egregiis etiam titulis D E V M *exornat, cum hoc modo precatur Nehemias, 2. Mach. 1. verſ. 24.*

Domi-

Domine Deus omnium creator terribilis & fortis, iuſtus & miſericors, qui ſolus es bonus rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus & omnipotens & æternus, qui liberas Iſrahel de omni malo, &c. *Nõ quod alij non ſint boni, præſtantes, iuſti, fortes, ſed quod DEVS talis ſit non aliunde, ſed natura ſua, illi vero gratia ac dono DEI: & quod talis tantaque ſit DEI bonitas, præſtantia, iuſtitia, poteſtas, vt tanquã ſol minora aſtra, cæterorum dotes obſcuret, vt præ illarum immenſo fulgore non cernantur, non appareant.*

O quanta maieſtas tua Domine Deus meus? Hanc & declarat nobis Apoſtolus.1.Timoth.6.v.14.15.16. vbi amantiſſimum Diſcipulum & Epiſcopum Epheſinum ita alloquitur: Serues mandatum ſine macula, irreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens Rex regum & Dominus dominãtium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſsibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor & imperium ſempiternum. Amen.

Quam totam Apoſtoli ſententiam cũ citaſſet B. Aug. l.1.de Trinit. c. 6. In quibus ait verbis nec Pater proprie nominatus eſt, nec filius, nec Spiritus ſanctus, ſed beatus & ſolus potens rex regum & dominus dominantium: quod eſt vnus ſolus & verus Deus ipſa Trinitas. Quod & docet epiſtola 174. ad Paſcentium, & l. 2. contra Maximum c. 4. Sed Apoſtoli verba fuſius ad S. Trinitatis gloriam explicanda ſunt. Quod ergo dicit, hoc eſt, quicquid hac epiſtola præſcripſi id immaculatus & irreprehenſibilis, integre & inuiolate conſerues, ne violatione tua, mãdato quaſi vilipendendum ſit, & reprehenſibile, notam & maculam aſpergas, atque id vſque ad illuſtrem aduentum Domini noſtri IESV Chriſti, quem aduentum ſuis temporibus exhibebit ille beatus, qui eſt ipſa beatitudo ſibi, beatis angelis, & hominibus,

bus, ſolus dynaſta & princeps, qui à ſeipſo non aliunde omne Dominium habet & poteſtatem, & tam eminenter, vt eius comparatione creati Principes non videantur eſſe principes, ſed tantum Dei famuli, quibuſcũ exilem & temporarium communicat dominatum, qui & idcirco eſt rex regnantium & Dominus dominantium. Qui ſolus habet à ſeipſo & abſolutiſſime immortalitatem, vt nulla ei res interitum afferre poſſit, queatque ſi velit & animas, & angelos, & vniuerſa ſicut ex nihilo procreauit, in nihilum redigere, atque hæc immortalitas Dei ipſius immutabilitas eſt, vt docet S. Aug. l.1. de Trinit. c.1. & S. Greg. l.12. Moral. c. 17. Et lucem habitat inacceſſibilem hominibus & angelis natura viribus, quæ lux & ſplendor diuinæ maieſtatis immenſus fons omnis luminis, claritatis, gloriæ cognitionis ipſe Deus eſt, qui non niſi in ſeipſo habitat & exiſtit, Deus lux eſt. 1. Ioan. 1. v. 5. Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, *naturali ſcilicet mẽtis acumine, ſed opus eſt, vt hoc lumine gloriæ ad Deum clare contuendum à Deo eleuetur. Cui vni trinoque Deo honor & imperiũ ac robur perpetuũ, quo & impios ſempiterne puniet, & iuſtos æternum beabit. Quis hanc Dei maieſtatem non ſuſpiciat, non pertimeſcat, non veneretur, non diligat? Accedant eodem ſuis præconiis electi, quæ ſunt eiuſmodi.* Apoc. 15. v. 3. 4. Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum. Quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſta ſunt. *Erit & pretium operæ S. Ioan. Damaſcenum meritiſſimis Diuinum numen laudibus celebrantem audire.* Is l. 1. orth. fidei c. 8. Credimus inquit in vnum Deum, principium vnum principio carens, increatum, ingenitum, interitus ac mortis expers, ſempiternum infinitum,

nitum, à circumſcriptione alienum, nullis terminis incluſum, immēſa vi præditum, ſimplex, incompoſitum, incorporeum, à fluxu, paſsione, mutatione, alteratione liberum, oculorum ſenſum fugiens, bonitatis & iuſtitiæ fontem, lucem intellectilem & inacceſſam, potentiam nulla menſura comprehenſam & intellectam, verum eiuſmodi, vt ea ſuam ſola voluntas metiatur (poteſt enim quidquid vult) rerum omnium conditarum, tam quæ in aſpectum cadunt, quam quæ oculis cerni nequeunt, parentem & effectricem, omnium conſeruatricem, omnibus proſpicientem, omnibus imperantem, ac perpetuum & immortale regnum in omnia obtinentem, nihil aduerſarium habentem, omnia implentem, nullius rei complexu coercitam, imo vero ipſam vniuerſa complectentem, & continentem, ac præhabentem, eſſentias omnes ſine vllius ſpurcitiei contagione penetrantem, omnibus rebus vlteriorem, atque ab omni eſſentia, vt quæ eſſentia omni ſublimior ſit, exemptam: diuinitate, bonitate, plenitudine ſuperiorem, principatus omnes, & ordines aſsignantem, atque ſupra principatum omnem, & ordinem poſitam: eſſentia, vita, ſermone, cogitatione altiorem: ipſammet lucem, ipſammet bonitatem, ipſammet vitam, ipſammet eſſentiam (vtpote quæ nec eſſe ſuum, nec quicquam eorum, quæ eſt, ab alio habeat, verum ipſa potius iis, quæ ſunt, eſſentiæ, ijs quæ vitā habēt, vitæ, ijs quæ ratione vtuntur, rationis ſcaturigo ſit) bonorum omnium parentem, omnia prius, quam oriātur noſcentē: vnam eſſentiam, vnam diuinitatem, vnam potentiam, vnam volūtatem, vnam operationem, vnum imperium, vnam

vnam poteſtatem, vnam dominationem, vnum regnum: ita tamen, vt ab omni creatura ratione prædita, in tribus perfectis perſonis credatur, atque vna & eadem adoratione afficiatur, citra permixtionem & confuſionem vnitis, & ſine diſtinctione diuiſis (id quod mirum eſt) in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, in quorum etiam nomine baptizati ſumus. Sic enim Dominus Apoſtolos baptizare iuſsit. Baptizantes eos, inquit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Atque hæc generatim de diuina maieſtate, atque excellentia dicta ſint, vt eam, quantum poſſumus, & animo complectamur, & dignius æſtimemus, tanto et ardẽtius amemus, & veneremur, & ad ſimilem alios amorem, & cultum, omni contentione excitemus, prouocemus, & accendamus. Nunc ſpeciatim illius ope freti illam luculentius inueſtigemus, & explicemus.

Maieſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, vt ſicut illam agnoſcimus, ita & demiſſis obſequiis ſemper veneremur.

Caput III.

De modis Deum cognoſcendi.

Cognoſcimus & videmus nunc Deum per ſpeculum in ænigmate, hoc eſt obſcure & abſtractiue, vt loquuntur Theologi, non autem facie ad faciem, ſiue clare & intuitiue, vt docet Apoſtolus. 1. Cor. 13. v. 12. Hæc autem Dei notitia hauritur ex duobus, vel ex diuina illuſtratione & affirmatione ac doctrina: qua ſe mortalibus manifeſtat, Pſalm. 147. v. 9. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrahel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, Matth. 11. v. 25.

Con-

Digitized by Google

Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. & v. 27. Nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Matth. 16. v. 17. *Petro confitenti: Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpondit IESVS.* Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Quemadmodum *enim ſolem hunc viſibilem & ſtellas ipſarum ope & luce aſpicimus, ita Deus ſeipſo ſui illuſtrat notitiam, vel eadem Dei cognitio ex rebus ab eo conditis percipitur. Iob* 36. *v.* 26. Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul. *Quid eſt procul intueri Deum niſi illum non in ſe, ſed in creaturis, quæ longe & infinitum diſtant ab ipſius perfectione videre? S. Greg. l.* 27. *Mor. c.* 2. Omnis, *inquit,* homo eo ipſo quo rationalis eſt conditus debet ex ratione colligere eum, qui ſe condidit, Deum eſſe. Quem procul intueri, eſt iam non illum per ſpeciem cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare.

Tria porro ſunt genera attributorum & prædicatorum, quæ tam ex diuina reuelatione, quam conditarum rerum contemplatione de Deo colliguntur, enunciantur, & eius naturam aliquo nobis modo repræſentant & declarant. Primi generis ſunt, quæ de Deo dicuntur per comparationem ad creaturas, vt quod ſit vniuerſarum rerum cauſſa, conditor, moderator, prædeſtinator iuſtorum, reprobator improborum, ſcopus & finis omnium. Alterius generis ſunt, quæ abſolute Deo conueniunt, vt quod ſit omnipotens, omnimoda ſapientia, bonitate, iuſtitia, libertate præditus. Poſtremi generis ſunt, quæ creaturarũ defectus & imperfectiones de Deo detrahunt & denegant, vt quod ſit ſimplex & concretionis expers, quod ſit infinitus, hoc eſt, tanta perfectionis vt non poſſit illi in ea eſſe par, & multo minus ſuperior,

quod

quod ſit immenſus, qui nullibi deſit; quod ſit immutabilis, vt pati, aliter ſe habere, corrumpi non poßit.

Et quidem tribus viis ex creaturis gradum facientes, in iſtorum attributorum notitiam deuenimus: *vt ex S. Dionyſio Areopagita lib. de diuinis nominibus c. 7. tradunt Theologi: Prima eſt via efficientiæ; quia DEVS omnium rerum effector eſt. Secunda via excellentiæ; quia Deus infinitis modis ſuas creaturas antecellit. Tertia via negationis ſiue remotionis; quia omnes imperfectiones, quæ in Creaturis ſunt, in Creatore non ſunt, & proinde ab eo remouendæ ſunt.* 1. *Ratione effectionis ac productionis cognoſcuntur relatiua DEI, attributa, quibus ad creaturas refertur, vt quod ſit vniuerſorum Dominus, molitor, rector. Ipſa enim natura mentibus noſtris impreßit, vt cognito aliquo effectu incipiamus eius cauſſam inueſtigare, Sap. 13. v. 5.* A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter *(ex analogia & proportione; & apta quadam comparatione)* poterit creator horum videri. *Et v. 9.* Si enim tantū potuerunt ſcire, vt poſſent ęſtimare ſæculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt? *(Hortatur & Deus, vt ex mundi opificio ſe opificem & architectum, tanquam ex domo ædificata ædificatorem agnoſcamus) Iſa. 40. v. 26.* Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc? *De Vniuerſ. ait Tullius:* Neque mundo quicquam pulchrius, neque eius ædificatore præſtantius. *Actuum 17. v. 27. Apoſtolus cùm dixiſſet, Deum definiuiſſe hominibus terram inhabitandi tempora, ſubiungit cauſam:* Quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis nō longe ſit ab vnoquoque noſtrum. *Quod homil. 38. in Apoſtolicos Actus interpretatur S. Chryſoſtomus, tam expeditam, promptam & facilem eſſe Dei ex creaturis notitiam, vt quaſi palpari & attrectari queat, quemadmodum ea, quæ ante pedes ſunt & oculos. S. Baſil. ho.*

11. *in Hexameron:* Vniuerſa, *inquit*, hæc mundi moles perinde eſt, ac liber literis exaratus, palam conteſtans ac deprædicans gloriam Dei, eiuſque auguſtiſsimam maieſtatem, arcanam alioqui & inuiſibilem abundè enuncians, tibi intellectili creaturæ; quatenus ad cognitionem attinet veritatis. Hæc eſt enim vis veræ diuinitatis, *ait S. Auguſt. tract.* 106. *in Ioan.* vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, nō omnino ac penitus poſsit abſcondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium deprauata eſt, vniuerſum genus humanum, Deum mundi huius fatetur auctorem. In hoc ergo, quod fecit hunc mundum cœlo terraque conſpicuum, & antequam imbuerentur fide Chriſti, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem, quòd non eſt iniuriis ſuis, cum diis falſis colendus, notus in Iudæa Deus Pſalm. 75. v. 1. In hoc verò quod Pater eſt huius Chriſti, per quem tollit peccata mundi, Ioann. 1. v. 29. hoc nomen eius prius occultum omnibus, nunc manifeſtauit eis, quos dedit ei Pater ipſe de mundo. *Rurſum S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap.* 12. *exponens Apoſtolum Rom.* 1. *v.* 18. *ad* 22. *de gentilibus diſſerentem:* Vide, *ait*, quemadmodum non eos dixerit veritatis ignaros, ſed quod veritatem in iniquitate detinuerint: quia occurrebat animo, vnde illis eſſe potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat. Neq; hoc tacuit, vnde habere potuerint. Per viſibilia namque creaturarum perueniſſe eos dixit ad intelligentiā inuiſibilis Creatoris: Quoniā re vera ſicut magna ingenia quęrere perſtiterunt, ſic inuenire potuerunt. Interroga, *ait idem S. Pater Auguſtinus Sermone* 55. *de verbis Domini*, mundi ornatum, cœli fulgorem, diſpoſitionem ſiderum, Solem diei ſufficientem, Lunam

Lunam noctis ſolatium: interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare, quantis & qualibus natatilibus plenum: interroga aera, quantis volatilibus viget: interroga omnia, & vide, ſi non ſenſu ſuo tanquam tibi reſpondent: Deus nos fecit. Hæc & Philoſophi nobiles quæſierunt, & ex arte artificem cognouerunt. Quid poteſt eſſe tam aptum, tamque perſpicuum, *ait Tullius libro 2. de Natura Deorum*, quum cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaque contemplati ſumus, quàm aliquod eſſe Numen præſtantiſsimæ mentis, quo hæc regantur? *Et 1. Tuſc.* Deum agnoſcimus ex operibus ſuis.

Ratione verò excellentiæ, qua Deus inter res à ſe procreatas altiſſime extat, & eminet, deducimur in cognitionem diuinorum attributorum abſolutorum, ſiue poſitiuorum: nam docti DEVM eſſe cunctarum rerum architectum, & conditorem, colligimus, quod quicquid perfectionis ſit in creaturis, id excellentiori modo eſſe in Creatore: Siquidem vt cauſa vniuoca, & eiuſdem ſpeciei continet in ſe formaliter ſui effectus perfectionem, ita & cauſa æquiuoca, & generalis ſuorum effectuum perfectionem complectitur eminenter & præſtantiori modo. Cum ergo in hominibus & Angelis ſit intellectus, voluntas, ſapientia, bonitas, iuſtitia, potentia, iucunditas, & pulchritudo, erunt iſta omnia & ſimilia excellentiſſimo modo in vniuerſali cauſſa effectrice DEO. Nulla enim ratio patitur, *ait Sanctus Auguſtinus Sermone 1. de verbis Apoſtoli*, vt vel factura factori ſuo æquetur, vel opus artifici comparetur. Qui fecit fortia, ait Salomon Sapientiæ 13. fortior eſt; & qui fecit pulchra, pulchrior illis eſt, 1. Regum 2. verſu 2. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus;

neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter. 2.*Reg*.7.*v*. 22. Idcirco magnificatus es Domine Deus: quia non eſt ſimilis tui: *& Pſal*.88.*v*.6. 7. 8. 9. Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum. Quoniam quis in nubibus ęquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum magnus & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo. *Quà de re infra latius.*

Quod autem ea perfectiones quas cum creaturis communicauit, in Deo ſint, ſed nobiliſſimo modo indicat Dauid Pſalm.93.*v*.8.9.10. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat, qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam? *Et ipſe Deus Iſai*. 66. *v*.9. Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe nō pariam? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? *Quod & tradit S. Auguſtinus in Speculo c*. 33. *cum ait*: Deus ſub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, *Ioan*.1. *v*. 4. *hoc eſt, res omnes, antequam fierent, non in ſe, ſed in Deo erant, ſicut domus antequam ædificetur, non in ſe, ſed in mente artificis eſt, & quia quicquid in Deo eſt, Deus & vita eſt, ideo res omnes in Deo vita fuerunt. Sic exponit S.Aug. lib*.5.*de Gen.ad literam cap*.14.*& cap*.15.*ait*: Omnia priuſquàm fierent, erant in notitia facientis, & vtique ibi meliora, vbi veriora, vbi æterna & incommutabilia. *& c*. 16. Neque ea faceret, niſi ea noſſet, antequā faceret, nec noſſet, niſi videret, nec videret, niſi haberet, nec haberet ea, quę nondum

nondum facta erant, niſi quemadmodum eſt ipſe non factus? *Cum igitur omnia bona in Deo ſint, & infinitè meliora, quam in ſeipſis, cur ſectamur cum ſalutis periculo riuulos derelicto fonte? Hier.2.v.12.*

Ratione negationis imperfectionum, quæ ſunt in creaturis & remotionis à Deo peruenimus in negatiuorum Dei attributorum notitiam, vt quod Deus ſit ſubſtantia, ſed non finita, non compoſita, non mutabilis; ſicut ſubſtantia creata eſt, ſed infinita, ſimplex, immutabilis, Quod rectius intelligemus, ſi perpenderimus, quod perfectiones in rebus finitis ſemper coniunctæ ſunt cum aliqua imperfectione: quia altera ex parte ſunt, & altera ex parte non ſunt, adeo vt non tantum perfectiones videantur pertinere ad rei finitæ eſſentiam, ſed etiam imperfectiones; quemadmodum eſſentia ternarij numeri non eſt tantum habere tres vnitates, quod eſt eſſe & perfectio (ita enim quaternarius eſſet ternarius) ſed etiam ſpectat ad eſſentiam, non habere plures, & ideo quaternarius, non eſt ternarius, ſed continet illum. Sic ſunt certi gradus naturæ, in quibus ſingula rerum ſpecies conſiſtunt, nec ad altiorem gradum coſcendere poſſunt, alioquin earum mutaretur natura: Sed & multis defectibus obnoxiæ ſunt, idcirco quod ex nihilo procreatæ ſunt. Sic creaturarum imperfectiones à Deo remouit S.Aug.lib.10.Confeſſ.cap.6. Quid, *ait*, Domine amo, cum te amo? Non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis: ecce iſtis amicũ oculis, nec dulces melodias ſuauiũ cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum, & aromatum ſuaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus: Non hæc amo, cum Deum meum amo, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quẽdam cibum, & quendam amplexum, cum amo **Deum lucem,** vocem, odorem, cibum, ample-

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

xum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus: & vbi ſonat, quod non rapit tempus: & vbi olet, quod non ſpargit flatus: & vbi ſapit, quod non minuit edacitas: & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. Hoc eſt, quod amo, cum Deum meum amo. *Quas eaſdem creaturarum imperfectiones, vt Deum illum rectius agnoſcamus, rurſus à Deo abiungit Sanctus Auguſtinus libro 5. de Trinitate cap. 1.* Quo intellectu, *inquit*, Deum capit homo, qui ipſum intellectũ ſuum, quo eum vult capere, nondum capit? Si autem hunc iam capit, attendat diligenter, nihil eſſe eo in ſua natura melius, & videat, vtrum ibi videat vlla lineamenta formarum, nitores colorum, ſpatioſam granditatem, partium diſtantiam, molis diſtenſionem, aliquas per locorum interualla motiones, vel quid eiuſmodi. Nihil certè iſtorum inuenimus in illo, quo in natura noſtra nihil melius inuenimus, id eſt, in intellectu noſtro, quo ſapiẽtiam capimus, quantum capaces ſumus. Quod ergo non inuenimus in meliore noſtro, non debemus in illo quærere, quod longe melius eſt meliore noſtro. Vt ſic intelligamus, Deum ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia cõtinentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſua mutabilitate mutabilia facientem, nihilque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, & ſi nondum poteſt omnino inuenire, quid ſit, piè tamen cauet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire, quod non ſit. *Sanctus Cyprianus, ſiue quiſquis ille peruetus auctor fuerit, præfatione in Cardinalia Chriſti opera:* Non patitur, *inquit*, ad liquidum ſe videri diuinitas,

nitas, quam vtique inueſtigatio fidelis, aliquo modo odorat, vel ſentit, ſed puram eius eſſentiam nec conſpicit, nec comprehendit. Affirmatio quippe de Dei eſſentia, in promptu haberi non poteſt, neque enim diffinibilis eſt diuinitas, ſed verius, ſinceriusque remotio indicat negando, quid non ſit, quam aſſerendo quid ſit: quoniam quicquid ſenſui ſubiacet, illud eſſe non poteſt, quod omnem ſuperat intellectum. Quicquid audiri, vel videri, vel ſciri poteſt, non conuenit maieſtati: hebes eſt in hac conſideratione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus. *Cernis hic, ô anima mea, tantam eſſe Domini Dei tui excellentiam & celſitudinem, vt ne cogitatione quidem illam attingere valeas? Hanc obſtupeſce, hanc demiſſiſſimè venerare, & vt ad eam perfectè in cœlis cognoſcendam & contemplandam peruenias, à peccatorum ſordibus te emacula: Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Domine Deus noſter, quia hac eſt vita æterna, vt te cum Filio tuo & Spiritu Sancto cognoſcamus vnum ſolum verum DEVM, da, vt ita te nouerimus, vt & amemus, & noſipſi nouerimus, vt contemnamus, vt qui ſine te nihil ſumus, tibi adhærere ſemper velimus, cui debetur omnis honor in ſæcula, Amen.

* * *

CAPVT IV.

QVOD DEVS IN HAC VITA perfectè non cognoſcatur.

*E*St apud Ciceronem libr. 1. de natura Deorum: Quum a Simonide quæſiuiſſet Tyrannus Hiero, quid aut quale eſſet Deus, deliberandi ſibi vnum diem poſtulauit. Quum idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petiit. Quum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur ita faceret:* Quia quanto, inquit, diutius cōſidero, tanto mihi res videtur obſcurior. *Probè hoc ſenſit apud S. Iob cap. 11. v. 7. 8. 9. ſapientiſſimus vir Sophar Naamathites, cum ait:* Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies? excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari. *quaſi dicat: Qui hæc tua ſcientia penetrare nequeas, quomodo comprehendes Deum, qui etſi cunctis rebus intimus ſit, eſt tamen & ſupereminens omnibus, & non in illis incluſus? Non eſt diſſimile, quod in Timæo ſuo dixit Plato: cuius ſententiam li. de Vniuerſitate hunc ad modum tranſtulit Tullius:* Illum quidem quaſi parentem huius vniuerſitatis inuenire difficile, & cum inueneris, indicare in vulgus, nefas. Ego verò, *ait S. Gregorius Naz. orat. 2. de Theologia, Platonem corrigens,* ita potius dicendum cenſeo: Dei naturam nullis verbis explicari poſſe, animo autem atque intellectu comprehendi multo minus poſſe, etiam à magnis & excelſis viris, Deique amore flagrantibus, ac mortalibus peræquè omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo hæc & carnis craſsities tenebras offundit. Atque haud

ſcio

ſcio, an hoc quoque ſublimioribus illis & intelligibilibus naturis negatum ſit: quæ, quia Deo propius iunctæ ſunt, ac toto illo ſplendore perfunduntur; collustrare quoque fortaſſe ipſiuſq; naturam perſpicere poſſunt, ſi nõ omnino, plenius tamen, quàm nos, & expreſsius, atque aliæ aliis pro cuiuſque ordine, vel vberius vel parcius. *Intuentur quidem beati ſpiritus clarè diuinam eſſentiam facie ad faciem, hoc eſt, proximè & ſine vllo medio, vt ait Apoſtolus, 1. Cor. 13. v. 12. & ſicuti eſt, id eſt, ſecundum eſſentiam & omnes eius perfectiones, quæ nihil aliud ſunt quam ipſa eſſentia, vt loquitur S. Ioannes ep. 1. c. 3. v. 2. ſed ita intuentur, vt non omnimodo comprehendant, aut ſua viſione, & notitia exæquent & exhauriant, quod ſolum poſſunt tres illæ ſanctiſſimæ perſonæ Pater, Filius ac Spiritus Sanctus. Pergit autem iſtbic loci S. Gregorius:* Deus extra humani ingenij captum eſt, nec totus, quantus eſt cogitari atque animo informari poteſt, idque non propter inuidiam (longè enim abeſt à diuina natura inuidentię affectus, vtpote quæ omni perturbatione vacat, ſolaque bona eſt & domina, ac præſertim erga creaturam omnium pręſtantiſsimam, ipſique chariſsimam (*hominem*) nec vt inde ipſius, qui plenus eſt, honori gloriæque quicquã accederet, vt videlicet ex eo, quod ad eius cognitionem perceptionemque mortales aſpirare nequeunt, maior ad ipſum honor, ac veneratio redeat, ſed quantum nos coniectura aſſequi poſſumus, tres huius rei cauſæ afferri poſſunt. Prima, ne ob adipiſcendi facilitatem, facilis quoq; rei quæſitæ iactura ſit. Fit enim ferè, vt quod nõ ſine labore atque induſtria partum eſt, arctius quoque teneatur: quod autem nullo negotio comparatum eſt, citiſsimè vileſcat, atque contemnatur, vtpote quod recuperari poſsit. Altera ne

infinitus, ad quem & eloquendum ſermo ſileat, & inueſtigandum ſenſus hebetetur, & cōplectendum intelligentia coarctetur. *Piè prorſus & eleganter S. Aug. lib. 1. de Trinitate cap. 1.* Quum ipſa noſtra cogitatio, *inquit*, cum de Dei Trinitate cogitamus, longe ſe illi, de quo cogitat, imparem ſentiat, neque vt eſt, eum capiat, ſed vt ſcriptum eſt, etiam à tantis, quantus Paulus Apoſtolus hic erat, per ſpeculum, & in ęnigmate videatur, 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Primum ab ipſo Domino Deo noſtro, de quo ſemper cogitare debemus, & de quo dignè cogitare nō poſſumus, *Eccli.* 43. *v.* 35. cui laudando reddenda eſt omni tempore benedictio, *Pſal.* 33. *v.* 1. & cui enunciando nulla cōpetit dictio, & adiutorium ad intelligenda atq; explicanda, quæ intendo, & veniam precor, ſicubi offendo. Memor ſum enim non ſolum voluntatis, verumetiam infirmitatis meæ. *Quinetiam ne beatos nos quidem in cœlis poſſe penitus & omnino beatiſſimam Trinitatem comprehendere. Rectiſſimè affirmat idem S. Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad literam cap. 6.* Nos, *ait*, mortales, & peccatores, quorum animas aggrauant corpora corruptibilia, & quorum ſenſum multa cogitantem terrena deprimit habitatio, *Sap.* 9. *v.* 13. quanquam & ſi corde mundiſsima, & mentes ſimplicisſimas gereremus, ſanctisque Angelis iam eſſemus æquales, *Luc.* 20. *v.* 36. non vtique nobis ita nota eſſet diuina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi. *Deus ergo à nulla creatura humana, vel angelica etiam beata comprehendi poteſt, ita vt eius cognitio diuinam exæquet eſſentiam, vel finiat, ſed tantum à ſeipſo. Quod autem ait Apoſtolus* 1. *Cor.* 9. *v.* 24. Sic currite, vt comprehendatis, *intelligendum, virtutis ſtudio enitendum, vt cæleſte præmium, quod Deus eſt, contingamus, teneamus, poſſideamus.*

Quam-

Quamuis autem Deum penitus comprehendere nequeamus, ad poßibilem tamen nobis eius notitiam omni ſtudio enitendum eſt. Eleganter doctißimus ille, ac iuxta diſertißimus Philo lib. 1. de Monarchia: Quemadmodum, *ait*, certo ſcire non poſſumus, cuiuſque ſtellę, qualis ſit eſſentia, quærimus tamen alacriter, oblectamurque rationibus veriſimilibus, propter genuinum diſcendi deſideriũ. Ad eundem illum modum, verum illud ens Deum, licet nõ valeamus cernere, debemus tamen indefinenter eum quærere, quando hæc conſideratio vel per ſe ipſa citra inuentionem res eſt ſummè deſiderabilis. *S. Cyrill. Ieroſ. catech. 6.* Dixerit aliquis, *inquit*, ſi incomprehenſa eſt diuina ſubſtantia, cur tu de ea diſſeris? Nunquid quia totum flumen ebibere nequeo, id quod mihi commodum eſt, ſub menſura non hauriam? Nunquid cum Solem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius vſum, qui ſufficit, non aſpiciam? Et ſi in hortum magnum ingreſſus fuero, & omne genus fructuum comedere non potuero, viſne vt inde exeam? *quaſi dicat: Qui non poſſumus Deum penitus animo complecti, ſaltem quoniam poſſumus, complectamur. Eandem rem elegantiſsime tradit S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr in expoſitione fidei, ſiue de S. Trinitate:* Etſi mens in nobis, *ait*, integra puraque inſidet, qua plerumque ea, quæ naturam noſtram ſuperant, ratione complectimur, tamen carnis contagione ingraueſcens, in perſpicua claraque maiorum rerum cognitione debilitatur: quippe cum terrenum tabernaculum mentem multa cogitantem curantemque deprimat. Nulla igitur ratione nos qui homines ſumus, primam illam beatamque naturam, & eſſentiam conſequi, attingereque poſſumus. Sed quid dico diuinam eſſentiam,

quin

quin ne ea quidem, quæ in ea obſcura quadam & latenti ratione aguntur. Nihil enim diuinum eſt notum mortalibus, quemadmodum ſapiens quidam Græcorum dixit: Quod quidem ego verbum, vt verum approbo. Cum enim Paulũ Vas illud electionis, eum, qui in tertium cœlum euectus ſit, & verba arcana audierit; quæ nefas ſit linguis hominum proferre, qui in ſe loquentem habens eum, qui ipſe verba ſuppeditat, & largitur, cognitionis ac ſcientiæ particulã quandam ſe habere audierim profitẽtem his verbis: Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Et rurſus: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: quonam modo perfectam abſolutamque rerum diuinarum cognitionem & ſcientiam in iis, qui homines ſunt, ineſſe credam? ſi enim ij, qui ad Pauli modum menſuramque peruenerunt, tenui & obſcura quadam eius particula, præditi ſunt (quod enim in ſpeculo, & in ænigmate cognoſcitur, tenue intelligitur) quis adeo amens eſt præ audacia, vt perfectam rerum diuinarum cognitionem in ſe ineſſe velit profiteri? Sed ne longius abeamus, nos quoque qui rerum abſtruſarum viam inexplicabilem ſcimus, verba Dauidis omnium Deo pronunciabimus. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confirmata eſt, nec potero ad eam. Sed hæc quidem & pium eſt profiteri, & ſentire maioris pietatis atque ſanctitatis. Diuinis enim rebus cõcedere pij hominis eſt atque prudentis. Non igitur quatenus ad tutam diuinarum rerum inueſtigationem pertinent, ſed quantum ad piam ſanctamque religionem ferunt, pro dignitate intelligimus. Neque enim, quia omnino comprehendi non poteſt Deus, idcirco de eo plane negligenter quærendum

rendum eſt, conſumendumq; omne vitæ tempus in otio: Sed vnicuique pro eo captu, qui ei à Domino conceſſus eſt, ſtudioſe ac diligenter exquirenda, comparandaque ſcientia eſt, ita tamen, vt cum certò comprehendi non poſſe nobis perſuadeamus, quamdiu autem contemplãdo, cognoſcendoque progredimur, noſmetipſos ei coniungamus.

Domine Deus noſter, cum bonitatis & perfectionis tuæ infinitudinem ſcientia comprehendere non poßimus, da ſaltem, vt piis ad te deſideriis accurramus, amore apprehendamus & teneamus, nec vnquam peccato dimittamus, vt te æternum perfruamur, Amen.

CAPVT V.

DEI DESCRIPTIO EX CREAturarum negatione.

Etſi verò certa definitione explicari non poßit, quid ſit Deus; aliquo tamen modo adumbrari, & ex illis tribus viis ſuperiori capite commemoratis deſcribi poteſt. Et primò quidem via negationis creaturas, earum denique defectus & imperfectiones à Deo abſtrahendo. Facit id D. Ambroſius libro de fide contra Arrianos cap. 6. Pro captu, *ait*, pro viribus, pro fide noſtra intueamur, Deus quid ſit, & videamus, an ei aliquid poſsit comparari. Certè hic eſt, de quo, & cum dicitur, non poteſt dici; cum æſtimatur, non poteſt æſtimari. Cum comparatur, non poteſt comparari. Cum definitur, ipſa ſua definitione creſcit. Qui cœlũ manu ſua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia neſciunt, & metuendo ſciunt. Cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis.

Exem-

Exemplum dat B. Auguſtinus in Pſal. 85. *v.*8. Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua, id eſt, nullus tecum vel ex diis gentium, vel ex beatis mentibus, vel hominibus, quantumuis præcellentibus conferendus, ô Deus, nec quid par tuis operibus perficere poſſunt, & quodlibet aliud, ait S. Aug. cogitet homo, non eſt ſimile, quod factum eſt illi, qui fecit. Excepto Deo, quicquid aliud eſt in natura rerum, factum eſt à Deo. Quantum intereſt inter eum, qui fecit, & illud quod factum eſt, quis digne cogitet? Iſte ergo dixit: Non eſt ſimilis tibi in diis Domine. Quantum autem ſit diſsimilis Deus, non dixit: quia dici non poteſt. Intendat caritas veſtra, Deus ineffabilis eſt. Facilius dicimus, quid non ſit, quàm quid ſit. Terram cogitas? non eſt hoc Deus: mare cogitas, non eſt hoc Deus: Omnia quæ ſunt in terra, homines & animalia, non eſt hoc Deus: Omnia quæ ſunt in mari, quæ volant per aerem, non eſt hoc DEVS. Quia quod lucet in cœlo, ſtellæ, Sol & Luna, non eſt hoc Deus. Ipſum cœlum, non eſt hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non eſt hoc Deus. Et quid eſt hoc? Solum potui dicere, quid non ſit. Quæris, quid ſit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, Iſaiæ 64. verſ. 4. 1. Corinth. 2. verſ. 9. Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit.

Similem à negatione Sanctus Auguſtinus habet Dei deſcriptionem in ſpeculo, capite 33. Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil, infra quem nihil. *Thales interrogatus, quid eſſet* DEVS, *reſpondit:* Quod principio & fine caret.

caret. *Vt in eius vita teſtatur Laertius: Ea de cauſſa, vt teſtatur Pierius hierogly.39. apud Aegyptios hieroglyphicum Dei erat circulus,quia nec principium habet nec finem. Pari modo dicere poſſumus: Deus eſt, qui neque proficere in melius, cum ſit optimus, neque deficere in deterius poteſt, cum ſit immutabilis. Sanctus Gregorius Nazianzen. tract. de fide:* Eſt in eſſentia ſua Deus, cuius cognitio vita æterna eſt,qui eſt tantus, quantus dici non poteſt: qui tunc dignè æſtimatur, cum inæſtimabilis dicitur. *Ab his non abhorret dictum Empedoclis, qui interrogatus,* quid eſſet Deus,*reſpondit:* Eſt circulus,cuius centrum eſt vbique,circumferentia nuſquam:*quia nimirum Deus eſt vbique totus,& nullo tamen cœli,terræve ambitu concluditur, ſed ſuper cœlos per interminata illa ſpacia vacua ſe porrigit eius immenſitas.*

Pie Deus, cui vitiis noſtris diſsimillimi ſumus,fac,vt conceſsis tua gratia virtutibus,tibi quam ſimillimi efficiamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT VI.

DEI DESCRIPTIO EX ILLIVS ad creaturas comparatione.

DEus eſt,ex quo,per quem,& in quo ſunt omnia,*Ro.11.v.36.Id eſt,Deus eſt omnium rerum procreator,conſeruator, finis: vnde & S.Baſilius de Spiritu Sancto cap.5. legit in ipſum, & ait:* Ex hoc ſiquidem iis,quę ſunt cauſſa, vt ſint,manat iuxta voluntatem Dei & Patris: per eundem omnibus,vt perſeuerent,conſiſtantque,qui condidit vniuerſa, quique ſingulis,quæ facta ſunt, ad ſui cõſeruationem neceſſaria demetitur. Quapropter ſanè etiam vniuerſa ſeſe ad illum conuertunt, inuincibili atque inſedabili quodam deſide-

deſiderio & arcano affectu, ad principem & gubernatorem vitæ reſpicientia, iuxta illud, quod ſcriptum eſt. Pſal. 144. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore oportuno: aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et rurſus Pſal. 103. ver. 27. Omnia à te exſpectant, vt des illis eſcam in tempore.

Huc pertinet, quod ait S. Hilar. lib. 1. de Trinitate: Deus eſt intra, & extra, ſupereminens, & internus, circumfuſus & infuſus in omnia. *Et S. Bern. lib. 5. de conſid. ad Eugenium: cap. 11.* Quid eſt Deus? Quod ad vniuerſum ſpectat finis. Quod ad electionem, ſalus. Creans mentes ad ſe participandum, viuificans ad ſentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iuſtificans ad promerendum, accēdens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad beneuolentiam, moderans ad ſapientiam, roborans ad virtutem, viſitans ad conſolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem. *Et cap. 12.* Quid eſt Deus? Non minus pœna peruerſorum, quàm humilium gloria. Pindarus in Pythiis hymno 2. Deus eſt, qui principium, medium & finem omnium rerum continet. Et Plato: Deus eſt, qui vniuerſitatem rerum omnium complectitur. *Ita & Ariſtoteles, vel quiſquis eſt auctor lib. de mundo, quærens, quid ſit Deus.* Hoc in mundo, *inquit,* eſt Deus, quod in naui gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator, niſi quod in illis principatus eſt laborioſus, perturbatus, & anxius: in Deo verò eſt facilis, ordinatus & tranquillus.

Ita deſcribit & Deum Cicero lib. 1. de natura Deor.

 Deus

Deus eſt, qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſsitudines, ordinesq; conſeruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitaſq; tuetur.

Concede, beatiſſima Trinitas, vt quæ es effectrix & rectrix noſtra, ad te tanquam vltimum finem noſtrum, aſſiduo piorum operum ſtudio contendamus.

CAPVT VII.

EX ABSOLVTIS ATTRIBVTIS Dei deſcriptio.

SOlus Deus propriiſſimè eſt, cum à ſe & à nullo alio ſit. Videatur Euſeb. Cæſar lib. 11. de præp. Euang. cap. 6. & 7. Nullus vtique certius, & accuratius ſuam nobis, quantum capaces ſumus, naturam declarare potuit, quã ipſe Deus, qui dixit ad Moyſen Exodi 3. v. 14. 15. Ego ſum qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſrahel: Qui eſt, miſit me ad vos. *Affirmando, quod ſit, qui ſit, ſiue qui ſit ens. Significat Deus naturam ſuam ſempiternam eſſe, non aliunde acceptã, inde dependere, & omnes entis complecti perfectiones. Quæ omnia huius vocis ſignificatu indicari optimè docet S. Gregorius Nazian. orat. 2. in Paſcha:* Deus, *ait*, & erat ſemper, & eſt, & erit: vel vt rectius loquar, ſemper eſt. Nam Erat, & Erit huius noſtri temporis fluxæ & caducæ naturæ ſegmenta ſunt. Ille autem ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat, cum in monte Moyſi oraculum edit. Vniuerſum enim id, quod eſt, complectitur, nec principium habens, nec finem habiturus, quaſi pelagus quoddam eſſentiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem ſuperans, mente ſola adumbrabilis

bilis, & quidem perexiguè ac perobſcurè, non ex his, quæ in ipſo ſunt, ſed quæ circa ipſum (*effecta ſcilicet*) priuſquam teneatur effugiens, & priuſquam intellectu percipiatur, ſeipſum fuga præripiens, tantum principem noſtri partem, eamque purgatã colluſtrans, quantum oculorum aciem perſtringit, fulguris celeritas haudquaquã permanentis: imò quidem iudicio, vt quatenus comprehendi poteſt, nos ad ſe trahat (quod enim nullo modo percipi poteſt, id nec ſperat quiſquam, nec adnititur) quatenus autem capi nequit, admirationem ſui excitet, atque ex ipſa admiratione vehementius deſideretur, deſideratus purget, purgans autem deiformes efficiat; cumque id conſecuti fuerimus, iam velut cum familiaribus colloquatur (metuo ne hoc audacius à me dictum videri poſsit) Deus diis vnitus & innoteſcens, ac tantum fortaſſe, quantum iam eos, qui cognoſcuntur, cognitos habet.

*Quia verò Dei eſſentia ſine principio, ſine fine perdurans, eſt ipſius æternitas, rectè ait S. Auguſtinus lib. de vera religione ca.*49. Aeternitas tantummodo eſt, nec fuit, quaſi iam non ſit, nec erit, quaſi adhuc non ſit. Quare ſola ipſa veriſsimè dicere potuit humanæ menti: Ego ſum, qui ſum. Et de illa veriſsimè dici poterat: Qui eſt, miſit me, Exod. 3. *Hoc autem, teſte eodem S. Auguſtino lib. 8. de Ciuit. Dei cap.* 11. *dixit Deus, tanquam in eius comparatione, qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea, quæ mutabilia facta ſunt, non ſint. Neque, eſſe, abſolutè creaturis conuenit, cum partim ſint, partim non ſint, vt tradit S. Aug. tractatu* 38. *in Ioannem, vbi ſic loquitur:* Quis dignè eloquatur, quid ſit, ſum? Ego ſum, qui ſum, quæ mens poteſt capere? O Domine Deus noſter, quid non eſt eorum, quæ feciſti? Nunquid cœlum non eſt? Nunquid terra non eſt? Nunquid

non ſunt ea, quæ in terra & in cœlo ſunt. Si omnia ſunt hæc, quæ per te facta ſunt, quid eſt, quod tibi proprium quiddã tenuiſti ipſum eſſe, quod aliis non dediſti, vt tu ſolus eſſes? Nam quomodo audio: Ego ſum, qui ſum, quaſi alia non ſint? Quid ſit ipſum eſſe dicat cordi: eſt enim ſemper eodem modo eſſe. Res enim quælibet prorſus qualicunque excellentia, ſi mutabilis eſt, non verè eſt, non enim eſt ibi verum eſſe, vbi eſt & non eſſe. Quicquid enim mutari poteſt, mutatũ non eſt, quod erat. Si non eſt, quod erat, mors ibi quædam facta eſt, peremptum eſt aliquid ibi, quod erat, & non eſt. Nigredo mortua eſt in capite albeſcentis ſenis. Mortua eſt ſtatio in corpore ambulantis, mortua eſt ambulatio in corpore ſtantis, mortua eſt ambulatio & ſtatio in corpore iacentis, mortua eſt locutio in lingua tacentis. Quicquid mutatur, & eſt, quod non erat, video ibi quandam vitam in eo, quod eſt, & mortem in eo, quod fuit. O veritas quæ verè es. Nam in omnibus actionibus & motibus noſtris, & in omni prorſus agitatione creaturæ duo tẽpora inuenio, præteritum & futurum. Præſens quæro, nihil ſtat. In veritate quæ manet, præteritum & futurum non inuenio, ſed ſolum præſens, & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non eſt.

Ex his Dei deſcriptio peti, ſumique poteſt, nimirũ iſta: Deus eſt immutabilis, ac ſempiternus ſpiritus, omnes totius entis perfectiones infinito modo complectens: *S. Auguſtin. tract. 23. in Ioannem:* Deus, *ait*, non eſt corpus; Deus ſpiritus eſt, *Ioan. 4. v. 24.* ſed non mutabilis ſpiritus. Tranſi omnem mutabilem ſpiritum, tranſi ſpiritũ, qui modo ſcit, modo neſcit: modo me-

do meminit, modo obliuiſcitur, vult, quod nolebat, non vult, quod volebat, ſiue iam patiatur iſtas mutabilitates, ſiue pati poſsit. Tranſi omnia, non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis, nō aliquid, quod aliter nunc eſt, aliter paulo ante fuerit. Nam vbi inuenis aliter, & aliter, facta eſt ibi quædam mors. Mors enim eſt, non eſſe quod fuit.

Nec mala eſt iſta Dei deſignatio: Deus eſt puriſsimus actus, omnis expers potentiæ. *Vel illa Ariſtotelis* 11. *Metaph.* Deus eſt viuens, ſempiternum & optimum, ſeu præſtantiſsimum. *Et in lib. de mūdo*: Deus eſt potentia valentiſsimus, decore formoſiſsimus, vita immortalis, virtute præſtantiſsimus. *Aut illa Platonis:* Deus eſt ſummum bonum ſupra omnem ſubſtantiam, omnemq; naturam, quod cuncta expetūt, cum ſit plenæ perfectionis, & nullius ſocietatis indigens. *Aut illa Lactantij:* Deus eſt æterna mens ex omni parte perfectæ conſummatæque virtutis. *Aut iſta Sancti Auguſtini lib.* 1. *de Doctrina Chriſtiana, cap.* 6. Deus excellentiſsima quædam, immortaliſque natura eſt. *Et cap.* 7. Deus eſt, quo nihil melius eſt, atque ſublimius. Omnes pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quiſquam inueniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid ſit. Itaque hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. *Et c.* 8. Deus eſt vita infinitè ſapiens, & incommutabilis. *Et lib.* 12. *de Ciuit. Dei. cap.* 1. Deus eſt incommutabile bonum. *S. Gregorius Nazianzen. tract. de fide:* Quæ eſt enim, *ait*, ſubſtantia Dei, niſi ipſum, quod Deus ſimplex, ſingulare, purum, nulla cōcretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, ſanctum, totum. *S. Bernardus lib.* 5. *de conſideratione ad Eugen. c.* 11. Quid

eſt Deus? Quod ad ſe ipſe nouit. Quid eſt Deus? Voluntas omnipotens, beneuolentiſsima virtus, lumen æternum, incōmutabilis ratio, ſumma beatitudo. *Et cap.* 13. Quid eſt Deus? Longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum. *Eph.* 3. *v.* 18. Longitudo eſt æternitas, latitudo eſt charitas, omnia ſinu ſuo etiam inimicos concludens. Sublimitas eſt potentia inattingibilis, profunditas inſcrutabilis ſapientia. *Voluerunt idem ſignificare Gentiles: nam in templo Apollinis Delphici ſcriptum erat:* Tu es. *Et in Aegyptiorum templis hæc Dei inſcripta verba:* Ego ſum omne, quod fuit, quod eſt, quodque futurum eſt. *Non diſsimile huic Ioannis Apocal.* 1. *verſ.* 4. Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.

Domine Deus infinitè cunctorum bonorum, virtutum, ac perfectionum fons, & magnificentiſsime diſtributor, intuere benignus paupertatem, & inopiam noſtram, & tuis ditatos muneribus, fac iiſdem non vti, niſi ad gloriam tuam hominumque ſalutem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Capvt VIII.

Descriptio Dei ex ipsivs natura, & comparatione ad creaturas.

E*Iuſmodi eſt iſta B. Aug. lib. de vera religione cap.* 11. Deus ſumma vita eſt, & ipſe fons vitæ. *Et:* Deus prima atque ſumma eſſentia, ex qua eſt omne, quicquid eſt, in quātum eſt: quia in quantum eſt, quicquid eſt, bonum eſt. *Hoc addit S. Auguſtinus propter peccatum, quod non eſt res, ſed rectitudinis priuatio, cuius Deus auctor nullo modo*

Digitized by Google

modo eſt. Et B. Iuſtini Philoſophi & Martyris in dialogo cum Tryphone: Quod in eodem, *inquit*, ſimiliq; habitu & ſtatu ſemper eſt, cæteriſque omnibus, cur ſint, cauſa eſt, id eſt Deus. *Sic & S. Baſil. hom. 1. in Hexæm.* Natura plane beata Deus, exuberantiſsimè abundans, ac luculenta bonitas, cuique rationis capaci mirè amabilis, pulchritudo flagrantibus votis, & exæſtuanti deſiderio nulli non expetenda, omnium, quæ ſunt primiceria origo, fons vitæ, ſpiritalis omnis intelligentiæ lux, ſapientia inattingibilis, nec vlli peruia mortalium. *Et S. Bern. lib. 5. de conſ. ad Eug.* Deus eſt, quod eſt, eſt ſuum ipſius, & omnium aliarum rerum eſſe, ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt. *Et S. Leo ſerm. 2. de paſſione:* Deus eſt, *inquit*, cuius natura eſt bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia. *Similiter & Tullius lib. 1. Tuſc. de quo S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. ait:* Deum certè volens, ſicut poterat definire Cicero tantus auctor ipſorum Mens quædam, inquit, eſt ſoluta & libera, ſecreta ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno.

Eiuſmodi deſcriptio Dei elegantiſsima prorſus eſt apud S. Ioannem Damaſc. lib. 1. orth. fidei cap. 15. ex S. Dionyſ. Areopag. lib. de Diuinis nominibus cap. 1. Deus eſt totius illuminationis principium, omnium cauſſa & initium, & ſubſtantia & vita, illos, qui ab ea cadunt reuocans, atque erigens, & qui ad id prolapſi ſunt, vt in ſe diuinam effigiem corruperint, renouans ac reformans, quique impura aliqua agitatione quatiuntur, eos ſacratius firmans, ſtantes corroborans, eoſque, qui ad ſe promouētur, & aſſurgūt, porrecta veluti ſubuehens manu; eis, qui illuminātur, fulgor intimus,

& qui perficiuntur conſummationis princeps, quique in Deum aſſumuntur, ſumma diuinitas: & qui ſimplices fiunt, vera ſimplicitas: quique in vnum tranſeunt, vnitas: principij totius omnia ſuperans initia, per excellentem ſubſtãtiam principium, occultique ſacratiſsimi (quantum fas eſt) benignè participationem tradens: atque (vt paucis dixerim) viuentium vita, ſubſiſtentiumq; ſubſtantia, vitæ omnis, ac ſubſtantiæ initium & cauſa, quod bonitate ſua cuncta, quæ ſunt, vt eſſent, produxerit, atque vniuerſa contineat. *S. Dion. c. 5. de Diuinis nominib.* Deus, *inquit*, eſt æuum æuorum, & Rex ſæculorum: quia ipſe eſt eſſe exiſtentibus, & ipſum eſſe exiſtentium, & exiſtens ante ſæcula.

Deus, à quo cuncta bona procedunt, largire ſupplicibus tuis, vt te inſpirante cogitemus, quæ recta ſint, & te gubernante eadem faciamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

PERFECTIONES ET ATTRIBVTA DEI, EIVS NATVRAE & excellentię indicia, ac proinde diuini cultus incitamenta, cum propter ſuam ſit prętantiam maximè colendus Deus.

CAPVT IX.

DE DEI INFINITATE.

DEus eſt infinitus, hoc eſt, ſummæ & interminatæ perfectionis, vt maiorem habere nequeat (quid enim infinito maius?) perfectionē, neque vt in illa vllus illo ſuperior, aut æqualis eſſe poſſit, qui ſit diuerſæ

uerſa natura: nam cum ſint eiuſdem naturæ, infinitus Pater, infinitus Filius, infinitus eſt Spiritus Sanctus, & tamen non tres infiniti, ſed vnus infinitus Deus. Pſalm. 144. *v.* 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. *Baruch* 3. *v.* 25. Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.

Quid nos homunculi, puluis & cinis ad illum? Gen. 18. *verſ.* 27. *Id agnoſcebat Abraham, dicens:* Loquar ad Dominum, cum ſim puluis & cinis. *Et Deipara Luc.* 1. *v.* 48. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Concede, quæſumus, infinite Deus, vt pro modulo noſtro perfecti ſimus, ſicut tu Pater noſter cæleſtis perfectus es. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT X.

DE DEI IMMVTABILITATE.

D*Eus eſt immutabilis, ſiue vno eodemque modo ac ſtatu optimo permanens, vt nihil illi accedere boni poßit, nihil decedere. S. Auguſt. lib. de natura boni aduerſus Manich. cap.* 24. Deum eſſe incommutabilem, ſic ſcriptum eſt Sap. 7. v. 27. de ipſa Sapientia: In ſe ipſa manens, innouat omnia. Vnde & Paulus Apoſtolus 1. Timoth. 1. v. 17. Inuiſibili, & incorruptibili ſoli Deo. Et Apoſt. Iac. c. 1. v. 17. Omne datum optimum, & omne donū perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt commutatio, nec momenti obumbratio. Ego, *inquit ipſe Deus, Malach.* 3. *v.* 6. & non mutor. *Et Dauid Pſal.* 101. *v.* 26. 27. 28. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli: Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos,

& mutabuntur. Tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Quid autem homine mutabilius, & inconſtantius? Iob. 14. *v.* 1.7. Homo natus de muliere, breui viuens tẽpore, repletur multis miſeriis: Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. *Quin & Dauid Pſal.* 38. *v.* 6. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. *Et Pſalm.* 143. *verſ.* 4. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Largire, immutabilis Deus, vt in meliorem quotidie mutemur vitam, donec ad te immutabilem perueniamus æternitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XI.

DE DÊI IMMENSITATE.

D*Eus eſt immenſus, ita vt ſua eſſentia nullibi non ſit præſens, nec vllis ſpaciis contineri poſſit.* Cœlum, *inquit ipſemet Dominus Iſa.* 66. *v.* 1. mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedũ meorum. *Et Hier.* 23. *v.* 24. Nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus. *Quin & extra hæc eſt:* Cœlum, *ait Salomon* 2. *Paral.* 6. *v.* 18. & cœli cœlorum non te capiunt.

Vbique ergo verſamur in præſentia, & in oculis Dei, quem vtinam & omni in loco reuereamur.

Fac immenſe Deus, ne animo te derelinquamus, quem loco deſerere non poſſumus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XII.

DE DEI ÆTERNITATE.

DEus eſt æternus ſemper exiſtens, initio ſuæ permanſionis carens & fine. Priuſquam montes fierent, *ait Dauid Pſalm.* 89. *v.* 2. aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus. *Et Iſa.* 40. *v.* 28. Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. *Sanctus Auguſtinus in Pſalm.* 101. *verſ.* 25. In generatione & generationem anni tui. Non aliud anni Dei, & aliud ipſe Deus, ſed anni Dei æternitas Dei eſt. Aeternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit, nihil futurum, quaſi nondum ſit. Sed non eſt ibi, niſi eſt, &c. *Thales Philoſophus interrogatus: Quidnam in tota rerum natura eſſet vetuſtiſſimum? Reſpondit:* Deus: quia nunquam eſſe cœpit, Laert. *At quid nos homunciones?* Heſterni ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram. *Iob* 8. *verſ.* 9. *Et tamen ſtulti longiſſimam ſibi promittunt vitam.*

Tribue ſempiterne Deus, vt ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

Capvt XIII.

DEVS IN OMNIMODAM Hominis, vel Angeli notitiam non venit.

Deus eſt incomprehenſus, vt omni modo, quo eſt, non niſi à ſeipſo percipi & penetrari queat. Hinc Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autholycum, ait: Nec magnitudo Dei comprehendi, nec altitudo mente valet capi: Fortitudine nemini eſt conferendus, eiuſque ſapientia plane cenſetur incomprehenſibilis. *Et Minutius Felix in Octauio:* Incomprehenſibilis eſt Deus (*quia infinitus eſt, & immenſus*) & ſibi ſoli tantus, quantus eſt, notus eſt, *de qua re vberius actum cap. 4.*

At ſi noſipſi comprehendere velimus, quid ſumus? Caro & ſpiritus vadens, & non rediens, *Pſal. 77. v. 39.* Homo putredo, & filius hominis vermis. *Iob 25. v. 6.*

Da, omnipotens Deus, vt qui te penitus comprehendere non poſſumus, ſaltem eo te modo apprehendamus, quo comprehendit nos Ieſus Chriſtus Filius tuus.

Capvt XIV.

DEVS SVB HVMANVM NON cadit aſpectum.

Vide S. Auguſt. libr. 3. contr. Maximin. Ar. Ep. c. 9.

Deus eſt inuiſibilis, *vt ait Apoſtol. Col. 1. v. 15. & 1. Tim. 1. v. 17.* Lucem enim inhabitat inacceſsibilẽ, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. *1. Tim. 6. v. 16.*

Non poteſt homo videre Deum corporeis oculis, ſed nec

nec natura viribus, aſpectu mentis. Mortalitate exutus, & mente, lumine gloriæ confirmata, Deum clarè intuebitur. Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt, *Matth.* 5. *v.* 8. Tunc videbimus facie ad faciem. 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt, 1. *Ioannis* 3. *v.* 2. *Piè & verè S. Auguſt. lib.* 1. *de ſerm. Domini in monte, c.* 3. Eſt cordis, *inquit*, munditia de bona conſcientia bonorum operum valens ad contemplandũ ſummnm illud bonum, quod ſolo puro & ſereno intellectu cerni poteſt. *S. Gregor. lib.* 18. *Mor. c.* 39. Videbimus Deum, ſi per cœleſtem conuerſationem ſupra homines eſſe mereamur. Nec tamen ita videbimus, ſicut videt ipſe ſeipſum. *Quemadmodum autem modo Deus, neque ſub corporis, neq; ſub mentis aſpectũ cadit, ita, vt ait Apoſt. Heb.* 4. *v.* 13. non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. *Prouerb.* 15. *v.* 3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. *Quos diuinos oculos, ne ſcelere violemus, diligentiſſimè cauendum.*

Deus qui dixiſti: Non videbit me homo, & viuet, tam piè nunc gratia tua viuamus, vt in cœleſti gloria te perpetuo videamus.

CAPVT XV.

DEVS NVLLO SERMONE, VT eſt, explicari poteſt.

D*Eus eſt ineffabilis: qua ratione S. Dionyſ. cap.* 1. *de diuinis nominibus dixit*: Dei neque nomen eſſe, neque ſermonem. Excedit ſupereminentia diuinitatis, *ait S. Aug. lib.* 7. *de Trinit. cap.* 4. vſitati eloquij facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quàm dici-

dicitur, & verius eſt, quam cogitatur. *Proinde ſi verius Deus eſt, quàm à nobis cogitatur, & cognoſcitur, neque effari poſſimus incognita; eſt vtique ineffabilis Deus.* Facilius dicimus, quid Deus non ſit, quàm quid ſit, *ait idem S. Auguſtinus in Pſalm.* 85. *Atque idcirco ſilenti ſuæ maieſtatis admiratione, & admirante ſilentio potius colitur Deus, quàm multis verbis.*

Deus, qui aperis ora mutorum, & linguas infantium facis diſertas, cum te dignè eloqui & laudare non poſſimus, da, vt quantum valemus, te benedicamus omni tempore, & laus tua ſemper ſit in ore noſtro.

Capvt XVI.

Devs vbiqve existens nullius rei contagione inquinatur.

Deus eſt incontaminabilis, qui nullis inquinari ſordibus poteſt, ſicut nec Solis radij, licet in ſordida incidant loca. Sanctus Auguſtinus lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 17. loquens de Chriſto Mediatore: Qui profecto, *inquit*, incontaminabilis Deus, abſit, vt contaminationem timeret ex homine, quo indutus eſt, aut ex hominibus, inter quos in homine conuerſatus eſt. Qui & ſua incarnatione ſalubriter monſtrauit in carne non poſſe contaminari veram diuinitatem.

At nos cum rebus, quæ nobis ſunt deteriores, adhæreſcimus, contaminamur: cum autem Deo cohæremus, puriores, ſanctioreſque efficimur. Sicut coniunctione æris deterius fit aurum, & auri adiunctione præſtantius æs efficitur.

Sanctiſſime Deus, quia nihil coinquinatum in cœleſtem intrabit Ieruſalem, emunda nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, vt eo peruenire valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Capvt XVII.

DEO NVLLA NOCERE POTEST creatura.

D*Eus eſt inuiolabilis. Iob.35.v.6.7.8.* Si peccaueris, quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò, ſi iuſtè egeris, quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua: & filiũ hominis adiuuabit iuſtitia tua. *S. Aug. lib. de natura boni, cont. Manich. c.*40. Secundum Catholicam fidem, *ait,* & ſanam doctrinam, & intelligentibus perſpicuam veritatem, nec naturæ Dei nocere poteſt quiſquã, nec natura Dei nocere iniuſtè cuiquam, vel nocere impunè patitur quenquã. Qui enim nocet, *ait Apoſt. Col.*3.*v.*25. Recipiet id, quod nocuit; & non eſt perſonarũ acceptio apud Deũ. *Et S. Anſel. l. Cur Deus homo, cap.*15. Deum impoſsibile eſt honorẽ ſuũ perdere; aut enim peccator ſoluit ſponte, quod debet, aut Deus ab inuito accepit. Sicut autẽ homo peccãdo rapit, quod Dei eſt, ita puniendo aufert, ꝙ hominis eſt. *Peccãdo cõtra ſtimulũ calcitramus, & nõ Deũ, ſed nos ipſi lædimus.*

Quod ergo legimus Gen.6.v.5.6. Videns Deus, ꝙ multa malitia hominũ eſſet in terra, tactus dolore cordis intrinſecus, (*aut, vt eſt in Hebræo, indoluit in corde ſuo*) & *Iſa.*63.*v.*10. Ipſi autẽ ad iracundiã prouocauerunt, & afflixerunt (70. *exacerbauerũt, alij contriſtauerunt*) Spiritũ Sanctũ eius, & cõuerſus eſt eis in inimicũ. *Et Eph.*4.*v.*30. Nolite cõtriſtare Spiritũ Sanctũ Dei. *Et Hoſ.*4.*v.*1. Pereat Samaria, quoniã ad amaritudinẽ cõcitauit Deum ſuũ. *Et Pſal.*9. Exacerbauit Dominũ peccator. *Et Ier.*33. *v.* 8. Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum,

eorum, in quibus deliquerunt mihi, & ſpreuerunt me. *Ezech.* 20. *v.* 27. Blaſphemauerunt me patres veſtri, cum ſpreuiſſent me contemnentes. *Iob* 15. *v.* 26. Cucurrit impius aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Quaſi cornibus velit Deum impetere, atque proſternere, & de ſtatu ac felicitate ſua deturbare. Hæc omnia, & quæ eiuſdem ſunt generis, non ſignificant immutabilem Deũ mutatum, inuiolabilem eſſe violatum, impaßibilem aliquid nocumẽti paſſum, beatißimum miſeria affectum: ſed illud indicatur, quod tanta ſit peccati malitia & grauitas, vt quantum in ſe eſt, ter feliciſſimam illam Deitatem dolore, triſtitia, opprobrio, & detrimento afficiat. Et quod Deus tantopere peccatum abhorreat, & deteſtetur, ac ſi eo diſperdi ac interire poßit: Sic illi ſe infeſtum ac inimicum præbere, ac ſi ſtructas ab eo inſidias metueret: Sic ſe triſtem & acerbum exhibere, ac ſi peccato ad mœſtitiam & acerbitatem contorqueretur. Et ſic queritur, quaſi iniuria læderetur, honoremque ſuum amitteret.*

Quapropter cum mutabilis, & omnis mali expers ſit Deus, & peccatum peccatori noceat, & proximo, dicitur Deus peccatorem irridere, quod irrito conatu contra illum agat, ſibique, vt cæcias nubes, ſupplicia attrahat, *Ierem.* 14. *v.* 16. Effundam ſuper eos malum ſuũ. *Pſalm.* 2. *v.* 4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. *Prou.* 1. *v.* 24. *ad* 32. Quia vocaui, & renuiſtis, &c. Ego quoque in interitu veſtro gaudebo, & ſubſannabo, cum id, quod timebatis, aduenerit. *Omnibus ergo modis execrandum fugiendumque peccatum.*

Inuictiſſime Deus, cui faciens iniuriam ſibi accerſit vindictam, præſta, vt te nullo vnquam ſcelere offendamus, ſed aſsiduo pietatis ſtudio te magis ac magis conciliemus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

CAPVT XVIII.

DEVS NEQVE COMPOSITVS eſt, neque in alterius rei compoſitionem venit.

Deus eſt omnino ſimplex, & omnis prorſus compoſitionis expers: quia eo ipſo, quo ſubſtantia coaleſcit ex multis, *vt ait S. Greg. Naz. oratione 2. de Theologia*, non repugnat eam diſſolui: *nam & Angeli ſicut ex nihilo procreati ſunt, ita & in nihilum à Deo redigi poſſunt: at diuina natura omnino neceſſaria eſt, & penitus immutabilis: ita vt non poſſit non ſemper eſſe.*

S. Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. 8. & 10. docet, quod neque attributorum multitudo, neque perſonarum Trinitas vnitatis ſimplicitatem excludat, & veriſſima illius ratio eſt: quia & diuinæ virtutes ac perfectiones, ac ipſæ perſonæ vnum prorſus idemque ſunt cum diuina eſſentia, ſed illum differentem attendamus. cap. 7. Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quicquid aliud nō indigne dici videtur. Sed eadem magnitudo eius eſt, quæ ſapientia: nō enim mole magnus eſt, ſed virtute: Et eadem bonitas, quæ ſapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia: Et non eſt ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnū, aut ſapientem, aut verum aut bonum eſſe, aut omnino ipſum eſſe. Nec quoniam Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt, alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quam ſimul Pater & Filius. Quanquam non inueniatur, quomodo dici poſsit; aut Pater ſolus, aut Filius ſolus, cum ſemper atque inſeparabiliter, & ille cum Filio ſit, & ille cum Patre: non vt ambo ſint Pater, aut

amboFilius,ſed quia ſemper in inuicem,neuter ſolus. Quia verò dicimus, & Deũ ſolum ipſam Trinitatem, quamuis & ſemper ſit cum ſpiritibus & animabus ſanctis; ſed ſolũ dicimus,quod Deus eſt: quia non & illi cum Deo Deus ſunt: ita ſolum Patrem dicimus Patrem, non quia ſeparatur à Filio, ſed quia non ambo ſimul Pater ſunt. Et cap. 7. Cum itaque tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater,&Filius,& Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicendus eſt. In ipſo Deo cum adhæret æquali Patri, Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus Patri & Filio æqualis, non ſit maior Deus, quàm ſinguli eorum, quia non eſt,quo creſcat illa perfectio. Pefectus autem ſiue Pater, ſiue Filius, ſiue Spiritus Sanctus, & perfectus Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & ideo Trinitas potius quam triplex.

Et cap. 10. Hic in rebus corporeis, non tantum eſt res vna, quoniam tres ſimul, & plus aliquid ſunt duæ, quam vna. Cæterum in illa ſumma Trinitate, tantum eſt vna, quoniam tres ſimul, nec plus aliquid ſunt duæ,quàm vna. Ita & ſingula ſunt in ſingulis,& omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & vnum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per ſpeculum, & in ænigmate,gaudeat cognoſcens Deum,& ſicut Deum honoret,& gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum: quoniam vnus eſt Deus, ſed tamen Trinitas.

Rurſum idem B. Auguſtinus lib. 11. *de Ciuit. Dei cap.* 10. Eſt, *inquit*, bonum ſolum ſimplex, & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia,& ob hoc mutabilia: Creata ſanè,inquam,id eſt,fa-

eſt facta, non genita: Quod enim de ſimplici bono genitum eſt, pariter ſimplex eſt, & hoc eſt, qnod illud, de quo genitum eſt, quę duo Patrem & Filium dicimus, & vtrunque hoc cum ſpiritu ſuo vnus eſt Deus, qui Spiritus Patris, & Filij, Spiritus Sanctus propria quadam notione huius nominis in ſacris literis nuncupatur: Alius eſt autem, quàm Pater & Filius: quia nec Pater eſt, nec Filius, ſed alius, dixi, non aliud: quia & hoc pariter ſimplex, pariterque bonum eſt incommutabile, & coæternum. Et hæc Trinitas vnus eſt Deus, nec ideo non ſimplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam iſtam boni ſimplicem dicimus: quia Pater in ea ſolus, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus: aut verò ſola eſt iſta nominis Trinitas ſine ſubſiſtentia perſonarum: ſicut Sabelliani hæretici putauerunt. Sed ideo ſimplex dicitur: quoniam quod habet, hoc eſt, excepto quod relatiuè quæque perſona ad alteram dicitur. Nam vtique Pater habet Filium, nec tamen ipſe eſt Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo ergo ad ſeipſum dicitur, non ad alterum, hoc eſt, quod habet: ſicut ad ſeipſum dicitur viuens habendo vtique vitam, & eadem vita ipſe eſt. Propter hoc itaque natura dicitur ſimplex, cui non ſit aliquid habere, quod vel poſsit amittere; vel aliud ſit habens, aliud quod habet: Nunc ſicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem ſiue feruorem, aut anima ſapientiam; nihil eſt enim horum, quod habet. Nam neque vas liquor eſt, nec corpus color, nec aer lux ſiue feruor, neque anima ſapientia eſt. Hinc eſt, quod etiam priuari poſſunt rebus, quas habent, & in alios habitus vel qualitates

verti atque mutari, vt & vas euacuetur humore, quo plenum eſt, & corpus decoloretur, & aer tenebreſcat, ſiue frigeſcat, & anima deſipiat: Sed ſi ſit corpus incorruptibile, quale Sanctis in reſurrrectione promittitur, habet quidem ipſius incorruptionis inamiſsibilem qualitatem, ſed manente ſubſtantia corporali, nō hoc eſt, quod ipſa incorruptio. Nam illa etiam per ſingulas partes corporis tota eſt, nec alibi maior, alibi minor. Neque enim vlla pars eſt incorruptior, quàm altera. Corpus verò ipſum maius eſt in toto, quam in parte: & cum alia pars eſt in eo amplior, alia minor, non ea, quæ amplior, eſt incorruptior, quam ea, quæ minor. Aliud eſt itaq; corpus, quod non vbique ſiue totum eſt, alia incorruptio, quæ vbique eius tota eſt: quia omnis pars incorruptibilis corporis etiam cæteris inæqualis, æqualiter incorrupta eſt. Anima quoq; beata, etiamſi ſemper ſit ſapiens, participatione tamen incommutabilis ſapientiæ ſapiens erit, quæ non eſt, quod ipſa. Neque enim ſi aer infuſa luce nunquam deſeratur, ideo non aliud eſt ipſe, aliud lux, qua illuminatur. Secundum hoc ergo dicuntur illa ſimplicia, quæ principaliter vereque diuina ſunt, quod non aliud eſt in eis qualitas, aliud ſubſtantia; nec aliorum participatione, vel diuina, vel ſapientia, vel beata ſunt.

Cæterum dictus eſt in Scripturis ſanctis Spiritus ſapientiæ multiplex, Sap. 7. v. 22. eo quod multa in ſe habeat, ſed quæ habet, hæc & eſt: & ea omnia vnus eſt. Neque enim multæ, ſed vna ſapientia eſt: in qua ſunt immenſi quidam atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inuiſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per iſtam factæ ſunt: quoniam non

Deus

Deus aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porrò, ſi ſciens fecit omnia, ea vtique fecit, quæ nouerat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum; quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſsit, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet. *Hactenus S. Auguſtinus de ſimplicitate Dei, quam qui minus aſſequuntur, vt aſſequãtur minimum in cœleſti gloria, nunc* in ſimplicitate cordis quærant illum, *Sap.* 1. *v.* 1.

Vt puro tibi Deus, & ſimplici corde ſeruiamus, fac, ne illud terrenis deſideriis permiſceamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Capvt XIX.

DIGNAM DEO AESTIMATIOnem habere nemo poteſt.

Deus eſt inæſtimabilis, *vt ait S. Auguſtinus lib.* 1. *confeſſ. cap.* 4. *& ſerm.* 1. *de verbis Apoſtoli, cap.* 1. *Baruch* 3. *verſ.* 36. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. *Quæ enim comparatio, quæ æſtimatio, quod pretium eſſe poſſit rei finitæ cum infinita? Salomon intelligentiſsimus rerum æſtimator, diuinitus habere conceſſam ſapientiam cunctis rebus conditis antetulit, quid ergo de increata, & æterna ſapientia, quæ Deus eſt, cenſebimus? Sic autem ille loquitur, Sapien.* 4. *v.* 8. 9. 10. 11. 14. Præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurũ in cõparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius: Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextingui-

bile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manum illius: Infinitus enim (*ſiue indeficiens*) theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.

Si ergo piam ſapientiam, ſiue ſapientem pietatem (ecce enim pietas ipſa eſt ſapientia, *Iob* 28. *v.* 28.) *Dei munere mortalibus inditam, cum caducis rebus aliis componere, eſt conferre aquilam cum noctua; elephantum cum culice; teſtudinem cum equo, annon inæſtimabilis creator cum ſuis creaturis? & tamen cæci ac veſani homines, ſæpiſſimè Deum viliſſimis poſthabent rebus, exiguæ voluptatulæ, pecuniolæ, gloriolæ, cum quibus meritiſſimè expoſtulat Deus. Hierem.* 2. *v.* 12. 13. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas. *Vbi in Comment. S. Hieron.* Attendendum, quod fons perpetuus eſt, & vitales habet aquas. Ciſternæ autem, & lacus, vel de torrentibus, vel ex aquis turbidis terra complentur, & pluuiis. *Sic liquida & perpetua eſt iucunditas, quæ ex Deo bonorum fonte hauritur, impura autem & breuis voluptas, quæ neglecto Deo, à creaturis emendicatur.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius bonitas & maieſtas omnem humanam pariter & angelicam ſuperat æſtimationem, da, vt tui vnius amore cuncta alia pro nihilo ducamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

* * *

CAP.

CAPUT XX.

DE DEI BONITATE.

Deus eſt omnimoda & abſolutiſſima bonitate exuberans, imò ſummum bonum, & infinita bonitas. Sanctus Auguſtinus libro 8. de Trinitate cap. 3. declarat eleganter, quod vnicè bonus ſit Deus. Non amas certè, *ait*, niſi bonum: quia bona eſt terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum; & bonum prædium, amœnum, ac fertile: & bona domus paribus membris diſpoſita; & ampla, & lucida: & bona animalia, animata corpora: & bonus aer modeſtus & ſalubris; & bonus cibus ſuauis, atque aptus valetudini: & bona valetudo ſine doloribus & laſsitudine: & bona facies hominis dimenſa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata, & bonus animus amici, conſenſionis dulcedine, & amoris fide: & bonus vir, iuſtus; bonæ diuitiæ, quia facile expediunt; & bonum cœlum cum Sole, & Luna, & ſtellis ſuis; & boni Angeli ſancta obedientia: & bona locutio ſuauiter docens, & congruenter monens auditorem: & bonum carmen, canorum numeris, & ſententiis graue. Quid plura, & plura? Bonum hoc & bonum illud: Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum, ſi potes, ita Deum videbis, non alio bono bonũ, ſed bonum omnis boni. Neque enim vel in his omnibus bonis, quæ cõmemoraui, vel quę alia cernũtur, ſiue cogitãtur, diceremus aliud alio melius, cum verè iudicamus: niſi eſſet nobis impreſſa notio ipſius boni, ſecundũ ꝙ & probaremus

aliquid, & aliud alij præponeremus. Sic amandus eſt Deus, non hoc, & illud bonum, ſed ipſum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui ſuperuolitet iudicando, ſed cui hęreat amando. Et quid hoc niſi Deus? Non bonus animus, aut bonus Angelus, aut bonum cœlum, ſed bonum, bonum. Sic enim forte facilius aduertitur, quid velim dicere: Cum enim audio, verbi gratia, quod dicitur, animus bonus, ſicut duo verba ſunt, ita ex eis duo quædam intelligo. Aliud quo animus eſt, aliud quo bonus. Et quidem vt animus eſſet, non egit ipſe aliquid: Non enim iam erat, qui ageret, vt eſſet. Vt autē ſit bonus animus, video agendum eſſe voluntate, non quia idipſum, quo animus eſt, non eſt aliquid boni. Nam vnde iam dicitur, & veriſsimè dicitur, corpore melior? ſed ideo nondum dicitur bonus animus, quoniam reſtat ei actio voluntatis, qua ſit præſtantior, quam ſi neglexerit, iure culpatur, recteque dicitur non bonus animus: Diſtat enim ab eo, qui hoc agit. Et quia ille laudabilis profecto, iſte qui hoc non agit, vituperabilis eſt. Cum verò hoc agit ſtudio, & fit bonus animus, niſi ſe ad aliquid conuertat, quod ipſe non eſt, non poteſt hoc aſſequi. Quo ſe autem conuertit, vt fiat bonus animus, niſi ad bonum, cum hoc amat, & appetit, & adipiſcitur? Quapropter nulla eſſent commutabilia bona, niſi eſſet incommutabile bonum. Cum itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quæ poſſunt aliàs dici etiam non bona, ſi potueris ſine illis, quæ participatione boni bona ſunt, perſpicere ipſum bonum, cuius participatione bona ſunt, ſimul enim & ipſum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris illis detractis, per ſeipſum perſpicere bonū, perſpexeris Deū,

& ſi

& ſi amore inhæſeris, continuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur, niſi quia bona ſunt eis inhærendo non amare bonum ipſum, vnde bona ſunt. Illud etiam, quod animus, tantum quia eſt animus, etiam nondum eo modo bonus, quo ſe conuertit ad incommutabile bonum, ſed vt dixi, tantum animus, cum nobis ita placet, vt eum etiam omni luci corporeæ, cum bene intelligimus, præferamus, non in ſeipſo nobis placet, ſed in illa arte, qua factus eſt. Inde enim approbatur factus, vbi videtur faciendus: hæc eſt veritas, & ſimplex bonum. Nō enim eſt aliud aliquid, quam ipſum bonum, ac per hoc etiam ſummum bonum. Ad hoc igitur ſe animus conuertit, vt bonus ſit, à quo habet, vt animus ſit. *Hactenus S. Auguſtin. optimè docens, quomodo ſummum & infinitum bonum ſit, cuius dono & munere res conditæ bonæ ſunt.*

Qui, vt facilius & clarius intelligatur, animaduertendum eſt, quod triplicem rectè diſtinguat bonitatem, naturæ: omne enim ens bonum eſt, quatenus habet omnia principia, quæ in ſua natura deſiderantur, accidentium, quæ naturam perficiunt, & ipſius finis, in quo acquieſcit. Sic dixit S. Auguſtinus, animum eſſe bonum, & corpore meliorem: quia animus, hoc eſt ſua eſſentia. Virtutibus tamen & bona voluntate perfici ac meliorem fieri, & demum, cum amore Deo tanquam vltimo fini adhæſerit, beatificari. Sed vnde animo naturæ, vel virtutis, vel conſecutionis vltimi finis bonitas? A Deo, & hæc omnis certis limitibus perfectionis circumſcripta. Ergo tolle à bono hoc, & illud nimirum, quod ſit ab alio, quod virtus, & quæuis qualitas ſit aduentitia & non rei ſubſtantia, quod ad finem extra ſe ordinetur, hæc tolle, & ſimul certo modo, & limite finita eſſe, & contemplare bonum, quod non aliunde, ſed ex ſe, & ſuamet natura ſemper exiſtente, ſit bonum, & quod non immo-

tam, vel aduenientem perfectionis habeat qualitatem, ſed quæ ſit ipſa eſſentia ipſius, & quod non refertur in alium finem, ſed ipſum ſibi finis, & omnium aliarum ſit rerum finis, & tale bonum infinitum ſit, & nullis terminis perfectionis circumſcriptum, & quo hic fieri poteſt modo, cognoſces Deum, ac proinde ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine amandum, & in ſæcula prædicandum.

Sed id ex S. Auguſtino potius diſcamus. Is in Pſalm. 134.*verſ.*3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus. Bonus Dominus, *inquit*, ſed bonus, non vt ſunt bona, quæ fecit, cœlum & terram; & omnia quæ in eis ſunt, bona fecit, & valde bona fecit, Gen.1.v.31. Si hæc omnia bona fecit, qualis eſt ille, qui fecit? Et tamen cum bona fecerit, multoque ſit melior, qui fecit, quam iſta, quæ fecit: non inuenies melius, quod de illo dicas, niſi quia bonus eſt Dominus, ſi tamen intelligas propriè bonum, à quo ſunt cætera bona, Omnia enim bona ipſe fecit: ipſe eſt bonus, quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, Pſalm. 72. verſ. 28. qui non eguit, à quo fieret bonus, ſed eguerunt illo cætera, vt fierent bona. Vultis audire, quam ſingulariter ille ſit bonus? Dominus interrogatus dixit Matthæi 19. verſ. 17. Luc. 18. verſ. 19. Nemo bonus, niſi vnus Deus. Ineffabili dulcedine teneor, cum audio bonus Dominus, colluſtratiſque omnibus, & conſideratis, quæ forinſecus ſunt, iſta non laudo ſine illo, illum autem ſine iſtis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem, quo augeatur, nullius malum timentem, quo minuatur, inuenio. Bonum bona faciens, ſicut eſt propriè, ſic & bonum eſt propriè. Neque enim ea, quæ fecit,

fecit, non ſunt, aut iniuria ſit illi, cum dicimus ea eſſe, quæ fecit. Quare enim fecit, ſi non ſunt, quæ fecit? Aut quid fecit, ſi non eſt, quod fecit? Cum ergo ſint, & illa, quæ fecit, venitur tamen ad illius comparationem, & tanquam ſolus ſit, dixit Exodi 3. verſ.14. Ego ſum, qui ſum: Et dices filiis Iſrahel, qui eſt, miſit me ad vos. Non dixit, Dominus ille omnipotens, miſericors, iuſtus, quæ ſi diceret, vtique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari poteſt, & dici DEVS, ipſum eſſe, ſe vocari reſpondit: & tanquam hoc ei eſſet nomen: Hoc, inquit, dices eis: Qui eſt, miſit me. Ita enim ille eſt, vt in eius comparatione, ea, quæ facta ſunt, non ſint illi comparanda, quoniam ab illo ſunt: illi autem non comparata ſunt, quoniam ab illo ſunt. Illi enim comparata non ſunt: quia verum eſſe, incommutabile eſſe eſt, quod ille ſolus eſt. Eſt enim, eſt, ſicut bonorum bonum, bonum eſt. Si ergo quicquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum eſt: nulla tibi maior cauſſa, & melior, & firmior dari potuit, quare laudes DEVM, niſi quia bonus eſt.

Ob hanc igitur eximiam & infinitam bonitatis præſtantiam Deus dicitur ſolus bonus, Lucæ 18. verſ. 19. Ob hanc cupienti Moyſi videre ipſum, reſpondit DEVS Exodi 33. verſ.19. Ego oſtendam tibi omne bonum. *Idcirco quod nihil non boni; in ipſo ſit.* Ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia, *Roman.11.v.36.* Quod factum eſt, in ipſo vita erat, *Ioan.1.v.4. hoc eſt, res omnes, antequam fierent, in Dei arte & ſapientia, ſicut domus, antequam ædificetur, eſt in mente artificis: & quia quicquid in Deo eſt, Deus & vita eſt, ideo res omnes in Deo vita fuêre. Ita S. Auguſt. tract. 1. in Ioannem, & li.5. de Geneſ. ad literam c. 14.*

Quo

Quo pertinet & illud, quod ait Deus, Pſalm. 49. *ver.* 11. Pulchritudo agri mecum eſt, *ſignificans omnem creaturarum venuſtatem longè elegantius eſſe in ipſo, quàm in ipſarum naturis, vel perfectionibus. Et Pſalm.* 93. *v.* 7. 8. 9. Et dixerunt (*impij*) non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem ſcientiã. *Quaſi dicat Propheta: Qui aliis cognoſcendi facultates & inſtrumenta tribuit, is vtique longè altiori ſapientia præditus erit.*

Hinc dicitur Deus ſolus bonus, 2. *Mach.* 1. *v.* 24. *& Luc.* 18. *v.* 19. *dicitur altiſſimus, non loci, ſed bonitatis & perfectionis excellentia. Pſal.* 82. *v.* 19. Et cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſsimus in omni terra, *Pſal.* 91. *v.* 9. Tu altiſsimus in æternũ Domine. *Eccl.* 1. *v.* 8. Vnus eſt altiſsimus creator omnipotens. *Luc.* 6. *v.* 35. Eritis filij Altiſsimi, &c. *Hinc dicitur, nihil illi eſſe comparabile, vel ſimile.* 1. *Paral.* 17. *v.* 20. Domine, non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſque te, *Pſal.* 34. *v.* 10. Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? *Iſa.* 46. *v.* 5. Cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? *Ierem.* 10. *v.* 6. *Videatur S. Thom.* 1. *P. q.* 4. *&* 1. *contra gentes, cap.* 28.

S. Auguſt. lib. 22. *de Ciuit. Dei cap.* 30. Præmium virtutis, *inquit*, erit, qui virtutem dedit, eique ſe ipſum, quo melius & maius nihil poſsit eſſe, promiſit. Quid eſt enim aliud quod per Prophetam dixit Leuit. 26. v. 12. Ero illorum Deus, & ipſi mihi erunt plebs: niſi ego ero, vnde ſatientur; ego ergo ero, quæcunq; ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, &

& copia,

& copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 28. Vt ſit Deus omnia in omnibus. Ipſe finiſerit deſideriorū noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.

Hoc vnicum & ſummum bonum, omninò ſibi ſufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent, vt ſint, & bene ſint: hoc bonum eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Si autem ſingula bona, tam delectabilia ſunt, cogitemus & perpendamus, quam ſuaue ſit illud bonum, quod cōtinet iucunditatem omnium ſimul bonorum, & non qualem in rebus creatis experimur, ſed tanto excellentiorem, quanto Creator ſuis creaturis, hoc eſt infinito modo præſtantior. Si bona eſt vita creata, quanto nobilior eſt vita vita creatrix. Si iucunda ſalus facta, quanto iucundior ſalus ſalutis effectrix? Si amabilis eſt conditarum rerum notitia, quanto amabilior eſt ſapientia, ex nihilo producens vniuerſa? O qui hoc fruetur immēſo bono, quid illi erit, & quid illi non erit? Nullum *ei erit malum, nullum illi deerit bonum. Ibi talia erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, 1. Corinth. 2. verſ. 9.*

Quid ergo per deuia creaturarum itinera oberramus, vt aliquot boni guttulas colligamus, cum inexhauſtum bonorum omnium pelagus in promptu ſit Deus? Hunc amemus, & nihil vltra deſiderabimus.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inuiolabilem tui amoris affectum, vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

Capvt XXI.

DEVS SVMMVM CREATVRArum bonum.

NOn ſolum in ſe, & ſibi eſt ſummum bonum Deus, ſed vniuerſis etiam creaturis, & potiſsimum homini. Quæ enim Deo, qui operatur omnia ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ, *Epheſ. 1. verſ. 11. ratio fuit, vt pulcherrimum hunc architectaretur mundum, niſi ſuam vt rebus impertiret bonitatem? Ea enim natura boni eſt, ſe vt diffundat, & cum aliis ſe communicet. Quo nomine rectiſsimè Deum ita compellat S. Auguſt. lib. 13. Confeſſ. cap. 2.* Ex plenitudine bonitatis tuæ creatura tua ſubſiſtit, vt bonum quod tibi nihil prodeſſet, nec de te æquale tibi eſſet, tamen quia ex te fieri potuit, non deeſſet. Quid enim te promeruit cœlum & terra, quæ feciſti in principio: dicant, quod te promeruerunt ſpiritalis corporaliſque natura, quas feciſti in ſapientia tua? *Et capite* 3. Spiritalis creatura ſicut te non promeruerat, vt eſſet, talis vita, quæ illuminari poſſet, ita nec cum iam eſſet, promeruit te, vt illuminaretur, vt quod vtrumque viuit, & quod beatè viuit, non deberet niſi gratiæ tuæ, conuerſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt, quod tu ſolus es, quia ſolus ſimpliciter es, cui non eſt aliud viuere, aliud beatè viuere, quia tua beatitudo tu es. *Et capite* 4. Quid ergo tibi deeſſet ad bonum, quod tu tibi es, etiamſi iſta, vel omnino nulla eſſent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ cohibens, atque conuertens ad for-

ad formam, non vt tanquam tuum gaudium compleatur ex eis?

Sanctus Dionyſius cap.4. de diuin. nom. Deus, *inquit*, omnium bonum, ſicut ex quo omnia ſubſiſtunt: *Recte: Cum enim Deus ſit vltimus omnium rerum finis*, Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus Dominus, *Prou.16.v.4.& finis ſit bonum eius, quod ordinatur in finem; Deus vtique vniuerſarum rerum finis eſt, & bonum ipſarum. Hinc & in Apocal.c.1.v.8.& 22.ver.13.* Principium & finis, primus & nouiſsimus *appellatur Deus: quia vt creaturarum eſt effector, à quo proceſſerunt, ita & finis, in quem poſtremo debent contendere. Etenim cum, vt ait S.Thom.1.P. q.44.ar.4. idem ſit finis cauſa efficientis, & rei effectæ, vt architecti & domus ædificatæ, & Deus nullo extrinſeco egeat bono, nullam aliam ob cauſam impelli poteſt, quàm propter ſeipſum, non vt perfectionem vllam acquirat, ſed ſuam communicet, cuius diuinæ perfectionis & bonitatis cum quodlibet bonum creatum ſit participatio & ſimilitudo, eo ipſo quod hoc creaturæ expetunt, Deum etiam expetere cenſentur.*

Sed potiſsimum hominis ſummum bonum eſt Deus, & idcirco poſthabitis & contemptis aliis, ad id aſſequendum totis ſemper viribus intendedum, quemadmodum elegantiſsimè docet Sanctus Auguſtinus libro 1. de moribus Catholicæ Eccleſiæ, capite 8. Audiamus, quem finem bonorum nobis Chriſte præſcribas, nec dubium eſt, quin is erit finis, quo nos ſummo amore tendere iubes. Diliges, inquit Matthæi 22. verſ. 37. Dominum Deum tuum. Dic mihi etiam, quæſo te, quis ſit diligendi modus: Vereor enim, ne plus minuſve quàm oportet, inflammer deſiderio, & amore Domini mei. Ex toto, inquit, corde tuo. Non eſt ſatis. Ex tota anima tua. Ne id quidem ſatis eſt. Ex tota mente tua. Quid vis amplius? Quid ad hæc Paulus?

Scimus, inquit Rom. 8. v. 28. quoniam diligentibus Deum, omnia procedunt in bonum. Dicat ipſe etiam dilectionis modum. Quis ergo, inquit ibidem v. 35. nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia: an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Audiuimus quid diligere, & quantũ diligere debeamus: eo eſt omnino tendendum, ad id omnia conſilia noſtra referenda. Bonorum ſumma, Deus nobis eſt. Deus eſt nobis ſummum bonũ. Neque infra nobis remanendum eſt, neque vltrò quærendum: alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt. *Iſtam Dei bonitatem ſentiunt, & delibant Sancti, quorum voces ſunt: Pſalm. 72. v. 1.* Quam bonus Iſrahel Deus, his, qui recto ſunt corde? *Pſal. 105. v. 1.* Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. *Pſal. 134. v. 3.* Laudate Dominum, quia bonus Dominus, pſallite nomini eius, quoniam ſuaue eſt. *Sap. 12. v. 1.* O quam bonus & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus. *Thren. 3. v. 24. 25.* Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. *Quis ſimilem Dei ſummi & infiniti boni amorem & nobis largiatur? hoc enim nihil & iucundius, & ſalutarius, & fructuoſius.*

Veni Domine in cor noſtrum, & tuo illud amore inebria, vt obliuiſcamur mala noſtra, & amplectamur te vnum bonum noſtrum, qui es Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula, Amen.

* * *

CAP.

CAPVT XXII.

DE DEI SCIENTIA.

SOlus ſapiens eſt Deus, vt ait Apoſtolus Rom. 16.v.17. eo modo, quo optimè interpretatur S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum c.13. Deus, *inquit,* quod eſt ipſa Trinitas propterea ſolus ſapiens rectè dicitur, quia ſolus ſecundum ſubſtantiam ſuam ſapiens eſt, non ſecundum accedentem, vel accidentem participationem ſapiẽtiæ, ſicut ſapiens eſt quæcunq; rationalis creatura.

Hæc Dei ſcientia ſicut ad omnia ſe porrigit, ita penitus vniuerſa comprehendit, etiam ipſam diuinam eſſentiam, cum qua prorſus eadem eſt. Hinc 1. Reg. 2. v. 3. dicitur: Deus ſcientiarum Dominus eſt: *ſiue, vt alij ex Hebræo vertunt:* Iehoua omni notitia præditus. *Iob 34. ver. 21. 22.* Oculi eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem. *Quod vtinam attenderent, qui ſe impunè peccare poſſe autumant, ſi homines neſciant. Heſter. 14. v. 14.* Domine, qui habes omnem ſcientiam. *Iob 21. v. 22.* Nunquid Deũ docebit quiſpiam ſcientiam, qui excelſos iudicat: *potentiſsimos Principes, ipſos iudices in ſublimi ſedentes, atque adeo Angelos. 1. Ioan. 3. v. 20.* Deus nouit omnia.

Irretortis oculis contuetur vniuerſa & ſingula. 2. Paralyp. 16. v. 9. Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram. *Iob 28. v. 24.* Ipſe fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit. *Et accuratiſsimè quidem Pſalm. 32. v. 13. Eccli. 17. v. 16. & c. 39. v. 24. Prouerb. 5. v. 21.* Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius dinumerat.

Neque temerè & fruſtra id facit, ſed vt cuique rependat, quod meritus eſt. Ierem. 32. *v.* 19. Domine Deus cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorũ Adam: vt reddat vnicuique ſecũdum vias ſuas, & ſecundum fructum adinuentionum eius. *Sophon.* 1. *v.* 12. *Apoc.* 2. 23.

Quin & in animum hominis penetrat, & omnia cogitata introſpicit. 1. *Reg.* 16. *v.* 7. Homo videt ea, quę parent, Dominus autem intuetur cor. *Iob* 42. *v.* 2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. *Pſalm.* 7. *v.* 10. Scrutans corda & renes Deus. *Pſal.* 37. *verſ.* 10. Quoniam ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te nõ eſt abſconditus. *Pſalm.* 43. *verſ.* 23. & 93. *verſ.* 8. 11. *Sapien.* 1. *verſ.* 6. *Prouerbiorum*. 24. *verſ.* 12. Scrutatorem animæ tuę nihil fallit. *Hierem.* 17. *verſ.* 10. Prauũ eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & pbans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam, iuxta fructum adinuentionum ſuarum.

Quod cum probè agnoſceret Sanctus Auguſtinus, non ſe excuſabat, ſed accuſabat coram Deo, vt veniam, & impunitatem impetraret ab eo. Et quidem, tibi Domine, *ait lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 2. cuius oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultũ eſſet in me, etiamſi nollem confiteri tibi? Te enim mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus teſtis eſt diſplicere me tibi, tu refulges, & places, & amaris, & deſideraris, vt erubeſcam de me, & abiiciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam niſi de te. *Senſit, & hoc ethnicus, & ſuam Chriſtianis prorſus verbis ſententiam explicauit Seneca ad Lucilium:* Prope Deus eſt, tecum eſt, intus eſt. Ita dico Lucili ſacer intra nos ſpiritus ſedet, bonorum malorumque noſtrorum obſeruator & cuſtos: Hic

prout

prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipſe: bonus verò vir ſine Deo nemo eſt. *Memorabile & Athenodori dictum eſt, vt narrat Fulgentius lib. 7. capite* 2. ita nos cum hominibus homines viuere debere, ac ſi Deus retributor bonorum, malorumque vltor omni loco ac tempore actiones noſtras intueretur, conſpiceretur; humanis noſtris oculis.

Eadem Dei ſcientia & futura nouit, antequam ſint, & præterita, cum deſierint. Hoc oſtendit Regius Vates Pſalmo 138. *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5. *vbi ſic Deum compellat: Domine, tu me meaque omnia accuratiſsimè perſcrutaris, & pernoſcis ſingulas meas ſeſsiones, ſurrectiones, progreſsiones, accubitus, quibus tota vitæ ratio continetur, & antequam fiant, prouides, quin & ipſas cogitationes antequam in cor meum deſcendant, prænoſcis, & omnia mea inſtituta, ac ſermones priuſquam inchoentur à me, nota perſpectaque ſunt tibi: nec mirum, quod mea omnia cognita habeas, cum & ea, quæ extremis temporibus ventura ſint, & quæ antiquis olim temporibus fuêre præterita & futura cuncta velut præſentia cernas & intuearis. Sed Prophetam ſuis loquentem verbis audiamus:* Domine, *ait*, probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & funiculum meum (accubitum) inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea: (*quem non præceperis, & perſpexeris*) Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſsima & antiqua, &c. *Eccleſiaſtici capite vigeſimotertio, verſ.* 28. & 29. Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem (*omnia luſtrantem, & abditiſsima in lucem è tenebris proferentem*) circumſpicientes omnes vias hominum, & in profundum abyſsi, & hominum corda intuentes in

abſconditas partes, Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita: ſic & poſt perfectum (*dum ſunt, aut præterierunt*) reſpicit omnia.

Magna ergo nobis rectè ſancteque viuendi, hoc eſt cogitandi, loquendi, agendi neceſſitas impoſita eſt, vt qui cuncta facimus in Dei Iudicis noſtri conſpectu. Eccli.16. v.16. ad 22. Thales interrogatus an facta hominũ Deum fallerent, Ne cogitata quidem, *inquit*, vt non ſolum manus, ſed etiam mentes puras habere vellemus, cum ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credimus. *Laert. in eius vita, & Valer. Maximus libr. 7. c. 2. Et vt habet Maximus ſerm. 15. Cum ex Zenone Stoico quidam quæreret: An Deum latere poſſit iniuriam faciens*: Imo, *inquit*, ne cogitans quidem. *S. Auguſtinus ſerm. 10. de verbis Domini cap. 2. exponens Pſal. 93. v. 9.* Qui finxit oculum, non conſiderat? Oculum, inquit, in te non intendit ſuum, qui fecit tuum? Nõ eras, & creauit te, vt eſſes, non te curat, cum iam ſis, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ſint? Rom. 4. ver. 17. Non ergo hoc tibi promittas. Velis, nolis, videt te; & ab eius oculis non eſt, vbi abſcondas te.

Domine Deus, quia omnes viæ noſtræ, hoc eſt, cogitata, dicta & facta ſunt in conſpectu tuo ſemper, da nobis ita ſanctè viuere, vt quæ tuæ diuinæ Maieſtatis oculis diſplicent, non committamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

* * *

CAP.

Capvt XXIII.

DE DEI VOLVNTATE.

D*Eus liberrima & efficaciſſima voluntate eſt præditus, vt quæcunque velit, perficiat, & cuncta in ipſius voluntate ſint poſita.* Non veſtro conſilio, *ait Ioſeph fratribus, Geneſ.* 45. *v.* 8. ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. *Tob.* 12. *verſ.* 18. Cum eſſem vobiſcum, *inquit Angelus Raphael*, per voluntatem Dei eram, ipſum benedicite. *Prou.* 19. *v.* 21. Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. *Eccli.* 39. *v.* 8. Si Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum. *Eph.* 1. *v.* 11. Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Hæc Dei voluntas, & ipſius eſſentia eſt, ac proinde immutabilis. S. Auguſtinus lib. 12. *Confeſſ. c.* 15. Num dicetis, *ait*, falſa eſſe, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit, de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius ſubſtantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius ſubſtantiam ſit? Vnde nō eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea, quod nolebat, aut nolle, quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt, Deus autem [illegible] æternus eſt.

Porro ſicut Dei ſapientia cunctarum rerum inuentrix & modificatrix eſt, Prouer. 3. *v.* 19. Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia: *ita & Dei voluntas omnium effectrix eſt, Pſal.* 134. *v.* 6. Omnia quæcunque Dominus voluit, fecit, in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus

abyſsis. *Sanctus Auguſtinus libro 1. de Geneſ. contra Manichæos capite 2.* Voluntas, *ait*, Dei omnium quæ ſunt, cauſa eſt. Qui ergo dicit: quare fecit Deus cœlum & terram? Reſpondendum eſt ei, quia voluit: Voluntas enim Dei cauſſa eſt cœli & terræ.

Eadem Dei voluntas vniuerſarum rerum conſeruatrix eſt, portans omnia verbo virtutis ſuæ, *Heb. 1. v. 3. potenti ſuo imperio cuncta ſuſtentans, Sap. 11. v. 25.* Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?

Iſta Dei voluntas humanæ ſalutis cupientiſſima. Sanctus Chryſoſtomus homilia 3. in Geneſ. Nihil ita gratum, *ait*, eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus, ſicut clamat Paulus, 1. *Timoth. 2. verſ.* 4. Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et iterum Deus ipſe ait *Ezechielis* 18. *&* 33. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formauit, nō vt pereamus, neque vt ſuppliciis nos torqueat: ſed vt ſaluet, & ab errore liberatis, regno frui nobis concedat. Etenim ipſe cum Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, & alia omnia humana ſuſtinuit, & crucem quoque ſuſcepit, niſi vt nos peccato obnoxios, à maledicto liberaret. *Galat.* 3. *verſ.* 13. *Matth.* 18. *verſ.* 14. Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. *Ioannis* 6. *v.* 39. *&* 40.

Sed ſi Deus vult omnes homines ſaluari, cur non omnes ſaluantur? Eſt ſecundum Theologos duplex voluntas Dei, ſigni, quam declarat præceptis, quid homines facere debeant, quæ non niſi metaphoricè Dei voluntas dicitur, & voluntas beneplaciti, quâ abſolutè aliquid

liquid vult fieri, & eſt formaliter in Deo. Hac voluntate aliquid vult, vel cum conditione, vel ſine vlla conditione. Sub conditione voluit hominibus, & ipſis angelis ſincere, ſine vlla fictione, vel ſermonis ambiguitate, vel improprietate ſuis temporibus æternam felicitatem, dependentem tamen à ipſorum libero arbitrio, ſi per ipſos non impediretur. Alia vult Deus ſine vlla adiunctione, vel conditione, ſeu dependentia à libero arbitrio creato, qua liberum eſt; ſicuti eſt voluntas creandi cœlum & terram, & ordinem rerum, quæ fuit in prima mundi conſtitutione.

Et huic diuinæ voluntati nemo impedimentum inferre poteſt, de qua Geneſ. 50. verſ. 19. Num Dei reſiſtere poſſumus voluntati? *Et Heſteræ 13. verſ. 9.* Domine Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati. *Iſaiæ 46. verſ. 10.* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Et Sanctus Auguſtinus in Enchirid. ad Laurent. cap.* 96. Non ob aliud veraciter Deus vocatur omnipotens, niſi quicquid vult, poteſt, nec voluntati cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

Hinc iam manifeſtum eſt, quare cum Deus omnibus cupiat & velit ſalutem, non omnes conſequantur ſalutem: quia quam Deus requirit conditionem, non implent, nimirum, vt eius præceptis morem gerant, Matthæi 7. verſ. 21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. *Matthæi 19. verſ.* 17. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 1. *Theſſ. 4. v. 3.* Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.

Idcirco Deus iure cum illis expoſtulat, quibus cum ille tam amanter, & benignè velit ſalutem, ipſi ſibi illam

tam nequiter & obſtinatè nolint, & abiiciant. Prouer. 1. verſ. 24. Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. *Iſai. 65. v. 12.* Vocaui, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis. *Quod iterum inculcat cap. 66. v. 4. Et Ierem. 7. v. 13. & 23. Hoſea 13. v. 9.* Perditio tua Iſrahel, tantummodo in me auxilium tuum. *Matth. 23. v. 37.* Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

Et quamuis impius diuinæ obnitatur voluntati, ſuã tamen Deus de eo facit voluntatem, & eius mala volũtate bene vtitur, Geneſ. 50. v. 20. ait S. Ioſeph. fratribus proditoribus ſuis: Vos cogitaſtis de me malum: ſed vertit illud Deus in bonum, vt exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſaluos faceret multos populos. *Prouerb. 16. v. 4.* Vniuerſa propter ſemetipſum *(ſuam gloriam)* operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum: *id eſt, hominem, qui ſe ſua improba voluntate impium fecit, & Deus ad diem vltionis & vindictæ deſtinauit, & ad demonſtrandam in eo iuſtitiam ſuam, vt docet Apoſtolus Roman. 4. v. 22.* Quod ſi, *inquit,* Deus volens oſtendere iram *(iuſtitiam vindicem)* & notam facere potentiam ſuam *(qua cum omnia animalia, tũ etiam poſſit de malis bene facere)* ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordię, quę præparauit in gloriam. *Quid ſcil. dicemus?* Deus quaſdam voluntates ſuas, *ait S. Auguſtinus in Enchirid. ad Laurent. cap.* 101. vtique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas, ſicut

per

per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris, Chriſtus pro nobis occiſus eſt. *Et cap.*100. Propterea magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius. *Pſalm.*110.*v.*2. Vt miro & ineffabili modo non fiat pręter eius volũtatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi nõ ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens, Nec ſineret bono fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.

Quæ cum ita ſint, nihil rectius, aut melius facere poſſumus, quàm inuictæ voluntati Dei, noſtram penitus ſubmittere & accommodare; & dicere cum Heli 1. *Reg.* 3.*v.*18. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. *& cùm Ioab* 2. *Reg.* 10.*v.*12. Dominus faciat, quod bonum eſt in conſpectu ſuo. *Et ibidem cap.*15.*v.*26. *cum Dauide:* Si dixerit mihi Dominus: Non places, præſto ſum, faciat, quod bonum eſt coram ſe. *Et cum Iuda Machabæo,* 1. *Mach.* 3.*ver.*60. Sicut voluntas fuerit in cœlo, ſic fiat. *Et cum Saluatore Ioan.*6.*v.*38. Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. *Et Matth.* 26. *v.*42. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. B. *Cyprian. has poſtremas citans in tract. de oratione Dominica ſententias, & 3. eius explanans petitionem.* Fiat voluntas tua. Quod ſi filius, *inquit*, obaudiuit, vt faceret Patris voluntatem: quanto magis ſeruus obaudire debet, vt faciat Domini voluntatem? Voluntas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit, & docuit: Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecũdia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo, quod Pater eſt; timere ꝙ Deus

eſt: Chriſto omnino nihil præponere: quia nec nobis quicquam ille præpoſuit, caritati eius inſeparabiliter adhærere, cruci eius fortiter, ac fidenter aſsiſtere; quando de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone cō-ſtantiam, qua confitemur, in quæſtione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem Patris adimplere. *Iſta S. Martyr & Epiſcopus Cyprianus Doctor ſuauiſſimus, quaſi Chriſtianæ religionis tradens Breuiarium.*

Non noſtra Domine voluntas, quæ vitio ſuo praua eſt, ſed tua, quæ natura bona eſt, & de nobis & a nobis perficiatur, tua enim voluntas ſanctificatio noſtra, & ſalus noſtra. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Capvt XXIV.

DE DEI OMNIPOTENTIA.

D*Eus eſt omnipotens, ita vt omnia poſſit efficere, quæ vt fiant, non repugnat.* De omnipotentia Dei & iuſtitia dubitare dementis eſt, *ait S. Aug. lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Eſt hac Dei omnipotentia infinita perfectionis:* Voluntas enim & potentia Dei, ipſe Deus eſt, *vt inquit S. Aug. lib. 7. Conf. c. 4. Hinc Gen. 43. v. 14.* Deus meus omnipotens faciat eum vobis placatum, *Sap. 11. v. 18.* Non impoſsibilis (*impotens aut in anguſtias redacta*) erat omnipotens manus tua, quę creauit orbem terrarum ex materia inuiſa (*informi*) *Matth. 19. v. 26.* Apud Deum omnia poſsibilia ſunt. *Luc. 1. v. 37.* Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum, *i. nihil non cadit ſub diuinam potentiam. S. Auguſt. ſerm.*

119. *de*

119. *de Temp. c.* 1. Omnipotens eſt ad facienda maiora & minora. Omnipotens eſt ad cœleſtia & terreſtria. Omnipotens eſt ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens eſt ad facienda ſpiritalia & corporalia. Omnipotens eſt ad facienda viſibilia & inuiſibilia: magnus in magnis, vir paruus in minimis. Poſtremo omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ voluerit.

Neque ſolum cuncta Deo ſunt poßibilia, ſed & factu prompta & facilia: quia quod vult, è veſtigio exiſtit, Pſ. 148. *v.* 5. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. *Quid expeditius verbo, nutu, voluntate? Geneſ.* 18. *v.* 14. Nunquid Deo quicquam eſt difficile? 1. *Reg.* 14. *v.* 6. Non eſt Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis. *Hierem.* 32. *v.* 17. Heu, heu, heu Domine Deus, ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum.

Multa tamen non facit Deus, quæ facere poteſt. Eſt enim comparatione, & reſpectu ad voluntatem duplex Dei voluntas ſecundum S. Thom. 1. *Par. q.* 25. *artic.* 5. *& alios Theologos, altera abſoluta per ſe, ac ſeorſim à voluntate Dei ſpectata, & hac poßet facere, quæ non facit, altera ordinaria, & diuinæ voluntatis decreto coniuncta, quæ omnia producit. Vtramque inſinuauit Saluator Dei potentiam, Matthæi* 26. *verſ.* 53. *cum ait Petro*: An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? *Et S. Aug. in Enchirid. ad Laurent. cap.* 95. Tunc in clariſſima luce ſapientiæ (beatis hominibus) videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur, quàm certa, & immutabilis, & efficaciſsima ſit voluntas Dei,

Dei, quam multa poſsit, & non velit, nihil autem velit, quod non poſsit, quanquam ſit verũ, quod in Pſalmo 113. v. 11. canitur: Deus autem noſter in cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit. Et quod eſt indignius, ideo nõ fecit, quoniam, ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.

Dicuntur autem aliqua Deo impoſſibilia: quia non in Dei potentiam & actionem veniunt, ſed in defectionem ipſius Dei, & interitum. De quibus hũnc in modũ loquitur S. Auguſtinus Tom. 9. de Symb. ad Catech. lib. 1. cap. 1. Deus omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens, mori non poteſt, 1. Tim. 1. v. 17. falli nõ poteſt, Gal. 6. v. 7. mentiri non poteſt, Heb. 6. v. 18. Et quod ait Apoſtolus 2. Tim. 2. v. 13. negare ſeipſum non poteſt. Quam multa non poteſt, & omnipotens eſt? Et ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens; ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi inique agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens. Prorſus omnipotens Pater noſter peccare non poteſt. Facit, quicquid vult, ipſa eſt omnipotentia. Facit, quicquid bene vult, quicquid iuſtè vult, quicquid autem malè fit, non vult. Nemo reſiſtit omnipotenti, vt non quod vult, faciat. Ipſe fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, inuiſibilia & viſibilia.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt ad tua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

* * *

CAP.

CAPVT XXV.

DE DEI PROVIDENTIA.

E*Vſebius lib. 8. præparat. Euangelicæ c. 5: de Dei prouidentia ex Philone diſputat:* Prouidentia, *vt inquit S. Tho. 1. P. q. 32. ar. 1.* eſt ratio ordinis rerum in finem. *Quod mutuatus videtur ex S. Ioanne Damaſ. lib. 2. orth. fidei c. 29.* Prouidentia, *inquit*, eſt voluntas Dei, propter quam omnia ſuſcipiunt ordinem conuenientem, & ad ſuos fines deductionem. *Iob 5. v. 6.* Nihil in terra ſine cauſa fit. *S. Dauid paterna Dei prouidentia nixus:* Dominus, *ait Pſal. 22. v. 1.* regit me, & nihil mihi deerit. *Et vt ſimiliter faciamus, hortatur Pſalm. 54. v. 23.* Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternũ fluctuationem iuſto. *Eius animi vel corporis commotionem & iactationem in tranquillitatem conuertet. Atque ex hoc fonte hauſit S. Petrus 1. ep. 5. ver. 6. 7.* Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis: omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

Et quomodo non curaret Deus hominem, cui & ſunt curæ animantes? quo argumento vtitur Saluator Matt. 6. v. 26. Reſpicite, *ait*, volatilia cœli, quoniam nõ ſerunt, neque metunt, neq; congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? *Quam in ſententiam commentans S. Hieronymus:* Quod ſi volatilia, *inquit*, abſque cura & ærumnis, Dei aluntur prouidentia, quæ hodie ſunt, & cras nõ erunt; quorum anima mortalis eſt, & cum eſſe ceſſauerint, ſemper non erunt: quanto magis homines, qui-

bus

bus æternitas promittitur, Dei reguntur arbi-
trio? *Quam prou damDei benignitatem & benignam prouidentiam admiratur Dauid Pſal.* 35.v.8. Homines, *ait*, & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuã Deus: *quaſi exclamaret:* O Deus, *quam magna & multa eſt bonitas tua, qua non modo homines & pecudes, ſed etiam improbos homines conſeruas, vitam iis, victum, & ſanitatem tribuens.*

Eandem Dei prouiſionem erga ſingulos etiam homines, & eximiam ac ſingularem beneficentiam ſtupebat S.Aug. li.4. Conf. c.11. vbi hunc in modum exclamat: O tu bone omnipotẽs, qui ſic curas vnumquẽq; noſtrũ, tanquã ſolum cures, & ſic omnes tanquã ſingulos. Quoniam, *vt eſt Sap.* 6.v.8. puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter illi cura eſt de omnibus. *Prorſus nihil eſt, quod ſub diuinam non cadat prouidentiam, cum res vniuerſa, tum vt ſint, tum vt conſeruentur, tum vt operentur, neceſſariò ab illo pendeant,* qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit, *Sap.* 11.v.21. *Dei Opt. Max. prouidentia cuncta adminiſtrari egregiè probat S.Aug. li.* 5. *de Gen. ad lit, c.*21. Nec omnino audiendi ſunt, *ait*, qui putauerunt ſublimes quidem mundi partes, id eſt, à confinio corpulentioris aeris huius, & ſuprà diuina prouidentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam, & humidam, aeriſque huius vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti nubeſque conſurgunt caſibus potius & fortuitis molibus agitari. Cõtra hos enim loquitur Pſalmus 148.v.7. qui cum explicaſſet laudem cœleſtium, ſe etiam ad iſta inferiora cõuertit, dicens: Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſsi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum eius. Nihil e-

nim tam videtur caſibus volui, quam omnes iſtæ procelloſæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris, quod non immerito etiam terræ nomine deputatum eſt, facies variatur, & vertitur. Sed cum addidit: Quæ faciunt verbum eius; ſatis oſtendit earum quoque rerum ordinem diuino ſubditum imperio, latere nos potius, quàm vniuerſitatis deeſſe naturæ. Quod autem ore ſuo Saluator dicit Matth. 10. v.29. vnum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate: & cap.6.v.30. quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: nonne confirmat, non ſolum iſtam totam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verumetiam viliſsimas eius abiectiſsimasq; particulas diuina prouidentia regi?

Et quid magis fortuitum videtur, quam ſortitio? Et tamen hæc, nonniſi à Deo moderatum conſequitur effectum. Prouerbiorum 16.verſ. 33. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. *Ad verbum Hebraïs eſt: In gremium conÿcitur ſors, & à Domino omne iudicium eius, ſiue tota ratio eius: quia Dominus occulta ſua æquitate cuique euentum diſponit & attribuit.*

EandemDei prouidentiam etſi vel videantur, vel conentur euadere improbi, quandoquidem vt peccent nolit Deus, non tamen euadunt, ſed qua via egrediuntur per culpam, redire coguntur per pœnam, quod his verbis eleganter docet Sanctus Auguſtinus libro de Agone Chriſtiano capite ſeptimo: Quis forte quærat, *inquit*, quomodo fiat, vt corpus noſtrum ſeruituti ſubiiciamus, facile intelligi & fieri poteſt, ſi prius noſmetipſos ſubiiciamus DEO bona voluntate, & charitate ſincera: nam omnis creatura velit, nolit, vni Deo & Domino ſuo ſubie-

ſubiecta eſt. Sed hoc admonemur, vt tota voluntate ſeruiamus Domino Deo noſtro: quoniam iuſtus liberaliter ſeruit: iniuſtus autem compeditus ſeruit. Omnes tamen diuinæ prouidentiæ ſeruiunt, ſed alij obediunt tanquam filij, & faciunt cum ea, quod bonum eſt; alij verò ligantur, tanquam ſerui, & fit de illis, quod iuſtum eſt. Ita Deus omnipotens, Dominus vniuerſæ creaturæ, qui fecit omnia, ſicut ſcriptũ eſt, Geneſ. 1. v. 31. bona valde, ſic ea ordinauit, vt & de bonis & de malis benefaciat. Quod enim iuſtè fit, bene fit. Iuſtè autem ſunt beati boni, & iuſtè mali pœnas patiuntur. Ergo & de bonis, & de malis benè facit Deus, quoniam iuſtè omnia facit. Boni autem ſunt, qui tota voluntate Deo ſeruiunt, mali autem neceſsitate ſeruiunt; nemo enim leges Omnipotentis euadit. Sed aliud eſt facere, quod lex iubet, aliud pati, quod lex iubet. Quapropter boni ſecundum leges faciunt, mali ſecundum leges patiuntur. Nec nos moueat, quod in hac vita ſecundum carnem, quam portamus, iuſti multa grauia & aſpera tolerant: nihil enim mali patiuntur, quia iam poſſunt dicere, quod vir ille ſpiritalis exultans prædicat Apoſtolus Paulus dicens Rom. 5. v. 3. 4. 5. Gloriamur in tribulationibus, ſcientes; quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Si ergo in hac vita, vbi tanta tormenta ſunt, poſſunt boni & iuſti viri, cum talia patiuntur, non ſolum ęquo animo tolerare, ſed etiam in caritate in Deo gloriari: quid cogitandum eſt de illa vita, quæ nobis promittitur, vbi nullam de corpore moleſtiam ſentiemus?

mus? *Et ideo bonis nihil nocent mali: quia hoc eis auferunt, quod non diligunt: nam quod diligunt, & vnde beati ſunt, auferre illis nemo poteſt.*

Cum ergo & capilli capitis noſtri numerati ſint, Matthai 10. verſ. 30. in quacunque rerum conuerſione ſapientiſſima Dei conſilia, quantumuis nobis occultiſſima ſuſpiciamus, & nos totos eius voluntati permittamus: nam in manu illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſciẽtia, & diſciplina, *Sap. 7. v. 16. monitoque Salomonis Eccleſ. 5. v. 5. obſecundemus:* Ne dicas coram Angelo: Non eſt prouidentia: ne forte iratus Deus contra ſermones tuos diſsipet cuncta opera manuum tuarum.

Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueat, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

CAPVT XXVI.

BREVIS DICTORVM COMplexio.

Multa hactenus de Deo eiuſque natura, & maieſtate explicata ſunt, & ille ſolus ſe & noſſe, & pro creaturæ captu manifeſtare poteſt, quã compendio & laconiſmo quodam S. comprehendit Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 4. vbi ſic Deum alloquitur: Quid es Deus meus? quid rogo, niſi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum? Pſal. 17. 32. Summe, optime, potentiſsime, omnipotentiſsime, miſericordiſsime, & iuſtiſsime ſecretiſsime, & præſentiſsime, pulcherrime & fortiſ-

fortiſsime, ſtabilis & incomprehenſibilis, immutabilis, mutans omnia, nunquam nouus, nũquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt: ſemper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, portans & implens, & protegens, creans & nutriens, & perficiens: quæris, cum nihil deſit tibi; amas nec æſtuas: zelas & ſecurus es: pœnitet te, & non doles: iraſceris & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſilium; recipis, quod inuenis, & nunquam amiſiſti. Nũquam inops, & gaudes lucris: Nunquam auarus, & vſuras exigis. Supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita, nulli debens: donas debita nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus vita mea, dulcedo mea ſancta, aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? Et væ tacentibus de te: quoniam loquaces muti ſunt. *Atque hæc de diuinis attributis, & proprietatibus, quæ eius ſimpliciſſimæ ſunt natura obiter ac ſtrictim attigiſſe, noſtro inſtituto eſt ſatis: nam ſanctiſſimæ Trinitatis ope, de iis integrum meditamur volumen, quod & maiorem partem confectum eſt.*

Magnus es Domine & laudabilis, valde magna virtus tua, & ſapientiæ tuæ non eſt numerus. Qui nos homines aliquam creaturæ tuæ portionem ad te laudandum excitas, adiuua vt à tua laudatione, nec opere, nec ore, nec corde vnquam ceſſemus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

* * *

CAP.

CAPVT XXVII.

CVR DE DIVINITATE, EIVSque Maieſtate ſint iſta diſſerta.

CVm Pater ſit Deus, & Filius ſit Deus, & Spiritus Sanctus ſit Deus, & hi tres non niſi vnus Deus, nobis de beatiſſima Trinitate tractaturis nunc vberius, iſta vtique præmittenda, ac prælibanda fuêre, quæ eò viam muniunt, vbi & præſtantiſſimorum Theologorum veſtigiis inſtitimus.

Deinde nobis propoſitum eſt & conſtitutum, Lectorem ad auguſtiſſimæ Triadis religionem cultumque prouocare & inflammare, ad quod cumprimis neceſſaria eſt diuinæ præſtantiæ cognitio, quod ſic oſtenditur: Religioni, quæ virtus eſt, illud proprium, vt Deo cultum reddat tantæ maieſtati debitum, tum ob eius præſtantiam & excellentiam, tum ob beneficia, quæ accepimus, & quotidie accipimus. Huius religionis interior actus eſt deuotio, hoc eſt, prompta paratáque voluntas exequendi ea, quæ ad diuinum pertinent cultum: tum animo ad Deum laudandum, precandum, meditandum, tum corpore ad poplites flectendum, manus extendendum, oculos ſubleuandum, & id genus alia. Duplicem huius deuotionis cauſam aſſignat S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3. Alteram externam & principalem Deum, alteram adiuuantem & internam contemplationem, eamque bipartitam, tum diuinæ bonitatis, tum noſtrorum vitiorum & defectuum. *Deus ſicut aliarum virtutum omnium: ita & deuotionis cauſa eſt:* Quid enim habes, *ô homo*, quod non accepiſti? 1. Cor. 4. v. 7. Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Iacob. 1. verſ. 17. *Et quomodo velles te tradere totum, & mancipare diuino obſequio*, qui ex te ad hoc cogitandũ

idoneus non es. 2.*Cor.*3.*v.*17. ſed hæc ſufficientia ex Deo eſt, *qui pollicetur Zach.* 12.*v.*10. Effundam ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum. Ipſe enim Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, *Rom.*8.*v.*26. poſtulat, *id eſt*, poſtulare facit, *vt docet S. Auguſt. epiſtola* 121. *cap.* 15. *Rectè ergo S. Ambroſ. Comment. in cap.* 9. *S. Lucæ:* Deus, *ait*, quos dignatur, vocat, & quem vult, religioſum facit, & ſi voluiſſet, Samaritanos ex indeuotis deuotos feciſſet. *Ille idcirco obſecrandus, vt ſpiritum pietatis nobis largiatur, & dabit vtique, quia promiſit Matth.*7.*ver.*7.*Ioann.*14.*v.*13. *Interna verò deuotionis cauſa eſt contemplatio, eaque duplex: altera diuinæ excellentiæ & benignitatis, ex qua, tanquam perenni & affluente fonte largiſſimæ aquæ, ita in nos innumera & maxima promanant beneficia & dona. Sic enim cernimus ipſum omni cultu digniſſimum, & hunc à nobis ipſius munera iuſtiſſimè flagitare. Vſus id quotidianus docet, vt quanto Princeps eſt præcellentior & benignior, tanto illi demiſſiora & promptiora deferantur obſequia. Altera meditatio noſtræ indigentiæ, & calamitatis, ex qua præter Deũ nemo nos poteſt liberare, quod vt conſequamur, intelligimus quam decens & vtile ſit illi obſequi & famulari.*

Hanc ergo ob cauſam de præcellentiſſima Dei natura, de infinita illius bonitate, perfectione, ſapientia, omnipotentia, immenſitate, æternitate, ſimplicitate, vnitate & id genus aliis breuiter diſputatum eſt, vt ſummæ illi virtuti, etiam citra commodum noſtrum, omnem amorem, timorem, obſeruantiam, & cultum impertiẽdum cognoſceremus, & re ipſa præſtaremus. Iam verò cum & idem Deus Opt. Max. S. Trinitas ex nihilo nos creauit, corpus, animum, vires, ſenſus, intelligentiam, voluntatem, memoriam, gratiam, virtutem tribuerit, in filios & hæredes adoptarit, conſeruarit, gubernarit,

ſuſtenta-

ſuſtentarit, Vnigeniti Filij ſui ſanguine redemerit, donis Sancti Spiritus locupletauerit, & omnibus bonis cumulauerit, perpendamus, quot, quantiſque nominibus ad illum diligendum, venerandumque obligati ſimus, ne cum ſupplicio noſtro aliquando audiamus, Deut. 32. *v.* 5. 6. Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? *Et Iſa.* 1. *v.* 2. Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. *Et Malach.* 1. *v.* 6. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?

Da, quæſumus omnipotens Deus, vt ſicut maieſtatem tuam fide cognouimus, ſic piis cogitationibus eam ſanctis ſermonibus, & dignis factis ſemper veneremur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

F 3 LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Summa diuinarum Perſonarum Trinitate.

Capvt I.

QVOD VNVS ILLE DEVS SINT tres Perſonæ, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

S*Anctus Auguſt. ſuum. de vnitate Trinitatis contra Manichæos librum ſic exorditur:* Vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, inuiſibilis, incõprehẽſibilis, inenarrabilis, inuiolabilis, incoinquinabilis, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilẽ, 1. Tim, 6. Ipſe lumẽ verum, vita & veritas, bonus, ſummus, & quæcunque de illo humanus ſermo poterit enunciare, quæ tamen ab illo dantur, vt aliquo modo dici poſsint. Ex quo omnia, per quem omnia, *Rom.* 11. *v.* 36. Siue Sedes, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, & omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, *Coll.* 1. *v.* 16. Sicut in vtroque Teſtamento humilibus & piè quærentibus manifeſtatur: Ipſi gloria & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen. *Et Serm.* 1. *de verbis Apoſtoli c.* 2. Pater, & Filius, & Spiritus

ritus Sanctus, vnus omnipotens Deus, vnus in Trinitate, vnus in poteſtate, vnita Trinitas, ſempiterna maieſtas, vnum potens per omnia, & Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate conſiſtit; ſed nec Trinitas diuiditur, nec vnitas ſeparatur, in quo omnia.

Et quidem de diuinitatis vnitate, pauca pro eius dignitate, ſed ſatis multa pro inſtituti operis breuitate, diximus: nunc eodem Numine propitio, de perſonarum Trinitate agendum: & quod ille vnus Deus ſit Trinitas, & Trinitas ſit ille vnus Deus exponendum. Hoc enim Sanctis Patribus, vt docerent, propoſitum fuit, de quibus Sanctus Auguſtinus libro 1. *de Trinitate capite* 4. *& habetur de Conſecrat. diſtinct.* 3. *cap.* 30. *Omnes quos. &* 1. *S. diſtinct.* 2. Omnes, *inquit*, quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, diuinorum librorum, veterum, & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt ſecundum Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, inſeparabili æqualitate diuinam inſinuent vnitatem. Ideoque non ſint tres Dij, ſed vnus Deus, quamuis Pater Filium genuerit: Filiusque à Patre ſit genitus, & ideo non ſit Pater, qui Filius eſt, Spirituſque Sanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed tantum Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem: non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine MARIA, & ſub Pontio Pilato crucifixam, & ſepultam, tertio die reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ſed tantummodo Filium. Nec eandem Trinitatem deſcendiſſe in ſpecie columbæ ſuper IESVM baptizatum, Matthæi 3. ver. 16. Ioannis 1. verſ. 32. aut die Pentecoſtes poſt aſcenſionem Domini, ſonitu facto de cœlo

quaſi ferretur flatus vehemens, & linguis diuiſis velut ignis, ſediſſe ſuper vnumquemque eorum, ſed tantummodo Spiritum Sanctum, Act. 2. v. 2. Nec eandem Trinitatem dixiſſe de cœlo: Tu es Filius meus, ſiue cum baptizatus eſt à Ioanne, Mar. 1. v. 11. Siue in monte, quando cum illo erant tres diſcipuli, Matth. 17. v. 5. aut quando ſonuit vox dicens Ioann. 12. v. 28. Et clarificaui & iterum clarificabo: ſed tantummodo Patris vocem fuiſſe ad Filium factam, quamuis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſicut inſeparabiles ſunt, ita & inſeparabiliter operētur. Hæc etiam mira fides eſt, quoniam hæc eſt Catholica fides.

S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr lib. de Trinitate, ſeu in expoſitione fidei: Vnus, *ait*, reuera eſt huius vniuerſitatis Deus, qui in Patre & Filio & Spiritu Sancto cognoſcitur. *Anaſtaſius Syanites lib. 1. de recta fidei dogmatibus:* Trinitatem, *inquit*, dicimus, non eſſentiarum, ſed perſonarum: Vnum enim Deum glorificamus, non numero perſonarum, ſed natura.

S. Gregorius hom. 27. in Ezech. Vnum eſſe Deum Trinitatem, & Patres veteris Teſtamēti, & Prędicatores profeſsi ſunt noui Teſtamenti.

De Summa Trinitate & fide Catholica, Innocent. III. cap. 1. Firmiter, *inquit*, credimus, & ſimpliciter confitemur, quod vnus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens & ineffabilis, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura omnino ſimplex. Pater à nullo, Filius à Patre ſolo, ac Spiritus Sanctus pariter ab vtroque: abſque initiô, ſemper ac ſine fine. Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens: cōſubſtantia-

ſtantiales, coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: Vnum vniuerſorum principium, creator omnium viſibilium & inuiſibiliũ, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Hæc ſancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, & ſecundum perſonales proprietates diſcreta. *Hæc magnum Conc. Lateran.*

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis: Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis: Spiritus S. Deus, miſerere nobis: Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis, vt elutis peccatorum ſordibus pura tibi mente ſeruiamus.

CAPVT II.

GENESIS, SIVE LIBRI PRIMI Moſis ſanctiſſima Trinitas declaratur.

BEatus Theodoretus lib. 2. ad Græcos aſfirmat, Deum in veteri Teſtamento noluiſſe explicatè & apertè Summæ Trinitatis myſterium proponere, vt cuius Iudæi capaces non erant, tum, quia recens ex Aegypto exierant, vbi multi colebantur dij, tum, quia intraturi erant in terram Chanaan, vbi ſimiliter multi habebantur dij, ne videlicet putarent ſibi etiam tres deos proponi venerandos: voluiſſe tamẽ Deum multis modis hoc myſterium adumbrare, vt cum in nouo Teſtamento prædicaretur, non videretur omnino nouum, vel veteri Teſtamento repugnans.

Etſi autem vulgo hoc myſterium manifeſtò non pate-

fecerit Deus, clarè tamen S. Patriarchis, Prophetis & aliis ſanctitate illuſtribus viris declarauit, vt paulò poſt oſtendetur, & affirmat Sanctus Ioannes Chryſoſt. hom. de S. Trinitate: Sciuerunt Iudæi Patrem, & Filiũ, & Spiritum Sanctum vnius eſſe Deitatis & potentiæ, ſciuerunt & quæ illi ſeruiebant, prouocare ad glorificandum Deitatem. *S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus lib. de fide ad Petrum cap.* 1. Fides, *inquit*, quam Sancti Patriarchæ & Prophetæ ante Incarnationem Filij Dei diuinitus acceperũt, quam etiam Sancti Apoſtoli ab ipſo Domino in carne poſito audiuerunt, & Spiritus Sancti magiſterio inſtructi, non ſolum ſermone prædicauerunt, verumetiam ad inſtructionem ſaluberrimam poſterorum, ſcriptis ſuis inditam reliquerunt; vnum Deum prædicat Trinitatem, id eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. *Et S. Gregorius hom. 16. in Ezech.* Sicut per Paulum dicitur 2. Cor. 4. v. 13. Habentes eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt Pſ. 115. Credidi, propter ꝙ locutus ſum. Et nos credimus, propter quod & loquimur. Spiritales quippe illi Patres omnipotentem Deum Trinitatem ita eſſe crediderũt, ſicut eandem Trinitatem noui Patres apertè loquuntur. *Quod deinde Iſa. 6. & Dauidis Pſal. 66. teſtimoniis comprobat, de quibus hoc eodem libro vberius tractabimus:* Sciuit Moſes in S. Trinitate, *ait B. Cyrill. Alex. lib. 4. contra Iulianum:* venerabilem, & vnam Deitatis naturam, & ob hanc rationem interdum ſingulari vtitur numero, & interdum plurali. *Sed ad veteris inſtrumenti documenta plura & argumenta, dictrice Sancta Trinitate, tranſeamus.*

Et quidem Geneſ. 1. ter diuina Trias nobis innuitur & monſtratur. Qua de re Sanctus Auguſt. l. 1. de Geneſi ad literam cap. 6. Quemadmodũ *ait*, in ipſo exordio in-

dio inchoatæ creaturæ, quę cœli, & terræ nomine, propter id, quod de illa perficiendum erat, commemorata eſt: Trinitas inſinuatur Creatoris: nam dicente Scriptura: In principio fecit Deus cœlum & terram: intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in Principij nomine (qui interrogatus quis eſſet, Ioann. 8. v. 25. reſpondit Principium, qui & loquor vobis) & dicẽte Scriptura: Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Completam Trinitatis commemorationem agnoſcimus. Ita & in conuerſione atq; perfectione creaturæ, vt rerum ſpecies digerantur, eadem Trinitas inſinuatur: Verbum Dei ſcilicet, & Verbi generator, cum dicitur: Dixit Deus, & ſancta bonitas, in qua Deo placet, quicqnid ei pro naturæ ſuæ modulo perfectum placet, cum dicitur: Vidit Deus, quia bonum eſt. Amor & bonitas Spiritui Sancto tribuuntur. *Et lib. 13. Confeſſ. cap. 5. idem Sanctus Auguſtinus ita Sanctam Trinitatem alloquitur:* Ecce apparet mihi in ænigmate Trinitas, quod es Deus meus, quoniam tu Pater in principio, quod eſt tua ſapientia de te nata, æqualis tibi & coæterna, id eſt, in filio tuo feciſti cœlum & terram. Tenebam Patrem in Dei nomine, qui fecit hæc, & filium in principij nomine, in quo fecit hæc, & Trinitatem credens Deum meum, ſicuti credebam, quærebam in eloquiis ſanctis eius, & ecce Spiritus tuus ſuperferebatur ſuper aquas, ecce Trinitas D E V S meus Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, creator vniuerſæ creaturæ.

Rurſum idem B. Aug. l. 11. de Ciu. Dei c. 24. In operibus, *inquit*, Dei, ſecreto quodã loquendi modo, quo noſtra exerceatur intentio, nobis inſinuata intelligitur Trinitas, vnamquamq; creaturam quis

quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur Verbi, qui dixit, vt fiat. Quod autem illo dicente factum eſt, procul dubio per Verbum factum eſt. In eo verò quod dicitur: Vidit Deus, quia bonum eſt: Satis ſignificatur Deum nulla neceſsitate, ſed ſola bonitate feciſſe, quod factum eſt, id eſt, quia bonũ eſt, quod ideo poſtquam factum eſt, dicitur, vt res quæ facta eſt, congruere bonitati, propter quam facta eſt, indicetur. Quæ bonitas, ſi Spiritus Sanctus rectè intelligitur, vniuerſa nobis Trinitas in ſuis operibus intimatur. Inde eſt ciuitatis ſanctæ, quæ in Sanctis Angelis ſurſum eſt, & origo, & informatio, & beatitudo. Nam ſi quæratur, vnde ſit? Deus eam condidit. Si vnde ſit ſapiẽs? à Deo illuminatur. Si vnde ſit fœlix? Deo fruitur, ſubſiſtens modificatur, contemplans illuſtratur, inhærens iucundatur, eſt, videt, amat: in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

Sed tertia ſententia multo illuſtrius diuinam nobis Trinitatem *indicat: Moſes c.1. v.26. & 27. Ait Deus:* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Et*: Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. *S. Epiphanius in Ancorato:* Non dixit, ſecundum imaginem meam, aut ſecundum imaginem tuam, ſed Patris, & Filij, & Sancti Spiritus vnam eſſentiam indicauit, & Deitatem: dicit enim ſecundum imaginem noſtram, & ad ſimilitudinem, vt ſit quidem vna Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Deitas: homo verò factus ſit ſecundum imaginem vnius Deitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Et Cyrill. Alex. lib.1. contra Iulianum:* Moſes, *ait*, à Spiritu Sancto eruditus ipſam dixit Sanctam Trinitatem ſibiipſi locutam. Faciamus hominem ſecundum imaginem

ginem noſtram & ſimilitudinem, vt ad totam intelligatur formatus, mentaliter videlicet, ineffabilem Deitatis naturam. *Deus nobiliſsimam conditurus creaturam quaſi cum Filio & Spiritu Sancto deliberat, vt hominis præſtantia ſignificetur, vt notauit S. Baſil. hom. 9. & 10. in Hexæm. & B. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Iulianum, ac S. Chryſ. ſerm. de S. Trin. ac B. Gregor. libr. 9. Mor. cap. 27. Ex hoc Geneſeos loco volens demonſtrare. S. Auguſtinus lib. 12. de Trinitate c. 6. hominem non ad vnius diuinæ perſonæ imaginem conditum, ſed totius* S. Trinitatis, *ſic diſſerit: Dixit Deus:* Faciamus hominem ad imaginem noſtrã. *Paulo poſt autem dictum eſt*: Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Noſtram certè, quia pluralis eſt numerus, non rectè diceretur, ſi homo ad vnius perſonæ imaginem fieret, ſiue Patris, ſiue Filij, ſiue Spiritus Sancti, ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis: propterea dictum eſt, ad imaginem noſtram. Rurſus autem, ne in Trinitate credendos arbitremur tres Deos, cum ſit eadem Trinitas, vnus Deus: Et fecit, *inquit*, Deus hominem ad imaginem Dei, pro eo; ac ſi diceret ad imaginem ſuam. Deinde ſi hominem Pater non ad ſuam, ſed ad Filij fecit imaginem, cur non ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam, ſed ait, Noſtram; niſi quia Trinitatis imago fiebat in homine, vt hoc modo homo eſſet imago vnius veri Dei, quia ipſa Trinitas, vnus verus Deus eſt? *Quam interpretationem etiam adhibet S. Auguſt. lib. 3. de Geneſ. ad literam cap. 19. Deus autem qui operatur omnia ſecũdum cõſilium voluntatis ſuæ, Eph. 1. v. 11.* in hominis creatione, idcirco indicium fieri voluit S. Trinitatis, quia in homine expreſsior eſt, atque illuſtrior Summæ Trinitatis imago quam in rebus aliis (*Angelos excipio*) cernatur. *Sed & Procopius Gazæus*

*Zæus ad cap.*1.*Geneſ.v.*26.Faciamus hominem,&c. Dura,*inquit*,ora,quæ audent negare eſſentię diuinæ perſonas. Non enim,inquit,fiat homo,ſed faciamus hominem. Nō angelis cum continuo inferat ad imaginem noſtram. At nō vna imago eſt Dei & Angelorum: Sanctæ verò Trinitatis vna eſt imago, diuinitùs conſiderata & perpenſa in vnitate vel proprietate diuinitatis. Nam,inquit,Ioan.10. v. 30. Ego & Pater vnum ſumus. & Ioann.14.v.9. Qui videt me, videt & Patrem meum. Itaq; Filio dicit,per quem fecit & ſæcula, Heb.1.v.2. Spiritui Sācto dicit, per quem firmatæ ſunt virtutes cœlorum, Pſal.32.v. 6. & quem orbem terrarum impleuiſſe teſtatur. Sap.1.v.7. Si vna eſt imago Deitatis,quomodo quidā audet diſsimilē eſſe Filiū aut Spiritū S. diſſerere? Multitudinem quidem perſonarū Scriptura ſignificat, verū vbiq; vnam imaginē Trinitatis cōmemorat. *Et in Geneſi plura ſunt teſtimonia,quibus plures in vna diuinitate monſtrātur perſonæ.Gen.* 3. *v.*22. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. *B.Iuſtinus Philoſophus & Martyr in Dialogo cum Tryphone, vbi ait:* Cum dixit Deus: Quaſi vnus ex nobis, & numerum inter ſe colloquentium,& minimum duorum indicauit. *Et cap.*8.*v.*8.*& ſeqq.ipſa Trinitas inſinuatur.Ita enim S.Cypr.ad Nouatianum hæreticum:* Columba,*inquit*,ter emiſſa ex arca, volitans per aerem ſuper aquā,ſignificabat Eccleſię noſtræ ſacramentū,quo in nomine Patris,& Filij,& Spiritus S.baptizamur, vt quod per colūbam figuraliter operata eſt, hæc nunc in Eccleſia Trinitas ſpiritualiter operetur.*Et c.*11.*v.*7. Venite,deſcendamus,& cōfundamus linguā eorū. *S.Chryſ.hom.de S. Trinit.* Dicendo: Venite, pares honore exhortādo vocat. Neq; n. ſi angelus imperaſſet,dicere debuit, venite: ſed imperando, ite.

ite. Vide autẽ, obſecró, quomodo Patris vox Filium & Spiritũ S. vocet. Nam ſi ad vnum ſolum hoc dictum eſſet, debebat dicere: Veni, & deſcẽdamus, & confundamus illorum linguas: quia autẽ dixit: Venite: Vnius eſt vox ad duos honore æquales. *c.18.v.1. & ſeq. Viſus eſt Abrahamo Deus ad quercum vmbræ: Tres vidit, & vnum adorauit ac Dominum appellauit.* In quibus, *ait S. Aug. lib.3. contra Maximinum Arrianorum Epiſc. c.26.* ipſa Trinitas, quæ eſt vnus Deus, intelligi poteſt. Tres vidit, & non Dominos, ſed Dominũ appellat, quoniam Trinitas tres quidem perſonæ ſunt, ſed vnus Dominus Deus. *Gen.19.v.24.* Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo. *Comprobãt hinc Tertull. li. aduerſus Praxeam: & S. Hiero. in c.45. Iſa. & B. Hilar. li. de Synodis ſecundam in Trinitate Perſonam. S. Ignatius epiſt. ad Antioch. B. Chryſ. hom. de S. Trinit. citans hunc locũ:* Dominũ, *ait*, vocat Patrem, Dominũ Filium, Dominũ Spiritum S. ſicut dicit 2. *Cor.* 3. *v.*17. Dominus autẽ Spiritus eſt. *Significatur & myſteriũ S. Trinitatis in illa Dei ſententia, Exod.3.v.6.* Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. *Nomen enim Dei ter repetitum ſignificat vnitatẽ eſſentiæ in tribus perſonis. Rurſum Abraham repræſentat Deum Patrem, Iſaac Filium, Iacob Spiritum S. qui ex Abraham per Iſaac, i. ex Patre per Filium procedit. Et Deut.6.v.4.* Audi Iſrahel, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. *Et in Hebræo Trias in Monade ſignificantius exprimitur:* Audi Iſrahel Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt. *Quibus & addi poßet illa trina benedictio. Num.6.v.24. de qua inferius lib.8.c.20. Ex quibus indubitatum ac manifeſtum euadit, quod ait S. Greg. Nyſſ. ſer. de Trinit. cont. Iudæos, cuius verba ſunt:* Perſpicuè & clarè Sancta Trinitas, Patris, inquam, & Filij, & Spiritus Sancti demõſtrari atq; probari

Digitized by Google

probari poteſt. Quippe huius ad ſeipſum Sanctæ & coeſſentialis Trinitatis eſt illud : Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Atque in pluribus veteris Teſtamenti locis ſenſim & tacite indicante S. Trinitate deprehendi & animaduerti poteſt eius hypoſtaſis, id eſt, repræſentatio perſonarum, & coeſſentialitas vel conſubſtantialitas, hoc eſt vnitas & identitas eſſentiæ & naturæ. *Similiter apertum & euidens, quod affirmat B. Theodoretus Dialogo 1. cum ait:* Dei Patris, & Filij vnigeniti, & Sanctiſsimi Spiritus vnam ſubſtantiam dicimus, quemadmodum à Scriptura tam veteri, quàm noua, & à Patribus, qui Nicææ conuenerunt, edocti ſumus. *Quam diuinæ Trinitatis veritatem nunc pluribus antiquæ legis, iiſque haud paulo illuſtrioribus confirmemus teſtimoniis.*

Sancta Trinitas, quæ inſpirando animum intelligentiæ, voluntatis, libertatis, virtutis, & æternæ felicitatis capacem ad imaginem & ſimilitudinem tuam nos condidiſti, tribue, quæſumus, vt qui eam peccatis deformauimus, tua gratia renouemus, & quotidiana virtutum acceſſione perficiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

CAPVT III.

REGII PROPHETAE, ET S. IOB documentis probatur S. Trinitas.

QVæ ſuperiori capite de S. Trinitate allicimus teſtimonia, ex Geneſeos volumine potiſsimum mutuati ſumus, nunc alia ex duobus ſanctiſsimis ſimul & celeberrimis Prophetis, Dauide ſcilicet & Iobo producamus. Ergo vir ille ſecũdum cor Dei, cui alia incogni-

incognita & occulta ſapientiæ ſuæ decreta, & myſteria manifeſtauit. S. Trinitatem oſtendit 2. Reg. 23. v. 2. dicens: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam: Ecce dicendo Spiritum Domini, & ſermonem & Dominum pronunciat inſeparabilē Trinitatē ait S. Chryſ. ſer. de S. Trinit. *Et Pſ. 50. v. 8. Vniuerſitatis procreationē ſanctiſſ. Trinitati tribuit, dicēs, Pſ. 32. v. 6.* Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Vbi S. Hieronymus in Commentario:* Trinitatis maieſtas manifeſtiſsimè declaratur: Dominus, Verbum, Spiritus Domini: Verbum Patris Filius eſt, cœli firmati ſunt, ſancti Apoſtoli, per ipſum in fide. Verbo Domini cœli firmati ſunt. In ipſo Verbo, quod erat in principio apud Deum, ſiue viſibiles cœli, ſiue Apoſtoli ſunt creati. Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum Paracleto ſcilicet cooperante; horum virtutes cœlorum, creatæ ſunt. In Domino Pater, in Verbo Filius, in Spiritu oris, Spiritus Sanctus declaratur. Et quia dicit, oris eius, non procedens, quaſi minor credatur. Nam ſicut Filius à Patre: & æqualis Patri, ita & Spiritus Sanctus æqualis Patri habetur & Filio. Vel Spiritu oris eius omnis virtus eorum, id eſt, per Spiritum Sanctum virtutes illorum. Quia per Spiritum Sanctum habuerunt diuerſas gratias, id eſt, virtutes. Nam per nos nihil boni habuimus, niſi per ipſum.

Iſta S. Hieronymus: quem & in Commentario eiuſdem Pſalmi 32. conc. 2. aſſectatur. B. Auguſtinus: Verbo Domini cœli firmati ſunt. Audi, *inquit*, vnum opus Filij, & Spiritus Sancti. Verbum certè Filius Dei eſt, & Spiritus oris eius, Spiritus Sanctus eſt. Verbo Domini cœli ſolidati ſunt. Hoc ergo facit Filius & Spiritus Sanctus. Nunquid ſine Patre? Quis ergo facit per Verbum ſuum, & Spi-

ritum ſuum, niſi cuius Verbum eſt, & cuius Spiritus? Trinitas ergo hæc vnus Deus. Hunc adorat, qui nouit adorare, hunc vbique habet, quo ſe conuerterit. Non enim quæritur ab auerſis, ſed ipſe vocat auerſos, vt impleat conuerſos. Subiungit & myſticam expoſitionem de Apoſtolis. Exceptis illis, inquit, cœlis ſuperioribus, habeo, de quibus hic vtcunque diſſeram nobis proximos cœlos, ſanctos Dei Apoſtolos prædicatores verbi veritatis, per quos cœli complecti ſumus, vt per totum mundum ſeges Eccleſiæ pullularet, & ſi cum zizaniis interim cõmunem bibens pluuiam, ſed tamen horreum non habitura commune, &c. *Quem ſpiritalem ſenſum amplectitur S. Gregor. hom.* 30. *in Euang.* Verbum Domini, *inquit*, Filius eſt Patris. Sed eoſdem cœlos, videlicet Apoſtolos, vt tota ſimul S. Trinitas operata, repente de Sancti Spiritus diuinitate adiungitur: Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ. *Breuis ſententia & explanatio eſt: Omnipotens Pater, per vnigenitum Filium ſuum, qui ipſius Verbum, ſapiẽtia & virtus eſt, & cum Spiritu Sancto, qui ex illius ſubſtantia, tanquam flatus ab ore procedit, cœlos ab initio firmos & ſtabiles, ac illorum potentiſſimum, ordinatiſſimum, ac pulcherrimum exercitum & multitudinem, tam ſtellarum quàm Angelorum, condidit.*

Eſt alter pro aſſerenda Sancta Trinitate locus Pſalm. 66. *v.* 8. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. *Vbi S. Hieronymus:* Benedicat nos Deus, Deus Pater, Deus noſter Filius, ipſe enim Deus noſter. Et vocabis, inquit Iſa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, Deus noſter benedicat nos: Deus Spiritus Sanctus. Videte myſterium Trinitatis in vno verſiculo cõprehenſum. Terra dedit fructum ſuum. In iſto

fructu

fructu myſterium Trinitatis continetur. Benedicat nos Deus, Deus noſter. Qui Deus eſt omnium per naturam, noſter propriè factus eſt Deus, benedicat nos Deus. Expellat veterem maledictionem. Maledictio nos eiecit de paradiſo, reducat benedictio. *Simili modo explanat Sanctus Gregorius libro* 29. *Moralium cap.* 28. Dauid, *ait*, vt auctorem omnium Deum in Trinitate oſtenderet, dixit: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, ac ne tertio Deum nominans, tres Deos dixiſſe putaretur: ilico vnitatem eiuſdem Trinitatis inſinuans addidit: Et metuant eum omnes fines terræ. Qui enim non eos, ſed eum ſubdidit, vnum tria, quæ dixerat, intimauit. *Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſermone de Sancta Trinitate illis Iobi verbis cap.* 27. *ver.* 2. 3. 4. Viuit Deus, qui abſtulit iudicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia dum ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis. Non loquentur labia mea, & cæt. inſinuari putat Sanctam Trinitatem, dicendo, ait, Dominum & omnipotentem, & Spiritum Dei, conſubſtantialem prædicat Trinitatem.

Reperit & S. Hiero. Commen. in Iob. S. Trinitatem in verbis Eliu Iob cap. 33. *v.* 4. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculũ omnipotentis viuificauit me. *In Deo enim nominat Patrem, in omnipotente Filium, in Spiritu Spiritum S. Trinitatis enim Deus creauit omnia.*

S. Gregorius Nazian. orat. 5. *de Theologia exiſtimat, & Regium Vatem illa ſententia Pſalm.* 35. *verſ.* 10. *qua Deum affatur:* In lumine tuo videbimus lumen, *beatiſſimam inſinuaſſe Trinitatem.* Lux, *ait*, & lux, & lux, ſed lux vna Deus vnus. Atque hoc eſt, quod Dauid quoque vtcunque conſpicatus eſt, cùm diceret: In lumine tuo videbimus lumen.

Ac nunc ipſi & perſpeximus, & prædicamus: Ex luce, id eſt, Patre, lucem, hoc eſt, Filium, in luce, hoc eſt, in Spiritu Sancto percipientes: quæ cõpendioſa & ſimplex eſt Trinitatis, ipſiuſque diuinitatis aſſertio; Qui reiicit, reiiciat, qui iniquè agit, inique agat, nos quod intelleximus, prædicamus.

Benigniſſima Trinitas, cuius dicere, efficere eſt, dixiſti enim, & omnia facta ſunt, mandaſti, & creata ſunt, ac proinde tuum benedicere eſt benefacere, te ſupplices deprecamur, vt copioſa benedictio tua deſcendat ſuper nos & maneat ſemper nobiſcum, Amen.

CAPVT IV.

ISAIAE TESTIMONIIS B. TRInitas probatur.

S*Anctiſſimus Vates, flos Prophetarum Iſaias cap. 6, v. 1. 2. 3.* Vidi Dominum, *inquit*, ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterũ, & dicebant; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. *Hac Iſaiæ viſio diuinæ in eſſentia vnitatis, & in Perſonis Trinitatis eſt demonſtratio. Rabbi Ionathas Vzielis filius Iſaiæ 6. in Paraphraſi Chaldaica ſic legit;* Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Sp. S. *vt eſt apud Galatinum lib. 2. c. 1. de arcanis Catholicæ veritatis. Et ibidem alij veteres Rabbini, vt Rabbi Simeon filius Ioai;* Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus Sanctus. *Additque ſanxiſſe illos, vt minimum*

bis in

bis in die, Oriente & Occidente Sole verba hæc Seraphinorum, & illa Moſis Deut. 6. v. 4. Audi Iſrahel, Deus Deus noſter, Deus vnus eſt, *à quolibet Iudæo recitarentur, vt ita diuinarum Perſonarum Trinitatem cum diuinæ eſſentiæ vnitate profiterentur. Apud Iſaiam ait S. Baſilius lib. 3. aduerſus Eunomium*: Seraphin tertio Sanctus exclamare conſcripta ſunt; quoniam in tribus hypoſtaſib. naturalis ſanctitas perſpicitur. *S. Epiphanius in ſuo Ancorato*: Sancti Angeli, *ait*, in cœlo victorialem hymnum canunt cum Seraphin & Cherubin Trinitatem concorditer, & æqualiter & coeſſentialiter glorificantes ac dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, tres voces abſoluentes, in vnitate autem dicentes, & nō multis vocibus. Non enim dicūt Sanctus quartum, vt ne addant Trinitatis nomen creaturæ, non dicunt bis Sanctus, vt ne defectuoſa ſit gloria perfectionis: ſed ter, vt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in eodem honore ſanctificent. Et non dicunt Sanctus & ſemiſanctus, ſed æqualiter dicunt Sanctus vna voce & vno ſermone, & vna perfectione Trinitatem glorificātes ſimul in vnitate, & vnitatem in Trinitate. Nam vt hanc cognitionem nos doceret vnigenitus Dei venit, hunc intellectum Sanctus Spiritus nobis prædicauit, hanc perfectionem Pater nobis reuelauit, &c.

Ita & B. Ioannes Chryſoſtom. hom. de S. Trinit. Hinc & S. Hieronym. libr. 2. Comment. in illum Iſaiæ locum. Quod clamat alter, *ait*, ad alterum inuicem ſe ad laudes Domini cohortantur, & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, vt myſterium Trinitatis in vnitate demonſtrent.

Quod qua ratione demonſtrent, enucleatius explicat, & illuſtrat, B. Ambroſius lib. 2. de fide ad Gratianū Auguſtum cap. 4. ſub finem: Seraphin, *ait*, dicunt

Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quid ſibi vult ſub vno nomine Sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur vna laudatio? Si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur niſi quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſanctitate vnum ſunt? Non dixit ſemel; ne Filium ſequeſtraret, non bis; ne Spiritum præteriret: non quater; ne creaturam ſibi coniungeret. Et vt oſtenderet Trinitatis vnam eſſe Deitatem, cum tertio dixiſſet: Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter; Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur Pater, Sanctus Filius, Sanctus & Dei Spiritus. Adoratur igitur, & laudatur Trinitas. Ego malo ſicut Seraphini credere, & ſicut omnes Poteſtates, Virtuteſque cœleſtes adorare.

Hanc Trinitatem Perſonarum, *ait Sanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus libro de fide ad Petrum Diaconum capite* 1. *Tomo* 3. *Sanctus Auguſtinus*: atq; vnitatem naturæ Propheta Iſaias reuelatam eſſe ſibi non tacuit, cum ſe dicit Seraphim vidiſſe clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Vbi prorſus in eo quod dicitur tertio, Sanctus, Perſonarum Trinitatem, in eo verò quod dicitur ſemel Dominus DEVS Sabaoth diuinæ naturæ cognoſcimus vnitatem.

Dicat & hic ſuam, tanquam Pontifex ſententiam, Magnus Gregorius libro 29. *Moralium cap.* 28. Iſaias, *ait*, cum laudem de vnitate Trinitatis aperiret, Seraphim voces exprimens, ait, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ac ne tertio Sanctum nominans, vnitatem diuinæ ſubſtantiæ ſcindere videretur, adiungit: Dominus Deus Sabaoth. Quia non ergo Domini Dij, ſed Dominus Deus addidit, vnum exiſtere, quod tertio Sanctum vocauerat, indicauit. *& hom.* 16. *in Ezech.* Iſaias, *ait*, audi-

audiuit angelica agmina, in cœlo clamãtia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Vt enim perſonarum Trinitas monſtraretur, tertio Sanctus dicitur. Sed vt vna eſſe ſubſtantia Trinitatis appareat, nõ Domini Sabaoth, ſed Dominus Sabaoth eſſe perhibetur. *Georg. Piſides, qui floruit circa annum Domini 608. de mundi opificio:*

Nam hymnos canunt tibi Imperatori ſuo.
Cherubim, Poteſtates, Thronorum exercitus.
Aptantque Numinis iubar ter lucidum,
Ad vnicam venerationem Principem
Sicque euidenter indicant,
Hypoſtaſes diuiduè honorandas quidem,
Subſtantiam at ſolum eſſe adorandam vnicam.

Accedat denum & Procopius Gazaus ad cap. 6. Iſai. Tertio, *inquit*, Sanctus repetentes in eo laudis ſummam concludunt, quod qui Dominum Sabaoth dicunt, in vna diuinitatis natura Trinitatem ponunt.

Eccleſia verò Catholica S. Trinitatis fidem & laudem ſuis vt commendet filiis, hunc Seraphicum hymnum in quotidiano vſurpat ſacrificio: Sanctus, *ait*, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua, Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis. *De quo Concilium Vaſenſe celebratum ſub Leone Primo Canone 45. conſtituit, vt omnibus in Miſſis recitaretur:* Quoniam, *inquit Synodus*, tam dulcis ac deſiderabilis vox, etiãſi diu noctuque poſsit dici, faſtidium non poterit generare. *Exiſtimant verò multi, quos citat Ioan. Steph.*

Durandus libr. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31. num. 28. Sixtum octauum à S. Petro Pontificē decreuiſſe; vt hic Seraphicus hymnus Miſſæ adhiberetur, ſed ille vſus antiquior eſt; ſiquidem & in liturgiis S. Iacobi Apoſtoli, & S. Marci reperitur, & eius meminit B. Clemens lib. 8. Conſt. Apoſtolicarum in hac verba: Te adorant innumerabiles Angelorum copiæ, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Poteſtatum, Virtutum, æternorum exercituum, Cherubin & ſenis alis prædìti Seraphini, binis quidem tegentes pedes, binis verò capita, binis item volantes, & dicentes vnà cum millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum, nullo puncto temporis intermiſſo, & ſine intercapedine vocis clamantium. Et omnis populus dicat: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Plenum eſt cœlum gloria tua eius. Benedictus in ſæcula, &c.

Rectè igitur Nicephorus lib. 18. hiſtor. Eccleſ. cap. 51. Ter ſanctum carmen, *ait*, vt apparet, & mihi videtur, iam inde ab Apoſtolis per manus Eccleſiæ traditum eſt. *Quod in hoc hymno dicitur* Dominus Sabaoth. *S. Hieron. epiſt. 142. ad Damaſum Papam interpretatur*, ſiue militiarum, ſiue exercituū atque virtutum, *vt & S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſt. cap. 29. vbi & rationem reddit: quia illi ſeruiunt virtutes & exercitus Angelorum: Qui idcirco militia, vel exercitus appellantur: quia pro nobis contra impuros ſpiritus decertant, non labore ſed imperio: quia diuina conceſſione id faciliter poſſunt. Vnde & altercanti diabolo dixit Michael Archangelus:* Imperet tibi Dominus: *Iudæ epiſt. v. 9.*

Illud [Plena eſt omnis terra gloria tua] *quia diuina Maieſtas ſua immenſitate cœlos & terras implet, vel quod glorioſiſſimis ipſius operibus cœlum pariter & terra refecta ſit. Aut alium etiam duplicem habere poteſt ſen-*

teſt ſenſum commodum & probabilem. Alterum quidem, quòd tam in cœlis, quam in terra Dei maieſtas ſit conſpicua. Eſt enim gloria frequens & illuſtris de aliquo fama cum laude multorum & magnorum meritorum. Et quid habet creatura, ſiue in cœlo, ſiue in terra boni, quod à Deo nō habet? Et ſimiliter tum natura ſua, tum naturalibus facultatibus & operationibus Conditoris ſui benignitatem prædicant. Alterum & ſenſum hæc verba [pleni ſunt cœli & terra gloria tua] *habere poſſunt, vt gloria accipiatur pro gratia, vt & ad cap. 6. Iſaiæ exponit S. Cyrillus Alexan. Sic enim & gloria nomen pro gratia vſurpat Apoſtolus, Rom. 3. v. 23. cum ait:* Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, *id eſt, venia, indulgentia, gratia, iuſtitiæ donatione, quæ gloria idcirco dicitur: tum quod efficiat, vt Deus à nobis glorificetur, tum quod ea ſit Dei gloria, peccatoris miſereri, & impium iuſtificare; eſt enim opus maximæ potentiæ, ſapientiæ & miſericordiæ: tum quod ſplendore quodam à ſe proficiſcenti animam hominis illuſtret & exornet. Quomodo & illud accipi poteſt in gloria in excelſis:* Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, *id eſt, magnam gratiam tuam, & erga nos beneficentiam. Nam, vt ait S. Auguſtinus libro 1. contra aduerſ. leges & Prophet. cap. 19.* Vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quam pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? *Hac ergo Dei gloria, hoc eſt gratia, miſericordia, & bonitate, & cœli pleni ſunt & terra, quemadmodum & Dauid affirmat Pſal. 35. v. 6.* Domine in cœlo miſericordia tua & veritas tua vſque ad nubes. *Quaſi dicat: Tam longè lateque ſe porrigit, & diffundit bonitas tua, ô Deus, vt ab infima terra vſque in cœlum penetret, vbi nihil eſt tuæ benignitatis non particeps, & veritas tua in promiſſis tuis, & benignè faciendi cunctis propoſita; vſque ad nubes, ſuper omnia ſe extendit, & hominibus eſt incomprehenſa. Et rurſum Pſalm. 144. v.*

 8. 9. 10.

8.9.10. Miſerator & miſericors Dominus: patiens & multum miſericors. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. *Senſus eſt: Benignus eſt Dominus non erga quoſdam, ſed ſine exceptione aduerſus omnes.* Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos; *Matth. 5. v. 45. & miſerationes ſuas, & ingentia variaque beneficia ſuper omnes res conditas effundit, tribuendo naturam, & conſeruando, ac multiplicia bona impertiendo. Proinde cum omnino omnia tua participant bonitate æquum eſt, Domine, vt te prædicent, & collaudent, ac præſertim Sancti tui, qui præſtantiora à te beneficia accipiunt, & attentius conſiderant, & gratius recordantur. Igitur* pleni ſunt cœli & terra gloria tua. *Sequitur* [Hoſanna in excelſis] Hoſanna, *vt ait S. Hieron. epiſt. 145. ad Damaſum Papam, & in Comment. ad c. 21. Matth.* ſignificat ô ſaluifica, ſaluum fac, obſecro, ſcil. populum tuum Domine, & mundum vniuerſum: *Hac enim fauſta acclamatione ſibi ſalutem à Chriſto Domino poſtulabat turba, Matth. 21. & Ioann. 12. &* [in excelſis] *hoc eſt, de cœlo, ſiue diuinitus dari rogabat. Quamuis & alij interpretentur, quod Deo ſupplicarint, vt cœlitus nouum Regem Chriſtum ſeruaret & fortunaret Deus. S. Iſidorus lib. 1. de diuinis officiis cap. 15.* Hoſanna in excelſis, *inquit*, cantatur: quod Saluatore de genere Dauid naſcente ſalus mundi vſque ad excelſa peruenerit. *S. Hieronymus in Comment. ad cap. 21. Matth.* Hoſanna, *inquit*, id eſt, ſalus in excelſis, perſpicuè oſtenditur; quod aduentus Chriſti non tantum hominum ſalus, ſed totius mundi ſit terrena iungens cœleſtibus: Vt omne genu ei flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, *Philip. 2. v. 10.*

[Bene-

[Benedictus qui venit in nomine Domini.] *Benedictus laudis vox eſt, vt & illa Luc. 1. verſ. 68.* Benedictus Dominus Deus Iſrael, *id eſt, benedicatur, vel laudetur, vel dignus eſt Dominus, vt benedicatur & laudetur. Aut etiam poteſt eſſe precantis vox: ſit benedictus, ſit felix, & fauſtus eius aduentus, ac nobis ſalutaris.* Qui venit in nomine Domini. Ego, *inquit Saluator Ioan. 5. v. 43.* Veni in nomine Patris mei. *1. quia miſſus ſum à Patre. 2. quia perſonam gero Patris, qui per me viſitauit populũ ſuũ. 3. quia cum diuina poteſtate & virtute veni ſtupenda patrans miracula, efficaciſſima diuinitatis meæ argumẽta. 4. Veni in nomine Patris: quia Deus ſum, ſicut & Pater, nomenque Dei ac natura ſiue diuinitus vtrique cõmunis, vt exponit S. Athan. li. 2. & 5. de vnita Deitate Trinitatis.* [Hoſanna in excelſis] *Repetitio eſt ex vehementi erga Chriſtum Dominum affectu profecta. Sic ergo triſagium illud Seraphinorum & Eccleſiæ nobis ſit expoſitũ, cui oportunè S. Ioan. Chryſ. exhortationem ſubiiciemus, quam habet hom. 19. in Matt.* Non conſideras, *inquit*, vt coram regibus omnis coerceatur tumultus, & maximũ vndique ſilentium cõmendetur. Et tu igitur regalem ingreſſus aulam, nõ eam, quæ in terra eſt, ſed illam, quæ multo eſt terribilior, videlicet in cœlo, plurimũ reuerentiæ, atq; ordinationis oſtẽde: Vnus n. es ex Angelorũ choro, atq; Archangelorũ ſocius effectus, cum Cherubin quoq; atq; Seraphin canis: Omnes namq; iſti cœlorum populi maximũ ordinem per cuncta conſeruãt, cum timore ac tremore multo Regi omniũ Deo cœleſte illud carmen, & ſacros ſemper hymnos canendo. Iſtis igitur te orationis tempore admiſce, & myſteriorum eorum imitator efficere.

Sancte Pater, ſancte Fili, ſancte diuine Spiritus, vna eademque infinita ſanctitas & omnis origo ſanctitatis, nos in veritate ſanctifica, vt in hoc exilio tibi

purè ſanctèque famulando, mortalitate exuti in cæleſti patria vnà cum Seraphinis & beatorum ſpirituum exercitibus tuæ Maieſtati perpetuo accinamus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. *Qui viuis & regnas Deus in ſecula benedictus, Amen.*

Capvt V.

Testificatione Filii Dei apud eundem Euangelicum Vatem declaratur S. Trinitas.

Nunc Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum in eodem Propheta de diuina Trinitate teſtificantem audiamus. Sic enim cap. 48. *v.* 12. Audite me Iacob & Iſrahel, quem ego voco, ego ipſe, ego primus, & ego nouiſsimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos, ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. *Et v.* 16. Accedite ad me, & audite: non à principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore, antequam fieret, ibi eram: Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius. *Ad quæ verba Commentario ſuo in Iſaiam S. Hieron.* Breui, *ait*, verſiculo Trinitatis nobis oſtendit Sacramentum. *Chriſtus Dominus ſuam demonſtrat diuinitatem.* 1. *eo, quod ſit primus & nouiſſimus, vel vt habent* 70. *& ego in ſempiternum, ſicut & de ſe ait ipſe Apoc.* 22. *v.* 13. Ego ſum A & Ω, primus & nouiſsimus, principium & finis. 2. *eo quod creauerit cœlum & terram, Prou.* 3. *v.* 19. Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia. *Quæ Dei virtus & ſapientia Chriſtus*, 1. *Cor.* 1. *v.* 24. *loquitur, & Prouerb.* 8. *verſ.* 30. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore,

pore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Ioan.* 1.*v.*3. Omnia per ipſum facta ſunt. *Hebr.* 1.*v.*2. Deus Filium conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. 3. eò quod ei cœli obtemperent. *Vbi S. Hieronymus*: Vocat cœlos, vt ejus pareant iuſsioni, & enarrent gloriam illius. Si autem cœli Domini obediunt voluntati, & ſuo currunt ordine, quid gloriatur terra & cinis, & ignorat fragilitatem ſuam? De quo & Chriſto Domino tãpeſtatem ſuo ſedante imperio, mirati ſunt homines dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt. *Matt.* 8. 4. eò quod antequam formaretur terra, & orbis ac cœli ipſe fuerit à ſæculo vſque in ſæculum Deus. *Ergo talis tantuſque verus veri Dei Filius ait*: Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius. Hoc dixit ſecundum formam ſerui, *inquit S. Auguſtinus lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 30. vtens præteriti temporis verbo, quẽadmodum apud eundem Prophetam legitur *c.* 53.*ver.* 7. ſicut ouis ad immolandum ductus eſt. Non ait, ducetur, ſed pro eo, quod futurum erat, præteriti temporis verbum poſuit. Et aſsiduè Propheta ſic loquitur. *Similiter interpretatur & S. Hieronymus in Iſaiæ Cõmentario*: Ego qui ſemper eram cum Patre, & in Patre, & ſine Patre nũquam eram, etiam nunc loquor, & iuxta fragilitatem carnis aſſumptę dico: quod Dominus Deus miſerit me, & ſpiritus eius. S. Aug. ſerm. 6. de Tempore, ſiue 2. in Natali Domini: Chriſtus, ait, non de ſubſtantia Spiritus Sancti, ſed de potentia: nec generatione, ſed iuſsione, & benedictione conceptus eſt. Et ſicut à Patre, ita etiam à Spiritu Sancto ad redemptionem noſtræ malitiæ deſtinatus eſt ipſo de ſe per Iſaiam loquẽte: Miſit me Pater, & Spiritus eius. *Et quidem ſe miſſum à*

Patre

Patre ſæpiſſimè Saluator affirmat, vt Ioannis 3. ver. 17. Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. *Ioan. 6. v. 57.* Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. *Se etiã à Spiritu Sancto miſſum eſſe teſtificatur Dominus Luc. 4. v. 18. cum iſtud Iſa. c. 61. v. 1.* Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſsionem, &c. *Hoc vaticinium de ſe ipſe interpretatur v. 21.*

Sed illud cum inſtituto noſtro facit, quod his paucis verbis, Spiritus Domini ſuper me, *ſanctiſſima nobis inſinuetur Trinitas: nam Dominus, id eſt, Pater, Spiritus, & Chriſtus, tanquam tres eiuſdem naturæ perſonæ introducuntur. Quam ſententiam exponens S. Ambroſius lib. 4. in Lucam:* Vides, *inquit,* Trinitatem coæternam atq; perfectam: Ipſum loquitur Scriptura Deum hominemque in vtroque perfectũ, loquitur & Patrem & Spiritum Sanctum, &c. *Et ante B. Ambroſium S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus & Martyr lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 20.* In Chriſti, *inquit,* nomine ſubauditur, qui vnxit, & ipſe qui vnctus eſt, & ipſa vnctio in qua vnctus eſt. Et vnxit quidem Pater, vnctus eſt verò Filius in Spiritu, qui eſt vnctio, quemadmodum per Iſaiam ait Sermo: Spiritus Dei ſuper me, propter quod vnxit me, ſignificans, & vngentem Patrem, & vnctum Filium, & vnctionem, qui eſt Spiritus. *Non eſt abſimilis illa D. Petri Act. 10. v. 38. ſententia:* Deus vnxit Ieſum Spiritu Sancto & virtute. *Cum his ſententiis & illa congruit, & S. Trinitatem etiam inſinuat, Iſai. 30. v. 20. 21.* Non faciet Dominus auolare à te vltra doctorem, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient

dient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via bona, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. *In Domino habes Patrem, in Doctore & praeceptore Filium, in monente Spiritum Sanctum. Ioann.3.v.8.* Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, &c. *Ioann.14.v.26.* Suggeret vobis omnia. *Rurſum Iſa.42.v.1.* Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eũ, electus meus, cõplacuit ſibi in eo anima mea: dedi ſpiritum meũ ſuper eum, iudicium Gentibus proferet. *Gloriatur Deus Pater, quod vnigenitus Filius eius accipiendo formam ſerui, ſiue humanam naturam, Philip.2.v.7. Iſa.43.v.10.& c.49.v.6.Zach.3.v.8. ſit ipſi factus ſeruus, non quicunque, ſed ſuſceptus, & electus præ omnibus, ac dilectus, quo cum diuinitatem ſuam in Verbi perſona communicauerit, qui poßit regnum ſuum perditum recuperare. 1. Cor.15.v.24. Eccleſiam vniuerſam, ac totum mundum adminiſtrare, vt merito animitus, medullitus, ac toto illum diligat pectore.* Dedi Spiritum meum ſuper eum, *quo conceptus, & in ipſo conceptu abundantißimè completus fuit, quemadmodum idem Propheta docet c.11. v.1.2.* Et egredietur, *ait Iſaias*, virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Et iudicium gentibus proferet. *id eſt, erit Legislator, qui vniuerſis ſub Sole populis legem dabit Euangelicam, eiuſque violatores iudicabit & puniet: quia* omne iudiciũ Filio dedit Pater, *Io.5. v.22. Quibus expoſitis & illud intelligitur, quo & S.Trinitas indicatur Pſal.44.v.8.* Vnxit te ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. *Hoc eſt:* O *Chriſte Deus, Deus Pater tuus vnxit te, & ſanctificauit oleo exultationis, i.Spiritu S.(nam* regnũ Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu S. *Rom.14.v.17.* Et fructus Spiritus eſt caritas, gaudiũ pax. *Gal.5. v.22.) ſed longè copioſius ſupra omnes qui à te, & per te eiuſdem gratiæ facti ſunt participes.* Omni-

: *Omnipotens ſempiterne Pater*, qui non ad menſuram Vnigenito Filio tuo Saluatori noſtro dediſti Spiritum, Ioann. 3. v. 34. *ſed eum diuinitate, ac omnium ſpiritalium, ac cœleſtium bonorum theſauris redundanter compleuiſti*, Coloſſ. 1. v. 19. *vt* de plenitudine eius omnes acciperemus, Ioannis 1. v. 16. Sanctifica nos in veritate, Ioan. 17. v. 17. vt diuinæ illius naturæ ac gratiæ conſortes 2. Petr. 1. v. 4. *in æterna gloria, &* tui hæredes, & ipſius cohæredes efficiamur, Rom. 8. v. 17. Amen.

CAPVT VI.

EX CONCEPTV, BAPTISMO, ET Transfiguratione Domini S. Trinitas oſtenditur.

GRadum faciamus ad nouum Teſtamentum, in quo luculentius & apertius Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſt declaratum, quam in veteri; id enim vel maxime gratiæ tempus poſtulauit, vt nimirum homines filij Dei, ac Spiritus Sancti in mundum miſſorum dignitatem agnoſcerent, quod vterque verus Deus eſſet, cum illius & ſanguinis pretio redimerentur, & huius gratia ſanctificarentur. Et primo quidem ab Archangelo Gabriele renunciatum eſt puriſſimæ Virgini Mariæ S. Trinitatis Sacramentum; cum enim hæc ab illo didiciſſet, quod Filium Dei Ieſum Chriſtum tot ſæculis expectatum, paritura eſſet; neque eſſet ſuæ Deo deuotæ virginitatis immemor, ac proinde nihil de diuina vel poteſtate, vel veritate per Angelum ſignificata dubitans, ſed admirabunda, modum quo id futurum eſſet, ſcire cupiens audiuit ab Angelo: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te, Sanctum

voca-

vocabitur Filius Dei. *Luc. 1. v. 35. Qua in ſententia habes Altiſſimum Patrem. Vnde S. Auguſtinus ſerm. 36. de Tempore, qui eſt ſermo primus Dominica intra Octauas Epiphania Domini de Baptiſmo Chriſti:* Natalis hodie alter eſt, *ait*, quodammodo Saluatoris. Nam iiſdem eum ſignis, iiſdem miraculis cognoſcimus genitum, ſed nunc maiori myſterio baptizatum. Denique Spiritus Sanctus, qui tunc in vtero illi affuit, modo eum in gurgite circũfulſit: Qui tunc Mariam caſtificauit, nunc fluenta ſanctificat. Pater qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce, & quaſi maturiori conſilio, qui tunc vmbram præſtitit natiuitati: modo teſtimonium perhibet veritati. Ait enim Deus: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo complacui.

Habes in eadem ſententia & Spiritum Sanctum ſuperuenientem, & cœlitus in eam deſcendentem, & Filium de eadem Virgine, ſine commercio viri naſcentem, ac proinde vnius diuinitatis tres Perſonas Chriſti Domini Incarnationem perficientes. Sanctus Andreas Ieroſolymitanus Archiepiſcopus Cretenſis Oratione in ſanctiſſima Domina noſtra Dei genitricis Annunciationem: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Conſidera, *inquit*, quomodo Trinitatis myſterium declaretur, Spiritum enim Sanctum, inquiens, non alium quàm paracletum indicauit. Nam virtus apertè Filium ſignificat. Vox autem illa Altiſsimi, Patris perſonam declarat. *Dixi autem paulò ante hoc ſanctiſſima Trinitatis myſterium annunciatum Deipara, non autem patefactum; nouerat enim illud Prophetiſſa iſta Iſaia 8. verſ. 3. qua diuini verbi prius diſcipula fuit, quàm mater: & idcirco Angelus de illo non vt ignoto, ſed vt cognito loquebatur, & ipſa beatiſſ. Virgo nihil de eo percunctabatur, ſicut de modo*

Incarnationis, dum ſuæ conſultum cupit integritati ac pudicitiæ.

Quia paulò ante Baptiſmi Saluatoris commeminimus, in illo diuiniſſimæ Trinitatis Sacramentum contueamur. De quo hunc in modum ſcribit cap. 3. verſ. 16. 17. Sanctus Matthæus: Baptizatus Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Sanctus Auguſtinus tractatu 6. in Ioannem*: Apparet manifeſtiſsima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. *Et rurſum Sanctus Auguſtinus ſermone 63. de verbis Domini capite 1.* Videmus, *inquit*, vt tanquam propoſito diuino ſpectaculo contuemur, apud flumen Iordanis commendari nobis Deum noſtrum in Trinitate: In voce Patrem, in homine Filium, in columba Spiritum Sanctum. *Et capite 9.* Trinitas fecit carnem Chriſti: ſed non pertinet niſi ad ſolum Chriſtum. Trinitas fecit de cœlo columbam, ſed non pertinet niſi ad ſolum Spiritum Sanctum. Trinitas fecit de cœlo vocem, ſed non pertinet vox niſi ad ſolum Patrem. *Et capite 10.* Crede Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, per ſingula quæque viſibilia, per ſpecies quaſdam aſſumptæ creaturæ poſſe & ſeparabiliter demonſtrari, & inſeparabiliter operari. *Et Sanctus Epiphanius Hæreſi 57.* In Iordane, *ait*, Pater loquebatur: Filius verò in Iordanem deſcendit: Spiritus intermedius in ſpecie columbæ apparebat, & venit ſuper ipſum. Vbique clarè prædicant diuinæ Scripturæ vnum DEVM, hoc eſt, Trinitatem coeſſentialem, ſemper exiſtentem, eiuſdem identitatis, eiuſdem dominationis. *Et*

Sanctus

Sanctus Cyprianus de Spiritu Sancto: Interfuimus Baptiſmati Saluatoris; & audita Patris voce de cœlis, ad obediendum Chriſto traditi ſumus, & inſtructi cœlitus, quomodo Patrem & Filium dilectio iungat. Sed & Spiritum Sanctum in ſpecie columbæ inter illa myſteria vidimus & intelleximus ex illa ſpecie gemitus pœnitentiæ & deſideria contemplationis diuinæ ex ſimplicitate cordis & innocentia vitæ immaculatæ inceſſanter prodire, &c.

In transformatione etiam Domini beatiſſima Trinitas apparuit: Siquidem Ieſu facies reſplenduit ſicut Sol, & veſtimenta eius alba facta ſunt ſicut nix. Et ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite, *Matthæi* 17. *verſu* 2. *&* 3. *Et quidem in voce Pater, in homine Filius facile agnoſcitur, ſed in quo Spiritus Sanctus? In nube lucida: ſic enim in Transfigurationis Domini Feſto canit Eccleſia:* In ſplendenti nube Spiritus Sanctus viſus eſt; paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite. *Et Sanctus Hilarius Canone* 17. *in Matthæum:* Nubes eos candida inumbrauit, & diuinæ virtutis ſpiritu ambiuntur.

Hoc docet & Sanctus Thomas 3. *Parte quæſtione* 45. *articulo* 4. *ad ſecundum. Et* 1. *Parte quæſtione* 43. *articulo* 7. *ad ſextum. Et Beatus Auguſtinus epiſtola* 102. *ad Euodium in medio:* Nubes illa lucida, *ait*, quæ operuit in monte cum tribus diſcipulis Saluatorem, Spiritum Sanctum demonſtrauit, & officio ſignificationis impleto, mox eſſe deſinit.

In nube (quoniam res cæleſtis eſt) Dei ſolet maieſtas

oſtendi.Exodi 16. *v.* 10. Ecce gloria Domini apparuit in nube. *Et cap.*19.*v.*9.*ad Moyſen Dominus:* Iam nunc veniam ad te in caligine nubis. *Et cap.* 24.*v.* 15.*&* 16. *Et cap.*34.*v.* 5.Cùm deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo inuocans nomen Domini. *Et Saluator ad demonſtrãdam maieſtatem ſuam ad iudicium in nubibus cœli ſe venturum prænunciauit,Matth.*24.*v.* 30.*&* 26.*v.* 64. *Cum ergo & ſermone ſuo Pater, & eius teſtimonio & aſpectabili forma Filius indicaretur, fulgenti nube Sancti Spiritus maieſtas declaranda fuit.*

*Clementiſſima Trinitas,quæ Chriſti Saluatoris noſtri corpori & animæ à te formatis diuinitatem tuam in verbi perſona,indiſſolubili vinculo vniuiſti, & vt eũ tanquam ſanctiſſimum hominem ac verum Deum agnoſceremus,confiteremur,ſequeremur tam in Baptiſmo quam in Transfiguratione illuſtre teſtimonium dediſti: Concede, vt acceptam in Baptiſmo innocentiam & peccato amiſſam tua gratia & ſincera pœnitentia recuperemus, quo piè ſancteque viuentibus corpus humilitatis noſtræ reformetur, & corpori claritatis eius configuretur,Philip.*3.*v.*21. *animus verò ad claram viſionem tuam,perpetuum amorem,ac ſuauiſſimam fruitionem admittatur, Amen.*

CAPVT VII.

EX MANDATA A CHRISTO Domino Baptiſmi forma demonſtratur S. Trinitas.

*MYſterium Sanctiſſimæ Trinitatis exactiſſimè prorſus, & clariſſimè nobis à Saluatore noſtro traditur, Matth.*28. *ver.*18. 19.20.*vbi diſcipulis ita loquitur:* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœ-

in cœlo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes eos ſeruare omnia, quęcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi. *Ac* 1. *quidem ſuam omnimodam exponit poteſtatem, vt qua, quantaque auctoritate, illos ſuos Apoſtolos, ac legatos efficiat, intelligant.* 2. *Præſcribit, vt ſine delectu omnibus populis, fidei, ac Chriſtianæ religionis dogmata exponant.* 3. *Vt conuenienter inſtitutos, aqua in nomine Patris, ac Filij, & Spiritus Sancti abluant.* 4. *Vt procurent Baptiſmo initiatos ſuis obtemperare mandatis. Ac* 5. *pollicetur, ſe nunquam illis defuturum.* Inſinuat hic Dominus, *vt ait S. Cyprianus epiſt.* 73. Trinitatem, cuius Sacramento gentes baptizarentur. *S. Chryſoſtomus ſerm. de S. Trinitate:* Ipſe, *ait,* Deus ſermo, qui propter nos verè incarnatus, rediturus, vnde venerat, dicit S. Apoſtolis ſuis: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes illos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Obſignati ſumus, ſed vnum eſt ſignaculum S. Trinitatis, vnum Baptiſma. Quomodo igitur audes à paterna ſubſtantia alienare Filiū, vel Spiritum Sanctum? Neq; enim ſi alieni ſunt, cum Patre debebant commemorari: cùm Pater ſolus poſsit ſaluare. *Iuuat audire S. Auguſtinum tract. 6. in Ioannem:* In Domini Baptiſmo, *ait,* apparuit ſancta & vera Trinitas, quæ nobis vnus eſt Deus. Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in columba. In Trinitate iſta, quo miſsi ſunt Apoſtoli? Ite, dixit, baptizate gentes. In cuius nomine? In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Iſte vnus Deus, quia non in nominibus, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vbi vnum nomen audis; vnus eſt Deus: Et probatur

vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Itaq; in nomine dixit propter naturæ, non perſonæ vnitatem.

Vnde S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap.10.12. epiſtola 64. ad Neocæſarianos: Patris, *ait*, & Filij, & Spiritus Sancti natura quidem eadem eſt, & diuinitas vna; nomina verò diſcreta, determinatas nobis, & abſolutas intelligentias offerunt. Impoſsibile namque eſt, mentem vniuſcuiuſque nominis propriæ ſignificationi intentam, non poſſe ſeparatam & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, glorificationem aſsignare, & offerre.

Ex eadem Domini ſententia tres vnius ſummæ diuinitatis perſonas optimè demonſtrat Sanctus Gregorius Nazianzenus tractatu de fide: Quis, *ait*, Catholicorum ignorat Patrem verè eſſe Patrem, Filium verè Filium, & Spiritum Sanctum verè eſſe Spiritum Sanctum? Sicut ipſe Dominus ad Apoſtolos ſuos dicit: Euntes baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hæc eſt perfecta Trinitas in vnitate conſiſtens, quam ſcilicet vnius ſubſtantiæ profitemur.

Hæc Sanctæ Trinitatis fides ſalutari fonte tingendis ſummoperè eſt neceſſaria. Hinc Sanctus Auguſtinus homilia 3. ad Neophytos, & habetur de Conſecr. diſt. 4. c. 72. Prima igitur: In hoc fonte, *ait*, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogauimus: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Reſpondiſtis: Credo. Rurſus interrogauimus: Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine? Reſpondiſtis ſinguli: Credo. Item interrogauimus: Credis & in Spiritum Sanctum? Reſpondiſtis ſimiliter: Credo. Hoc autem fecimus iuxta Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris imperium: qui

cum

cum ad Patrem in cœlum aſcenderet, diſcipulis ſuis, id eſt, Apoſtolis mandauit dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Eundem modum interrogandi baptizandum de fide in Deum Patrem omnipotentem: Et in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: Et in Spiritum Sanctum, habet Sanctus Ambroſius lib. 2. de Sacramentis cap. 7. Beatus Hieronymus in cap. 2. Prouerb. verſ.* 17. Pacti Dei ſui oblita eſt. Hoc patet de mente hæretica: quia reliquit doctorem, à quo fidem Eccleſiæ didicerat, & oblita eſt pacti Dei ſui: hoc eſt fidei ipſius Dominicæ, quæ in Symbolo continetur, quam ſe die Baptiſmatis ſeruaturum eſſe promiſerat. *Et aduerſus Luciferianos*: Præterea, *ait idem S. Hieronymus*, cum ſolenne ſit in lauacro poſt Trinitatis confeſsionem interrogare: Credis ſanctam Eccleſiam Catholicam? &c. *De S. Martino canit Eccleſia*: Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confeſſus eſt, & Baptiſmi gratiam percepit: *Sanctus Gregorius Turonius libro ſecundo hiſtor. Francorum, capite 31. de Chlodoueo eorundum Francorum principe ita habet*: Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, delibutusque ſacro Chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti, de exercitu verò eius, baptizati ſunt amplius tria millia.

Quin & ipſi infantes, cum baptizandi offeruntur, ad eaſdem quaſtiones per ſuſceptores & patrinos ſuos, vt ex Agendis conſtat, & vulgo notum eſt, reſpondent. Sanctus Auguſtinus libro 3. de libero arbitrio capite 23. & habetur de Conſecr. diſtinct. 4. capite 7. Illud perſcrutari homines ſolent: Sacramentum Baptiſmi Chriſti, quod paruulis profit, cum eo accepto plerunque moriuntur, prius quam ex eo

quicquam cognoſcere potuerunt: Qua in re ſatis piè, recteque creditur, prodeſſe paruulo eorum fidem, à quibus conſecrandus offertur: Et hoc Eccleſiæ commendat ſaluberrima auctoritas, vt ex eo quiſque ſentiat, quid ſibi proſit fides ſua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, poteſt aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides ſua, quam vtique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris, vt reſurgeret? Luc. 7. v. 13. Quanto ergo potius fides aliena poteſt conſulere paruulo, cui ſua perfidia non poteſt imputari?

Itaque S. Trinitatis fidem infantis nomine confitentur ſuſceptores, & in ea recta fide vt educetur, ſe curaturos appromittunt; qua de cauſſa ad hoc munus non ſunt admittendi hæretici, qui ſuum clientem non niſi perfidia imbuerent.

Quia verò Baptiſmus omnibus ad ſalutem ſummopere eſt neceſſarius, Ioan. 3. verſ. 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei; *idcirco licet ordinarius eius miniſter ſit Sacerdos, in neceſſitate tamen à quolibet adminiſtrari poſſit, ſiue vir ille ſit, ſiue fœmina; ſiue probus, ſiue improbus; ſiue fidelis, ſiue infidelis; ſiue puer, ſiue ue ætate maturior fuerit; ſiue Catholicus, ſiue hæreticus; vt habetur de Conſecr. diſtin. 4. cap. 18. conſtat vſque ad 27. vbi ſic legimus ex S. Auguſtino:* Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in S. Trinitatis cōfeſsione baptizant, & veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur quidem baptizati, ne S. Trinitatis inuocatio, vel confeſsio annulletur, ſed doceantur integrè, & inſtruantur, quod S. Trinitatis myſterium in Eccleſia teneant, &c. *Et capite ſequenti ex eodem D. Auguſtino* Quamuis vnum Baptiſma ſit & hereticorum, eorum ſcilicet, qui in

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizant, & Eccleſiæ Catholicæ: tamen qui foris Eccleſiam baptizantur, non ſumunt Baptiſmũ ad ſalutem, ſed ad pernitiem: habentes nimirũ formam Sacramenti, virtutem autem eius abnegantes: & ideo Eccleſia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt, & ipſa eſt profectò forma Sacramenti. Ideo cum reuerſi fuerint; accipiunt virtutem Spiritus Sancti: quàm qui foris Eccleſiam baptizantur, non habent.

Scribit Ruffinus lib.1.hiſt.cap.14.& Sozom.lib.2.c.16.de luſu puerorum ſe Diaconos & Presbyteros fingentium, & quæ in Eccleſiis fieri ſolent imitantium, inter quos magnus Athanaſius adhuc puer, Epiſcopum agens, aliquot Catechumenos baptizauit, quæ videns eminus Alexander Epiſcopus Alexandrinus, eademque ritè, & ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem geſta eſſe intelligens, ſtatuit, eos haud eſſe rebaptizandos, ſed tantũ adimplenda ea, quæ à Sacerdotibus mos eſt adhiberi.

Qui idẽ S.Athanaſ.Alexandr.tunc Epiſcopus & acerrimus Cathol.de S.Trin.fidei propugnator lib.9.de fide ſua ad finem hortatur, vt auguſtiſſimæ Trinitatis fidem, quam in baptiſmatis initiatione confeſſi ſumus, ſartam, tectam conſeruemus. Sit ergo, *inquit*, nobis ſecundum ſalutaris Baptiſmi confeſsionem fides integra Trinitatis, ſit vna deuotio pietatis, nec more gentilium poteſtatum diuerſitatem opinemur, ſed potius perfectam Trinitatem adorantes, & magnificantes, ſicut in myſteriis ore noſtro dicimus, ita conſcientia teneamus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus omnipotens. *Monet & S. Baſilius, vt ſine argumentatione in teſtata cum baptizaremur S. Trinitatis fide acquieſcamus. Sic enim ſerm.de Aſcenſione loquitur:* De Patre, *inquit*, & Filio, & Spiritu Sancto cum nemine diſputare

oportet,ſed Trinitatem increatam, & coeſſentialem firmè, libereque, & credere, & confiteri, & ſe percunctantibus ſic reſpondere. Oportet nos,ſicut traditum accepimus, baptizari, credere autem eo modo, quo baptizati ſumus, glorificare verò quemadmodum credidimus.

Adiungamus & his Sanctum Gregorium Nazianzenum nos exhortantem Oratione 1. de Pace: Præclarum depoſitum quod à Patribus noſtris accepimus,cuſtodiamus Patrem,& Filium,& Spiritum Sanctum adorantes, in Filio Patrem,in Filio Spiritum cognoſcentes, in quos Baptiſmi aqua tincti ſumus,in quos credimus, quibus nomen dedimus,& tria vnum eſſe credentes, vnũ enim ſunt non hypoſtaſi, ſed diuinitate, vnitas in Trinitate adoranda, & Trinitas in vnitatem collecta tota adoranda, tota regia, par ſede & gloria, mundo ſublimior, tempore ſuperior, creationis expers,nec oculis,nec tractu,nec denique re vlla perceptibilis,ſola quidem,quo erga ſe ordine ſit,intelligens,nobis tamẽ æquè veneranda & adoranda,&c.

Illud autem, In nomine, *cum dicimus: Baptizo te in nomine Patris, &c. non tantum ſignificat, in fide, virtute,auctoritate,inuocatione S. Trinitatis,ſed etiam diſtincta ſingularum perſonarum,nominatione, & diuina natura vnitate. Vnde ſanctus Hieronymus in cap. 28. Matth.* Baptizantur, *ait*, in nomine Patris,& Filij,& Spiritus,Sancti, vt quorum vna eſt diuinitas,vna ſit largitio,nomenque Trinitatis vnus Deus eſt. *Et in Comment. epiſtolæ ad Epheſ. cap. 4.* Non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed in vno nomine, quo intelligitur Deus. *Et S. Ambroſius lib. 2. de Sacramentis cap. 7.* In vno nomine, *ait*, baptizare nos iuſsit, dicens:

dicens: Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti. Noli mirari, quia dixi vnũ nomen,vbi eſt vna ſubſtantia,vna diuinitas,vna maieſtas. *Et ſanctus Auguſtinus libro* 3. *contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum cap.* 32. In nomine *ait*,non in nominibus,quia hi tres vnum ſunt,& hi tres vnus eſt Deus.

Domine Deus, Pater, & Saluator noſter; apparuit benignitas,& humanitas tua, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecũdum tuam miſericordiam ſaluos nos feciſti per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudiſti in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, da vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Amen. Ad Tit.3.v.4.5.6.7.

Capvt VIII.

EX MATERIA BAPTISMI ET trina ablutione docetur Sancta Trinitas.

VT *autem non ſolum formæ verbis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed etiam materiæ, quæ eſt ablutio aquæ, vſurpatione auguſtiſſima nobis* Trinitas *repræſentaretur, & commendaretur, etiamſi vna aſperſio, vel ablutio ſufficiat, trina tamen ab Apoſtolorum temporibus in vſu fuit, ac proinde non temerè omittenda. Canon Apoſtolorum* 50.*ita præcipit:* Si quis Epiſcopus vel Presbyter non trinam merſionẽ vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit Dominus in mor-

in morte mea baptizate, ſed euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Habetur de Conſ. diſt. 4. cap. 78. Si quis.* Ter illum Pontifex mergit, hac trina illius merſione, & emerſione, tres beatitudinis diuinæ perſonas inclamans. *Vbi & cap. 81. hoc eſſe Euangelicum præceptum tradit Gelaſius Pontifex epiſtola ad Gaudentium Epiſcopum.* Multi ſunt, *inquit*, qui in nomine ſolummodo Chriſti vna etiam merſione ſe aſſerunt baptizare: Euangelicum verò præceptum ipſo Deo, & Domino Saluatore noſtro Ieſu Chriſto dicente, & tradente nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam merſione ſanctum Baptiſma vnicuique tribuere: Dicente Domino Ieſu Chriſto diſcipulis ſuis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Tertullianus aduerſus Praxeam cap. 26. de Chriſto loquens*: Nouiſsimè, *inquit*, mandans diſcipulis, vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, nō in vnum: nam non ſemel, ſed ter, ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tingimur.

S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 15. Tribus demerſionibus, ac totidem inuocationibus magnum Baptiſmatis myſterium peragitur. *Et cap. 27. tertio mergendi baptizandum ad Apoſtolicas refert traditiones, vbi ſic loquitur*: Conſecramus aquam Baptiſmatis, & oleum vnctionis, prætereà ipſum qui Baptiſmum accipit; ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita ſecretaque traditione? Iam ter immergi hominem, vnde eſt traditum? Reliqua item quæ fiunt in Baptiſmo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex priuata hac, & arcana traditione? *Libr. 4. hæreticarum fabularum de Eunomio S. Trinitatis inimico ſcribit B. Theodoretus*: Ipſe ſubuertit

uertit ſancti Baptiſmi ritum à Domino, & Apoſtolis ab initio traditum, dicens: Non oportere ter immergere eum, qui baptizatur.

S. Auguſtin. de Conſ. cap. 77. Poſtquam vos credere promiſiſtis, tertio capita veſtra in ſacro fonte demerſimus; qui ordo baptiſmatis duplici myſterij ſignificatione celebratur: rectè enim tertio merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Ieſu Chriſti, qui etiam die tertia reſurrexit à mortuis: Illa enim tertiò repetita demerſio typum Dominicæ exprimit ſepulturæ: per quam Chriſto conſepulti eſtis in Baptiſmo, & cum Chriſto ſurrexiſtis in fide: vt peccatis abſoluti in ſanctitate virtutum Chriſtum viuatis imitando. *Rom. 6. ver. 1. vſque ad 15. id ſuſe explicat Apoſtolus, quod hic docuit B. Auguſtinus.*

Qui & ſerm. 90. de Tempore: Dixit Moyſes Exod. 5. v. 3. Viam trium dierum ibimus in deſertum, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro, de quorum dierum Sacramētis dixit & Propheta Hoſeas cap. 6. v. 3. Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos. Prima dies Paſsio Domini Saluatoris eſt. Secunda, qua deſcendit ad infernum: Tertia autem reſurrectionis eſt dies. Tres etiam dies non incongruè poſſumus dicere Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus Sanctus dies eſt: & hi tres vnus dies: Et vt illo triduo Pharaone ſubmerſo populus Dei eripitur: ſic quādo in ſalutari lauacro tertio Chriſtiani merguntur originalia, & actualia peccata, in ſanguine Chriſti quaſi in mari rubro Aegypti ſepeliuntur.

Et ſermone 201. de Tempore: Quod tribus vicibus,

bus,*ait*, beatus Helias ad reſuſcitandum puerũ incuruatus eſt, 3. Reg. 17. myſterium Trinitatis oſtenditur: Viduæ enim filium, id eſt, populum gentium, nec ſolus Pater ſine Filio, nec Pater & Filius ſine Spiritu Sancto, ſed ſola Trinitas ſuſcitauit. Quod etiam in Sacramento Baptiſmatis demonſtratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, vt nouus ſurgere mereatur. *Tribus ergo merſionibus ſiue aſperſionibus in Baptiſmo vtendum: tum propter Sanctæ Trinitatis, tum ob Dominicæ mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis ſignificationem.*

Ab hoc inſtituto alienum non eſt miraculum, quo ad Sanctæ Trinitatis honorem Baptiſmatis aqua tribus horis creuit, & decreuit, ita enim legimus in Prato ſpirituali cap. 214. Soruba vicus quidam eſt ad radices montis, in quo ſita eſt Cæanenſium ciuitas: in eo baptiſterium eſt, quod in ſanctis Epiphaniis ſudat, qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur, & poſt peractum Baptiſma decreſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit. *Vbi & capite ſequenti aliud commemoratur, quod ſimiliter in Lycia contigit:* In Paſchali ſanctæ Reſurrectionis feſtiuitate, cùm ſit lapis vnus, ex ſeipſo continuò impletur, duratque aqua illa vſque ad Pentecoſten, moxque tranſacta Pentecoſte euaneſcit. *Eiuſdem generis miracula plura, quibus per aquam Baptiſmi ſuam præſentiam teſtata eſt Sancta Trinitas, videre licet apud ſanctum Gregorium Turon. libro 1. de gloria Martyrum cap.* 24. 25. 26. *& alios.*

Deus, qui diuerſitatem gentium in confeſſione tui nominis adunaſti, da, vt renatis fonte Baptiſmatis, vna ſit fides mentium & pietas actionum. Per Dominum noſtrum I E S V M C H R I S T V M *Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti* D E-

Eti D E V S. *Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

Capvt IX.

QVID CAVSAE CVR BAPTIZandus S. Trinitatis nomen diſertè profiteatur.

Poſſet alicui mirationem facere, cur in Baptiſmo tantopere ſanctæ Trinitatis fidem commendet, præcipiat, vrgeat Catholica Eccleſia: vt eam diſertè profiteri adulti, eam nomine infantium confiteri & ſpondere debeant ſuſceptores, eam diſertis verbis Baptiſmi forma ſignificet, indicet & materia. Tantine refert agnoſcere credere, confiteri & colere ſanctiſſimam Trinitatem? Cauſa huius rei ex duobus manat capitibus, quorum alterum eſt; quod Baptiſmus ſit initiatio & Chriſtianæ fidei ac religionis profeſſio. Alterum, quod fides & auguſtiſſimæ Trinitatis confeſſio, reliquorum dogmatum Chriſtianorum, non tantum ſit fons & origo, ſed etiam ſedes & fundamentum. Vtrumque certiſſimis comprobemus argumentis.

Quod Baptiſmus ſit hominis ad fidem & Chriſtianam religionem initiatio & conſecratio, inde planum eſt, quod baptiZandus teſtari debet ſe abrenunciare diabolo, omnibus pompis, & omnibus damnoſis operibus eius, atque fallaciis cunctis, vt habetur de Conſ. diſt. 4. c. 94. Primum interrogetur, & contra quod adhæreat, & ſe totum addicat Chriſto Domino, vt ex Agendis etiam manifeſtũ eſt. Ergo Baptiſmũ ſuſcipiẽdo, impio & damnatorio ſtatui renunciat, & ſe pio ac ſalutari Chriſtianæ religionis inſtituto mãcipat cõſecratque. Antiquiſſimus autem in Eccleſia mos fuit, & non niſi ab Apoſtolis & Chriſto

Chriſto Domino initium habens, vt Baptiſmo conſecrandus mundum prorſus repudiaret & diabolum. Sanctus Gregorius hom. 29. in Euang. In die Baptiſmatis omnibus nos antiqui hoſtis operibus, atque omnibus pompis abrenunciare promiſimus. Itaque vnuſquiſque veſtrum ad conſiderationem ſuam mentis oculos reducat, ſi ſeruet poſt Baptiſmum, quod ante Bapti[illegible]m ſpopondit. *Et ante B. Gregorium D. Auguſt. li[illegible].de Symb. ad Catec. cap. 4.* Huic inimico, *ait*, vos renunciare profeſsi eſtis, in qua profeſsione nõ hominibus, ſed Deo & Angelis conſcribentibus dixiſtis: Renuncio. Renunciate non ſolum verbis, ſed etiam moribus, non tantum ſono linguæ, ſed & actu vitæ, nec tantum labiis ſonantibus, ſed operibus pronunciantibus. *Qui S. Auguſtinum & ad Catholicam fidem perduxit, & ſalutari fonte abluit B. Ambroſ. lib. 1. de Sacramentis cap. 2.* Venimus, *ait*, ad fontem, ingreſſus es. Occurrit tibi Leuita, occurrit preſbyter, vnctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſæculi luctaturus. Quando te interrogauit: Abrenuncias diabolo & operibus eius, quid reſpondiſti? Abrenuncio. Abrenuncias ſæculo & voluptatibus eius? quid reſpondiſti? Abrenuncio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis: Chirographum tuum tenetur non in terra, ſed in cœlo: Ergo abrenunciaſti mundo, abrenunciaſti ſæculo, eſto ſollicitus. Qui pecuniam debet, ſemper cautionem ſuam conſiderat. Et tu qui fidem debes Chriſto, fidem ſerua, recordare, quid promiſeris. *S. Cyprianus epiſt. 7.* Sæculo renunciaueramus, cum baptizati ſumus. *Et Tertul. lib. de corona militis:* Aquam, *inquit*, adituri ibidem, ſed & aliquanto poſt in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu cõteſtamur, nos renunciare diabolo & pom-

& pompæ & angelis eius. *S. Dionyſius Areopagita cap. 1. de Eccleſiaſtica hierarchia ait, quod Baptiſmate tingendus ter in Sathanam exſufflauerit, & ter ſolennibus verbis renunciauerit. Quorum verborum formula in Apoſtolicis reperitur Conſtitutionibus, Seſſ. 7. c. 4. apud Clementem S. Pauli diſcipulum, & S. Petri in Pontificatu ſucceſſorem: quæ eſt talis:* Abrenũcio Sathanæ & operibus eius, pompis, cultui, angelis, & machinationibus eius. *Ex his conſtat & manifeſtum eſt, baptizatum dæmoni, mundo, eorumque inſtinctibus & conſiliis nuncium remiſiſſe, & ſe ab eo infelici ſtatu abdicaſſe.*

Nunc quod & Chriſto Deo ac Domino noſtro ſe addixerit conſecraueritque, vt ipſius doctrinam & præceptiones amplecteretur, videamus. Teſtis omni exceptione maior eſt ſanctus Gregorius Nazianzenus Oratione in ſanctum Baptiſma: Vt compendio, *ait*, dicam, nihil aliud eſſe vim & facultatem Baptiſmi exiſtimare debemus, quàm ſecundæ vitæ puriorisque & præſtantioris inſtituti pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximè in metu omnes eſſe debemus, atque animas noſtras accuratiſsima cuſtodia ſeruare, ne falſam confeſsionem edidiſſe comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta obfirmanda, Deus medius adhiberi ſoleat, quãto tandem periculoſius eſt, magiſque extimeſcendum, ne fœdera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur, ac præter alia peccata ipſius quoque mendacij apud veritatis tribunal rei peragamur? *Eandem obligationem, & ad Chriſti Domini leges viuendi deuotionem Apoſtolus nobis indicat, Gal. 3. v. 27.* Quicunque, *ait*, in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Et Coloſſ. 3. v. 3.* Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Eſt itaque Baptiſmus perfidiæ & impietatis dereli-

ctio,& veræ fidei pietatiſque complexio: qua de cauſa & Sacramentum fidei, hoc eſt, quo Catholicam fidem teſtamur & profitemur, nominatur. Ita S. Auguſtinus epiſtola 23. ad Bonif. & habetur de Conſ. diſtin. 4. c. Nihil eſt. 75. Sacramentum fidei fides eſt: Nihil eſt autem credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum reſpondetur paruulus credere, qui fidei nondum habet affectum, reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & conuertere ſe ad Deũ propter conuerſionis Sacramentum. Itaque paruulum etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, ſed intelliget, eiuſque veritati conſona etiam voluntate coaptabitur. *Plura ibidem S. Auguſt. quæ & recenſentur de Conſ. diſt. 4. c. 129. Quæris a me. Hactenus ſatis copioſè & perſpicuè declarauimus, Baptiſmum eſſe Chriſtianæ fidei ac religionis initiationem, profeſſionem, ac ſuſceptionem.*

Nunc & alterum caput explicandum: quod nimirũ Chriſtianæ fidei ac religionis primarium dogma, & aliorum articulorum baſis ac fulcimentum ſit præcellentiſſima Trinitatis fides & confeſſio. S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico ſuo. Mihi, *inquit*, nequaquam res ea leuis momenti, nec parui ſpiritus eſſe videtur, vnicuique verbi perinde ac tritici menſuram tempeſtiue dare, ac dogmatum noſtrorum veritatem cum iudicio diſpenſare, de intelligentibus naturis tam bonis, quàm malis; de prouidentia omnia conſtringente & gubernante: de prima noſtri creatione, & poſtrema inſtauratione: de prima & ſecunda Chriſti præſentia,

ſentia, de Incarnatione, & tormentis ac morte, de reſurrectione, de fine, de iudicio ac mercede tam triſti, quam læta & illuſtri, quodque doctrinæ noſtræ fideique caput eſt, quid de principe, & regia ac beata Trinitate credendum ſit, explicare. *In eandem cum B. Gregorio ſententiam it, qui & id temporis vixit. S. Ephram de recta viuendi ratione c. 46.* Rebus omnibus, *inquit*, tibi anteponenda eſt fides ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis; quod ſine ea vitâ, quæ verè vita eſt, viuere nemo queat. *Et V. Beda in lib. de Trinitate Boetij.* Eſt fundamentum fidei noſtræ, vt credamus eſſe vnam diuinam eſſentiam, & tres perſonas diſtinctas.

Id ipſum quod modo tractamus, videlicet dogma de S. Trinitate eſſe Chriſtianæ fidei ac religionis caput, tria illa celeberrima, & in Catholica Eccleſia vſitatiſſima Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, & S. Athanaſii cōuincunt. Symbolum, collationem, indicium, teſſeram, ſiue ſignum militare ſignificat. Apoſtolicum verò dicitur, quòd ab ipſis Apoſtolis confectum & traditum ſit; vt eſſet breuis fidei Chriſtianæ complexio, & norma, ad quam ſe tàm doctores quàm diſcipuli conformarent, & Catholici ab hæreticis & infidelibus internoſcerentur. De hoc ita ſcribit S. Clemens epiſt. 1. ad fratrem Domini: Chriſto reſurgente & aſcendente in cœlum, & miſſo Sancto Spiritu, collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in vno poſiti, Symbolum, quod fideliſsimè tenet Eccleſia, vnuſquiſque quod ſenſit, dicendo condiderunt, vt diſcedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Symbolum Græcè, Latinè collatio dicitur: Et hoc prædicti Sancti Apoſtoli inter ſe per Spiritum Sanctum ſalubriter condiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc qui rectè crediderit, indicatur. *S. Auguſtinus ſerm. 181. de Tempore, qui eſt ſermo 1. in Vigilia Pent.* Sancti Apoſtoli,

poſtoli, *inquit*, certam regulam fidei tradiderũt, quam ſecundum numerum Apoſtolicum, duodecim ſententiis comprehenſam ſymbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hęreticam conuincerent prauitatem. Et ne localiter ab inuicem diſcedentes, diuerſum vel diſſonum prædicarent his, qui ad fidem Chriſti inuitabantur. *De hoc eodem Symbolo ab Apoſtolis concinnato, Irenæus lib. 1. cap. 2. S. Leo ſerm. 11. de Domini Paſſ. epiſtola 13. ad Pulcheriam Auguſtam. B. Hieron. epiſt. 61. ad Pammachium. Ruffinus expoſ. in Symb. Apoſtolicum. S. Maximus hom. de Symb. Et quid ſancti Apoſtoli in hoc ſuo Symbolo, in hac fidei formula potiſſimum credendum proponunt? nonne S. Trinitatis myſterium? Nonne requirunt, vt Chriſtianorũm quiſque, vt quam de Beatiſſima Trinitate fidem animo imbibit, diſertis verbis cõfiteatur & dicat:* Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et (*credo ſc.*) in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum. Credo in Spiritum Sanctum?

Concilium vero Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Florentinum in Symbolo, quod in Miſſa canitur & legitur ſacrificio clarius, & copioſius S. Trinitatis myſterium explanant, & ſic credendum præcipiunt. Verba ſunt: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, &c. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt

per

per Prophetas, &c. *Nonne iſti ſancti Patres omnem induſtriam in commendanda nobis ſacroſanctæ Trinitatis fide conſerunt?*

Sanctus etiam Athanaſius, ita ſuum exorditur Symbolum: Quicunque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem. Quam niſi quiſque integram inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neq; confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas, &c.

Cum itaque Baptiſmus ſit fidei Sacramentum, & Chriſtianæ religionis profeſſio, ac in Catholicam Eccleſiam introitus; fides verò & religio potiſſimum verſetur circa ſanctæ Trinitatis myſterium credendum, ſuſpiciēdum, amandum, colendum, meritiſſimè præ aliis fidei articulis & dogmatibus, hunc initio Chriſtianiſmi ſuſcipiendi inculcat & vrget Eccleſia. Elegans prorſus, & inſtituto noſtro maxime conueniens hic ſubiiciam exemplum, quod, vt olim auditoribus fletum mouit, ita & nunc Lectoribus lachrymas afferre poterit. Agitur de quodam Catholicæ, de S. Trinitate, fidei perduelle, cui & idcirco Baptiſmus in nomine indiuiduæ Trinitatis ſuſceptus, & accuſator & exitium futurus erat. His autem verbis illud memoriæ prodit S. Victor Vticenſis l. 3. Vandalicæ Perſecutionis: Dum media vrbe cæderentur (*Clerici ob S. Trinitatis confeſſionem*) Murittæ Diaconi libertatem tacere non debeo. Fuit quidam Elpidoforus nomine, nimium crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra confeſſorum Chriſti ſuppliciis graſſantibus laniare. Hic enim dudum fuerat apud nos in Eccleſia Fauſti

 bapti-

baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alueo fontis ſuſceperat generatum. Poſt verò dum apoſtataret, tantæ extitit feritatis aduerſus Eccleſiam Dei, vt ſuperior omnibus executor perſecutionis fuiſſet inuentus. Quid multa? Dum primo presbyteri ſuppliciis mactandi ordine citarentur, poſt Archidiaconum ſalutarem, citatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim ſecundus in officio miniſtrorum. Qui cum Elpidoforo ſedente & fremente, honorabilis ſenior cœpiſſet extendi, priuſquam exueretur, clam furto neſcientibus cunctis, illa quibus eum ſuſcipiens de fonte dudum texerat ſabana baiulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouiſſe dicitur ciuitatem. Hæc ſunt linteamina Elpidofore miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis, cuſtodiente diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hęc te acrius perſequentur, flammãtem gehennam cum cœperis poſſidere; quia induiſti te maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri Baptiſmatis & fidei Sacramentum. Quid facturus es miſer, cum ſerui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum ſtolam Rex conſpiciet: nuptialem, dicetque tibi: Amice, quomodo huc veniſti veſtem non habens nuptialem? Non video, quod contuli, non noſco, quod dedi. Perdidiſti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem menſibus texi, & tendiculas crucis, quas extendens aquam mundaui,

daui, & purpura mei ſanguinis decoraui, non conſpiciunt oculi mei: caracterem non video Trinitatis, talis intereſſe nō poterit epulis meis, ligate eum pedibus & manibus funiculis ſuis, quia ſeipſe voluntariè ſeparare voluit à Catholicis dudum fratribus ſuis. Ipſe funes extendit continuatos in laqueum, quibus & ſemetipſum vinxit, & alios ne ad iſtud venirent conuiuium, impediuit. Iuxta ſemitam multis ſcandalū poſuit, quem nunc cum rubore perpetuo, & dedecore ſempiterno, de conuiuio meo proieci. Hęc & alia Munitta dicente: ignę conſcientia ante ignem æternum obmuteſcens Elpidoforus terrebatur. Parantes igitur vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergunt. *Quæ hic Auctor vocat Sabana, & lintheamina erit alba veſtis, quā Sacerdos baptizandi capiti imponit dicens. Accipe veſtem ſanctam, candidam, & immaculatam: quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Ad alia modo de ſanctißima Trinitate teſtimonia ſtylus conuertatur.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeßione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem, quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alueo fontis ſuſceperat generatum. Poſt verò dum apoſtataret, tantæ extitit feritatis aduerſus Eccleſiam Dei, vt ſuperior omnibus executor perſecutionis fuiſſet inuentus. Quid multa? Dum primo presbyteri ſuppliciis mactandi ordine citarentur, poſt Archidiaconum ſalutarem, citatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim ſecundus in officio miniſtrorum. Qui cum Elpidoforo ſedente & fremente, honorabilis ſenior cœpiſſet extendi, priuſquam exueretur, clam furto neſcientibus cunctis, illa quibus eum ſuſcipiens de fonte dudum texerat ſabana baiulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouiſſe dicitur ciuitatem. Hæc ſunt linteamina Elpidofore miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis, cuſtodiente diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hæc te acrius perſequentur, flammãtem gehennam cum cœperis poſsidere; quia induiſti te maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri Baptiſmatis & fidei Sacramentum. Quid facturus es miſer, cum ſerui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum ſtolam Rex conſpiciet: nuptialem, dicetque tibi: Amice, quomodo huc veniſti veſtem non habens nuptialem? Non video, quod contuli, non noſco, quod dedi. Perdidiſti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem menſibus texi, & tendiculas crucis, quas extendens aquam mundaui,

daui, & purpura mei ſanguinis decoraui, non conſpiciunt oculi mei: caracterem non video Trinitatis, talis intereſſe nō poterit epulis meis, ligate eum pedibus & manibus funiculis ſuis, quia ſeipſe voluntariè ſeparare voluit à Catholicis dudum fratribus ſuis. Ipſe funes extendit continuatos in laqueum, quibus & ſemetipſum vinxit, & alios ne ad iſtud venirent conuiuium, impediuit. Iuxta ſemitam multis ſcandalū poſuit, quem nunc cum rubore perpetuo, & dedecore ſempiterno, de conuiuio meo proieci. Hęc & alia Munitta dicente: ignę conſcientia ante ignem æternum obmuteſcens Elpidoforus terrebatur. Parantes igitur vniuerſi dorſa ſua verberibus, alacres ad exilium pergunt. *Quæ hic Auctor vocat Sabana, & lintheamina erit alba veſtis, quā Sacerdos baptiZandi capiti imponit dicens. Accipe veſtem ſanctam, candidam, & immaculatam: quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Ad alia modo de ſanctiſſima Trinitate teſtimonia ſtylus conuertatur.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem, quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Caput X.

Variis Christi Domini ſententiis apud S. Ioannem monſtratur S. Trinitas.

IDoneus maxime celſiſſimæ Trinitatis teſtis eſt S. Ioannes Apoſtolus, qui tanquam perſpicaciſſima Aquila, in fulgentiſſimum & immenſo lumine coruſcātem diuinitatis ac B. Trinitatis Solem, irretortum contemplationis obtutum defixit. Sic ergo apud hunc Euangeliſtam ſuum & dilectum diſcipulum Saluator loquitur cap. 14. *v.* 14. 15. 16. 17. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. *Trium Perſonarum diſtinctio hic oſtenditur: Filius rogans, Pater rogandus, Paracletus mittendus, & vnitas naturæ cum vterque Filius & Spiritus Sanctus paracletus vocatur, vt notauit S. Auguſtinus ſerm.* 185. *de Tempore, vel ſer.* 1. *in Feria ſecunda Pentecoſtes. Ita autem ipſe loquitur:* Poſt illam ſingularem inſignemque victoriam, qua publicus propugnator mundo & militauit, & vicit, poſtquam fragilitatem conditionis noſtræ non ſolum de inferis eruit, ſed etiam in regni ſui excelſa ſubuexit, in hac die iuxta verbū ſuum Sanctum Spiritum donauit, de quo iam Apoſtolis ſuis dixerat. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Alium vtique non minorem, alium paracletum, id eſt, ſimilis gloriæ, vel naturæ, eiuſdemque ſubſtantiæ: vt diſcipulorum fides veridica ſpōſione ad expectationem tanti muneris pręparata, illum quem ſibi

ſibi à Domino in locũ Dei promiſſum eſſe meminiſſet, verum Deum eſſe cognoſceret. Et alium, inquit, paracletum, maieſtatis, intellige, ſocium, quem maieſtati proſpicis comparatum. Et ego rogabo, inquit, Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Quam benè ſub titulo promiſsionis, diſtinctionem applicuit Trinitatis? Pater eſt, qui indicatur rogandus: Filius eſt, qui intelligitur rogaturus, Spiritus Sanctus, qui promittitur à Patre mittendus. Quanta, & quàm ineffabilis pietas Redemptoris? Hominem portauit ad cœlum, & Deum miſit ad terras. Quanta eſt authori cura pro inſtauratione creaturæ ſuæ? Ecce iterum noua dę ſupernis medicina mittitur: ecce iterum infirmos ſuos per ſeipſam maieſtas viſitare dignatur. Ecce iterum humanis diuina miſcẽtur, id eſt, vicarius redemptoris: vt beneficia, quæ Saluator Dominus inchoauit, pęculiari Spiritus Sancti virtute conſummet: & quod ille redemit, iſte ſanctificet, quod ille acquiſiuit, iſte cuſtodiat: ac ſi vnitas Deitatis per vnitatem gratiæ ac muneris approbatur, vt Spiritus Sanctus Deus in ſubſtantia vnus, in perſona alius, æquali miſeratione vnicus, æquali reuerentia ſit colendus. *Neque aures pias offendere, ſed demulcere debet, quod ait Saluator:* Rogabo Patrem. *Loquitur enim hic vt homo: qui paulò ante vt Deus dixerat:* Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam, *non dixit, rogabo Patrem, vt donet vobis, ſed ego tribuam ipſe. Sed & in eadem ſententia ſuam demonſtrat diuinitatem, cum dicit:* alium paracletum; *ſe enim æquat Spiritui Sancto, cui & æqualis eſt, & cum hic polliceatur ſe Patrem precaturum, vt Spiritum illis Sanctum mittat, Ioannis 16. v. 7. promittit ſe illum miſſurum.* Si non abiero, *inquit,* paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero,

mittam eum ad vos. *Loquitur ergo nunc vt homo, nunc vt Deus, ſuam vt vtramque naturam demonſtret. Etſi igitur ipſe vna cum Patre Spiritum Sanctum largitur.* Rogabo, *tamẽ dixit, vt intelligeret meritis ſuis quæ habuit vt homo, & ſua interceſſione qua precatur pro nobis vt homo, perfectum eſſe, vt Spiritus Sanctus donaretur nobis.*

Eſt alius in hoc ipſo 14. cap. S. Ioannis ver. 25. & 26. pro confirmando S. Trinitatis myſterio locus: vbi Dominus noſter ſic loquitur: Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. *Pater in nomine Vnigeniti Filij ſui ſanctum mittit Spiritum. Illud autem,* In nomine meo, *ſignificat, loco meo, pro me, qui vices meas gerat, qui mea exequatur opera. Quaſi dicat: Ego quidem hominum redemptionem perfeci, ſed Spiritus Sanctus veniet, vt homines doceat, ſanctificet, & ad ſalutem perducat. Sic & Ioannis 5. v. 43. ait Dominus:* Ego veni in nomine Patris mei: *id eſt, vt facerem quæ Pater, ſi veniſſet, facturus fuiſſet, vt tractarem rem & negotium Patris. Tertius pro ſumma Trinitate locus eſt Ioann. 15. v. 26.* Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.

His aliud adiungatur teſtimonium ex 1. epiſt. S. Ioãnis cap. 5. v. 7. & 8. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlis, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres vnum ſunt. *Sed quid hæc vltima ſententia ad* S. Trinitatem? *Doceat id nos* S. *Aug. li. 3. cõtr. Maximin. c. 22.* Tres ſunt teſtes, *ait,* ſpiritus, aqua, & ſanguis, & tres vnum ſunt. Hæc Sacramenta ſunt, in quibus non quid ſint, ſed quid oſtendãt,

ſemper

ſemper attenditur: quoniam ſigna ſunt rerum, aliud exiſtentia, & aliud ſignificantia. Tria nouimus de corpore Domini exiſſe, cum penderet in ligno. Primo Spiritum. vnde ſcriptum eſt Ioannis 19. verſ. 30. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Deinde quando lancea latus eius perforatum eſt, ſanguinem & aquam. Quæ tria ſi per ſeipſa intuemur, diuerſas habent ſingula quæque ſubſtantias. Ac per hoc non ſunt vnum. Si verò ea, quæ his ſignificata ſunt, velimus inquirere, non abſurdè occurrit ipſa Trinitas, quę vnus, ſolus, verus, ſummus Deus eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, de quibus veriſsime dici potuit: Tres ſunt teſtes, & tres vnum ſunt: vt nomine Spiritus ſignificatum accipiamus Deum Patrem. De ipſo quippe adorando loquebatur Dominus, vbi ait Ioannis 4. verſ. 24. Spiritus eſt Deus. Nomine autem ſanguinis Filium: quia Verbum caro factum eſt, Ioannis 1. verſ. 14. Et nomine aquæ Spiritum Sanctum. Cum enim de aqua loqueretur IESVS, quam daturus erat ſitientibus, ait Euangeliſta Ioannes cap. 7. verſ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: Teſtes verò eſſe, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quis Euangelio credidit, & dubitat? dicente Filio Ioannis 8. verſ. 18. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater: Vbi etſi non eſt commemoratus Spiritus Sanctus, non tamen intelligitur ſeparatus, ſed nec de ipſo alibi tacuit, eumque teſtem ſatis apertè monſtrauit. Nam cum illum promitteret, ait Ioannis decimoquinto verſu vigeſimoſeptimo: Ipſe teſtimonium perhibebit de me. Hi ſunt tres teſtes, & tres vnũ ſunt; quia vnius ſubſtantiæ ſunt.

Quod

Quod autem ſigna, quibus ſignificati ſunt, de corpore Domini exierunt, ſignificauerunt Eccleſiam prædicantem Trinitatis vnam eandemque naturam; quoniam hi tres, qui trino modo ſignificati ſunt, vnum ſunt. Eccleſia verò eos prædicans corpus eſt Chriſti. Sic ergo tres res, quibus ſignificati ſunt, ex corpore Domini exierunt, ſicut ex corpore Domini ſonuit, vt baptizarentur omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Matth. 28. In nomine, nõ in nominibus. Hi enim tres vnum ſunt, & hi tres vnus eſt Deus. *Iſta S. Auguſt.*

His adiungatur illa S. Trinitatis laus, quam ſancta illa, & myſtica animalia ſimiliter ac Seraphini ſuo hymno tribuunt, Apoc. 4. *v.* 8. Requiem, *inquit S. Ioannes,* non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. S. *Athanaſius in dictum illud:* Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, *Matth.* 11. *v.* 27. Trinitas, *ait,* vndecunq; laudabilis, & venerabilis, & adoranda vna eſt, & indiuiſibilis, & quę figura exprimi nequeat. Cõiungunt autem hæ ſanctificationes pro inſecabili illa vnitate. In eo enim ipſo, quo ampliſsima animantia tertio proferunt glorificationẽ, dum aiunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, triplici numero tres perfectas, abſolutas, integras perſonas oſtẽdunt, quemadmodum ſub vnica voce, Dominus, vnam ſubſtantiam declarant.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem ſicut tuus Filius promiſit, veritatem. Qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum,

Amen.

CAP.

CAPVT XI.

BEATISSIMA TRINITAS DOcetur ab Apoſtolo.

TErtium in cœlum ſublatus ac diuinorum arcanorum conſcius ſi poſtremus numero non dignitate, ſanctiſſimæ Trinitatis teſtis in medium prodeat S. Paulus Apoſtolus, de quo ipſius laudator & ſectator ita ſcribit B. Auguſtin. in inchoata ad Romanos epiſtolæ expoſitione, quod in omnium epiſtolarum ſuarum exordio ferè ſemper S. Trinitatis meminerit hac ſalutatione: Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratia eſt, *ait*, qua nobis peccata remittuntur, quibus aduerſabamur Deo. Pax verò ipſa, qua reconciliamur Deo. Cum enim per gratiam remiſsis peccatis abſumptæ fuerint inimicitiæ, reſtat vt pace adhæreamus illi, à quo nos ſola peccata dirimebant, Iſai. 59. v. 2. Quod autem Apoſtolus gratiam & pacem à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto dicit, nō adiungens etiam Spiritum Sanctum: non mihi alia ratio videtur, niſi quia ipſum donum Dei Spiritum Sanctum intelligamus. Gratia porrò & pax, quid aliud eſt, quàm donum Dei? Vnde nullo modo dari hominibus gratia poteſt, qua liberamur à peccatis: & pax qua reconciliamur Deo, niſi in Spiritu Sancto: Et ideo ipſa Trinitas, pariterq; incommutabilis vnitas, in iſta ſalutatione cognoſcitur. *Quod & in Canonicis aliorum Apoſtolorum epiſtolis myſterium Beatiſſimæ Trinitatis oſtendit ibidem Diuus Auguſtinus.*

Qui & lib. de fide & Symb. cap. 9. Ipſa ſignificatur Trinitas, cum Apoſtolus dicit Rom. 11. v. 35. Quoniam ex ipſo,

ex ipſo,per ipſum,&in ipſo ſunt omnia.Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. *Et in Comment. Pſ.4.v.3.* Rex meus & Deus meus. Non duos aut tresDeos fidesCatholica prędicat,ſed ipſam Trinitatē,vnum Deum. Non vt eadē Trinitas poſſit aliquando Pater,aliquādo Filius,aliquando Spiritus S.dici,ſicut Sabellius credidit:ſed vt Pater non niſi Pater,& Filius non niſi Filius& Spiritus S. nō niſi Spiritus S.& hæc Trinitas nō niſi vnus Deus. Quia cùm dixiſſet Apoſtolus: Ex quo omnia,per quem omnia,in quo omnia, Trinitatē ipſam inſinuaſſe creditur,nec tamen ſubiecit, ipſis gloria,ſed ipſi gloria. *Et li.1.doct. Chriſt.cap.5.* Nec facile,*ait*,inuenio nomen,quod tātę excellentiæ conueniat,niſi ꝙ melius ita dicitur: Trinitas hæc vnus Deus,ex quo per quem,& in quo ſunt omnia:eadem vna ſubſtantia; vnus tamen non eſt alter;eadem tribus poteſtas, eadē æternitas,eadem incommutabilitas, eadē maieſtas; in Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu S. vnitatis æqualitatiſq; concordia. Et tria hæc, vnum omnia propter Patrē, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritū S. Dum videlicet ſingulis appropiantur, quæ re ipſa omnibus ſunt cōmunia. Vt nimirum omnia dicantur æqualia propter Filiū: quia Filius primum eſt æquale Patri. Omnia dicuntur cōnexa propter Spiritū S. quia Spiritus Sanctus procedit vt nexus,vt amor & concordia Patris & Filij. *Et lib.1. de Trinit. c. 6.* Dicit Apoſtolus,*ait*, de Patre,& Filio,& Spiritu Sancto:Ex ipſo,per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Vt ſingula ſingulis perſonis tribuantur: Ex ipſo, id eſt, Patre,per ipſum,id eſt, per Filium, in ipſo, id eſt in Spiritu Sancto: & manifeſtum eſt, quod Pater, & Filius, & Spiritus

tuis Sanctus, vnus Deus eſt, quando ſingulariter intulit. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum.

Hanc ſuam Pauli interpretationem colligit ex eodem Apoſtolo B. Aug. 1. *Cor.* 8. *v.* 6. Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quē omnia, & nos per ipſum. Ergo ex Patre omnia, per Filiū omnia, in Spiritu S. omnia, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 12. v. 13. In vno Spiritu omnes nos in vnū baptizati ſumus. Et ad Eph. 2. v. 18. vbi & totam nominat Trinitatem: Per ipſum Chriſtum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu. *Sic & Apoſtolum exponit S. Baſil. li.* 5. *cont. Euno. c.* 14. *Et de Spiritu S. c.* 5. *Et S. Greg. Naz. Orat. in S. lumina:* Nobis, *inquit*, vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & vnus Spiritus Sanctus, in quo omnia. In quibus verbis hæ particulæ: Ex quo, per quem, & in quo, non naturas ſecant, & diſtrahunt, verum vnius & inconfuſæ naturæ proprietates exprimunt. Idque ex eo perſpicuè conſtat, quod rurſus in vnum contrahuntur, ſi modo quis illud apud eundem Apoſtolum non neglectim atque oſcitanter legat: Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia. Ipſi gloria in ſæcula ſęculorum. *Itaque ex ipſo vt primo efficiente principio omnia producta ſunt per ipſum vt generale gubernatorem diſponuntur, regūtur, & in fines ſuos diriguntur omnia. In ipſo vt conſeruatore durant, conſiſtunt, & operantur omnia. Quanta hæc beneficiorū multitudo & magnitudo ab vno & trino Deo in omnes creaturas profluens. O fons bonorum omniū Trinitas! B. Greg. li.* 29. *Mor. c.* 28. Paulus, *ait*, vt operationem S. Trinitatis oſtenderet, ait: Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, atq; vt vnitatē eiuſdem Trinitatis intimaret, protinus addidit: Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Qui

Qui igitur non ipſis,ſed ipſi ſubdidit, vnum naturaliter,tria secũdum perſonas innotuit, quod ſuperius tertiò idipſum dixit. *Explanat eodem modo hanc Apoſtoli ſententiam S.Hilarius lib.8. de Trinit. & alij Sancti Patres. Illud autem ſummopere accurandum nobis, vt S.Trinitatem bonorum omnium originem & auctricem maximis ſemper honoribus & laudibus proſequamur.* Ipſi gloria,*ait Apoſtolus.*

De quo hunc in modum diſſerit ſanctus Auguſtinus lib.1.de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap.14. Deum,*inquit,* diligere debemus trinam quandam vnitatem Patrem,Filium,&Spiritum Sanctum,quod nihil aliud dicam eſſe,niſi idipſum eſſe.Eſt enim verè ſummeque Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Hæc verba Pauli ſunt. Quid deinde ſubiicitur ? Ipſi gloria. Sinceriſsimè omnino. Neque enim ait: Ipſis: nam vnus eſt Deus. Quid eſt autem, ipſi gloria, niſi ipſi optima & ſumma & latè patens fama ? Quanto enim melius & diffuſius diffamatur,tanto diligitur & amatur ardentius. Quod cum ſit, nihil aliud ab humano genere,quam certo &conſtanti gradu,in optimam vitam & beatiſsimam pergitur. Nam quid erit optimum hominis,niſi cui inhærere eſt beatiſsimum ? Id autem eſt ſolus Deus, cui hærere certè non valemus niſi dilectione, amore,caritate. *Rurſuſque 1.Cor.12.v.4.5.6. trium perſonarum ab Apoſtolo ſit mentio, vt opera ſanctæ Trinitatis demonſtrentur indiuiſa, & Spiritus ſanctus primo loco ponitur,& vltimo Pater,propter eos, vt notat Theophylactus, qui in Trinitatis ordine ſunt nimis curioſi.Verba Apoſtoli ſunt illa:* Diuiſiones gratiarum ſunt(*in Eccleſia*)idem autem Spiritus(*ſanctus illas diſtribuens*) & diuiſiones miniſtrationũ (*officiorum,miniſteriorum*) ſunt, idem autem Dominus(*Ieſus Chriſtus, à quo illa conferuntur*) & di-

uiſiones

uiſiones operationum (*miraculorum*) ſunt, idem verò Deus (*Pater*) qui operatur omnia in omnibus. *Primò loco Apoſtolus poſuit Spiritum Sanctum, & tertio loco Patrem: quia etſi in præcelſiſſima Trinitate ſit ordo originis, quia Filius eſt à Patre, & ab vtroque Spiritus Sanctus, dignitatis tamen ordo ibi nullus eſt: quia, vt ait S. Athanaſius in Symbolo*: In hac Trinitate, nihil prius aut poſterius: nihil maius aut minus: ſed totæ res perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. *Et S. Auguſtinus epiſt. 66. ad Maximũ*: Hæc Trinitas eſt vnius eiuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ, non minor in ſingulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in ſingulis, ſed tanta in ſolo Patre, vel in ſolo Filio, & Spiritu Sancto. Neque enim Pater vt haberet Filium de ſe ipſo, minuit ſeipſum, ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe, & eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus. Similiter & Spiritus Sanctus integer de integro, non præcedit, vnde procedit, ſed tantus cum illo, quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc omnia nec confuſè vnum ſunt, nec diſtinctè tria ſunt, ſed cùm ſint vnum, tria ſunt, & cùm ſint tria, vnum ſunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium ſuorum donauit, vt eſſent cor vnum, quanto magis conſeruat in ſeipſo, vt ſint hæc tria, & ſingula Deus, & ſimul omnia non tres Dij, ſed vnus Deus. Hic eſt vnus Dominus Deus noſter, cui vniuerſa pietate ſeruitur, cui ſoli latria debetur.

Eandem S. Pauli ſententiam explanans S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 29. in 1. Corinthiacam: Vides, *ait*, quod nullam, in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti gratiis differentiam oſtendit? non quod perſonas confundat, abſit: ſed vt ſubſtantiæ oſtendat paritatem. Quod enim Spiritus largitur, idem &

Deum operari, idem & Filium ordinare & prębere dicit. Atqui ſi minus eſſet hoc illo, aut illud hoc, non vtique ita poſuiſſet. *Sed & diſertè S. Trinitatis commeminit Apoſtolus 2. Cor. 13. v. 13. cùm ita precatur*: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen. *S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto c. 13.* Manet in nobis cum Patre, & Filio Spiritus Sanctus. Vnde & Apoſtolus cum gratia Ieſu Chriſti & charitate Dei, communicationem Sancti Spiritus copulauit. Aduertimus igitur, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in vno eodemque per naturæ eiuſdem maneant vnitatem. *Et in huius epiſtola Commentario S. Ambroſius:* Trinitatis, *inquit*, hic complexio eſt, & vnitas poteſtatis, quæ totius ſalutis perfectio eſt. Dilectio enim Dei miſit nobis Saluatorem Ieſum, cuius gratia ſaluati ſumus, vt poſsideamus hanc gratiam ſalutis, communicatio facit Sancti Spiritus. Hic enim dilectos à Deo & ſaluatos gratia Chriſti tuetur. *Poſſunt autem hæc verba vel de increata gratia, caritate, & communicatione intelligi, vel de creata, vt vel ſit ſenſus: Beneuolentia Chriſti vobis optimè cupientis, & caritas Dei Patris vos amantis, & communicatio, id eſt, communis ille amor & participatio Spiritus Sancti, qua ipſe cum Patre & Filio omnia bona diuina participat & communia habet, & deinde nobiſcum communicat, ſit & permaneat vobiſcum. Vel vt de creata, & temporali quæ ex increata & ſempiterna manat, ea Apoſtoli ſententia accipiatur hoc ſenſu: Gratia, quam largitur Chriſtus, caritas, quam tribuit Pater, dona quæ impertit Spiritus Sanctus, ſint, perſeuerentque vobiſcum. Quod & ait Apoſtolus Epheſ. 4.* Vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus. *Sanctus Hieronymus in Commentario ſuo de celſiſſima Trinitate*

nitate explicat. Vnus eſt enim Deus & Pater, ſiue procreator vniuerſarum rerum. Et quidem Deus Pater eſt ſuper omnes, quia auctor eſt omnium. Per omnes Filius, quia cuncta tranſcurrit, vaditque per omnia. In omnibus Spiritus Sanctus, quia nihil abſque eo eſt. Quidam hoc, quod ſcriptum eſt, ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus ad Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſic aſtimant eſſe referendum, vt ſuper omnia Pater ſit: quia auctor eſt omnium, per omnes Filius, quia per Filium creata ſunt omnia: in omnibus Spiritus Sanctus, ipſe enim credentibus datur, & templum ſumus Spiritus Sancti, & Pater & Filius habitant in nobis. Adducit & hac & alia Apoſtoli loca S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr in expoſitione fidei de S. Trinitate, Eph. 2. v. 20. Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto, *Epheſ. 3. v. 14.* Huius rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis pro maxima gloria ſua, vt vi roboremini per eius Spiritum in nouum hominem. & *2. Cor. 1. v. 21.* Deus autem, qui nos vobiſcum in Chriſto confirmat, noſque vnxit, & nos ſignauit, deditq; pignus Spiritus in cordibus noſtris. *Gal. 4. v. 6.* Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui clamantem in corda veſtra, Abba Pater. *Maximus B. Trinitatis venerator S. Paulus eandem laudatiſſimam indicat Trinitatem, cum ait 2. Cor. 2. v. 17.* Sicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur. *S. Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam q. 11.* Notandum, *ait*, quod myſterium Trinitatis in huius capituli fine monſtretur. Ex Deo enim in Spiritu Sancto coram Deo Patre, in Chriſto loquimur, Ex Deo Spiritu Sancto, qui loquitur in

 nobis.

Digitized by Google

nobis. *Matth.* 10. *v.* 20. coram Deo Patre, quem ſemper præſentem intuemur. *Pſ.* 15. *v.* 8. in Chriſto Dei Filio, pro quo legatione fungimur. 2. Cor. 5. 1. *Petr.* 1. *v.* 2. *inſinuatur S. Trinitas.* Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti electis aduenis, &c. ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia vobis & pax multiplicetur.

Potentiſſima Trinitas, ex qua ſumus, quicquid ſumus, ſapientiſſima Trinitas, per quam ſuauiſſimè gubernamur, benigniſſima Trinitas, in qua ſubſiſtimus & conſeruamur: Tua eſt magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria, tibi laus: cuncta enim quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt, tuum eſt regnum, & tu es ſuper omnes gentes, 1. *Paralyp.* 29. *verſ.* 11.

Capvt XII.

VNANIMIS SS. PATRVM DE Summa Trinitate ſententia.

Hanc de ſumma ac ſanctiſſima Trinitate fidem ex diuinis monimentis, & ex Apoſtolica traditione edocti SS. Patres, & illam firmiſſimè cuſtodieruñt, & prouincialibus atque œcumenicis conciliis totam Eccleſiam repræſentantibus ſtabiliuerunt Nicæno. 1. cuius doctrinam complexæ fuere omnes inſequentes generales Synodi vſque ad Florentinum & Tridentinum. Et prouinciales Toletana 6. & 11. Bracha. ſent. 1. Hiſpalen. 2. multis acerrimè voluminibus propugnarunt, vt S. Auguſtinus libris quindecim de Trinitate, & plurimis aliis eiuſdem argumenti libris. B. Hilarius duodecim. Athanaſius integerrimus Trini-

Trinitatis aſſertor omnibus penè lucubrationibus ſuis. Gregorius Nazianz. orationibus 5. de Theologia, & ſæpè alibi. Baſil. lib. contra Eunomium. Et Greg. Nyſſen. 4. eiuſdem argumenti orationibus. Et Chryſoſt. 5. homiliis de viſione Domini, Iſai. 6. Damaſc. lib. 1. de fide, Fulgent. lib. ad obſeruationes Arrianorum. Idacius Clarus contra Varimundum. Tertullianus lib. contra Praxeam. Richardus Victorinus ſex libris. S. Thom. & eius interpretes q. 27. ad 43. Doctores Gymnici in. 1. S. per diſt. 35. Videntur hi omnes tanquam generoſiſſimi duces & milites ad propugnaculum, in quo Eccleſiæ ſalus conſiſteret defendendum concurriſſe: alij aliis, quos percenſere, quia in manibus ſunt, opera non eſt pretium: quin imò & exilijs, & bonorum deſpoliationibus, tormentis variis & atrocibus, ac denique ipſa morte conſignarunt, vt poſtea fuſius cum ſacroſanctæ Trinitatis, & incorrupti laudatores, & cruenti teſtes producentur, planiſſimum fiet.

Paucas tantum ſententias quaſi ex amœniſſimo horto floſculos delibemus. S. Iacobus frater Domini in Liturgia: Deus, *inquit*, magnus & mirabilis, conſerua hæreditatem tuam, vt ſemper & perpetuo glorificemus te ſolum viuentem & vnum Deũ noſtrum, ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. *Athenagoras circa annum Domini 170. in ſua pro Chriſtianis legatione ſic loquitur:* Deum aſſerimus, & Filium ipſius Verbum, & Spiritum Sanctum. Tria quidem ſecundum potentiam, actu verò & eſſentia vnum Deum. *Clemens Alex. libr. 3. Pædag. c. 12.* Laudamus vnum Patrem, & Filium (Filium, inquam, pædagogum ac Magiſtrum) vnà cum Sancto Spiritu: qui vnus eſt omnia, in quo omnia, & per quem omnia vnũ, per quem eſt, quod ſemper eſt: cuius membra omnes, cuius ſunt

gloria & ſæcula, qui eſt vndequaque bonus, vndequaque ſapiens, vndequaque iuſtus. *B. Syneſius ex celeberrimo Philoſopho Chriſtianus, & Epiſcopus Ptolomaidis Pentapolis, qui floruit Anno Domini 410. hymno primo ſic canit:* Laudo te vnum: laudo te tria. Vnum ens es tria: Triaque ens vnum es. *Zacharias Mylitenus (poſt annum 500) de mundi æternitate contra Philoſophos:* Domine, *ait,* & opifex vniuerſi: Pater, Verbum, & Spiritus Sancte, diuina Trinitas, & trina, atque ſancta vnitas. Trinitas ineffabiliter in vnitatem relata, vnitas in Trinitate inenarrabiliter adorata, neque comprehenſa Trinitas, increata, ſempiterna, conſubſtantialis.

S. Clemens Rom. lib. 8. Conſt. Apoſtolicarum capite 18. in fine: Tibi, *inquit,* omnis gloria, laus, magnificentia, & honor, & adoratio Patri, & Filio tuo Chriſto Domino noſtro, & Deo & Regi, & Spiritui Sancto, & nunc & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Quam B. Clementis ſententiam citans D. Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29. tradit, eum hanc de ſacroſancta Trinitate doctrinam ab anteceſſoribus ſuis presbyteris accepiſſe:* Tranſcribam, *inquit Baſilius,* ipſa hominis verba: His, *inquit,* congruenter & nos etiam forma regulaq; à Senioribus, qui ante nos vixerunt, tranſumpta, cõcordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nũc etiam vobis ſcribere deſinemus: Deo autem Patri & Filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, cum Sancto Spiritu gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen. *Iſta S. Clemens S. Petri Succeſſor. Beatus verò Dionyſius S. Pauli diſcipulus lib. de Diuinis Nominibus cap. 1.* Itaque, *inquit,* in omni fermè Theologica tractatione ſummam diuinitatem ſanctè celebrari videmus, vt ſingularem quidẽ atque vnicam propter ſimplicitatem, & vnitatem

tem illam impartibilem: vt Trinitatem verò propter ſupereſſentialis fœcunditatis in ſuppoſitis tribus expreſsionem.

Vnus cum omnibus ſuam de nunquam ſatis laudata Trinitate ſcientiam, fidem & ſententiam confiteatur Doctorum maximus S. Auguſtinus: Is libr. 11. de Ciuit. Dei cap. 24. Credimus, *ait*, & tenemus, & fideliter prędicamus, quòd Pater genuerit Verbum, hoc eſt, ſapientiam, per quam facta ſunt omnia, Vnigenitum vnus vnum, ęternus coæternum, ſummè bonus ęqualiter bonum, & quod Spiritus S. ſimul & Patris, & Filij ſit Spiritus, & ipſe conſubſtantialis & coæternus ambobus. Atque hoc totum & Trinitas ſit propter proprietatem perſonarum, & vnus Deus propter inſeparabilem diuinitatem, ſicut vnus omnipotens propter inſeparabilem omnipotentiam, ita vt etiam, cum de ſingulis quæritur, vnuſquiſque eorum & Deus, & omnipotens eſſe reſpondeatur, cùm verò de omnibus ſimul, non tres Dij, vel tres omnipotentes, ſed vnus Deus omnipotens, tanta ibi eſt in tribus inſeparabilis vnitas, quę ſic voluit prędicari.

S. Leo Magnus epiſtola 93. cap. 1. Catholica fides, *inquit*, Trinitatem vnitatis, ſic & homouſion (*i. conſubſtantialem*) confitetur, vt Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum ſine confuſione indiuiſos, ſine tempore ſempiternos, ſine differentia credat æquales, quia vnitatem in Trinitate non eadem perſona, ſed eadem implet eſſentia. *Et Ioannis Apoſtoli diſcipulus B. Ignatius Epiſcopus & Martyr epiſt. 8.* Non credimus in vnum trinomum, ſed in tres eiuſdem honoris. *S. Gregorius Nazianzen. Orat. 3. de Theologia:* Nos, *ait*, vnius Dei principatum colimus, non quem Perſona vna circumſcribit, ſed quem vnius naturæ præſtantia

conſtituit: ita vt, etiamſi numero differant Pater,& Filius, & Spiritus Sanctus, auctoritate tamen,& potentia minimè inter ſe diſsideant.

S. Cyrillus Alexand. lib. 4. contra Iulianum: Non ignorauit Moſes, quod Deus vnus, hoc eſt, in vna Deitatis natura in ſancta & conſubſtantiali Trinitate adoratur: nempe in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: ſingula enim nominata perſonis,& ſubſiſtentiis propriis credũtur eſſe, quod ſunt. Pater enim Pater,& Filius Filius, & Spiritus Spiritus. Veruntamen eſſentiæ identitas vnitatem colligit. *Et libr.* 8. Vna adoratur diuinitatis natura in Patre,& Filio,& Spiritu Sancto. *S. Gregor. Nyſſen. frater Magni Baſilij de differentia Eſſentiæ & Hypoſtaſis;* Nulla, *inquit*, variatio, vel differentia in viuifica natura, in Patre, inquam, & Filio,& Spiritu Sancto, ſed quædam cõtinua, & quæ diuelli non poſsit, in iis ſocietas atq; cõmunio conſideretur. *S. Irenæus lib.* 1. *aduerſus hæreſes cap.* 2. Eccleſia, *ait*, per vniuerſum orbem vſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis,& à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare,& omnia quę in eis ſunt: & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute: & in Spiritum Sanctũ, qui per Prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei, &c. S. *Remigius Remenſis Epiſcopus in cap.* 1. *poſterioris Corinthiacæ*: Sicut vna ſubſtantia Trinitas eſt, & indiuiſa maieſtas, ita inſeparabilis voluntas. S. *Ephrem de Pœnitentia*: Gratia Trinitatis remiſſionem ex nimia ſua benignitate præbet. Per conſubſtantialem Trinitatem, humanitas mortis reatum exuit, atque abiecit. Trinitas vinculum peccati ſoluit.

S. Martialis Chriſti diſcipulus epiſtola ad Burdegalenſes

lenſes cap. 10. Nihil, *inquit*, diſcretum in diuinitate Trinitatis ſentiatis, quia nobis vnus & idem Deus, qui cuncta creauit, Pater: & vnus & idem Dominus, per quem omnia facta ſunt, filius eius Ieſus Chriſtus: & vnus idemque Deus Spiritus Sanctus, in quo omnia ſubſiſtunt. Et hæc in perſonis tria diuiſa, in diuinitate vnus Deus indiuiſus eſt. *S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr lib. de recta fidei explicatione, initio:* Vnus, *inquit*, reuera eſt vniuerſitatis huius Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu Sancto agnoſcitur: cum nunquam ex ſubſtantia ſua Pater Filium genuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo, quo vnam habent eandemque eſſentiam, vna atque eadem dignantur diuinitate. *Et initio Apologiæ ad Antoninum Imp. opponens cultum Sanctiſſimæ Trinitatis cultui idolorum ac falſorum deorum ac docens Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe vnum verum Deum:* Profitemur, *inquit*, nos talium, qui habentur, Deorum eſſe expertes, & Atheos, ſed non veriſſimi illius Dei Patris iuſtitiæ & caſtitatis, & virtutum aliarum. Verum hunc ipſum, & qui ab eo venit Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes. *Et Athenagoras in Apologia ad eundem Antoninum:* Quis igitur, *inquit*, non obſtupeſcat ſi Atheos vocari nos audeat, qui dicimus, Deum Patrem, & Filium Deum & Spiritũ Sanctum, illorum in vnione virtutem, & in ordine diſtinctionem demonſtrantes.

Chriſte Deus, qui aſcendens in altum Eccleſiæ tuæ dediſti paſtores & doctores, ne circumferamur omni vẽto doctrinæ, & à veritate aberremus, concede, vt quæ S. Patres communi conſenſione docuerunt, firmiter credamus, & quæ piè ſancteque egerunt, ſedulo imitemur. Qui viuis & regnas cum Patre & Spiritu Sancto ſuper

omnia Deus, benedictus in ſæcula. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Capvt XIII.

BEATISSIMA TRINITAS HVmano captu incomprehenſa.

DEitas ratione inueſtigari poteſt, quod ſit, quid verò ſit ſuis humana mens viribus indagare & perſcrutari nõ poteſt. Deus enim tenebras poſuit latibulum ſuum, Pſal. 17. v. 12. Quod & ſignificauit illa caligo, in qua Dominus Moyſi eſt locutus Exod. 19. v. 9. vt notauit S. Dionyſius cap. 1: de myſtica Theologia. Et S. Apoſtolus, Deus, *ait,* Rex regum, & Dominus dominantium, lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, *1. Tim. 6. v. 16. Sed quomodo Deus in tenebris & caligine deliteſcit, vt ait Dauid, & ſimul in ſplendidiſſimo fulgore, & fulgentiſſimo ſplendore verſatur, vt affirmat Paulus? Nonne lucidiſſimus eſt Sol, & tamen ſuo fulgore oculorum noſtrorum aciem perſtringit & hebetat, & quaſi tenebras aſpectui offundit? Sed hoc propter noſtri viſus imbecillitatem contingit, quem Solem aquila fixis oculis intueri poteſt. Hunc & in modum Dei natura maximè in cognitionem venire poteſt, ſed noſter intellectus imbecillior eſt, quàm vt eò valeat pertingere: nam, vt ait Ariſt. lib. 2. Metaph. c. 1. habet ſe noſter intellectus propterea quod ſenſibus iunctus ſit, ad ipſas ſubſtantias ſeparatas, hoc eſt, Dei & Angelorũ cognitionem, ſicut oculus noctuæ ad lumen Solis.*

Optimè idcirco S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1. Subſtantiam Dei, *inquit,* ſine vlla ſui commutatione mutabilia facientem, & ſine vllo ſui temporali motu temporalia creãtem intueri & plenè noſſe diffici-

difficile eſt: & ideo neceſſaria purgatio mentis noſtræ, qua illud ineffabile ineffabiliter videri poſsit, qua nondum præditi, fide nutrimur, & per quædam tolerabiliora, vt ad illud capiendũ apti, & habiles efficiamur, itinera ducimur.

Purgandus ergo oculus quo videndus eſt Deus, videmus enim nunc eum per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Corinth. 13. verſ. 12. & videbimus eum, ſicuti eſt: ſi tamen ſanctificauerimus nos, ſicut & ille ſanctus eſt, 1. Ioannis 3. verſ. 2. 3. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, *Matth. 5. verſ. 8. Itaque quod Deus ſit architectus omnium & moderator, naturæ inſtinctus approbat, & quod ſapientiſſimus ſit, potentiſſimus ac benigniſſimus omnino arguit, quanta autem eius præſtantia vix adumbrare poteſt, quemadmodum rectè affirmat S. Baſilius lib. 1. contra Eunomium:* Communis notio, *ait*, eſſe Deum, non autem quid ſit, quod nobis ſuggerit. *Et S. Athanaſius epiſt. ad Serapionem:* Deitas, *inquit*, non demonſtratione rationum traditur, ſed fide & pia cogitatione cum religione.

Porrò ipſa diuinitate à ſenſu & intelligentia noſtra multo remotior & abſtruſior eſt ſanctiſsima Trinitas. S. Iſai. cap. 53. v. 8. cum illi ſermo eſſet de Chriſto Domino Dei Filio: Generationem, *ait*, eius quis enarrabit? *Sanctus Iuſtinus Philoſophus & Martyr in expoſitione fidei, ſiue de ſancta & conſubſtantiali Trinitate:* Vnitas in Trinitate, *inquit*, & Trinitas in vnitate intelligitur. Quod quomodo fiat linguæ lutea impuraque caruncula non audebit profiteri.

Hoc myſterium inexplicabile eſſe eleganter docet Beatus Auguſtinus libr. 2. de Symb. ad Catechumen. capite 3. Si ſempiternus, *ait*, eſt Pater, ſempiternus eſt vtique & Filius. Si enim fuit Filius, quando

quando non fuit Filius,fuit & Pater,quando nõ fuit Pater: quod ſi aliquando fuit Pater non Pater,non fuit omnipotens, minus enim habuit in eo,quod poſtea effectus eſt Pater. Si das initium Filio,das initium & Patri. Pater enim à Filio appellatus eſt Pater. Si autem ſemper fuit Pater, ſemper fuit & Filius: & ſi Deus eſt Pater, Deus eſt & Filius: & ſi ſempiternus eſt Pater, ſempiternus eſt & Filius, quem nec præceſsit ætate, nec dignitate,non eum minuit æqualitate. Apoſtolum audi,quid de Deo Filio dicat Philip. 2.v. 6. Cum in forma Dei eſſet, *inquit*, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Non rapuit, quia naturaliter habuit. Omnipotentia itaq; Patris in Filio,omnipotentia Filij in Patre:quia neque aliquando Pater ſine Filio, neque aliquando Filius ſine Patre. Diuinam illam natiuitatem qua Filius proceſsit ex Patre,qua natus eſt Deus de Deo,ſine initio,ſine tempore,ſine matre,ſine aliqua fragilitate,ſine vlla ſui diminutione,non poſſumus explicare. Natiuitatem autem eius, ait Propheta,quis enarrabit? Et reuera quis cõprehendere vel dicere poteſt, quomodo natus ſit,qui ſemper eſt in Patre, & nunquam recedit à Patre? Dignè,vt dixi, non poſſumus enarrare, ſed debemus corda noſtra ipſi Filio præparare: vt illuminando & per fidem gubernando perducat nos ad ſpeciem veritatis ſuæ.

Similiter dicere poſſumus Spiritus Sancti ex Patre ac Filio proceſſionem quis enarrabit? quis cogitabit? Vt etiam loquitur S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinũ Arr. cap. 14. S. Gregorius Nazian. Orat. 5. de Theologia, hanc tractans materiam, aduerſarios ſibi opponentes facit dicens: Quæ eſt hæc Spiritus Sancti proceſſio? Dic tu: reſpondet,quæ Patris ingenitura ſit, & ego Filij generationem,& Spiritus proceſsionem

rem explicare aggrediar: vt ambo mentis veſania præcipites agamur, in Dei myſteria oculos inicientes, idque qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes ſunt, ſcire, nec arenam maris, aut pluuiæ guttas, & dies ſæculi enumerare poſſumus, Eccli. 1. v. 2. ne dum in Dei profunda irrumpere, naturæq; adeo arcanæ ac ſermone omni ſuperioris rationes referre. *Eſt igitur maxime recōditum hoc S. Trinitatis myſterium. Quod & Saluator docet Matth. 11. v. 27.* Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. *Et Mat. 16. v. 15. 16. 17. cum percunctanti Saluatori, quod inter vulgares de ſe opiniones diſcipuli iudicium haberent, atque omnium nomine reſpondiſſet Petrus:* Tu es Chriſtus Filius Dei viui, *continuò ſubiunxit Dominus:* Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: *hoc eſt, quod ego ſim non tantum promiſſus Chriſtus & liberator, ſed etiam ſempiterno Deo Patri, ſempiternus, æqualis & conſubſtantialis Filius, hoc tibi diuinitùs patefactum, non humanitùs cognitum; ſiquidem iſtud humanum ſuperat captum: Denique Ioannis 1. v. 18.* Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.

S. Cyprianus præfatione in Cardinalia Chriſti opera, cum Philippo audiuimus, Ioan. 14. v. 9. Qui videt me, videt & Patrem. Nec tamen in hac viſione plena poteſt eſſe ſufficientia, donec in ſplendoribus Sanctorum in die virtutis ſuæ agnoſcatur, Pſalm. 109. v. 3. ratio gignentis & geniti, & procedentis: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ad liquidum hucuſque aſcendit. *Et ſerm. de Spiritu Sancto.* Hic eſt Spiritus Sanctus quem Magi in Aegypto tertij ſigni oſtenſione conuicti, cum ſua defeciſſe præſtigia fa-

gia faterentur Dei digitum appellarunt. Exodi 8.v. 19. & antiquis Philoſophis eius intimarunt, præſentiam defuiſſe. Et licet de Patre & Filio aliqua ſenſiſſent Platonici, ſpiritus tamen timidus, & humani appetitor fauoris ſanctificationem intellectus diuini mereri non potuit, & vbi ad profunditatem Sacramentorum ventum eſt, omnis illorum, caligauit ſubtilitas, nec potuit infidelitas ſanctitudini propinquare.

Ratio verò cur ſanctiſſima Trinitas non ſolum quid ſit, ſed etiam quod ſit, naturale aſſequi & penetrare non poſſit, hæc eſt: quia naturale lumen nihil videt in Deo, niſi quod ex naturalibus effectis colligit, ex illis autem nihil intelligere poteſt, niſi quod vnus ſit Deus omnipotens, ſapientiſſimus, optimus immenſus, æternus, &c. quæ omnia ad diuinam naturam non Trinitatem pertinent, vt docet Sanctus Thomas 1. *Parte quæſtione* 32. *articulo* 1. Quod ſi fides eſt argumentum rerum non apparentium, *vt ait Apoſtolus Hebræorum* 11. *v.* 1. *id eſt, earum rerum coniũctio, quæ neque ſenſu, neque mente comprehenduntur, hoc profectò vel maximè conueniet ſupremo fidei noſtræ myſterio, quod eſt ſanctæ Trinitatis. Et ſi eidem Apoſtolo incarnatio Filij Dei eſt Sacramentum abſconditum à ſæculo in Deo, Epheſ.* 3. *verſ.* 9. *Colloſſ.* 1. *verſ.* 26. *& quidem quod poſſibilis ſit rationibus & argumentis conuinci non poteſt, multo magis noſtræ menti eſt impenetrabile S. Trinitatis arcanum, quod neque cogitari poteſt cum aliquo aſſenſu tanquam poſſibile.*

Itaque admirationem habet non ſcientiam, quemadmodum S. Gregorius Nazian. admonet Oratione in Heronem, ſiue, vt S. Hieron. in Catalogo ſcript. Eccleſ. mauult in Maximũ: Nunc verò, *ait,* ſatis habe docere Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate adorandam, cuius & diuiſio & cõiunctio planè admirabilis ſit. *Sanctiſſ. Trinitas, quæ S. Gregorio*

gorio Theologo eſt admirabilis. B. Auguſtino Theologorum principi eſt inexplicabilis. Sic enim libr. 1. contra Maximinum Arrianum loquitur: Par poteſtas eſt, vna ſubſtantia eſt, eadem diuinitas, ideo quamuis Trinitatem colamus: quia Pater non eſt Filius, nec Filius eſt Pater, nec Spiritus Sanctus aut Pater, aut Filius, tamen vnum Deum colimus: quia ipſa Trinitatis ineffabilis & excelſa coniunctio, vnum Deum oſtendit, vnum Dominũ. Ideoque dictum eſt Deut. 6. v. 4. Audi Iſrahel, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. *Et rurſum idem Beatus Auguſtinus lib.* 13. *Confeſſ. cap.* 11. Trinitatem omnipotentem, *ait*, quis intelligit? & quis non loquitur eam? Rara anima, quæ cum de illa loquitur, ſciat, quid loquatur. *Idem Beatus Pater li. 5. de Trinitate cap.* 1. Hinc iam, *inquit*, exordiens ea dicere quæ dici, vt cogitantur vel ab homine aliquo, vel certè à nobis non omnimodo poſſunt: quamuis & ipſa noſtra cogitatio, cum de Dei Trinitate cogitamus, longe ſe illi, de quo cogitat, imparem ſentiat, neque vt eſt, eum capiat, ſed vt ſcriptum eſt etiam à tantis, quantus Apoſtolus Paulus hic erat per ſpeculum & in ænigmate videatur: primum ab ipſo Domino Deo noſtro, de quo ſemper cogitare debemus, & de quo dignè cogitare non poſſumus, cui laudando reddenda eſt omni tempore benedictio, & cui enunciando nulla competit dictio & adiutorium ad intelligenda atque explicanda, quę intendo, & veniam precor, ſicubi offendo. Memor ſum enim non ſolum voluntatis, verumetiam infirmitatis meæ. *Et rurſum li. 7. de Trin. cap. extremo:* Sic cogitetur, *ait*, Sancta Trinitas, vt neque perſonarum ſit confuſio, nec talis diſtinctio, qua ſit impar aliquid. Quod ſi intellectu capi non poteſt, fide teneatur, donec illuce-

illuceſcat in cordibus noſtris, qui ait per Prophetam: Niſi credideritis, non intelligetis: *Iſa.7. v.9. ſecundum 70. Et cap. 31. Soliloq.* Sola Trinitas tua ſoli tibi integrè nota eſt.

Dixiſti ô ſanctiſſima Trinitas: Non videbit me homo, & viuet, moriamur, vt te videamus: quia hæc eſt vita æterna, vt te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vnum, ſolum, verum Deum euidenter cognoſcamus, ardentiſſimè amemus, & ſuauiſſimè te perfruamur.

CAPVT XIV.

QVOD GENTILES SINE FIDE non agnouerint S. Trinitatem.

SI Gentilium dictis eorum mentem velut veſtigiis feram perueſtigare poſſimus, videntur aliquam ſummæ Trinitatis cognitionem habuiſſe. Quo pertinet celebratiſſimum illud Serapidis oraculum, qui conſulenti Thuli, qui bello Troiano regnauit in Aegypto, quiſnam ſe beatior eſſet, reſpondit: Principio Deus eſt, tum verbũ, his Spiritus vnus. Aequęua hæc tria ſunt, cuncta & tendentia in vnum. *Hoc fortaſſis ſanctæ Trinitatis myſterium à ſancto Ioſepho Patriarcha demonſtratum fuit Aegyptiis, quem Pharao Rex, vt eſt Pſalm. 104. v. 21. 22. conſtituit Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Videatur Cæſar Baronius Anno Domini 389.*

S. Auguſtinus lib. 7. Confeſſ. cap. 9. In Platonicorũ, *inquit*, libris legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus: quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.

Hoc

Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt,&c. Sed quia Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis,non ibi legi,Ioan. 1.Indagaui quippe in illis literis variè dictum & multis modis,quod ſit Filius in forma Patris,nõ rapinam arbitratus æqualis eſſe Deo,quia naturaliter idipſum eſt.Sed quia ſemetipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens,Philip. 2.&c.non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora,& ſupra omnia tempora incommutabiliter manet Vnigenitus Filius tuus coæternus tibi,& quia de plenitudine eius accipiunt animæ, vt beatæ ſint, & quia participatione manentis in ſe ſapientiæ renouantur,vt ſapientes ſint,eſt ibi. Quod auté ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt, Rom.5.v.8. & quod filio vnico tuo non pepercisti,ſed pro nobis omnibus tradidiſti eũ, Rom. 8.v. 32.non eſt ibi: Abſcondiſti enim hęc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis, Matthæi 11.v. 25.

Plato in Epinomide affirmat in Deo eſſe diuiniſſimũ Verbum,per quod omnia fecit, & ordinauit,vt teſtatur & Euſeb. Caſ.libr.11. de præparatione Euang. cap. 10. *Scribit & S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr Apolog.* 2. *ad Senatum,Trinitatis myſterium à Platone in Timæo delibatum,& quaſi à Moſe mutuatum. Idem Plato lib.* 6.*de Repub.* Hoc tempore malim explicare, quid ſit boni ipſius filius, ſimillimus illius. *Porphyrius ſententiam Platonis explicans,vt Cyrillus contra Iulianum refert, tres ſubſtantias in eſſentia diuinitatis ſtatuit, Deum omnium maximum atque optimum,deinde creatorem,tertium animam mundi,nec vlterius Deitatem progredi. S.Auguſtinus libr.* 10. *de Ciuit. Dei c.* 23. Quæ Porphyrius,*ait,* dicat eſſe principia tãquam Platonicus nouimus. Dicit enim Deum Patrem, & Deum Filium, & horum medium,

quod nos Spiritum Sanctum, nec Patris tantum, nec Filij tantum, ſed vtriuſq; ſpiritum dicimus. Dixit hoc Porphyrius nimirum de principiis, & horum medio, vt potuit, ſiue vt voluit. Liberis enim verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. Nos itaque ita non dicimus, duo vel tria principia cum de Deo loquimur; ſicut nec duos Deos, vel tres nobis licitum eſt dicere: quamuis de vnoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, etiam ſingulum quemque Deum eſſe fateamur.

Meminit & ibidem S. Auguſtinus Plotini Platonici Philoſophi, qui ſcripſit librũ de tribus perſonis ſiue ſubſtantiis, in quo primũ ſtatuit æternum illud atque perfectum, quod ſecundum generauit, & mentem æternam itidem & perfectam, & ab his omnia principium habent Ariſt. lib. 1. de cœlo cap. 1. ſcribit ex ſententia Pythagoræorum omne totum & perfectum cõſtare tribus; principio videlicet, medio & fine, quæ cùm haberet, omnia haberet. Deinde quod numerus ternarius creber fuerit in ſacrificiis, vbi nil deeſſe oportet; nam antiqui vtebantur thure, oratione, & canticis. Vnde putantur & illa verba apud Virg.

Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.

Cum his facere videntur & rationes: 1. Veſtigium ſolet indicare eum, qui impreſſerit, ſic enim & venatores agnoſcunt feras, & feræ ne agnoſcantur, ſua obruunt veſtigia, at in omni creatura eſt quoddam Sanctæ Trinitatis veſtigium, vt docet Sanctus Auguſtinus libro 6. de Tri-

de Trinitate cap. 10. 2. *Imago etiam ſuum repræſentat exemplar, & in notitiam deducit, ſed homo conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Sanctæ Trinitatis, quæ ait Geneſ.* 1. *v.* 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 3. *Adhæc naturæ intelligentis perfectio eſt, quod ex ipſa mente procedat, & in ipſa maneat rei cognitio, notitia, ſiue conceptio, quæ dicitur verbum mentis, & exprimitur ac declaratur verbo vocis. Et quod ab ipſa voluntate procedat, & in ipſa maneat rei amatæ dilectio. Ergo cum Dei natura ſit ſapientiſſima & intelligentiſſima, ratio noſtra ſibi perſuadere poteſt, & à mente diuina procedere Verbum, & à voluntate Spiritum Sanctum, quorum hic amor eſt, ille ſapientia. Sic Diuus Thomas prima Parte quæſt.* 27. *articulo* 1. & 3. *Et Sanctus Auguſtinus libro* 15. *de Trinit.* 4. *Præterea cum Deus ſit ſummum bonum, quod ſummo & infinito modo ſe communicat, cur non ſuam cum Filio, & Spiritu Sancto eſſentiam communicaret, & æqualium ſocietatem vellet?* 5. *Denique ſibi procreare ſimile, cum natura conceſſum ſit, quomodo negabitur Deo? Deo, inquam, dicenti Iſai.* 66. *verſ.* 9. Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, & qui aliis generationem tribuo, ſterilis ero?

Ergone dabimus, quod gentiles ſine diuina reuelatione ſine fide Sanctæ Trinitatis myſterium aſſecuti fuerint, aut cognoſcere potuerint? Non dabimus, quia à veritate alienum eſt, neque hoc vel Philoſophorum allatæ ſententiæ, neque rationes probant. Nobis quibus datum eſt, cælitus noſſe myſteria regni DEI, *illuxit niſi radius quidam perexiguus illius immenſæ lucis, & illi videre potuiſſent, qui mille errorum, & ſcelerum caligine obſepti erant? Priſci illi Philoſophi, ſi quid dixerunt, quod ad hanc rem faceret, tam obſcurum id fuit, vt locutos eos potius, quam intellexiſſe, par ſit exiſtimare. Quin immo*

& turpiſſimè hallucinati ſunt, dum ſuo ingenio diuina metientes perſonas inæquales fecerunt Platonici, quos nimium imprudenter ſectatus Origenes,*oua poſuit,quæ Ariani excluderent. Quod ſi aliquando quaſi prima huius veritatis lineamenta adumbrarint, id non niſi doctrina diuinitus accepta,& Maiorum inſtitutis tradita fecère. Quapropter & S. Patres Iuſtinus in expoſitione fidei,& apolog.2.pro Chriſtianis,Cyrillus Alex.lib.1.& 2.contra Iulianum. Euſeb. Cæſ.lib.11.de præpar.Euan. cap.10. S.Auguſt.lib. 2.de doctr. Chriſtiana cap. 28.iſtos Græcos Philoſophos cum Hebræis conuerſatos fuiſſe, & forſan aliquos veteris Teſtamenti libros peruolutaſſe,& inde obſcuram aliquam huius myſterij & aliorum ſacrorum dogmatum notitiam hauſiſſe affirmant.*

Propoſita verò argumenta non id efficiunt, quaſi ex creaturarum cognitione in S. Trinitatis notitiam peruenire poſſimus: nam res conditæ non ſunt veſtigium præcellentiſſimæ Trinitatis, quo ad diſtinctas perſonarum proprietates, ſed tantum ſecundum eſſentiam,potentiam,ſapientiam,bonitatem,quæ ipſis ſunt communia. Rurſus homo non eſt perfecta imago Dei*, quocirca ad* Dei *imaginem dicitur factus, quam imaginis rationem eò habet, quod ſit intelligentiâ & libertate præditus,quæ res non oſtendit S. Trinitatis myſterium. Neque ſpiritales in homine proceſſiones idipſum ſignificare nobis poſſunt,cum ſint aduentitiæ, & ex indigentia potentiæ & imperfectione natæ. Apud Iſaiam verò Deus loquitur de ſpiritali adoptiuorum filiorum procreatione,nō de interna naturalis filij productione. Sed & materiales illæ generationes cùm ſint actiones tranſeuntes, & indiuiduam naturam multiplicent, & ex corruptibilitate proueniant, vnde & ſpiritales creaturæ ſuam ſpeciem non propagant,quia per ſe non ſpectant ad perfectionem,quomodo deducent nos in diuinæ generationis,quæ actio immanens eſt,& qua vna eademque indiuidua cōmunicatur natura,profundiſſimum penetrale?*

Illud

Illud tamen inficiari non poſſumus, iſtas rationes ad fidem de S. Trinitate diuinitùs inditam, ſtabiliendam & cōfirmandam plurimum momenti habere, illas præſertim, quod cum omne bonum ſuam cum aliis bonitatem communicet, ſummū bonum ſuam infinitam bonitatem & naturam cum aliis communicare debeat, ac quod ad perfectam felicitatem requiratur ſocietas & amicitia, quæ non eſt ſine diſtinctione perſonarum: itaque beatiſſimus Deus hanc in ſeipſo ſine creaturarum indigentia poſſidet, ac proinde non vna, ſed plures ſunt perſonæ.

Largire ſanctiſſima Trinitas, vt qui te iam ex fide cognouimus, ad contemplandam tuæ Celſitudinis ſpeciem perducamur.

CAPVT XV.

SIMILIA S. AVGVSTINI ABſtruſiſſimum S. Trinitatis myſterium declarantia.

M*Agnus hic Eccleſiæ Doctor libr. de fide & ſymbolo cap.* 9. Fons, *ait*, fluuius, & potio ſunt aqua, & tamen nihil horum eſt alterum. Radix, robur, & rami cùm à ſe mutuo diſtinguantur, appellantur lignum. Tria pocula ex fonte impleta inter ſe diuerſa ſunt, & tamen non tres aquæ, ſed vna dicuntur aqua. Ex quibus intelligitur fieri poſſe, vt aliqua tria non tantum ſingillatim, ſed etiam ſimul vnum nomen obtineant, nec quiſquam miretur, & abſurdum putet, quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, nec tamen tres Deos in iſta Trinitate, ſed vnum Deum vnamque ſubſtantiam.

Et tract. 20. *in Ioannem:*]Coæua eſt flamma generans luci, quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam, ſed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. Da mihi flammam ſine luce, & do tibi Deum Patrem ſine Filio. Quam eandem ſimilitudinem adhibet Sanctus Auguſtinus ſermo. 38. de verbis Domini cap. 7. Et quidem vt in tempore ſimul ſunt ignis, ſplendor, & calor: ita & in æternitate ſimul ſunt Pater ignis conſumens, Deuteronom. 4. verſ. 24. Filius candor lucis æternæ, Sapient. 7. verſ. 26. & Spiritus Sanctus ſuo amore corda noſtra calefaciens, & benigniſsimè fouens.

Idem Sanctus Auguſtinus ſermone 1. *de verbis Apoſtoli cap.* 3. Ecce, *ait*, in Sole tria ſunt, & ſicut videmus, omnino ſeparari non poſſunt curſus, ſplendor, & calor. Ignis tria habet, & diuidi non poteſt, hoc eſt, lucem, motum, & feruorem. Si igitur nefande hęretice diuidere nō potes creatum Solem & ignem, quomodo diuidere potes Deum omnium creatorem?

Diſcupiens iterum Beatus Auguſtinus explanare, quomodo Sancta Trinitas humanam naturam procreauerit, eamque ſolus Filius aſſumpſerit, hanc è muſica affert ſimilitudinem ſermone 3. *de tempore.* Citharam reſpice. Vt muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur, ars, manus, & chorda; & tamen vnus ſonus auditur, ars dictat, manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda perſonat, quod auditur. Nec ars, nec manus ſonum reddunt, ſed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus Sanctus ſuſceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur, ſonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit.

accepit. Operatio in tribus conſtat, ſed quomodo ad ſolam chordam pertinet ſoni redditio, ſic pertinet ad ſolum CHRISTVM carnis humanæ ſuſceptio. Itaque vt in muſico concentu & fidium harmonia ſimul ſunt ars dirigens, manus pulſans, chorda & neruus ſonans, Ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

In Philoſophia etiam quoddam Sanctæ Trinitatis indicium reperit Sanctus Auguſtinus, omnes angulos & receſſus perluſtrans, quo eiuſdem diuiniſſimæ Triados notitiam nobis & cultum cõmendaret, vt enim ait libro vndecimo de Ciuitate Dei capite vigeſimoquinto: Philoſophi ſapientiæ diſciplinam tripartitam eſſe animaduerterunt, Phyſicam, Logicam, & Ethicam ſiue naturalem, rationalem, moralem. Quam diſtributionem Plato primus reperiſſe & commentaſſe dicitur, cui neque naturarum omnium auctor niſi DEVS viſus eſt, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo benè beateque viuatur, inſpirator (*Potentia autem creantis Patri, ſapientia Filio, amor Spiritui Sancto tribuitur.*) Si ergo natura noſtra eſſet à nobis, profecto & noſtram genuiſſemus ſapientiam, nec eam doctrina, id eſt, aliunde diſcendo percipere curaremus: & noſter amor à nobis profectus, & ad nos relatus, ad beatè viuendum ſufficeret, nec bono aliquo, quo frueretur, vllo indigeret. Nunc verò, quia natura noſtra, vt eſſet, DEVM habet auctorem, proculdubio, vt vera ſapiamus, ipſum debemus habere doctorem, ipſum etiam vt beati ſimus, ſuauitatis intimæ largitorem.

Aliam ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem nobis diuinitus inſculptam proponit S. Auguſtinus ſpectandam

*lib.*11.*de Ciuit. Dei cap.* 26. Et nos quidem, *inquit*, in nobis, tametſi non æqualem, imò valdè longeque diſtantem, neque coęternam, & quo breuius dicatur totum, non eiuſdem ſubſtantiæ, cuius eſt Deus; tamen quia Deo nihil ſit in rebus ab eo factis natura propius, imaginem Dei, hoc eſt Summæ illius Trinitatis, agnoſcimus, adhuc reformatione perficiendam, vt ſit etiam ſimilitudine proxima: Nam & ſumus, & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe ac noſſe diligimus. Vellem, *ait iterum B. Auguſtinus libr.* 13. *Confeſſ. cap.* 11. vt hæc tria eſſe, noſſe, velle, cogitarent homines in ſeipſis. In his tribus quam ſit inſeparabilis vita, & vna vita, & vna mens, & vna eſſentia, quam denique inſeparabilis diſtinctio, & tamen diſtinctio, videat, qui poteſt. Sed lõgè aliud ſunt iſta tria, quam illa Trinitas. Illa enim eſt incõmutabiliter, & ſcit incommutabiliter, & vult incommutabilitèr.

Rurſus aliam in homine S. Trinitatis imaginem peruestigauit S. Auguſtinus, de qua ita diſſerit libr. 14. *de Trinit. cap.* 8. Quamuis, *ait*, mens humana non ſit eius naturæ, cuius Deus eſt, imago tamen naturæ eius, qua natura nulla melior eſt, ibi quærenda & inuenienda eſt. Ecce ergo mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe: hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed iam imaginem Dei. *Hac autem tria, vt affirmat idem S. Auguſtin. lib.* 10. *de Trinitate cap.* 11. non ſunt tres vitæ, ſed vna vita, nõ tres mentes, ſed vna mens, vna eſſentia: quatenus ad ſeipſam dicitur. Eò verò tria ſunt, quo ad ſe inuicem referuntur, & ęqualia ſunt: quia non tantum à ſingulis ſingula, verumetiam à ſingulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & volũtatem: & intelligo me intelligere, & velle

& velle atque meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini. Quod enim memoriæ meæ non memini, non eſt in memoria mea: Nihil autem tam in memoria quàm ipſa memoria eſt. Totam igitur memini. Item quicquid intelligo, intelligere me ſcio, & ſcio me velle, quicquid volo, quicquid autem ſcio, memini. Totam igitur intelligentiam, totamque voluntatem meam memini. Similiter cum hæc tria intelligo, tota ſimul intelligo, neque enim quicquam intelligibilium non intelligo, niſi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quicquid itaque intelligibilium non intelligo, conſequẽter etiam, nec memini, nec volo. Quicquid autem intelligibiliũ memini, & volo, conſequenter intelligo. Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit, dum toto vtor, quod intelligo, & memini. Quapropter quando inuicem à ſingulis, & tota omnia capiuntur, ęqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hęc tria vnum, vna vita, vna mens, vna eſſentia. Vna dicuntur eſſentia vel ſubſtantia, quatenus in anima vel principali eius parte videlicet mente exiſtunt, à qua nullo modo ſeparari poſſunt: *vt tradit S. Auguſtinus lib. 9. de Trinit. c. 4.* Hæc autem Trinitas mentis, *ait S. Auguſtin. lib. 14. de Trinit. cap. 12.* non propterea Dei eſt imago, quia ſui meminit mens, & intelligit, ac diligit ſe, ſed etiam quia poteſt meminiſſe, & intelligere, & amare, à qua facta eſt, quod cum facit, ſapiens ipſa fit. Si autem non facit, etiam cum ſui meminit, ſeque intelligit, ac diligit, ſtulta eſt. Meminerit itaque Dei ſui, ad cuius imaginem facta eſt, eumque in-

telligat, atque diligat. Quæ tria in ſua mente, *ait idem ingenioſiſſimus & beatiſſimus Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 20.* naturaliter diuinitus inſtituta quiſquis viuaciter perſpicit, & quàm magnum ſit in ea, vnde poteſt etiam ſempiterna immutabiliſque natura recoli, conſpici, amplecti, concupiſci, reminiſcitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionẽ, profecto reperit illius ſummæ Trinitatis imaginem. Ad quam ſummam Trinitatem reminiſcendam, videndam, diligendam, vt eam recordetur, eam contempletur, ea delectetur, totum referre debet, quod viuit. Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam, & ſuo vitio in deterius commutatam, ita eidem compararet Trinitati, vt omnimodo exiſtimet ſimilem, ſed potius in qualicunque iſta ſimilitudine, magnam quoque diſsimilitudinem cernat, quantum eſſe ſatis videbatur, admonui. *Quam rem libro 15. de Trinitate capite 22. & 23. latius declarat.*

Denique libro 9. de Trinitate capite 4. aliam affert Beatus Auguſtinus omnipotentiſſimæ Trinitatis aſsignationem: Tria in anima ſunt, mens, notitia eius, & amor; & hæc tria vnum ſunt, quatenus inſeparabiliter in animo ſunt, & cum perfecta ſunt, æqualia ſunt. *Et vt capite 12. ſequenti tradit idem Sanctus Auguſtinus*, quod mens ſit quaſi parens, & notitia eius quaſi proles; mens enim cum ſe cognoſcit, notitiam ſui gignit. Amor verò de ipſa mente & notitia procedit, dum mens cognoſcens ſe, diligit ſe, non enim poſſet ſe diligere, niſi cognoſceret ſe. Amat etiam placitam prolem, id eſt, notitiam ſuam, & ita amor quidam complexus eſt parentis & prolis. Itaque ſicut nos intelligendo rem aliquam, producimus

mus verbum ſeu conceptum mentis, id eſt, efformamus vitalem imaginem illius rei cognitæ; ita Deus Pater intelligendo ſeipſum, producit verbum ſeu vitalem imaginẽ ſui ipſius, nempe Filium, qui eſt imago Dei inuiſibilis Coloſſ. 1. verſ. 15. Rurſum ſicut nos amando rem aliquam producimus vitalem propenſionem in rem amatam: ita Pater & Filius amando ſuam eſſentiam, producunt Spiritum Sanctum, qui eſt quaſi vitalis inclinatio in eſſentiã amatam. Hoc eſt diſcrimen, quod terminus, qui per intellectum, id eſt, notitia, & qui per voluntatem, hoc eſt, amor producitur in nobis, ſit accidens, & in Deo ſit ſubſtantia. *Sed quod eſt ſimile non diſsimile, & maximè diſsimile in hac materia diuiniſsimæ Trinitatis?* Cui ſimilitudini, *ait Sanctus Auguſtinus epiſtola* 102. *ad Euodium:* in diſputando conuenientia tanta conceditur, vt ei rei, cui adhibenda eſt, ex omni parte coaptetur, vel quando ex creatura ad creatorem aliquid ſimile aſſumitur.

Sancta Cecilia, vt eſt in eius vita à Simeone Metaphraſte literis mandata, & extat apud Surium 22. Nouembr. Tiburtium Valeriani ſponſi ſui fratrem de Sanctæ Trinitatis myſterio ita informauit: Cœli, *inquit*, & terræ, & maris, & omnium volucrum, quadrupedumque & reptilium creator ex ſe priuſquam omnia faceret, genuit filium, & produxit ex ſua potentia Spiritum S. Filiũ, vt faceret omnia, Spiritum S. vt viuificaret vniuerſa. Omnia autem, quæ facta ſunt, conſtruxit Filius ex Patre genitus: & omnia, quæ fuerant cõſtructa ex Patre procedens Spiritus S. animauit. Vnus eſt Deus in ſua virtute, quem ſic in ſancta Trinitate partimur, quomodo in vno homine ineſſe dicimus artem, memoriam & intelligentiam, quoniam

quoniam arte inuenimus id, quod non didicimus, memoria tenemus, quod docemur, intelligentia comprehendimus, ſi quid vnquam nos contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergo faciemus? Num hæc tria in vno homine vna poſsidet intelligentia. Si ergo homo in vna intelligentia poſsidet nomen trium ſignificatorum: quomodo non Deus omnipotens in vna & eadem diuinitate vim obtinet Trinitatis? *Quod documentum tanquam ab Angelo profectum accepit Tiburtius.*

Da ſanctiſsima Trinitas, vt qui te modo non niſi per ſpeculum & in ænigmate videmus, & idcirco te variis ſimilitudinibus adumbramus, vt ſaltem quantum poſſumus te in terris cognoſcamus, & vt tam pio deſiderio fiat ſatis, te facie ad faciem, & perſpicuè contueamur in cœlis. Per Chriſtum Dominum, &c.

CAPVT XVI.

ALIAE SIMILITVDINES S. Trinitatis ex aliis S. Patribus.

S*Anctus Gregorius Nazianzen. cognomento, & reipſa Theologus, in dictum illud Euang. Matth.* 19. v. 1. Cùm cōſummaſſet Ieſus hos ſermones: Finge, *inquit*, Trinitatem margaritam quandam eſſe vndique ſibi ſimilem, atq; æquè fulgentem. Quæcunque margaritæ pars vitiata & labefactata fuerit, tota gemmæ gratia exſtincta fuerit. Eodem modo cum Filium cōtemnis, vt Patrem honores, tuum honorem nihil moratur, ad contemptum Filij nequaquam Pater glorificatur. Si Spiritum Sanctum aſpernaris, honorem tuum Filius nō curat. Siquidem

vt

vt trium diuinarum perſonarum natura eſt cō-munis, ita & honor vel contumelia eſt indiſ-creta.

Idem S.Gregorius Theologus ad Euagrium Monachū de Diuinitate: Vt inter mentem,*ait*, & cogitatio-nem,& animam nulla diuiſio aut ſectio excogi-tari poteſt, ſic neq; inter Saluatorem & Patrem vlla vnquam ſectio aut diuiſio interceſsiſſe co-gitanda eſt. Vt lucis radij mutuam relationem natura indiuiduam habentes, nec à luce diſiun-guntur,nec à ſe inuicem diſcinduntur, luciſque beneficium ad nos vſq; traiiciunt, eodem quo-que modo Seruator noſter, & Spiritus Sanctus geminus ille Patris radius ſimul & ad nos vſque veritatis lucem miniſtrant, & Patri vniti ſunt. Quemadmodum præterea ab vno aquarū fon-te nectaream aquam ſumma copia egerēte, duo manant fluuij,nihil detrimenti quantum ad eſ-ſentiam fons accipit: Sic à Deo Patre ſempiter-næ vitæ fonte duo fluuij proueniunt, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque,& ad nos vſque procedunt,nec tamen à Patre vllo modo ſeparantur. Indiuidua eſt enim ſummi Numi-nis natura.

Et Oratione 5.de Theologia,de Sole,radio,luce ſimi-litudinem affert,ſed & ingenuè confitetur: Cum mē-tis curioſitate diu multumque mecum conſide-raſſem,ac rationem vndecunque exegiſſem at-que exploraſſem,rei tantæ imaginem quandam exquirens, cui tandem rerum inferarum diui-na illa natura comparanda ſit, reperire non po-tui. Itaque conſultiſsimum mihi viſum eſt, vt miſsis factis imaginibus illis atque vmbris, vt fallacibus plurimumq; à veritate remotis, piam ipſe cogitationem fidemq; mordicùs retineam, alioſque pro viribus adducam: Vt Patrem, &

Filium

Filium,& Spiritum Sanctum adorent vnam diuinitatem ac potentiam : quoniam ipſi omnis honor,gloria &imperium in ſęcula ſęculorum, Amen. *Salutare hoc B. Gregorij Nazianzeni conſilium, & ab ipſo ſuſceptum & aliis ſuaſum, vt ſimplici fide Sanctiſsimæ Trinitatis myſterium teneamus, & ad eam piè auguſteque venerandam alios omni ſtudio & contentione pertrahamus. Neque enim vlla ſatis congruente & apta ſimilitudine præcellentiſsima Trinitas non dico explicari, ſed nec commodè adumbrari poteſt: cum infinito interuallo illa à rebus à ſe procreatis diſtet, & ſicut in tali ſimilitudine aliqua vtcunque conſentanea reperiuntur, ita & plurima diſſentanea occurrunt.*

Hinc illæ ſacræ Scripturæ ſententiæ, Iſaia 40.*ver*.25. Et cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus? Iſai. 46. v. 5. Cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? *Exodi* 9.*verſ*.14. Vt ſcias, quod non ſit ſimilis mei in omni terra. *Et cap*. 15. *v*. 11. Quis ſimilis tui in fortibus, Domine, quis ſimilis tui? 2. *Regum* 7. *verſ*.22. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non eſt ſimilis tui. *Hinc Dauid ſæpius exclamat in Pſalmis:* Domine Deus, quis ſimilis tibi?

Beatus Dionyſius Areopagita à Sancto Paulo conuerſus Actuum 17. *verſu* 34. *cap*. 2. *libri de Diuinis nominibus, beatiſsimam Trinitatem exemplo trium luminum idem cubiculum implentium indiſtincta quadam diſtinctione declarat. Quemadmodum cereorum lumina in domo vna cum ſint, & tota in totis mutuo ſunt, & integra tamen atque perfecta, & à ſe inuicem diſcretione coniuncta, & coniunctione diſcreta. Cernimus in domo plurimis tædis illuſtri, ad vnum quoddam lumen coniungi omnia lumina, fulgoremque vnum indiſcretum indiuiduumque præferre. Deinde ea lumina diſcreta eſſe & impermixta comprobat, quia ſi*

vna

vna tadarum auferatur à domo, totum ſimul illius exibit lumen, neque quicquam luminis aliarum tadarum ſubducet, aut aliquid ſui luminis cateris relinquet. Per illud vnum lumen, ad quod omnia coniunguntur, vtcunque valet humana imbecillitas, indiuiduam Deitatis ſubſtantiam: per plura verò (vt trium tadarum lumina in illo vno coniunctè diſcreta) tres ſuperſanctæ Deitatis perſonas ſe inuicem inhabitantes & immanentes concipere. Intelligat tamen & hanc imaginem ipſa incomprehenſibili Trinitate longè eſſe inferiorem.

Huiuſmodi autem inhabitatio ſiue immeatio (quātum humana mens capere poteſt) eſt mutua diuinarum perſonarum in ſe inuicem ſine confuſione immanentia. In qua perfecta integraque perſonarum ſeruatur cum diſcretione coniunctio, & cum coniunctione diſcretio, ſubſtantiæ vnitatem & perſonalem diſtinctionem in diuinitate inſinuans. Et ipſa quidem innuitur Ioannis 10. ver. 38. cùm Filius de ſeipſo dicit: Vt cognoſcatis, & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. *Et Ioannis 14. ver. 20.* Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia ego in Patre & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. *Et Ioannis 1. verſ. 18.* Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. *Quæ etiamſi de Patre dicuntur & Filio, eadem tamen ratione & de Spiritu Sancto ſunt veriſſima: hoc enim ſenſu à S. Athanaſio in expoſitione fidei dictum eſt:* Spiritus Sanctus ſemper eſt in manibus Patris & Filij. *Et Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 10.* Spiritus Sanctus, *ait,* in propria hypoſtaſi exiſtens, à Patre & Filio inſeparabilis, & nunquam egrediens. *Hæc eſt illa* περιχώρησις, *id eſt, mutua inexiſtentia, aut immanentia, ſeu inhabitatio, qua in ſe mutuo diuinæ inſunt perſonæ, quam circūinſeſſionem appellāt* Theologi,

qua

qua vt canit Eccleſia: *in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater, & in vtroque Spiritus Sanctus, & vterque in Sancto Spiritu. De qua S. Cyrillus libr.* 1. *in Ioann. cap.* 1. Ante ſæcula, *ait,* Filius eſt ſemper in Patre, quaſi in fonte eius Verbum, ſapientia, virtus, character, ſplendor & imago exiſtens. Nihil verò aliud nomẽ fontis ſignificat, quàm vt ex quo: Filius verò in Patre, & ex Patre eſt, non profluẽs foras: ſed aut quaſi à Sole ſplendor, aut quaſi ab igne inſita ſibi caliditas. In his enim exemplis vnum ab vno produci, & ambo conſempiterna ſic eſſe conſpicimus, vt aliud abſque alio nec eſſe poſsit, nec naturæ ſuæ rationẽ retinere. Quomodo enim erit Sol ſplendore priuatus? vel quomodo erit ſplendor, niſi Sol ſit, à quo defluat. Ignis verò quomodo erit calore carens? vel calor vnde manabit niſi ab igne? aut ab alio forſan non procul à ſubſtantiali qualitate ignis diſiecto. Sicut igitur quæ ab iſtis profluunt, & ſemper vnde fluant, oſtendunt, ſic in Vnigenito intelligendum eſt. Ex Patre enim eſſe intelligitur, ſed in Patre etiam eſſe creditur. *Ita S. Cyrill. Quem imitatus S. Ioannes Damaſc. lib.* 1. *fidei cap.* 9. Sancta, *inquit,* & Catholica atque Apoſtolica Eccleſia ſimul & Patrem, & ipſius vnigenitum Filium docet ex eo citra tempus, ac fluxionem, & paſsionem, ratione quadam incomprehenſibili, ac ſoli illi rerum vniuerſarum Deo perſpecta & explorata genitum: non ſecus videlicet atque vnà cum igne ſimul eſt & lumen quod ex eo oritur, nec prior eſt ignis nec poſterius lumen, ſed vtrumque ſimul. Et quemadmodũ lumen, quod ex igne ortum habet, ſemper in eo eſt (intimum ſcilicet non in aere productum) nec ab eo quoquo modo diſiungitur: ita Filius qui à Patre gignitur, nullo modo ab eo ſeparatur, ſed ſemper in ipſo

in ipſo eſt. Verum hoc intereſt, quod lumen, quod ex igne gignitur, ſemperque in eo manet ſeiunctam ab igne ſubſtantiam haudquaquam habet (eſt enim naturalis ignis qualitas) at vnigenitus Dei Filius ex Patre inſeparabiliter, ac ſine vlla diremptione genitus, & ſemper in eo manens, peculiarem atque à Patre ſubſtãtiam (*hypoſtaſim ſiue perſonam*) habet. Manet ergo in Patre Filius tanquam in ſubſiſtente ſubſiſtens. *Quod & rectè docet S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis libr. de fide ad Petrum cap.* 1. Per hanc, *ait*, vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt, totus quoq; Filius in Patre & Spiritu S. eſt, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt. *Hæc de mutua diuinarum perſonarum immanſione ſiue circũinſeſſione, occaſione trium luminum in vnum lumen coeuntium, & tamen diſtinctorum, dicta ſint.*

Quam S. Dionyſii ſimilitudinem comprobans B. Ioannes Damaſcenus lib. 1. *de Fide cap.* 11. Indiuiſibilis, *ait*, in diuiſis; vt rem vno verbo complectar, eſt diuinitas, ac velut in tribus ſolibus inſeparabili nexu inter ſe cohærentibus, vna eademque eſt lucis temperatio atque coniunctio. *Recte tamen & idem affirmat lib.* 1. *fidei orth. cap.* 9. Fieri non poteſt, vt in rebus creatis imago ac ſimilitudo vlla reperiatur, quæ Sanctæ Trinitatis modum citra vllam diſsimilitudinis notam in ſeipſa oſtẽdat. Lux corporis luminoſi refert Patrem, lux in medio diffuſa Filium, ſplendor Spiritum Sanctum. *Adam ex nullo homine, Eua ex ſolo Adamo, & ab vtroque Seth, referunt Patrem ingenitum, Filium ex ſolo Patre genitum, & Spiritum Sanctum ex vtroque procedentem.*

S. Bernardus ſer. 3. *in Vigilia Natalis Domini hanc dat diſsimilitudinem*: Attende, *inquit*, quia ſicut in

illa ſingulari diuinitate Trinitas eſt in perſonis, vnitas in ſubſtantia, ſic in illa ſpeciali commixtione (incarnatione Dominicâ) Trinitas eſt in ſubſtantiis, in perſona vnitas: & ſicut ibi perſonæ non ſcindunt vnitatem, vnitas non minuit Trinitatem: ita & hic perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantiæ ipſæ, perſonæ diſsipant vnitatem. Summa illa Trinitas hanc exhibuit nobis Trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia & ſuper omnia opera ſua. Verbum enim, & anima, & caro in vnam conuenire perſonam; & hæc tria vnum; & hoc vnũ tria, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. *Eiuſmodi ſimilia plura reperiuntur apud Sanctũ Iuſtinum Martyrem & Philoſophum lib. 3. de Trinit. Tertullian. aduerſus Praxeam. Ruffinum in Symbo. Apoſtolorum, Athanaſiũ epiſtola de Decretis Nicæna Synodi, ſermone 4. contr. Arrianos. Euſebium Emiſſ. hom. 1. de Symb. Cæſarium Arelatenſ. homil. 4. de Paſcha. Baſilium epiſtola 43. Gregorium Nyſſenum Oratione ad Simplicium. Richardum Victorinum libr. 3. de Trinitate cap. 9. & alios.*

Verùm illud arctè tenendum, quod ex S. Auguſtino & B. Gregorio Nazianzeno maximis Theologis diximus, & his verbis confirmat S. Ioannes Damaſcen. lib. 1. orth. fidei cap. 9. Fieri non poteſt, vt in rebus creatis imago ac ſimilitudo vlla reperiatur, quæ S. Trinitatis modum citra vllam diſsimilitudinis notam in ſeipſa oſtendat. Quod enim creatum & compoſitum, fluxaque ac mutabilis, & circũſcriptæ naturæ eſt, figuraque præditum, & corruptioni obnoxium, quo tandem modo ſuperesſentialem diuinam ſubſtantiam ab his omnibus remotam apertè declarabit? Perſpicuũ eſt autem, res omnes creatas his ac pluribus etiam affectionibus obnoxias eſſe. Certè omnes ea condi-

conditione ſunt, vt corruptio in eas cadat: *Si nimirum ex compugnantibus conſtent qualitatibus, vel ſi iis carent, & ſpiritus ſunt, tamen ſicut illos præpotens Trinitas ex nihilo produxit, ita & in nihilum poteſt commutare.*

Tribue ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, vt quemadmodum & natura & perſonis vobis mutuo intimè inhæretis, ſic & tibi nos, & nobis mutua charitate inhæreamus. Per Chriſtum Dominum noſtrũ.

CAPVT XVII.

CVR GLORIOSISSIMAM TRInitatem Chriſtus Dominus Patrem, Filium & Spiritum S. appellauerit.

PRæclara & magnifica apud Hebræos nomina habet Deus, de quibus tractat S. Hieronym. epiſt. 136. ad Marcellam, vt quod dicatur 1. ſibi ſufficiẽs, qui nulla re indigeat. 2. Robuſtus ad omnia perpetranda. 3. Dominus: 4. & Dominus virtutum, ſiue exercituum. 5. Deus. 6. Excelſus. 7. Sum qui ſum. Qui eſt ὁ ὤν. Atque hoc nomen ineffabile putauerũt Hebræi; idcirco quod ſit reuerentia plenum, & Deo magis cõueniat, & quidnam Deus ſit, magis exprimat: de Deo enim, vt teſtis eſt S. Dionyſ. magis dicere poſſumus, quid non ſit, quàm quid ſit, & ſi affirmando de eo loqui volumus, quidnam melius & accõmodatius dicemus, quàm quod ſit ille, qui verè eſt? de quo nomine videat Lector L. 1. c. 7. Habet & alia ſplendidiſſima & veriſſima nomina Deus; vt quod ſit omnipotẽs, quod omniſcius, quod optimus, quod maximus, quod infinitè ſanctus, iuſtus, pius, & id genus ſexcenta alia. Quare igitur Saluator noſter tres diuinas perſonas Patrem, Filium, & Spiritum S. nuncupauit? Videntur enim hæ appellationes non valdè honorificæ, ſed vulgares, quæ & plebeis hominibus

conueniant: Plurimi enim homines & patres ſunt, & omnes filij præter Adamum & Euam, qui non ſint filij, animæ etiam eorundem hominum ſunt ſpiritus, & in iuſtis hominibus ſancti inſunt ſpiritus. Quemadmodum Deus ineffabilis eſt, nec vllo vocabulo infinita illa maieſtas exprimi poteſt: ita & ſingulæ Trinitatis perſonæ quæ ſunt Deus, neque verbo, neque cogitatione comprehendi & explicari poſſunt. Hinc Prouerb. 30. v. 4. Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt eius? & quod nomen Filij eius ſi noſti? *Quaſi dicat: Quod eſt nomen Dei, & filij eius, quod magnitudinem eorum & interminatam præſtantiam ſignificet? Dic, ſi noſti, nullum autem noſti: quia nullum eſt.*

Chriſtus Liberator noſter tres Deitatis perſonas Patrem, Filium, Spiritum Sanctum nominauit, vt earundem proprietates, notiones, origines, & relationes indicaret, quæ illis nominibus aptiſſimè ſignificantur. Nomen Patris declarat & oſtendit Patrem eſſe ingenitum, hoc eſt, improductum, nec aliunde originem ducere, Filiumque ſibi æqualem, & coæternum genuiſſe. Nomen Filij deſignat, eum à Patre genitũ, eiuſdemque eſſe cum eo diuina eſſentia. Nomen Spiritus Sancti notat & demonſtrat, quod à Patre Filioque ſpiretur, ſiue producatur, vt vno principio, quibuſcunque eſt, & vnus idemque Deus.

Vulgaria quidem nomina ſunt, ſed ideo notiſſima & ad diuinarum perſonarum proprietates explicandas aptiſſima: Ex his enim cognoſcimus perſonas eſſe tres, eſſe relatiuas, per relationes conſtitui & diſtingui, diuinas proceſſiones: perſonarum originem, & originis ſiue proceſſionis modum, Filium per intellectum, Spiritum Sanctum per voluntatem produci.

Neque hæc nomina hominibus ſimiliter ac Deo congruunt, infinito namque dignitatis & excellentiæ interuallo diuina paternitas, & filiatio, & proceſſio ab humana paternitate, filiatione, ac productione diſiungitur.

Quod

Quod docet Apoſtolus, gratias agens, Deum laudans & inuocans pro beneficio vocationis gratiam, cum ait Eph. 3. v. 14. 15. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. *Quaſi dicat Apoſtolus, Deo Patri non tantum paternitas & generatio æterna reſpectu ſui Filij vnigeniti, ſed & temporalis per creationem in omnes cœleſtes & terreſtres familias, tribus, cognationes conuenit, etſi enim Angeli inferiores habeãt ſuperiores Angelos, quaſi principes, quos patres gaudent appellare; princeps enim eſt, & dicitur ſubditorum pater, & principatus eſt quadam paternitas, & ſubditorum ſtatus quadam filialitas, vt modo ſignificantius ita loquamur, quod & in hominibus locum habet, quibus & naturales ſunt parentes, & ciuiles parentes principes. Qua ratione ſerui Naaman vocabant illum patrem, id eſt, dominum & principem, 4. Reg. 5. v. 13. & Romanis patres vocabantur Senatores, omnes tamen hæ parentelæ & cognationes vnum communem habent patrem & principem, à quo deſcẽdunt, qui proinde ab omnibus in cœlo & in terra, quaſi Pater eſt nominandus, celebrandus, colendus, redamandus.*

Deus, qui nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti voluiſti nobis te beatiſſimam Trinitatem innoteſcere, præſta, quæſumus, vt qui fide te vtcunque cognouimus, ſempiterna viſione & charitate complectamur.

LIBER TERTIVS.

In quo ſingillatim tractatur de Deo Patre.

Capvt I.

NOMEN PATRIS TRIBVS DIVInis perſonis ſubinde commune.

NOmen Patris aliquando eſſentiale eſt & toti S. Trinitati commune, aliquando notionale & perſonale, ac primæ in diuinitate hypoſtaſi proprium. Subſtantiale, & toti S. Trinitati conueniens nomen Patris eſt Deut. 32. v. 6. vbi Iſraelitis ingrati animi crimen exprobrat Moyſes: Hæccine, *inquit*, reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens? nunquid nõ ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te. *Et Iſaiæ 1. verſ. 2. cum de eodem ſcelere conqueritur, & expoſtulat Deus:* Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. *Malachias cap. 2. ver. 10. eo proximi deſpicatus indignitatem amplificat, quod omnes homines ſint fratres vnius Dei parentis filij.* Nunquid non, *ait*, Pater vnus omnium noſtrũ? nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo deſpicit vnuſquiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum noſtrorum? *Quare Iſaias cupiens dulci Patris nomine Deum ad miſericordiam inflectere, hoc illum pacto deprecatur, cap. 63. verſ. 15.* Attende de cœlo, & vide de habitaculo

ſancto

ſancto tuo, & gloriæ tuæ; vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe. Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrahel ignorauit nos. Tu Domine Pater noſter, redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum. *Vbi Commentario ſuo in Iſaiam Beatus Hieronymus:* Tu, *inquit*, es Pater noſter, qui creator es omnium. Neſcit nos Abraham, & ignorat Iſrael: quia te offendimus, nec cognoſcunt filios, quos à Deo ſuo intelligunt non amari. Hoc autem eſt omne quod poſtulant: vt quia Pater eorum eſt, & hoc eos dignatus eſt nomine, non obliuiſcatur filiorum ſuorum, ne per ipſos nomen Dei blaſphemetur in gentibus. *S. Auguſtinus libr.* 5. *de Trinit. cap.* 16. *exponit, quomodo Deus incipiat eſſe Pater noſter ex tempore.*

Patris autem nomine Deus amorem noſtrum, obſeruantiam, & cultum prolicere voluit, quemadmodum & Domini nomine reuerentiam, & metum prouocare. Quo pertinet illud Malach. 1. *verſ.* 6. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum. *Verum hoc nomen Patris Deum & S. Trinitatem indicans multo frequentius vſurpatur in nouo, quam in veteri Teſtamento: illi ſiquidem, vt ait Apoſtolus Rom.* 8. *v.* 15. acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timore, nos ſpiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba Pater. *Paſſim itaque in Euangelio Deum noſtrum Patrem dicit Saluator Matt.* 5. *v.* 16. Sic luceat lux veſtra coram hominib. vt videat opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. *Et v.* 48. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Ca.* 6. *v.* 14. Si dimiſeritis hominib. peccata eorũ,

dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra, c.7.v.11. Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe? *Et c.10.v.29.30. ſuadens Dominus diuinæ prouidentiæ vt nos penitus committamus:* Nonne duo paſſeres, *ait*, aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos, *Matt.* 13. v.43. Tunc fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum. *Ioan.*4.v. 23.24. Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare. *Act.*1.v.7. Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, 2.*Cor.*6.v.18. Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens: *Familiariſſima eſt Apoſtolo in epiſtolis precatio & ſalutatio:* Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino noſtro Ieſu Chriſto. *Iacob.*1.v.17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminũ. *Et v.*18. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. *Et v.* 27. Religio munda apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. 1.*Petr.*1.v.17. Et ſi Patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus: in timore, incolatus veſtri tempore, conuerſamini. 1.*Ioann.* 2.v.1. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. *Et c.*3.v.1. Videte, qualem

lem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.

His ergo atque aliis quamplurimis S. Scripturæ teſtimoniis luculentè demonſtratur, quod Deus ipſe & tota ſanctiſſima Trinitas ſit, & appelletur Pater noſter, ad quod probandum eas potiſſimum ſententias delegimus, quæ noſtrum erga Deum talem tantumque parentem, amorem timorem, fiduciam, reuerentiam, honorem, laudem, imitationem excitare, allectare & inflammare poſſint, vt accuratius conſideranti manifeſtè patebit. Itaque nō ſolùm prima in diuinitate perſona Pater noſter & eſt, & nuncupatur, ſed etiam ſecunda & tertia. Quapropter & Dei Filius, quotquot receperunt eū, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Ioann.* 1. *v.* 12. *Et ipſe noſtrum ſe Patrem profitetur. Ioan.* 13. *v.* 33. Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum. *Et cap.* 14. *v.* 18. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. *Et cap.* 21. *v.* 5. Pueri nunquid pulmentarium habetis. *Didymus lib.* 2. *de Spiritu Sancto apud S. Hieronymum eius interpretem:* Ipſe, *ait*, Dei Filius per adoptionis gratiam multorum Sanctorum eſt Pater, ſecundum illud quod in Pſalmis legitur: Si cuſtodierint filij tui. Et iterum: Si dereliquerint filij eius legem meam. *Et Iſa.* 9. *ver.* 6. dicitur Pater futuri ſæculi. Matth. 10. v. 15. S. Patremfamilias Beelzebub vocarunt, quanto magis domeſticos eius? *Et Eccleſia his verbis inuocat Sanctum Spiritum:* Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Denique vbi hoc nomen Pater abſolutè ponitur, & ſine vlla cum aliis perſonis comparatione vel habitudine Deo, ſiue toti Trinitati conuenit. S. Aug. lib. 5. *de Trin. cap.* 11. *id eleganter docet.*

Domine Deus noſter, qui tanta gratia & honore nos homines dignaris, vt Pater noſter & nuncupari & eſſe volueris, præſta quæſumus, vt te tanquam ingenui &

 bene

bene morati filij reuereamur, obſeruemus & diligamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT II.

CVR DEVS S. TRINITAS SIT voceturque Pater noſter.

MVltis magniſque de cauſis S. Trinitas vnus Deus appellatur Pater noſter, quia genuit & creauit nos, quia conſeruat, alit, tuetur nos, quia liberauit & redemit nos, non quidem patiendo, quod Filius fecit, ſed agendo, quia nos per gratiam ſuam regenerauit, & in filios ſuos adoptauit: quia hæredes ſuos & cohæredes Chriſti & æternæ beatitudinis conſortes conſtituit.

Vniuerſarum autem rerum propter creationem Pater vocatur, etiam inanimatarum, quatenus metaphorica locutione creator, effector & auctor alicuius rei genitor & effectio generatio dici poteſt. Vnde & legimus Iob 38. v. 28. & 29. Quis eſt pluuiæ Pater? aut quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit? *Niſi videlicet Deus, qui ſe hic Patrem matremque pluuiæ, roris, pruinæ, glaciei teſtatur: nam illud gignere vtrobique ad matrem pertinet. Nomine autem Patris Creatoris poteſtas atque efficacitas notatur, matris verò nomine ipſius prouidentia, caritas, indulgentia, ſapientia, conſeruatio indicatur. Ergo Deus rebus omnibus eſt matripater.*

Et quidem Pater omnium Deus, ſed potiſſimum hominum, quos ad imaginem ſuam condidit; qua ampla ſignificatione & peccatores ipſius filij nuncupantur, vt initio ſuperioris capitis pluribus Scripturæ teſtimoniis probatum eſt.

Et inter homines magis ac propriè iuſtorum Pater, vt qui conformes ſunt imaginis filij ſui, *Rom. 8. v.* 29. & di-

29. & diuinæ conſortes naturæ. 2. *Pet.* 1. *v.* 4. Voluntariè, *ait S. Iacobus cap.* 1. *v.* 18. genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. *Sed omnium maximè beatorum Pater, vt quibus ſumma cum Deo ſimilitudo eſt:* Scimus, *ait S. Ioannes* 1. *epiſt. cap.* 3. *v.* 2. quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. *Vbi in Comment. S. Aug.* Viſuri ſumus quandã, *ait*, viſionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit. Viſionem quandam, viſionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorũ, atq; camporum, pulchritudinem maris & aeris, pulchritudinem Solis & Lunę, pulchritudinem ſtellarum, pulchritudinem Angelorum, omnia ſuperantem: quia ex ipſa pulchra ſunt omnia. Quid ergo nos erimus, quando hoc videbimus? Quid nobis promiſſum eſt? Similes ei erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Quomodo potuit, lingua ſonuit, cætera corde cogitentur. Quid enim vel ipſe Ioannes dixit ad comparationem rei, quæ eſt, vel à nobis dici poteſt, hominibus longè imparibus meritis ipſius? *Sanctus Thomas* 1. *Parte quæſt.* 33. *articulo* 3. *c.*

B. Gregorius Nazian. in epiſtola Nicobuli ad filium. Non hominum tãtum ſed Dei quoque, imo Dei prius quam hominum filij ſumus, Patres quippe ſecundas duntaxat in gignẽdo partes tenent diuinæque generationis velut organa quædam ſunt. *Sanctus Ioannes Damaſcenus libro* 1. *Orthod. fidei c.* 15. Deus eorum, *ait*, quæ ab ipſa effecta ſunt, eſt Pater. Etenim ſi propriè loquendum eſt, Deus verius Pater noſter eſt, vt qui nos cum non eſſemus, in ortum produxerit, quam qui nos genuerunt, vtpote qui tum vt ſint, tum vt gignant, ipſius munere ſunt conſecuti.

Atque

Atque hæc vna ratio eſt, cur magis noſter Pater Deus: quia quicquid nobiſcum parentes communicant, à Deo acceperunt naturam, præſertim & fœcunditatem, neque enim in eorum arbitrio conſtitutum, liberos cum velint procreare. Quo pertinet illa Heuæ confeſſio filium enixæ: Poſſedi hominem per Deum, *Gen. 4. v. 1. Et Gen. 25. v. 21.* Deprecatus eſt Iſaac pro vxore ſua, eò quod eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. *Et cap. 30. v. 1.* Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus reſpondit Iacob: Nunquid pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu ventris tui? *Agnoſcebat S. Vir donum eſſe Dei ſobolis generationem. Anna Samuelem precibus impetrauit, 1. Reg. 1. & Zacharias Ioãnem Luc. 1. cuius Ioannis matri Elizabethæ cognati & vicini cõgratulabantur, quia* Dominus magnificaſſet miſericordiam ſuam cum illa. *Ibidem.*

Secunda cauſa, quia quod generatores noſtri ad corporis effectionem conferunt, non ſolùm à Deo eſt; ſed etiam perexiguum & vile. Vt enim ſi Deus ex ſputo efformaret ſtatuam, huius ſanè auctor potius dicendus eſſet Deus, quam is, qui caſu in terram expuiſſet: Sic Deus informem materiam ab homine exciſam, ad corpus cõformandum adhibet, ipſe fingit, ipſe diſtinguit, ipſe ex vna illius parte neruos, ex alia verò oſſa, & ſanguinem ac cætera membra compaginat, quæ tantum abeſt, vt homines efficiant, vt & quo modo ea fiant, & an fiant, non intelligant. Teſtis huius rei eſt fortiſſima illa, & ſapientiſſima ſeptem fratrum Machabæorum bis mater, vt quos illa in temporalem ſimul, ac ſempiternam edidit lucem, qua hac exhortatione filios ad martyrium fortiter obeundum animauit, 2. Mach. 7. v. 22. Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, & vitam & ſin-

& ſingulorum membra, non ego ipſa compegi: Sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet, & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis, propter leges eius. *Scitum eſt illud S. Auguſtini in Pſalm. 70. concione 2.* Parentibus generantibus Deus creat. Nam ſi tu creas, dic quid mulier tua paritura ſit? Quid dicam, tu dic? Dicat ipſa, quæ, quod portat, ignorat. *Quocirca beatus ille Iob, ſui corporis, ac ſingularum illius partium confectionem ita Deo tribuit, quaſi nullius hominis opera acceſſiſſet cap. 10. v. 9. 10. 11.* Manus tuæ, *inquit*, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum, in circuitu, & ſic repentè præcipitas me? Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis compegiſti me. Vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.

Tertia cauſa eſt, quod in anima, quæ præcipua hominis pars eſt, ac penè totus homo, nullam, ne minimam quidem partem habent parentes: hæc enim tota à Deo creatur, nec vlla vis ineſt, vel in homine, vel in Angelo, qua eius effectionem attingere queant. Hinc animarũ genitor *ab Apoſtolo vocatur Deus. Hebr. 12. v. 9. cum ait:* Patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Et quidem illi, in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam, erudiebant nos, hic autẽ ad id, quod vtile eſt, in recipiendo ſanctificationem eius. *Etſi igitur totum corpus eſſet à parentibus, cuius tamen potiſſimus auctor Deus, tamen idcirco magis Pater noſter eſſet, quòd animas noſtras creauerit, ſiue vt loquitur S. Dauid Pſal. 32. v. 15.* Singillatim

tim corda noſtra finxerit. *Hinc & cõſequitur quarta cauſa, quæ de amplius Deus noſter eſt Pater: quia Deus ſemper manet animi Pater, & animus ſemper Dei Filius: vt enim Deus immortalis eſt, ita & animus eſt indiſſolubilis, at vt parentes emoriuntur; ita & corpus noſtrum occidit, ac proinde illi deſinunt eſſe parentes, & nos filij.*

Atque his aliiſque de cauſis benigniſſimus Pater noſter monet nos Matth.23.v.9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. *Nam comparatione Dei patrum nomen alij non merentur. Introducunt illi nos, in naturalem vitam, in vitam peccatis, & ſexcentis calamitatibus obnoxiam, quæ vix vita; & profectò ſi ſola ſit, ne vita quidem appellanda ſit. Vera enim vita eſt illa, quam in nobis efficit Dei gratia: in qua conſerenda quis locus fuit, vel patri, vel matri, quæ nos potius vt Dauid Pſalm.50. queritur:* in peccatis concepit, *vt ante damnati, quàm nati eſſemus?*

Cum ergo infinito interuallo ſiue amoris, ſiue beneficentiæ, à carnalibus parentibus diſtet diuinus Pater noſter, meritò ſeueram illam tulit ſententiam: Matthæi 10. verſ. 37. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus, *hoc eſt, mea gratia, mea familiaritate, & amicitia, meo conſortio. Quam ſententiam ſic interpretatur ſermone ſeptuageſimo in Cantica Beatus Bernardus, vt plus diligere propinquos quam Chriſtum, ſit propinquorum reſpectu, non implere, quæ Chriſtus in carne manens verbo & exemplo docuit. Itaque Dei amor, cultus, timor omnibus parentum, conſanguineorum, ac quorumcunque hominum obſequiis longiſſime anteponendus eſt.*

Da ſanctiſſima Trinitas, vt noſtram à te originem, & paternam tuam erga nos prouidentiam, & charitatem ſemper agnoſcentes, nunquam ab amore & obſequio

ſequio tuo recedamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT III.

ORATIO DOMINICA AD TOtam dirigitur S. Trinitatem.

Vamuis non omnino perperam opinati ſint, qui hanc precationem ad primam in diuinitate perſonam referri putauerunt, melior tamen & recentiorũ Theologorum & antiquorum Sanctorum Patrum ſententia, ea compellari totam ſanctiſſimam Trinitatem, 1. tum quod id ſacris literis vſitatiſſimum, vt Deus Pater noſter appelletur. S. Cyprianus de oratione Dominica: Sic, ait, orate: Pater noſter, qui es in cœlis. Homo nouus renatus, & Deo ſuo per eius gratiam reſtitutus, Pater primo in loco dicit: quia filius eſſe iã cœpit, vt & gratias agat, & profiteatur ſe Dei filium, dum nominat Patrem ſibi eſſe in cœlis Deum. *2. tum quod nomen Patris abſolute, & ſine comparatione ad Filium vnigenitum vſurpetur: 3. tum quod cauſa, cur Deus dicatur Pater noſter, non in vnam perſonam, ſed in omnes tres conueniat diuinas perſonas. Cur enim DEVM Patrem appellamus? Primum, quia creauit nos, at non ſolus Pater, ſed ſola TRINITAS creauit nos. Deinde, quia nos conſeruat: at non ſolus Pater, ſed tota nos conſeruat TRINITAS. Tertiò, quia nos redemit: at tota TRINITAS actione, licet Filius etiam perpeſſione nos redemit. Et proinde redemptionis reſpectu, potius ſolus Filius, quam ſolus Pater, nobis Pater eſt appellandus. Quartò, quia per gratiam regenerauit nos; at tota nos regenerauit Sancta Trinitas, non ſolus Pater. Ad hæc in cœlis Deus eſſe dicitur, quia ibi ſuam*

ſuam manifeſtat gloriam, & maieſtatem, vtique tota S. Trinitas, non ſolus Pater. Vt nomen Dei, id eſt, quicquid Deus nominatur, & eſt, ſanctificetur, ab omnibus cognoſcatur, timeatur, ametur, colatur, prædicetur, non à ſolo Patre, & pro ſolo Patre, ſed etiam à Filio, & Spiritu Sancto, & pro omnibus, & ab omnibus tribus perſonis poſtulamus, quibus & vnum regnum, & vna voluntas eſt, ſicut & vna diuinitas, ac proinde non aliud rogamus, quàm vt trium diuinarum perſonarum regnum penitus compreſſis dæmonibus, hominibuſque ei aduerſantibus conſtituatur, earundemque voluntas à nobis, & in nobis, & agendo, quod velint, & patiendo quod velint, integrè libenterque perficiatur. Eademque ratione à tribus illis diuinis perſonis, & animæ, & corpori neceſſaria, & peccatorum condonationem, & à tentationibus ac omnibus malis liberationem expoſcimus.

Adſcribam hic verba S. Thomæ 3. par. q. 23. artic. 2. Eius eſt nos adoptare in filios, quem Patrē poſſumus nominare: vnde dicitur, Rom. 8. verſ. 15. Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, ſed cum Deo dicimus, Pater noſter, hoc pertinet ad totam ſanctiſsimā Trinitatem, ſicut & cætera nomina, quæ dicuntur de Deo, relatiuè ad creaturam. *Quod & docet 1. P. q. 39. art. 7.*

Occurret forſan alicui cogitatio, cum hac oratione totam interpellemus Trinitatem, cur non docuerit nos Chriſtus Dominus precari, Deus noſter, qui es in cœlis, ſed Pater noſter, qui es in cœlis? Vnus inſtar omnium erit nobis S. Auguſtinus, qui libr. 2. de ſerm. Domini in monte, cap. 4. Cum in omni, *inquit*, deprecatione beneuolentia concilianda ſit eius, quem deprecamur, deinde Dominum quid deprecemur, laude illius, ad quem oratio dirigitur, ſolet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio

cipio poni ſolet, in quo Dominus noſter, nihil aliud nos dicere iuſsit, niſi Pater noſter, qui es in cœlis. Nam Apoſtolus Paulus ſpiritum adoptionis nos accepiſſe commemorat, in quo clamamus, Abba Pater, Gal. 4. v. 6. Et quoniam quod vocamur ad æternam hæreditatem, vt ſimus Chriſti cohæredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non eſt meritorum noſtrorum, ſed gratiæ Dei: eandem ipſam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus: Pater noſter. Quo nomine & charitas excitatur: Quid enim carius filiis debet eſſe, quam pater? Et ſupplex affectus, cum homines dicũt Deo, Pater noſter: & quædam impetrandi præſumptio, quæ petituri ſumus, cum priusquàm aliquid peteremus, tam magnum donũ accepimus, vt ſinamur dicere, Pater noſter, Deo. Quid enim iam non det filiis petẽtibus, cum hoc ante dederit, vt filij eſſent? Poſtremò quanta cura animum tangit, vt qui dicit Pater noſter, tanto patre non ſit indignus. Si enim quiſquã plebeius ſenatorem grãdioris ætatis, ab eo ipſo patrem vocare permittatur, ſine dubio trepidabit, nec facile audebit, cogitans humilitatem generis ſui, & opum indigentiã, & plebeiæ perſonæ vilitatem. Quanto ergo magis trepidandum eſt appellare Patrem Deum, ſi tantæ ſunt labes, tantæque ſordes in moribus, vt multo iuſtius eas Deus à ſua coniũctione expellat, quàm ille Senator cuiuſuis mẽdici egeſtatem. Admonentur etiam hic diuites, vel genere nobiles, ſecundum ſeculum, cum Chriſtiani facti fuerint, non ſuperbire aduerſus pauperes, & ignobiles: quoniam ſimul dicunt Deo, Pater noſter: quod non poſſunt verè ac piè dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant.

Iſta S. Auguſt. qui docet 1. *compellatione Patris Dei*

fauorem ac beneuolentiam cõciliari. 2. nos moneri quod ſtatum filiorum Dei ex ipſius gratia adepti ſimus. 3. noſtram erga Deum optimum parentem amorem prouocari, & inflammari. 4. excitari & humilitatem in nobis, cum viliſſimi homunciones talem tantumque habeamus parentem. 5. præterea poſtulata conſequendi fiduciam concipi, quid enim non impetret à Patre Filius? 6. curam ſollicitudinemque exſuſcitari, ne vitæ improbitate, velut degeneres filij diuino Patri noſtro probro ſimus, & dedecori. Quæ omnia Deum Patrem ritè precaturo diligenter conſideranda ſunt.

Huic Capiti tanquam auream coronidem S. Cypr. de oratione Dominica ſententiam imponam: Quanta, *inquit*, Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis eius, & bonitatis vbertas, qui ſic nos voluerit orationem celebrare in conſpectu Dei, vt Deum Patrem vocemus? & vt eſt Chriſtus Dei Filius, ſic & nos Dei filios nuncupemus? Quod nomen nemo noſtrum in oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare. Meminiſſe itaque fratres dilectiſsimi, & ſcire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis. Cõuerſemur quaſi Dei templa, vt Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter à ſpiritu, vt qui cœleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritalia & cœleſtia cogitemus & agamus. *Iſta B. Cyprian. Pater noſter, qui es in cœlis, &c.*

Cap.

CAPVT IV.

NOMEN ET RATIO PATRIS, ſoli ſubinde primæ perſonæ attribuitur.

DEclaratum eſt nomen Patris in diuinitate eſſe quandoque ſubſtantiale, & omnibus ſimul perſonis congruens, nunc oſtendemus, illud ipſum Patris nomen, eſſe aliquando notionale, & perſonale, vt ſoli primæ perſonæ, omnis originis experti conueniat. Et quidem, quod cum Filio & Spiritu Sancto dicatur Pater noſter, ex tempore illi tribuitur, in quo nos conditi ſumus, & eo pacto non potuit eſſe Pater ante Filium, vt ait Tertullian. libro contra Hermogenem, hoc eſt, ante Angelum, vel hominem: ſed in omni æternitate illi conuenit, quod ſit Pater vnigeniti Filij ſui, & hoc illi propriũ, de quo ipſe Filius Pſalm. 2. verſ. 7. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. *Et ſimiliter Pater, Pſal. 109. v. 3.* Ex vtero ante Luciferum genui te.

S. Auguſt. tract. 19. in Ioannem: Quid eſt, *inquit*, honorificare Patrem, niſi quod habeat Filium? Aliud eſt enim cum tibi cõmendatur Deus, quia Deus eſt: & aliud cùm commendatur tibi Deus, quia Pater eſt. Cùm tibi, quia Deus eſt, commẽdatur; creator tibi commendatur, omnipotens tibi cõmendatur, ſpiritus quidã ſummus, æternus, inuiſibilis, incõmutabilis tibi commendatur. Cùm verò, quia Pater eſt, tibi commendatur, nihil tibi aliud, quàm & Filius commendatur, quia Pater dici non poteſt, ſi non habet Filium, ſicut nec Filius, ſi Patrem non habet. Ego, inquis, maiorem honorem volo dare Patri, minorem Filio. Ibi tollis honorem Patri, vbi minorem das Filio. Quid enim aliud tibi

videtur ita ſentienti, niſi quia Pater æqualem ſibi filium generare aut noluit, aut non potuit. Si noluit, inuidet, ſi non potuit, defecit. Non ergo vides, quia ita ſentiendo, vbi maiorem honorem vis dare Patri, ibi es contumelioſus in Patrem? Proinde ſic honorifica Filium, quomodo honorificas Patrem, ſi vis honorificare & Patrem & Filium. *Hæc S. Auguſt. in cap. 5. S. Ioannis v. 23.* Omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem. *Et S. Cyrillus Ieroſol. Catech. 7.* Deus, *inquit*, multorum quidem abuſiuè dictus eſt Pater: vnius verò & ſolius natura, & veritate vnigeniti Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti: nõ in tempore Pater eſſe incipiens, ſed ſemper Vnigeniti Pater exiſtens: Et hac magis quàm aliis dignitatibus venerandus.

Porrò S. Thomas 1. P. q. 33. art. 3. Rectè docet nomen Patris magis proprie in diuinis perſonaliter dici, quàm eſſentialiter: nam ratio Patris, in eo conſiſtit, vt ſit principium generationis eius viuentis, à viuente, cognitione prædito, ſecundum principium vitæ cõiunctum, in ratione ſimilitudinis, in eadem natura, ſaltem ſpecifica, *ſecundum eundem B. Thomam 1. P. q. 27. art. 2. At Dei, & creaturæ nulla eſt naturæ conuenientia, ſiue numerica, ſiue ſpecifica, ac proinde nec perfecta ratio, vel paternitatis, vel filiationis, ſed vtraque perfectiſſima eſt, in Deo Patre, & Filio, quibus eſt vna eademque natura ſingularis. Ioann. 10. ver. 30.* Ego & Pater vnum ſumus. *Hoc igitur modo, pro ſola prima Trinitatis perſona nomen Patris vſurpatur. Matth. 7. v. 21.* Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnũ cœlorum. *Et cap. 10. v. 32. 33.* Omnis ergo, qui cõfitebitur

fitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *cap.* 12. *v.* 50. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. *cap.* 16. *v.* 27. Filius hominis vẽturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua. *Matt.* 25. *v.* 34. Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi. *Ioan.* 1. *v.* 14. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre. *Et v.* 18. Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. *Cap.* 2. *v.* 16. Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. *Cap.* 3. *v.* 35. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius *Cap.* 10. *v.* 38. Pater in me eſt, & ego in Patre. *Cap.* 14. *v.* 6. Nemo venit ad Patrem niſi per me.

S. Auguſtinus Tom. 9. lib. 2. de Symb. ad Catechum. cap. 3. pulchrè hanc diuini Patris rationem explanat: Non quiſpiam, *inquit*, audebit quamlibet creaturam ſiue cœleſtem, ſiue terreſtrem dicere omnipotentem, niſi ſolam Trinitatem, Patrem ſcilicet, & Filium, & Spiritum S. Non enim cum dicimus nos credere in Deum Patrem omnipotentem, ſicut hæretici Ariani negamus Filium omnipotẽtem, aut Spiritum Sanctum negamus omnipotentem. Si Filium negaueris omnipotentem, negabis & Patrem omnipotentem. Si ſempiternus eſt Pater, ſempiternus vtique eſt & Filius: Si enim fuit Filius, quandò non fuit Filius, fuit & Pater, quando non fuit Pater. Quod ſi aliquando fuit Pater non Pater, non fuit omnipotens, minus enim habuit in eo, quod poſtea effectus eſt Pater. Si das initium Filio, das & ini-

tium Patri. Pater enim à Filio appellatus eſt Pater. Si autem ſemper fuit Pater, ſemper fuit & Filius: & ſi Deus eſt Pater, Deus eſt & Filius; non enim aliud potuit procedere de Deo, quàm Deus. Quod ſi Deus eſt Pater, Deus eſt & Filius, & ſi ſempiternus eſt Pater, ſempiternus eſt & Filius, quem non præceſsit ætate, nec dignitate, non eum minuit æqualitate. Apoſtolum audi, quid de Deo Filio dicat Philippen. 2. v. 6. Cùm in forma Dei eſſet, inquit, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis Deo. Non rapuit, quia naturaliter habuit. Omnipotentia itaque Patris in Filio, omnipotentia Filij in Patre: quia neque aliquando Pater ſine Filio, neque aliquando Filius ſine Patre. Diuinam illam natiuitatem, qua Filius proceſsit ex Patre, qua natus eſt Deus de Deo ſine initio, ſine tempore, ſine matre, ſine aliqua fragilitate, ſine vlla ſui diminutione, non poſſumus explicare. Natiuitatem autem eius, ait Propheta Iſai. 53. verſ. 8. quis enarrabit? Et reuera quis comprehendere vel dicere poteſt, quomodo natus ſit, qui ſemper eſt in Patre, & nunquam recedit à Patre?

Quod autem Deus Pater melius ac rectius vnigeniti ſui Filij reſpectu Pater appelletur, quam homines hominum generatores his verbis declarat Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Heronis ſiue Maximi: Patrem verè eſſe Patrem credimus, ac multo quidem verius, quàm qui apud nos id nomen obtinent, tum quia proprio & ſingulari modo Pater eſt, nō autem ſicut corpora; tū quia ſolus, non enim cum mulieris coniunctione atque congreſſu: tum quia ſolius, nempe Vnigeniti: tum quia ſolum, nec enim ipſe priuſquam Pater eſſet, Filius fuit; tum quia in totum & totius Pater (quod de nobis certo affirmari non poteſt).

poteſt) tum quia à principio;nec enim poſterius Pater eſſe cœpit. Eodem modo Filium verè Filium, quod & ſolus & ſolius, ac ſingulari modo ac ſolum (non enim Pater quoque ſimul eſt) & in totum Filius,& totius,& à principio,hanc rationem habens, vt nunquam Filius eſſe cœperit: non enim ex pœnitentia diuinitas, neque ex progreſsione & incremento deificatio, vti ille aliquando Pater eſſe deſinat, hic Filij nomen amittat. Conſimili modo Spiritum Sanctum verè Sanctum. Neque enim alius talis eſt, nec eodem modo, neque ex acceſsione profectuque ſanctitatem habet, ſed eſt ipſamet ſanctitas, nec magis & minus, nec quoad tempus originem vnquam habuit, nec finem habiturus eſt.

Hæc S. Gregorius, qui, quod ait: Patrem eſſe in totum, & totius Filij Patrem, veriſſimam indicat, cur Pater ſit, rationem: quia illum de ſua ſubſtantia genuit, & totam cum illo ſuam eſſentiam communicauit: quemadmodum in fidei confeſsione habet Conc. Nicen. Credimus in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filiũ Dei vnigenitum,&ex Patre natum,*hoc eſt, ex ſubſtantia Patris*,ante omnia ſæcula. *Vnde & conſubſtantialem Patri confitetur. Similiter in ſua fidei Confeſsione Conc.* 11.*Tolet.*Filium de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, non tamen factũ eſſe confitemur. *Et S. Athanaſ. in ſuo ſymbolo:* Deus eſt,*ait*, ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Et ratio eſt, quia vera generatio, qua aliquid procedit, vt Filius debet eſſe de ſubſtantia generantis, ſed Filius Dei eſt maximè Filius comparatione & reſpectu Patris, ergo eius generatio debet eſſe ex ſubſtantia generãtis. Hęc eſt prolis natura,*ait S. Greg. Naz. Orat.* 3.

de Theologia, vt eandem cum genitore ſuo naturam habeat. *Deinde, Filius Dei non generatur de nihilo, alioquin eſſet creatura & eius generatio, creatio, neque generatur de alia ſubſtantia, alioquin vel non eſſet Deus, vel eſſent plures Dij ſecundum ſubſtantiam diſtincti. Generatur itaque de ſubſtantia Patris. Neque tamen hominum in modum dicimus, Pater genuit Filium, homo ſiquidem ſubſtantiæ partem impertit Filio, ſed æternus Pater æterno Filio ſuo generationem totam ſuam tribuit ſubſtantiam, vt quæ omnino ſimplex eſt, & indiuiſibilis, nec particulatim communicari poſſit.*

Docet id verè & eleganter Concilium magnum generale Lateran. ſub Innocent. III. cap. Damnamus, de Summa Trinitate & fide Catholica: Licet alius, *inquit*, ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamē aliud; ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus idem omnino, vt ſecundum orthodoxam & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit: iuxta quod ipſe teſtatur Ioan. 10. v. 29. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt (*quod etiam Tertull. lib. cont. Praxeam, Hilar. lib. 7. de Trinit. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. S. Auguſt. hic Beda, Rupertus & alij, ad naturam poteſtatemque diuinam, quam Pater gignendo dedit Filio, referunt.* At dici nō poteſt, quod partem ſubſtantiæ ſuæ illi dederit, & partem ipſe ſibi retinuerit: cum ſubſtantia Patris indiuiſibilis ſit, vtpote ſimplex omnino. Sed nec dici poteſt, quod Pater in Filium tranſtulerit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic eam dederit Filio, quod non retinuerit eam ſibi: alioquin deſiiſſet eſſe ſubſtātia. Pater ergo, quod ſine vlla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem ſubſtantiam: & ſic eadem res eſt Pater, & Fi-

& Filius, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens. *Iſta Conc. Lateran.*

Communicat igitur Pater omnem rem, quæ ipſe eſt, cum Filio: quia eſt vna ſimpliciſſima res & impartibilis. Habet tamen res illa ſimpliciſſima plures modos, ſiue rationes reales virtute inter ſe diſtinctas, vt eſſe abſolutum & reſpectiuum, & ita poteſt Pater communicare rem vnam eandemque cum Filio, exempli cauſa, paternitatem quatenus ad eſſe abſolutum, & ipſa paternitas idem eſt, cum eſſentia, & non quoad eſſe reſpectiuum quatenus opponitur filiationi.

Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in eodem vnigenito & tibi æquali Filio elegiſti nos, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu tuo, concede propitius, vt ab vtroque procedentis Spiritus gratia & auxilio, quæ diuinæ Maieſtati tuæ diſplicent, fugiamus, & quæ placent ardenti ſtudio ſectemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Caput V.

CVR ET QVOMODO DIVINVS Pater dicatur ingenitus.

Diuinus hic Pater ingenitus à S. Patribus appellatur, non quatenus natiuitatis ſignificat negationem, ſic enim & Spiritus Sanctus ingenitus eſt, ſed productionis negationem, quia non habet aliunde originem, quemadmodum habet Filius ab ipſo, & ab vtroque Spiritus Sanctus, & hoc comparate ad has duas perſonas: alioquin & ipſa diuina eſſentia à ſeipſa eſt, omnis expers principij. Hinc S. Baſil. libr. 1. aduerſus Euno. Incorruptibilem, *ait*, ac vnigenitum Deũ dicimus diuerſo mentis obiectu his nominibus appellantes. Nam cum in tranſacta iam

ſæcula reſpicimus, ac omne ſuperare initium, vitam Dei inuenimus, tunc ingenitum ipſum affirmamus. Cùm verò per ſæcula futura mentem extendimus, tunc infinitam eius in multum terminum exeuntem incorruptibilem appellamus.

Idem eſt iudicium de nomine innaſcibilis, quod eodē ſenſu, vt notionabile, & proprium attributum Patri aſsignatur. S. Gregor. Nazianz. Oratione in laudem Heronis ſeu Maximi: Hoc, *ait*, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus cōmune inter ſe habent, quod minimè creati ſunt, quodque diuinitate iungūtur. Hoc item commune Filius & Spiritus Sanctus, quod vterque eorum ex Patre eſt. Hac autem proprietate inter ſe diſtinguuntur; quod Pater ingenitus ſit, Filius genitus, Spiritus Sanctus emiſſus. *Ibidem:* Vnus Pater ingenitus, id eſt, naturæ ſuæ authorem non habens, *vt explicat S. Athan. de Synod. Arimini & Seleucia. Rurſum Orat. de dogmate & ſtatu Epiſcopor.* Docemus & ꝓfitemur, *inquit idem S. Greg. Naz.* quod ſimul atque Pater ingenitè erat (ſemper autem erat, neç enim aliquando eum non fuiſſe concipit mens noſtra, quantumuis ſe altiſsimè efferat) & Filius quoq; genitè erat, ita concurrit eſſentia Patris cum Vnigeniti generatione: qui ex ipſo quidem eſt, cæterum non poſt ipſum, aut ſaltem ſola principij cogitatione. Principium autem hic pro cauſa accipio.

Neque ex hoc quod Pater ingenitus ſit & originis expers, & Filius genitus ſit, & originem ex Patre habeat, vel quicquam dignitatis accedit Patri, vel decedit Filio. Nos, *inquit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 3. de Theol.* dicere non dubitabimus, ſi magnum & illuſtre Patri eſt, à nullo profectum eſſe, non minus illuſtre Filio eſſe, ex tali Patre originem habere.

bere. Nam præterquam quod gloriæ illius, qui cauſam nullam agnoſcit, particeps eſt, quia ab eo originem ducit, accedit etiam generationis decus, res tanta tamque veneranda, iis vtique, qui non omnino humi prouoluti ſunt, craſſoque animo præditi. *Impii Arriani ex eo quod Pater eſſet ingenitus, & Filius genitus, Filio æternitatem, ac ſimul veram diuinitatem furari conabantur.* Hi, *ait Sanctus Baſilius lib. 2. aduerſus Eunomium*, quoniam proprietas Patris, quæ eſt ſine principio, etiam æterna appellatur, idem ſine principio eſſe, & æternum cenſent. Et quoniam Filius non eſt ingenitus, non eſſe æternum profitentur. Hęc autem re ipſa plurimum diſtant. Nam ingenitum quid, quod nec ſui originem, nec eſſendi cauſam habeat. Aeternum verò dicitur, quod omni tempore ac æuo ſecundum eſſe antiquius eſt. Vnde Filius nec ingenitus eſt, & æternus eſt.

Quam ob cauſam hoc nomen explodit S. Baſilius lib. 1. contra Eunomium: Ego, *inquit*, ingeniti ſiue innaſcibilis appellationem, quamuis ſummopere cogitationibus noſtris congruat: tamen quoniam nullo loco in Scriptura ipſam inuenio, & quoniam primum eſt elementum blaſphemiæ iſtorum, ſilentio tradendam meritò duxerim: Præſertim cùm Patris vox, & id poſſit, quod ingeniti, & ad id etiam propter relationem coniunctam ſibi Filij cogitationem adducat. Qui enim verè & ſolus Pater eſt, à nullo eſt: qui autem à nullo eſt, ingenitus eſt.

S. Ioannes Damaſcenus lib. 1. ortho. fidei c. 9. Omnia, *inquit*, quæ Pater habet, Filij ſunt, hoc vno excepto, quod ingenitus non eſt: quæ quidẽ vox nec naturæ diſcrimen, nec dignitatem, atq; auctoritatem, ſed exiſtentię modũ indicat. Sic videlicet

Adamus

Adamus quoq; , qui à nemine genitus eſt (à Deo quippe effectus eſt) & Seth genitus (filius enim eſt Adami) & Eua ex Adami coſta egreſſa (neq; enim ipſa genita eſt) natura minimè inter ſe differunt (homines enim ſunt) ſed exiſtẽdi modo. *Et lib. 4. orth. fidei cap. 7.* In diuina, *inquit*, & increata natura ingeniti proprietas in Patre conſideratur (neque enim ille genitus eſt) generatio autem in Filio (ſiquidem ex Patre ſempiternè genitus eſt) proceſsio denique in Spiritu Sancto.

S. Auguſtinus epiſtola 178. Eſt ingenitus, *inquit*, Pater, quia à nullo eſt genitus, ſed hoc eſt ingenitus quod genitus, vtpote de Deo Deus. Non enim quia Adam ingenitus approbatur, idcirco eſt homo: & Abel, quia de ipſo eſt genitus, non eſt homo, hominem genuit, quod eſt ingenitus homo. Deus quod eſt, genuit eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem eſſentiæ ſine tempore ſibi coæternum genuit. *Et lib. 5. de Trinit. cap. 6. idem D. Auguſtinus*: Cum ingenitus dicitur Pater, non quid ſit, ſed quid non ſit, dicitur. *Et cap. 7. de hoc vocabulo latius diſputat.*

Deus Pater, à quo cuncta originem ducunt, largire nobis ſupplicibus tuis gratiam, vt qui à te proceſsimus, charitate perpetuò in te maneamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Caput VI.

Quod principii nomen rectiſsimè Deo Patri tribuatur.

VT autem diuinus Pater ingenitus dicitur, quod principio, vnde ſit, careat, ita rectè principium appellatur: quod omnium prorſus rerum fons & origo ſit: Ab eo procedit Filius, ab eo procedit Spi-

dit Spiritus Sanctus, quibuſcum, & ipſe vnum eſt conditarum rerum principium.

Hinc S. Dionyſius cap. 1. de cœleſti Hierarchia: Pater, *ait*, cœleſtis diuinitatis fons atque principiũ. *Et S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Totius diuinitatis, *ait*, vel ſi melius dicitur, Deitatis principium Pater eſt. *Et Conc. Tolet. 6. cap. 1.* Credimus Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius diuinitatis. *Non quod Deitas procedat à Patre: quia vt habet Conc. Lateran. cap. Damnamus:* Diuina eſſentia non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed Pater eſt, qui generat: & Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura, ſed quia Pater eſt principium Filij & Spiritus Sancti, in quibus eſt ſingulis tota diuinitas, dicitur diuinitatis totius principium, non quia illam producit, ſed quia communicat. Et eſſe principium ſine principio, ſeu primum in diuino perſonarum ordine principium eſt proprium ipſi Patri.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Heronis ſiue Maximi: In pietatis, *ait*, fideique doctrina illud nobis cauendum, ne aut Patri principiũ tribuamus, ne quid primo prius introducamus, ex quo id quod primum eſt, originem traxiſſe conſequatur, aut Filium, & Spiritum Sanctum principij expertes eſſe aſtruamus: ne Patrem ſua proprietate ſpoliemus. Illi quippe principio minimè carent, & tamen quodam modo carent, quod ſanè dictu mirum eſt. Non enim quoniam ad cauſam (*hoc eſt, proceſſionem ab alio*) principio carent (*ex Deo enim ſunt*) licet non poſt ipſum, quemadmodum ex Sole lumen, ſed quoniam ad tempus, principij ſunt expertes. *Et Oratione de ſtatu Epiſcoporum:* Principium neſcit Pater, nec enim

enim aliunde, nec à ſeipſo originem habet. At Filius nequaquam principio caret, principium enim Filij Pater eſt, ſin de tempore principium intellexeris, principij quoque omnis eſt expers. Neq; enim tempori Dominus temporum ſubiectus eſt.

Sanctiſſime Pater, da nobis famulis tuis, vt ſicut vniuerſarum rerum es principium, ita & nos agendi primordia à te ſemper capiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT VII.

QVOD PATER SIT DEVS.

Diuina perſona productionis & originis expers non modo Catholicorum, ſed etiam gentilium & hæreticorum iudicio verus ſummuſque eſt Deus: Pater Deus eſt, ſicut etiam omnes hæretici cõcedunt, *ait Beatus Auguſtinus libro 2. de Trinitate capite 13. Cuius rei in promptu ratio eſt, quia quod non eſt aliunde ſed à ſe, non poteſt eſſe niſi Deus: quia omnis creatura producta eſt.*

Quis huius vniuerſitatis architectus, princeps ac moderator niſi Deus? At is eſt Pater, quem hoc pacto alloquitur Chriſtus Matthæi 11. verſ. 25. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Quis ſempiternus & initio ac fine carens niſi Deus? ſiquidem vt qualibet creatura ex nihilo facta eſt, ita & à conditore ſuo in nihilum redigi poteſt, licet natura ſua indiſſolubilis ſit, & immortalis, at Deus Pater æternus eſt inchoationis & deſitionis neſcius. Nam Pater eſt, qui electos ſuos ab omni æternitate ſui cœleſtis imperij

perij hæredes inſtituit, & ſocios: Venite, *inquit Saluator, Matthæi 25. verſ. 34.* benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. *Ioannis 1. verſ. 1.* In principio Verbum erat apud Deum. *Et capite 17. Cui interminata poteſtas niſi ſoli Deo? Et nonne quiſque noſtrum in Apoſtolico ac Nicæno confitetur ſymbolo:* Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem? *Et cuius eſt illa vox Marci 14. verſ. 36.* Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, niſi ipſius Filij Dei? *Quis facit mirabilia magna ſolus? Vtique Deus, ſed Dominus de ſuis loquens miraculis:* Pater, *ait Ioannis 14. verſu 10.* in me manens, ipſe facit opera. *Et Ioannis quinto, verſu 21.* Pater ſuſcitat mortuos. *Quis latriæ cultu venerandus niſi verus Deus?* At Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu & veritate, *Ioannis 4. verſu 23. Denique:* Hæc eſt vita æterna, *ait Patri Seruator Ioannis 17. verſ. 3.* vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos gratiæ tuæ donis, tuæ diuinitatis conſortes affeciſti, clementer concede, vt ope & munere tuo ad tuam in cœlis diuinitatem contemplandam fruendamque feliciter perducamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

Caput VIII.

Dei Patris erga nos homines beneficentia.

HIc optimus ac prouidentiſſimus Pater quia æterno decreto conſtitutum habuit, homines ad imaginē ſuam creare, & eos ſuos filios inſtituere, Eph. 1. verſ. 1. Prædeſtinauit nos in adoptionē filiorum, per Ieſum Chriſtum: *iiſdem & cœleſte regnum tāquam ſuis hæredibus apparauit. Rom. 8. v.* 17. Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. *Matth. 25. v.* 34. Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum. *Luc. 12. v.* 32. Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.

Quo regno, vt ipſius munere digni eſſent, & à ſceleribus puritatem, & veras virtutes impartiri voluit, & etiam impartiuit, quemadmodum teſtatur Apoſtolus Epheſ. 1. v. 3. 4. Benedictus, *ait,* Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, ante mundi cōſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. *Et vt loquitur ad Rom. 8. v.* 29. Quos præſciuit, & prędeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. *Conformes, inquam, non ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum gratiæ & gloriæ ſimilitudinem, vt quemadmodum ipſe eſt Filius Dei naturalis, ita nos ſimus adoptiui filij, & à Chriſto quaſi fonte riuuli, aquis gratiæ ipſius irrigemur, & per illum, & cum illo participes efficiamur felicitatis ſempiternæ.*

Et

Et quia ab hac conformitate nos lapſuros & peccato deformandos præuidit, prouidit etiam, vt per vnigenitum filium ſuum priſtino nitori, & integritati reſtitueremur. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam Ioan. 3. v. 16. 1. Ioan. 4. v. 9. 10. *Quam ſalutem (quãtum ad ſe) ſyncere vult & tribuit omnibus* Matth. 18. v. 11. Non eſt voluntas ante patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis Ioan. 6. v. 39.

Ipſe fidei arcana patefacit, præſertim modeſtis, & humilibus Matth. 11. v. 25. Ipſe mira ſuauitate pellicit, ſuo vt nos filio adiungamus. Nemo venit ad me, inquit Saluator Ioan. 6. v. 44. niſi Pater, qui miſit me traxerit eum. *Ipſe tanquam vinitor, nos palmites in Chriſto vite inſitos excolit,* nec talis, *vt ait S. Aug. tract. 80. in Ioannem,* quales ſunt, qui extrinſecus operando exhibent miniſterium: ſed talis vt det etiam intrinſecus incrementum: neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus 1. Cor. 3. v. 7. Et quidem ſteriles palmites reſecat, frugiferos purgat, vt copioſiorem fructum producant.

Indulgentiſſimus eſt in ſuos filios, quos & miris perfundit ſolatiis. de quo Apoſtolus. 2. Cor. 1. v. 3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri, Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. *Videatur S. Bern. ſerm. 5. de Natiuit. Domini.* Non Pater ait, iudiciorum, vel vltionũ dicitur, ſed Pater miſericordiarum: non modo quod Pater videatur miſereri potius, quam indignari, & quemadmodum Pater miſereatur filiorum timẽtium ſe. Pſ. 102. Sed eo magis, quod miſerendi cauſſam & originem ſumat ex pro-

prio, iudicandi vel vlciſcendi magis ex noſtro Pſ.29.v.6. Pater miſericordiarum, quia & multæ tribulationes iuſtorum, *Pſal.33.v.20. Pater miſericordiarum; id eſt, Pater miſericordiſſimus, ſicut Rom.15.v.5.* Dicitur Deus patientiæ & ſolatij, *hoc eſt, patientiſſimus, & ſummè conſolans. Vel Pater, id eſt, auctor omnis miſericordiæ, patientiæ, ſolatij, quo ſenſu dixit Apoſtolus Eph.1.v.17.* Pater gloriæ, *id eſt, effector omnis gloriæ, & glorioſæ redemptionis noſtræ.*

Ad hunc miſericordiarum patrem, ſi peccauimus, tutiſſimum habemus perfugium. Quomodo enim Pater miſeretur filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum *Pſal.102.v. Quæ cogitatio animauit ad reſipiſcentiam filium prodigum Luc.15.v.18.* Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. *Sed quid: Qui mercenarij loco contentus, in filij dignitatem amantiſſimè & honorificentiſſimè receptus eſt. Talis tam clemens, tam benignus eſt Pater noſter cœleſtis in peccatores ex animo vitam emendantes, vt meritò exclamet non ſine maxima admiratione Eccleſ.c.17.v.28.* Quam magna miſericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad ſe? *hoc eſt, ad Deum, cuius Dei Domini noſtri bonitatem, dum exclamatione & admiratione effert, ſignificat ſe eam neque ſermone, neque cogitatione conſequi poſſe.*

Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, piiſſimæ maieſtati pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper miſericordiam deprecantes, vt qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT

CAPVT IX.

QVIBVS NOBIS SIT OFFICIIS *honorandus Deus Pater.*

NEmo id rectius nos docebit, quam dilectiſsimus ipſius filius Chriſtus liberator noſter qui ait Ioan.8.v.49. Honorifico Patrem meum. *Sed quibus Dominus noſter honoribus Patrem affecit? 1. quidem conſideratione & exiſtimatione Maieſtatis ipſius diuinitatis Ioan.*17.v.3. Cognoſcant te ſolum Deum verum: *Omnipotentiæ Mar.*14.v.36. Abba Pater, omnia tibi poſsibilia ſunt. *Sanctitatis Ioan.* 17.v.11. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. *Sanctum appellat Patrem: quia Sanctitatis ipſe fons eſt, & ſanctitatem diſcipulis poſtulabat: vt nimirum Pater illos ſua potentia & virtute ac protectione, in gratia, in caritate eos conſeruaret ne, in tentationibus & afflictionibus ſuccumberet, & conſtantes, vnanimes, concordes, pacifici permanerent, vt illis eſſet* cor vnum & anima vna. *Act.*4.v.32. *Contemplatione iuſtitiæ Patris Ioan.* 17.v.25. Pater iuſte mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me miſiſti. *Iuſtum vocat Patrem: quia hac Patris iuſtitia exigit, vt cuique tribuatur ſecundum opera ſua Itaque cum v.24. dixiſſet Dominus:* Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum &c. *Cauſſam reddit Saluator, cur non omnes ſecum in cœlo futuri ſint: quia aliqui Deum Patrem cognouerunt, alij non cognouerunt, & ſua vel cognitioni, vel ignorationi conſentaneè vixerũt: Cõſideratione caritatis Ioan.*3.v.16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitũ daret &c. *Cogitatione etiam paterni in vniuerſam creaturam dominatus Matt.* 11.v.25. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ &c. *Itaque ad Saluatoris exemplum ſuprema digni-*

tatis ac maieſtatis æſtimatione diuinus nobis Pater honorandus eſt: quia ſine virtutis & excellentiæ iudicio, quæcunque exterior reuerentia potius ludificatio & irriſio eſt. Propter quam diuini Patris præſtantiam, indigniſſimum cenſuit Saluator, vt quicquam contra illius committeretur honorem, & ideo aliud in templo quam Dei Patris cultum curantes inde flagello expulit dicens: Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. *Ioan.2.v.16. Hanc eminentiſſimam Dei celſitudinem contemplatus &c. Dauid cum admiratione exclamat Pſal.85.v.* 8. Non eſt ſimilis tui in dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, & adorabũt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum: Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.

Deinde cœleſtem parentem Saluator amore coluit, quem etiam vel maxime progenitores à ſuis liberis expetunt. Ioan.13.14.v.31. oſtendit ſe non neceſſitate aliqua ſed ex amore & obedientia erga Patrem pro nobis mortem ſubijſſe. Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio *Ioan.15.v.9.10.* Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei mandata ſeruaui & maneo in eius dilectione. *Suum erga Patrem amorem obedientia teſtatum facit. Hanc dilectionem* tract.82. in Ioannem *ita exponit* S. Aug. Quid eſt manete in dilectione mea, niſi manete in gratia mea? Et quid eſt ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: niſi, ex hoc ſcietis, quod in dilectione mea qua vos diligo, manebitis, ſi præcepta mea ſeruabitis? vtique etiam dilectionem Patris intelligi voluit, qua eum diligit Pater. Ita quippe dixerat. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: atque his verbis illa ſubiunxit:

iunxit: Manete in dilectione mea, illa proculdubio qua dilexi vos. Ergo etiam quod ait de Patre, maneo in eius dilectione, illa ſcilicet accipienda eſt, qua dilexit eum Pater. Sed nunquid & hic gratia intelligenda eſt, qua Pater diligit filium, ſicut gratia eſt, qua nos diligit filius: cum ſimus nos filij gratia, non natura, vnigenitus autem natura, non gratia? An hoc etiam in ipſo filio ad hominem referendum eſt. Ita ſane. Secũdum hoc igitur rectè poſſumus dicere: quod cum ad naturam Dei, non pertineat natura humana, ad perſonam tamen vnigeniti filij Dei per gratiam pertinet humana natura: & tantam gratiam, vt nulla ſit maior, nulla prorſus æqualis. Neque enim illam ſuſceptionem hominis vlla merita præceſſerunt, ſed ab illa ſuſceptione merita eius cuncta cœperunt. Quid eſt enim & ille homo, niſi quod Deus ſuſceptor eſt eius?

Cogitabit aliquis: S. Aug. hanc dilectionem interpretatur, qua Pater diligit Filium, & Filius diligit nos, nõ igitur hic agitur de dilectione, qua Chriſtus diligit Patrem, & nos Chriſtum diligimus. De hac poſtrema Chriſtum intelligit, & exponit S. Ioan. Chryſ. hom. 75. in Ioannem. Si in dilectione mea, *ait*, manebitis, nihil vobis nocere poterit: Magnum namq; & inſuperabile quiddam dilectio eſt, quæ non nudis verbis, ſed re oſtendenda eſt. Ipſe inimicos reconciliauit, nos in amore perſtemus: ipſe incepit, nos ſaltem proſequamur; ipſe nõ commodi ſui gratia (nullius enim eget) nos ſaltem ad noſtram vtilitatẽ diligamus &c. *Vtrumq; interpretamentum bonum eſt, quorum hoc ſequitur Ioannes Maldonatus noſter, illud Franciſcus Toletus ſimiliter noſter, ambo excellentiſſimi Theologi. Et quidem ſi de vtraque dilectione actiua & paſſiua intelligatur, commentarius pleniſſimus erit: ſiquidem Dei noſtraque di-*

lectio ſemper reciproca eſt: Deus nos diligendo facit dilectores ſuos, & nos amando Deum amamur ab illo iuxta illud Prouerb. 8. *v.* 17. Ego diligentes me diligo. *Et Ioan.* 14. *v.* 21. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Amauit ergo Christus Dominus Patrem & medullitus ac toto pectore Patrem amauit. Hinc illius mellita & ex intimis præcordiis profecta ad Patrem voces:* Pater Domine cœli & terræ. *Matth.* 11. *v.* 28. Pater mi *Matth.* 26. *v.* 42. Abba Pater *Marci* 14. *v.* 36.

Hoc igitur amore vt ſummum bonum Patrem ſeruator proſecutus eſt, proſequamur & nos, & nihil diuini Parentis amori anteponamus, ne ipſos quidem parentes noſtros. Quod optime docet S. Aug. ſer. 7. de verbis Domini c. 1. & 2. Volebat iſte iuuenis Matth. 8. v. 21. Lucæ 9. v. 59. 60. Obtemperare Deo, & ſepelire Patrem ſuum. Sed eſt locus, & eſt tempus, & eſt res quæ huic rei, huic tempori, huic loco ſeruiat. Honorandus eſt Pater, ſed obediendum eſt Deo. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator. Ego, inquit, ad Euangelium te voco, ad aliud opus mihi neceſſarius es: Melius eſt hoc, quam quod vis facere. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Docuit nos, quod ſcriptum eſt in Cantico Canticorum cap. 2. v. 4. dicente Eccleſia, Ordinate in me caritatem. Quid eſt, ordinate in me caritatem. Facite gradus, & cuique, quod debetur, reſtituite. Nolite anteriora poſterioribus ſubdere. Amate parẽtes, ſed præponite Deum parentibus. *Caritate potiſſimum colitur Deus.*

Veneratus eſt & Patrem Christus Dominus eximia religione & demiſſa adoratione. Hinc matri querenti: Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce ego & Pater tuus dolentes quærebamus te *reſpondit*: Quid eſt, quod me quęrebatis? neſciebatis: quia in his, quę

Patris

Patris mei ſunt, oportet me eſſe? *Luc. 2. v. 48. 49. Maxima hæc etiam Domini erga cœleſtem Patrem honor & religio, cum ipſius cultum, & negotia omnibus humanis negotiis etiam parentum ſocietati, obedientiæ, conſolationi anteponit, obſeruatque ipſe primus: quod nobis poſtea tradidit obſeruandum Matth. 10. v. 37.* Qui amat Patrem ſuum, aut matrem plus quam me non eſt me dignus. *Precaturus in horto Patrem non modo genua flexit Luca 22. v. 41. ſed etiam in faciem ſuam procidit Matth. 26. v. 39. Similem, hoc eſt, dimiſſiſſimam & animi & corporis venerationem Deo Patri adhibeamus, quemadmodum & nos hortatur Dauid Pſal. 94. v. 6.* Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos.

Atque hanc ſempiterne Pater, tuæ Ampliſſimæ Maieſtatis noticiam, admirationem, contemplationem, amorem & reuerentiam, vt conſequamur, propter merita vnigeniti Filij tui, abundantem nobis S. Spiritus gratiam tribue.

CAPVT X.

QVIBVS ALIIS REBVS HONOrem cultumque tribuit Patri Chriſtus, & à nobis adhibendus ſit.

Coluit & Saluator Patrem ſuum, diuinæ Maieſtatis ipſius prædicatione: Matt. 11. v. 25. Confiteor tibi Pater, *id eſt, laudo te. Quod frequentiſſimum eſt in Pſalmis. Ex plurimis pauciſſimas ſententias proferamus Pſal. 6. v. 6.* In inferno quis cōfitebitur tibi. *Pſalm. 7. v. 18.* Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius *Pſal. 34. v. 18.* Confite-

bor tibi in Eccleſia magna, & quaſi explic… *quid ſit confiteri in Eccleſia magna ſubiungit*, in po… lo graui laudabo te. *Iucundum erit Lectori cogno… re, quæ ſcribit* S. Aug. ſer. 8. de verbis Domini, … *planans verba Saluatoris:* Confiteor tibi Pater … Si digne, *inquit*, ſi diligenter, ſi quod primum … præconſideremus, inuenimus primitus, nõ ſe… per cum in ſcripturis legimus confeſsione… debere nos intelligere vocem peccatoris. M… ximè autem hoc dicendum fuit, & hinc adm… nenda charitas veſtra: quia mox id ſonuit ve… bum lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſio… pectoris veſtri, audito ſcilicet quod Domin… ait: Confiteor tibi Pater. In hoc ipſo, quod ſo… nuit, Confiteor, pectora tutudiſtis. Tundere au… tem pectus, quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis: Confiteor tibi Pater? Confiteor, audiſtis: qui confitetur non audiſtis. Nunc ergo aduertite, ſi Confiteor Chriſtus dixit, à quo eſt longe omne peccatum: non ſolius eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris. Confitemur ergo ſiue laudantes Deum, ſiue accuſantes noſmetipſos. Pia eſt vtraque confeſsio, ſiue cum te reprehendis, qui non es ſine peccato: ſiue cum illum laudas, qui non poteſt habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehenſio tua, laus ipſius eſt.

Neque dubitandum hanc laudationem ſuam valdè placere Deo Patri, cum voluntatis ipſius conſcius filius illum dilaudet, & per Prophetam affirmet Pſalm. 49. v. 24. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei, *id eſt, Laus & gratiarum actio pro acceptis beneficiis apud homines me glorificat, & propter hanc dabo ſalutem meam ſempiternam.*

Vene-

Veneratus eſt & Patrem Liberator noſter agnitione perceptorum beneficiorum, & pro iis gratiarum actione, Matth. 11. *v.* 27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. *Ioannis* 10. *v.* 29. Pater quod dedit mihi maius omnibus eſt. *Ioannis* 14. *v.* 10. Pater in me manens ipſe facit opera. *Ioan.* 17. *v.* 8. Omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt. *Et v.* 24. Dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. *Hinc agnoſcens & teſtificans omne beneficium à Deo proficiſci, crebro in cœlum oculos ſuſtulit. Mar.* 7. *v.* 34. Suſpiciens in cœlum, ingemuit. *Ioan.* 11. *v.* 41. Ieſus ſubleuatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. *Ioannis* 17. *verſ.* 1. Hæc locutus eſt Ieſus, & ſubleuatis in cœlum oculis, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. *Et Eccleſia in Miſſa Canone.* Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctas & venerabiles manus ſuas & eleuatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem Omnipotentem, tibi gratias agens benedixit. *Luc.* 22. *v.* 19. Accepto pane gratias egit, *& v.* 17. Accepto calice gratias egit. *Matth.* 26. *v.* 27. *&c. Matth.* 15. *v.* 36. gratias agens. *Ioannis* 6. *v.* 11. Quum gratias egiſſet. *Et v.* 23. Gratias agente Domino. *Magnus profecto honor Dei Patris, illum vt fontem bonorum omnium ſuſpicere, ab eo cuncta beneficia & dona exſpectare, ab eo pendere, illi perpetuas gratias pro perpetuis ſuis muneribus habere. Idem & nos faciamus.* In omnibus, *inquit Apoſtolus* 1. *Theſſ.* 5. *v.* 17. gratias agite. *In omnibus, inquam, acceptis à Deo beneficiis ſiue magnis, ſiue paruis ſemper & vbique grati eſtote, & ingratis qua denegat Deus munera, in vos exaggerabit.*

Honorauit & Chriſtus Dominus Patrem inuocatione: illum enim vt vnicum ſalutis datorem implorare eximius honor eſt, & qui ſoli Deo debetur, vnde eſt &

*illud Apoſtoli Rom.*10.*verſ.*14. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt. *Et ibidem verſ.* 13. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit, *Ioelis* 2.*verſ.*22. *Et Pſalm.* 49. *verſ.* 15. *ait Deus:* Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. *Atque hac ratione, vt ſalutis & omnis boni auctorem ſolum Deum inuocamus, Sanctos autem in cœlo degentes imploramus, vt noſtros interceſſores, ſuffragatores, patronos. Creberrimè verò Patrem inuocauit Chriſtus Dominus Ioann.* 12. *verſ.*27.28. Pater ſaluifica me ex hac hora, Pater clarifica nomen tuum. *Ioann.*17.*v.* 1. Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. *verſ.*9. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. *verſ.* 11. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. *verſ.*17. Sanctifica eos in veritate. *verſ.* 20. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, &c. *v.* 24. Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam. *Luc.*23.*ver.*34. Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. *Rectè igitur Apoſtolus de Chriſto Domino Hebr.* 5.*ver.*7. *affirmat, quod* in diebus carnis ſuæ preces & ſupplicationes etiam cum lachrymis Patri obtulerit, & exauditus ſit pro ſua reuerentia. *Et nos Seruatoris noſtri exemplo quocunque in negotio diuinum petamus auxiliũ, quemadmodum nos monet Apoſtolus Philippen.*4.*v.* 6. In omni(*re, negotio, tempore, loco*) oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum, *id eſt, nota fiant, & Deo exponantur, vt eius opem flagitetis, & impetretis.*

Singularem etiam honorem Patri habuit Chriſtus glorian-

gloriando de tanto patre: eo ſiquidem ipſo palam indicauit, & quanti eum fecerit, & à nobis æſtimandus ſit. Sapientiæ 2.*v*.13. Filium Dei ſe nominat. *Et verſ*.16. Gloriatur Patrem ſe habere Deum. *In Euangelio Sancti Ioannis præſertim vix quicquam frequentius occurrit, quam quod Chriſtus Dominus Deum patrem ſuum nominet prædicetque, quod vno capite quinto minimum ter decies facit: & capite* 6. *minimum decies, & conſequentibus capitibus ſæpiſſimè. Neque hæc tãtum præcipua eſt Dei patris gloria, ſed & ipſius Chriſti, Prouerb*.17. *verſ*.6. Gloria filiorum patres eorum. *Eccli*.3.*verſ*.13. Gloria hominis ex honore patris ſui. *Et ſi nobis incomparabilis honor eſt, quod dicere poſſimus:* Pater noſter, qui es in cœlis, *qui ſumus per gratiam filij adoptiui, qualis, quantus honor eſt Chriſto, quod per æternam generationem ſit naturalis Filius diuini Patris? Et nos de tanto Patre gloriari poſſumus, ſi eius genuini & non degeneres filii fuerimus. Hieremiæ* 9.*ver*.23. Qui gloriatur, in hoc glorietur, ſcire & noſſe me: quia ego ſum Dominus. *Et Apoſtolus* 1. *Corinth*.1. *verſ*. 31. Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Romanorum* 5. *verſ*. 2. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Honorauit Chriſtus Dominus noſter cœleſtem Patrem obedientia, quæ virtus maximè in filiis à parentibus deſideratur, quæ parendi voluntas in Chriſto præſtantiſſima fuit, Ioannis 6.*verſ*.38. Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed volũtatem eius, qui miſit me. *Ioannis* 8. *verſ*. 29. Pater qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper. *Ioannis* 12.*ver*.49. Qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quia mandatum eius vita æterna eſt. *Ioannis* 14. *verſ*. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. *Ioan*. 18. *v*. 11. Calicem quem dedit mihi

mihi Pater, non bibam illum? Humiliauit itaq; ſeipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. *Et hæc omnia quantumuis acerbiſſima, quantumuis ignominioſiſſima nō ſolum promptiſſima, ſed etiam iucundiſſima obedientia ſuſcepit, ſuſtinuit, exanthlauit: ita vt ingenuè fateretur ſuas eſſe delitias hæc facere, hæc perpeti Ioann.* 4. *v.* 34. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. *Et non tantum, vt & nos diuini Patris voluntatem exequamur, exemplo docuit, ſed & monuit ac præcepit, atque adeo ſecus facientibus ſempiternum interminatus eſt exitium, Matth.* 7. *ver.* 21. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, ipſe intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.

Coluit & Chriſtus Aſſertor noſter Patrem timore: quia repleuit eum ſpiritus timoris Domini, *Iſai.* 11. *v.* 3. *non metuendo aliquid mali ab illo, cui ſe gratiſſimum in omni æternitate futurum pernoſcebat, ſed ſuſpiciendo, admirando, reuerendo diuinam naturam, quam à ſua humana infinito interuallo diſtare cernebat.*

Honorauit & Patrem omnes res ſuas ei committendo, vt potentiſſimo ac fideliſſimo cuſtodi, etiam ipſam vitam & animam ſuam: Pater, *inquit Lucæ* 23. *ver.* 34. in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Luc.* 23. *v.* 46.

Veneratus eſt etiam Patrem imitatione, quod à liberis patres expetunt: Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem. *Hier.* 3. *v.* 19. Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis: *Et Saluator Matth.* 5. *v.* 45. *&* 48. *vult, vt benignitatis & perfectionis ſtudio cœleſtem Patrem æmulemur. S. Auguſtin. ſerm.* 76. *de tempore*: Similitudinem, *inquit*, Patris actus indicent ſobolis. Similitudo operis, ſimilitudi-

litudinem indicet generis. Actus nomen confirmet, vt nomen genus demonſtret.

Atque hos honores, hac officia Saluator Patri, quâ homo potiſſimum exhibuit, non quod diuinam perſonam diuidimus, ſed quod vtramque in eo naturam diuinam & humanam, earundemque actiones diſtinguimus. Vnus enim idemque eſt, *ait S. Leo ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum cap.* 4. quod ſæpe dicendum eſt verè Dei Filius, & verè hominis Filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Homo per id, quod Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Deus per id, quod omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Homo per id, quod factus eſt ex muliere, factus eſt ſub lege. Natiuitas carnis manifeſtatio eſt humanæ naturæ. Partus Virginis, diuinæ eſt veritatis indicium. Infantia paruuli, oſtenditur humilitate cunarum. Magnitudo altiſsimi, declaratur vocibus Angelorum. Similis eſt rudimentis hominum; quem Herodes impius molitur occidere. Sed Dominus eſt omnium, quem Magi gaudentes veniunt ſuppliciter adorare. Iam cùm ad præcurſoris ſui Ioannis Baptiſmum veniret, ne lateret quod carnis velamine tegeretur, Vox Patris de cœlo intonans dixit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui. Quem itaque ſicut hominem diabolica tentat aſtutia; eidem ſicut Deo Angelica famulantur officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere, dormire, euidenter humanum eſt. Sed & de quinque panibus, quinque millia hominum ſatiare, & largiri Samaritanæ aquam viuam, cuius hauſtus bibenti præſtat, ne vltra iam ſitiat, ſupra dorſum maris plantis non ſubſidentibus ambulare, & elationes fluctuum, increpata tempe-

ſtate

ſtate, conſternere, ſine ambiguitate diuinum eſt. Sicut igitur (vt multa prętercam) omnino eiuſdem naturæ eſt, flere miſerationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ, ad vocis imperium excitare rediuiuum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conuerſa, omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum eſſe, & paradiſi portam fidei latronis aperire: ita omnino eiuſdem naturæ eſt dicere: Ego & Pater vnum ſumus. Et Pater maior me eſt. Quamuis enim in Domino Ieſu Chriſto Dei hominis vna perſona ſit, aliud tamen eſt, vnde in vtroque communis eſt conſubſtantia, aliud vnde communis eſt gloria. De noſtro enim illi eſt minor Patre humanitas, de Patre illi eſt æqualis cum Patre diuinitas.

Sunt & alia, quibus Deum patrem auguſtè ſanctèque venerari poſſumus, vt fide, illi ſimpliciter ſine vlla inquiſitione in omnibus vt ſummæ veritati credendo, vt ſpe in ipſo, vt felicitatis noſtræ fonte & largitore omnem fiduciam collocando, vt amore & honore Vnigeniti Filii ſui, qui amor & honor ipſi longè acceptiſſimus eſt. Prouerbiorum 10. *verſ.* 1. Filius ſapiens lætificat Patrem. *Eccli.* 3. *verſ.* 3. Deus honorauit patrem in filiis. *Quanto igitur gaudio & decori eſt hic Dei Filius ſuo Patri per omnia æqualis. Ioannis* 3. *verſ.* 35. Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manus. *Ioannis* 6. *verſ.* 40. Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. *Honoramus & Deum Patrem vitæ ſanctimonia, vel maximè Matth.* 5. *verſ.* 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. *Et pietatis ac miſericordiæ operibus, Iacob.* 1. *ver.* 27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc

hæc eſt, viſitare puſillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. *Quæ cùm ita ſint:* Deus pacis & ſolatij det nobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes, vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, *Rom. 15. v. 5. 6.*

Deus, qui voluiſti nos conformes fieri imaginis Filii, tui, da, vt qui pari te honore & cultu proſequi non poſſumus, ſimili ſaltem veneremur.

LIBER

LIBER QVARTVS.

De Deo Filio.

Capvt I.

DE MVLTIPLICI NOMINIS Filij notione ac ſignificatione.

M*Vltis modis Filij nomen in Scripturis ſanctis accipitur, vt notauit Sanctus Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 22. & lib. contra Adamantium Manich. cap. 5. Primo dicuntur filij natura, ij ſcilicet, qui à viuente coniuncto, ſecundum ſpeciei ſimilitudinem, geniti ſunt. Sic Iſaac filius Abrahæ Gen. 25. v. 6. 8. nuncupatur, vel etiam cæteri Iudæi, qui ex eadem origine veniunt, Ioannis 8. ver. 33. & 39. Secundo adoptatione, quomodo Iacob nepotes ſuos Ephraim, & Manaſſen Ioſephi liberos adoptauit, Geneſ. 48. verſ. 5. & nos non natura, ſed gratiæ communicatione, & adoptione ſumus filij Dei, Rom. 8. v. 15. Gal. 4. v. 5. 6. Tertio, ſecūdum doctrinam, vt filius eius ea in re quiſquam appelletur, à quo aliquid didicit: ſicut filios vocat Apoſtolus, qui ab illo didicerunt Euangelium 1. Corinth. 4. v. 15.* Nā etſi multa millia habeatis pędagogorū in Chriſto, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. *Galat. 4. v. 19.* Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. *Quartò, ſecundum imitationem, ſicut filios Abrahæ nos vocat Apoſtolus, qui eius*

eius fidem imitamur. Roma 4.v.12.& cap.9. ver. 7. Qua ratione Iudæis ait Dominus Ioannis 8. *verſ.* 39. *&* 44. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. vos ex Patre diabolo eſtis, & opera patris veſtri vultis facere. *Duobus enim modis peccatores infideles Iudæi filij diaboli vocantur à Domino, vel quia ab ipſo impietatem didicerint,* operatur enim in filios diffidentiæ. *Epheſ.2.ver.2. vel quod eum imitati fuerint,* qui in veritate non ſtetit, *Ioannis* 8. *verſ.* 44. *Secundum eorundem peccatorum venena, etiā ſerpentum &* viperarum genimina vocantur. *Matthæi* 23. *verſ.*33.

B. Gregorius in cap. 3. *lib.* 1. *Regum exponens cauſam, cur aliqui homines nequam filij Belial in ſacris literis nominentur, Deut.* 13. *verſ.*13. *Iudicum* 19. *v.* 22. 1. *Regum* 2. *verſ.*12. 3. *Reg.* 21. *v.* 20. *& alibi:* Filij, *inquit,* ſunt, qui ſpiritualibus patribus ad eruditionem ſubiguntur. Qui profectò cum eorundem Patrum ſequi conſilia, ſuperbiendo deſpiciunt, Belial filij rectè nominantur, quia eius, qui per ſuperbiam de cœlo cecidit, apoſtatæ ſpiritus imitatores fiunt. Saluator noſter Lucæ 14. verſ. 8. Filij huius ſæculi, prudentiores filiis lucis, in generatione ſua ſunt. *Quam ſententiam in Euang. Commentario explanans Ioannes Maldonatus noſter:* Filios, *inquit,* ſæculi, & filios lucis per Hebraiſmum dixit, illos quidem, qui ſæculo, hos verò qui luci, hoc eſt, Deo adeò moribus ſimiles ſunt, vt illi ex ſæculo, hi ex Deo nati eſſe videantur: Solent enim Hebræi, quod alicui rei ſimile eſt, filium eius appellare, quod filij parentibus plerunque ſint ſimiles. *In genere itaque & inſtituto ſuo, ſagaciores ſunt profani homines ad malum, quàm iuſti & ſancti in bonum, cùm tamen hos adiuuet Dei gratia, omni impedimento fortior, & illos degrauet naturæ in malum pronitas.*

Google

Sic filius mortis, vel gehennæ dicitur, qui morti vel gehennæ obnoxius eſt, vel eam commeritus. 2.Reg.12.v.5.Dauid ignarus contra ſe ipſe tulit ſententiam dicens: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc. *Et Saluator incuſans malignam Scribarum & Phariſæorum diligentiam, nihil non facientium, Iudaicam ad religionem, vt ambitionis, ac auaritiæ cauſa, vel vnum gentilem pertraherent, & tamen nequiſſimum efficerent.* Væ vobis, *ait Matth. 23. ver. 15.* Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos. *Non diſsimiliter faciunt Sectarij.*

Appellantur & Prophetarum filij, 4.*Reg. 2.v.3.5.7.15.cap.4.v.38. & alius locus eorum adminiſtri, & diſcipuli, quod dicto audientes, & obſequio illorum deditι eſſent, vt erga parentes decet eſſe filios, iuxta illud Eccli.cap.3.verſ.*8. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominus ſeruiet his, qui ſe genuerunt. *Et Apoſtoli ſententiam* Philippen. 2.*ver.*22. Timotheus ſicut patri filius mecum ſeruiuit in Euangelio. *Sanctus Paulus* 1.*Theſſ.5.verſ.*5. Omnes, *ait*, vos filij lucis eſtis, & filij diei. *In cuius epiſtolæ Commentario hom.9.S.Chryſoſtomus.* Et quomodo, *ait*, poſſumus filij diei eſſe? Quemadmodum filij perditionis, filij gehẽnæ. Quapropter & Chriſtus Phariſæis dixit Matth.23.verſ.15. Væ vobis, quoniam circumitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum, & quum factus fuerit, facitis ipſum gehennæ filium. *Et Paulus quoque dixit Eph.5.v.6.* Propter quæ venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ. *Hoc eſt, qui ea faciunt, quæ ad gehennam pertinent, quæ inobedientiæ ſunt. Ita & filij Dei ſunt, qui, quæ Deo probantur, faciunt. Ad eum modum dicuntur & filij diei, & filij lucis, qui, quæ lucis ſunt,*

ſunt, faciunt. Rom. 13. *v.* 12. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus, *&c.*

Domine Ieſu Chriſte, Saluator & redemptor mortalium, da nobis vberem gratiam tuam, vt ſimus imitatores tui, Dei noſtri, & parentis optimi, ſicut filii cariſſimi, & ambulemus in dilectione, ſicut & tu dilexiſti nos, & tradidiſti teipſum pro nobis hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas Deus in ſecula benedictus.

CAPVT II.

QVOD HOMINES SINT FILIJ DEI.

PLurimi ſunt Deo filii, & væ illi, qui in eorundem numero non fuerit. Pſalm. 81. *v.* 6. Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. *Iſai.* 1. *v.* 2. Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. *Sic aries nutricationis mercedem perſoluit, rependens pro benefactis maleficiū, dum cornibus altores ſuos inceſſit, aut etiam vas, in quo pabulum apponitur, impetit. Iſaiæ* 43. *verſ.* 6. Dicam Aquiloni, da: & Auſtro, Noli prohibere: Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. *Ieremiæ* 3. *ver.* 19. 20. Quomodo ponam te in filios? Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. *Et c.* 31. *verſ.* 9. Factus ſum Iſraheli Pater, & Ephraim primogenitus meus, *quem ſcilicet populum ante alios vera religione imbuit. Hoſeæ* 1. *ver.* 9. *gentium conuerſionem, vaticinantis verba ſunt iſta*: Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis: Filij Dei viuentis. *quod teſtimonium citat Apoſtolus Roman.* 9. *verſ.* 26. *Philippen.* 2. *verſu* 15.

Sitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ. *Hebræorum 2. verſ.* 10. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum, per paſsionem conſummare: *id eſt, diuini Patris, qui eſt finis, & omnium rerum effector, clementiæ conueniebat, vt, cum ab omni æternitate ſtatuiſſet, homines è perditionis maſſa eripere, & ad ſempiternam gloriam, vt filios tantæ felicitatis hæredes perducere, principem ſiue cauſam ſalutis eorum, dolore & cruciatu perficeret, nam paſſione ſua & nobis ſalutem, & ſibi corporis gloriam, & nomen quod eſt ſuper omne nomen ſibi Chriſtus Dominus peperit.*

Ex quo colligit homilia 4. in epiſtola ad Hebræos S. Chryſoſtom. 1. quod primogenitum ſuum clariorem omnibus oſtenderit, & ſicut athletam fortem, & cæteros ſuperantem, exemplum aliis conſtituerit. 2. quod magna ſit differentia inter Chriſtum & nos. Ipſe filius, & nos filij, ſed ille ſaluat, nos ſaluamur. 3. quod mala pati non ſit derelictorum, cum hoc primum honorauerit filium Deus, oſtendens eum, qui patitur pro aliquo, non ſolum illum iuuare, ſed etiam ſeipſum clariorem efficere, & perfectiorem.

De hac ſpiritali hominum ex Deo natiuitate loquitur Sanctus Iacobus capite 1. *verſ.* 18. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. 1. *non caſu quidem, ſed gratis Euangelio ſuo nos Deus filios ſuos procreauit, vt ſimus creaturarum viſibilium, quaſi primitiæ, quæ reliquis fructibus ſolent eſſe optabiliores, & excellentiores* 1. *Petri* 1. *verſ.* 23. Renati non ex ſemine corruptibili (*carnalibus parentibus*) ſed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. *Verbum Dei in nobis gignit fidem.* Fides enim ex auditu eſt, auditus autem per verbum Chriſti, *Romanorum*

manorum 10. *verſu* 17. *Qua fide ſpiritaliter renaſcimur, & in Dei filios adoptamur, vt ait Apoſtolus Gal.* 3. *verſ.* 26. Omnes enim filij Dei eſtis, per fidem in Chriſto Ieſu, *id eſt, in Chriſtum Ieſum, fidem, inquam non emortuam, ſed viuentem; non ſterilem, ſed ſanctis deſideriis, & operibus pragnantem; ita enim ſeipſum in eadem Galatica epiſtola cap.* 5. *verſ.* 6. *interpretatur Apoſtolus, cùm ait:* In Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur, *ſiue vt ex Græco colligitur, vim & efficacitatem ſuam habet, qua ſine non plus valet fides, quàm corpus ſine anima.*

Domine, quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Domine quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt. Et tamen tu omnipotens Deus, tu hominem efficis filium tuum, & regni tui hæredem. Quid dicam Domine, DEVS meus? Miſericordiæ & bonitatis tuæ non eſt finis. Laudet & benedicat te omnis creatura tua in ſæcula.

CAPVT III.

QVOD ANGELI SINT FILIJ DEI.

NOn ſolum homines, *ſed & Angeli ſunt, & vocantur filij Dei, vt Iob* 1. *verſ.* 6. Cum veniſſent filij Dei, vt aſsiſterent coram Domino, aſtitit etiam inter eos Satan. *Vbi Sanctus Gregorius libro* 2. *Moralium capite* 2. Qui, *inquit,* Dei filij niſi electi Angeli vocantur? *Et cap.* 3. *ſæpius iterat, quod inter electos Angelos Satan aſſuerit. Iob* 38. *ver.* 7. Cùm me laudárent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. *Vbi habent* 70. *Lau-*

dauerunt me voce magna omnes Angeli mei. Et Chaldæus: Acies Angelorum. *Daniel. 3. v. 92. cum Nabuchodonoſor Rex ſanctiſſimos illos tres pueros idoli contemptores & veri Dei cultores in ardentem fornacem conieciſſet, euentumque rei contemplatus fuiſſet:* Ecce ego video, *inquit*, quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei, *hoc eſt, ſplendore ac maieſtate quaſi Angelus, ſicut ipſemet poſtea DEVM laudat, dicens verſu 55.* Benedictus Deus eorum, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum.

Et Apoſtolus ad Epheſ. 3. verſ. 14. Flecto genua mea, ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. *Eſt Deus paterfamilias, ex quo omnis cognatio, & familia originem ducit, & filiorum Dei appellationem habet, in cœlis inter Angelos, qui Dei ſunt filii, & in terra inter homines iuſtos, qui ſimiliter adoptionis gratia ſunt filii Dei.*

Et quamuis Scriptura nomen filiorum Dei Angelis non tribueret, ſicut tribuere docuimus, non referret, cum rem ipſam illis aſſignet docens: homines eſſe futuros ſimiles Angelis, *Matthæi 22. verſ. 30. Et Angelos* videre faciem Dei, *Matthæi 18. verſ. 10. Et proinde eſſe diuinæ hæreditatis participes, ac filios adoptiuos, cum naturales non ſint, vt tradit Apoſtolus Hebræorum primo verſu quinto:* Cui, *ait*, Angelorum, dixit aliquando, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

Et ſi verò Angeli hominibus præſtantioris naturæ ſint, non tamen adoptionis gratia, & diuinæ conſortio naturæ, ſunt homines illis inferiores, vt de meliore parente aut meliore cognatione gloriari non poſſint, quin & multi beati homines multis beatis Angelis, vt gra-

cta &

tia & ſanctitate, ita & titulo & honore adoptionis filiorum, ſuperiores erunt. Quare ſapienter Diuus Tho*mas docuit* 3. *Part. quæſtione* 23. *articulo* 2. *ad tertium: nomen filiorum* Dei *non conuenire primò ac præcipuè Angelis. Quamuis peculiari quadam ratione illis potius, quàm hominibus cõuenire negandum non ſit. Primò, quia, vt idem Sanctus Thomas auctor eſt, illi primo adoptionem filiorum Dei receperunt. Secundò, quoniam in rerum gerendarum alacritate, & obedientia, exequendiſque diuinis iuſſis, filiis ſunt ſimillimi. Tertiò, quia ſunt optimè affecti erga res humanas, atque ea caritate referunt* Dei *optimi parentis, naturæ & caritatis imaginem; & ſimilitudinem filiorum. Quarto, quia natura ſua concretionis experte, Deo ſimiliores, & nobilitate actionum, potentia, ſapientia, virtutis magis Deum repræſentant.*

Nos ſanè homines vnà cum Angelis, vnam conſtituimus familiam, cuius familiæ Pater *& rector eſt Deus, quemadmodum docet Apoſtolus* Epheſ. 2. *verſ.* 19. Iam, *inquit*, non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues Sanctorum & domeſtici Dei. *Et ad Hebræos* 12. *v*, 22. Acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequẽtiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui cõſcripti ſunt in cœlis, *&c. Quocirca & Angeli fratres noſtri ſunt, & à nobis, vt proximi noſtri amandi:* Si, *inquit Sanctus Auguſtinus libro* 1. *de doctrina Chriſtiana capite* 30. vel cui præbendum eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur: manifeſtum eſt, hoc præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta miſericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum Scripturarum locis, animaduertere facile eſt.

Eadem de cauſa & ſupplicem, qua creatura tribui poteſt, venerationem a Sancto Ioanne admittere noluit, Apoc.19.verſ.8. Poſtquam, *inquit*, audiſſem & vidiſſem, cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat: Vide ne feceris, cõſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſeruant verba libri huius. *Demiſſum hunc cultum permiſit Angelus Geneſ.17.verſ.17.capite 18.verſ.2. capite 19.verſ.1. Ioſuæ 5.verſ.14. modo non permittit: quia naturam noſtram ſuper ſe aſſumptam in cœli rege venerantur, nec ſibi proſterni ſuſtinet, vt habet Sanctus Gregorius homilia 8. in Euang.* Conſeruus, *inquit*, tuus ſum. Eidem Chriſto veſtro ac noſtro Domino miniſtramus, & quod tibi tuiſque glorioſum eſt Chriſti myſteria nunciare, & patefacere, idipſum & mihi, meiſque perhonorificum eſt. *Videatur S. Auguſt. lib. Soliloquio.cap.8. Proximi ergo fratres, & æquales Angelis, omne cum dæmonibus, perditis hominibus, diabolorum mancipiis, adminiſtris & inſtrumentis, ac peccatis commercium fugiamus.*

Minuiſti nos Domine, paulò minus ab Angelis, gloria tamen & honore coronaſti nos, & conſtituiſti nos ſuper opera manuum tuarum, ſed & exuta hac mortalitate, Angelorum nobis æqualitatem promiſiſti, vt inter nos fratres & tui pariter filii ac hæredes, in omnem te æternitatem collaudemus, quod vt fiat, te ſupplices rogamus. Amen.

* * *

CAP.

CAPVT IV.

DE HOMINVM ET ANGELOrum in Dei filios adoptione.

MVlti ſunt filij Dei, & quidem quotquot vnquã fuerint, ſint, erunt iuſti, ſiue angeli, ſiue homines; ſed adoptatione filij ſunt, nõ natura: Vnicus eſt natura, Dei filius Chriſtus Ieſus Dominus noſter, Cui, *inquit Apoſtolus loquens de naturali filiatione,* angelorum dixit aliquãdo: Filius meus es tu? *Cuius rei vt rationem afferret* S. Athanaſ. oratione 2. contra Arrianos. Quod ſecũdum naturã, *ait*, ex aliquo gignitur, id vera eius progenies cenſendũ eſt. Qui vero ex virtute & gratia nomen ſolũmodo filiorũ obtinent, nõ natura, ſed gratia ius liberorum habent. *Qua etiam de re pro ingenio & more ſuo, optime philoſophatur* S. Aug. l. 2. de conſenſu Euang. c. 3. Non abſurdè, ait, quiſque dicitur, non carne, ſed caritate genuiſſe, quẽ filium ſibi adoptauerit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus poteſtatem filios eius fieri, de natura atque ſubſtantia ſua, non nos genuit, ſicut vnicum filium; ſed vtique dilectione adoptauit. Quo verbo (*adoptandi*) Apoſtolus ſæpe vti, non ob aliud intelligitur, niſi ad diſcernendum vnigenitum, ante omnem creaturam, per quem facta ſunt omnia: qui ſolus de ſubſtantia Patris natus eſt, ſecũdum æqualitatem diuinitatis, hoc omnino quod Pater: quem miſſum dicit ad ſuſcipiendam carnem, ex illo genere, quo & nos ſecundum naturam noſtram ſumus: vt illo participante mortalitatem noſtram per dilectionẽ, nos efficeret participes diuinitatis ſuæ, per adoptionem. Ita enim dicit *Gal. 4. v. 5.* Cum autem

venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem reciperemus. Et tamen dicimur etiam nati ex Deo: id eſt, accepta poteſtate, vt filij eius efficiamur, qui iam homines eramus. Efficimur autem per gratiam, non per naturam. Nam ſi per naturam filij eſſemus, nũquam aliud fuiſſemus. Cum autem dixiſſet Ioannes, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius: ſecutus ait; Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: Ita quos dixit accepta poteſtate factos Dei filios, quod illa adoptio ſignificat, quam Paulus commemorat, eoſdem dixit natos ex Deo. Atque vt apertius oſtenderet, qua gratia factum ſit: Et verbum inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis: tanquam diceret; Quid mirum ſi filij Dei facti ſunt cum caro eſſent, propter quos vnicus caro factus eſt, cum verbum eſſet? Hæc ſanè magna diſtantia: quia nos effecti filij Dei mutamur in melius, ille autem filius Dei, cum filius hominis factus eſſet, non eſt mutatus in deterius, ſed aſſumpſit quod erat inferius. Dicit & Iacobus c. 1. v. 18. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, ne ſcilicet in eo, quod, ait genuit, hoc nos fieri putaremus, quod ipſe eſt, ideo principatum quendam in creatura nobis hac adoptione conceſſum ſatis oſtendit.

Hac ſententia B. Aug. Doctor maximus quinque accuratius expendenda tradit. 1. quod homines iuſti ſint filij Dei adoptiui. 2. quod adoptator ſit Deus, ſiue ſanctiſſima Trinitas. 3. quod hanc nobis adoptationem promeritus ſit Chriſtus Dominus. 4. quod adoptionis forma ſit Dei gratia. 5. quod hac adoptio ſit ſumma rationalis creaturæ dignitas. Ado-

Adoptio generatim accepta eſt gratuita extraneæ perſonæ in filium, nepotem, & deinceps, in hæredem legitima aſſumptio. *vt docet S. Tho. 4. S. d. 42. q. 2. ar. 1. & 3. P. q. 23. ar. 1. & cum eo Theologi pariter & Iureconſulti. Sic filia regis Aegypti adoptauit Moyſen in filium* Exod. 2. v. 10. *Hebr.* 11. v. 24. *Mardochæus Heſtheram c. 2. v. 7. Auguſtus* Tiberium, *abdicato nepote Agrippa, Nerua Traianum, & alij alios.*

Ex ea autem adoptionis definitione planum fit, quæ ad eam conſtituendam conditiones requirantur, quarum prima eſt, vt perſona adoptanda ſit extranea, nec vllum à natura ius habeat ad conditionem, ad quam adoptatur. Vt ſi adoptandus ſit in filium, non ſit filius naturalis, aut in nepotem, non ſit nepos, qua ratione S. Patriarcha Iacob ſuos nepotes, hoc eſt Ioſephi filij ſui liberos Ephraim & Manaſſen adoptauit in filios Geneſ. 48. *v.* 5. *Altera conditio eſt, vt ius filij ſiue aſſumptio ad hæreditatem gratis tribuatur: nam ſi oneroſo detur titulo, non erit adoptio ſed venditio aut alius contractus. Vtramque conditionem habet* Conc. Francford. columna 4. Vbi ait: Adoptiuus non dicitur, niſi qui eſt alienus, & adoptio non datur ex debito, ſed ex indulgentia. *Tertia conditio eſt, vt is qui filius hæres ſit inſtituendus, ſi adultus eſt, & ſui iuris, ipſe per ſeipſum, ſi in Patris adhuc poteſtate, vel tutoris, per ipſos conſentiat, eſt enim adoptio humanus quidam contractus, ac proinde voluntarius. Sic infantes baptizandi, & in Dei filios adoptandi, vel per ſuſceptores ſuos & Eccleſiam vel per caput ſuum, qui Chriſtus eſt, conſentiunt, vel DEVS eorum auctor, & Pater conſenſum ſupplet.*

Magnum autem intercedit diſcrimẽ, inter diuinam, & humanã adoptionẽ: nã humana fit per ſolã extrinſecam acceptationẽ, qua non cõfertur aliquod eſſe internũ, in quo fundetur ius, vel proportio ad hæreditatem, at vero in diuina adoptione filius accipit inhærentem iu-

ſtitiam,

ſtitiam, caritatem, ſiue gratiam, qua ſit diuinæ particeps naturæ, vt non tantum nominetur, ſed vere ſit filius Dei 1. Ioan. 3. v. 1. Ex quo & altera conſequitur differentia, quod ex adoptione humana, non proueniat realis relatio, ſed rationis tantum, quia in ſola extrinſeca conſiſtit denominatione, ex diuina vero adoptione reſultat realis relatio, filiationis realis, fundata in reali & intrinſeca iuſtificatione, quæ eſt vera generatio, in ſimilitudinem diuinæ naturæ, imperfectam quidem & accidentalem, realem tamen. Hinc manifeſtum Chriſtum Dominum noſtrum etiam quatenus hominem non eſſe filium Dei adoptiuum: quia non eſt perſona extranea, cum non ſit alia perſona, quam naturalis filij Dei. Neque hic homo Chriſtus acceptatur ad diuinam hæreditatem ſuſcipiendam, in humanitate ſua, acceptatione mera extrinſeca & liberali penitus, ſed acceptatione, quaſi intrinſeca, & connaturali ac debita ratione hypoſtaticæ vnionis.

Eſt & illud clarum, ac euidens, quod ſancti vel in lege naturæ, vel in veteri, & Moſaica lege, vere fuerint filij Dei; ſicut enim in illis inerat vera iuſtitia, ita & vera adoptio; tamen cum diſcrimine: nam illa iuſtitia & adoptio non illis vi legis tribuebatur, ſed per viuam Chriſti venturi fidem, vt benè docet S. Aug. l. 3. contra 2. epiſtolas Pelag. c. 4. atque hac ratione potius ad nouam, quam veterem legem pertinebant. Accedit, quod etiamſi eſſent filij, non tamē filiorum habebant ſtatum, ſed erant tanquam pueruli ſub actore, & tutore & pædagogo lege, & tales à ſeruis non differunt. Gal. 4. ducebanturque Spiritu timoris, Rom. 8. Et pro illo ſtatu non poterant cæleſtem adire hæreditatem, donec aduentu ſuo cælum reſeraret Chriſtus Dominus in ſæcula Deus benedictus. Vnde & intelligitur cur dicatur Ioan. 1. v. 12. Quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *& ad Gal. 4. v. 4.* Miſit Deus filium ſuum, vt adoptionem filiorum reciperemus : *nimirum quia*

quia ipſa antiquis Patribus non eſt conceſſa adoptio, niſi per Chriſtum, & propter Chriſtum; tum quia Chriſtus Dominus à legis ſeruitute, in caritatis libertatem nos aſſeruit: non enim ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberauit. *Gal.* 4. *v.* 13. *tum quia à Chriſto ad ſempiternam hareditatem aditus nobis patefactus eſt. Hebr.* 10. *v.* 19. *in qua beatitudine filiorum adoptio omnibus ſuis partibus, & numeris abſoluetur, qua ratione S. affirmat Paulus Rom.* 8. *v.* 23. nos adhuc gẽnere adoptionem filiorum Dei exſpectantes, *vt ſcilicet diuinam hareditatem, ad quam nunc ius habemus, re ipſa poßideamus.*

Adoptator noſter eſt Deus, tota ſcilicet ſanctißima Trinitas. *Idcirco & Patri adoptio tribuitur. Eph.* 1. *v.* 5. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ, per Ieſum Chriſtum, in ipſum. 1. *Ioan.* 3. *v.* 1. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & ſimus. *Eadem adoptio aßignatur Filio Ioan.* 1. *v.* 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri. *Adſcribitur & Spiritui ſancto. Rom.* 8. *v.* 14. 15. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei. *Attribuitur demum omnibus diuinis pariter perſonis Gal.* 4. *v.* 6. Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui, in corda veſtra, clamantem, Abba Pater. *Recte igitur* D. Fulgentius l. ad Donatum c. 11. Ad imaginem Trinitatis, *ait*, homo factus agnoſcitur, in cuius nomine baptizatus, denuò renouatur: Baptizari autem gẽtes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Saluator noſter edocuit, vt ſicut Trinitatis opere initium

initium conditionis accepimus, ſic in nomine Trinitatis diuinæ adoptionis gratia frui mereamur. Facere quemcunque effectum in creaturis, *ait S.Tho.3.P.q.23.ar.2.c.* eſt cõmune toti ſanctiſsimæ Trinitati propter vnitatem naturæ: quia vbi eſt vna natura, oportet quod ſit vna virtus, & vna operatio: *vnde Dominus dicit Ioan.5.v.19.* Quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit. *Et ideo adoptare homines in filios Dei conuenit toti ſanctiſsimæ Trinitati*, & ibidem ad argumẽtum.2. Adoptatio licet communis ſit toti ſanctiſsimæ Trinitati, appropiatur tamen Patri vt auctori, Filio vt exemplari, Spiritui ſancto vt imprimenti in nobis ſimilitudinem huius exemplaris.

Neque hoc adoptionis beneficium virtuti vel merito noſtro tributum eſt: nam adoptio, vt ait Conc. Francfordienſe col.4. non datur ex debito, ſed ex indulgentia, nec eſt vlla vera virtus in homine, ante adoptionem, ſiue iuſtificationem, *nam vt ait S.Aug.l.de fide & operibus c.14.* ſequuntur opera iuſtificatum non præcedunt iuſtificandum. *Et l.1.* contra 2.epiſtolas Pelag. Non viuunt homines benè, niſi prius effecti ſint filij Dei, *ſed infinita Dei benignitate nobis conceſſum, quemadmodum & docet S.Thomas 3.P.q.23.ar.1.c.* Homo, *inquit*, adoptat ſibi alium in filium, in quantum ex ſua bonitate, admittit eum ad participationẽ hæreditatis ſuæ: Deus a. eſt infinitę bonitatis, ex qua cõtingit, quod ad participationem bonorũ ſuorũ, ſuas creaturas admittit, & præcipuè rationales creaturas: quæ quatenus ſunt ad imaginem Dei, factæ ſunt capaces beatitudinis diuinæ. Quæ q̃dem conſiſtit in fruitione Dei, qua & ipſe Deus beatus eſt, & per ſeipſum diues in quantum ſci-

ſcilicet ſeipſo fruitur. Hoc aũt dicitur hæreditas alicuius, ex quo ipſe eſt diues. Et ideo quatenus Deus ex ſua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare. Hoc autem plus habet adoptatio diuina, quàm humana: quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiæ ſuæ munus ad hæreditatem cœleſtem percipiendam. Homo autem non facit idoneum eum, quem adoptàt, ſed eum potius eligit adoptando iam idoneum. *Mera itaque beneuolentia nos ſuos filios facit, & hæredes inſtituit ſacroſancta Trinitas.* Deus conſtituit Chriſtum filium hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula *Hebr.* 1. *v.* 2. *Sed tanta eſt* caritas in illo hærede, ait S. Aug. in Pſal. 49. v. 1. vt voluerit habere cohæredes. Quis enim auarus homo velit habere cohæredes? Sed & qui inuenitur velle, diuidet cum eis hæreditatem, minus habens ipſe diuidens, quam ſi ſolus poſſideret. Hæreditas autem in qua cohæredes ſumus Chriſti, non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum: ſed tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis, quanta omnibus.

Neque ſolum hic noſtri amantiſſimus hæres Chriſtus, nos volens lubens, non ad partem, ſed ad integram hæreditatem admiſit, ſed ipſe eam nobis procurauit, impetrauit, promeruit, ipſe dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, ipſum miſit Deus, factum ex muliere, *vt adoptionem filiorum reciperemus, ipſe filius Dei factus eſt homo vt Dei filios homines faceret. Itaque hæc adoptio, hæc iuſtificatio, ſicut & quæcunque alia ſpiritualia, & cœleſtia bona propter Chriſtum, eiuſque merita nobis à Deo ſunt attributa quod cum alibi ſæpe, tum ad Eph.* 1. *identidem inculcat Apoſtolus.*

ſtolus, vt v.3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali, in cœleſtibus, in Chriſto. *id eſt, per Chriſtum. Et v.5.* Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. *Et v.6.* Gratificauit nos in dilecto filio ſuo.

Forma verò huius adoptionis in qua ipſa cõſiſtit nihil eſt aliud quã *vt dixit S. Aug.* gratia Dei, qua in melius mutamur, ſiue caritas, quæ diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis *Rom.5.v.5. Iſta in filios Dei adoptio, eſt ipſamet iuſtificatio, qua ex iniquis pij, & ex iniuſtis iuſti, diuinæ gratiæ dono homines fiunt. Vnde B. Aug. in Pſal.49.v.1.* Deus Deorum Dominus locutus eſt. *citans Pſal. 81.v.6.* Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Manifeſtum, *inquit*, eſt quia homines dixit Deos, ex gratia ſua deificatos, non de ſubſtantia ſua natos. Ille enim iuſtificat, qui per ſemetipſum, non ex alio iuſtus eſt, & ille deificat, qui per ſe ipſum, non alterius participatione Deus eſt. Qui autem iuſtificat, ipſe deificat, quia iuſtificando, filios Dei facit; Dedit enim eis poteſtatem filios Dei fieri. *Ioan.1.* Si filij Dei facti ſumus, & dij facti ſumus, ſed hoc gratiæ eſt adoptantis, non naturę generantis. Vnicus enim Dei filius Deus, & cum Patre vnus Deus, Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, in principio verbum, & verbum apud Deum, verbum Deus. Cœteri qui fiunt dij, gratia ipſius fiunt, non de ſubſtantia eius naſcũtur, vt hoc ſint, quod ille; ſed vt per beneficium perueniant ad eum, & ſint cohæredes Chriſti, ſunt dij facti, iuſtificati, quia filij Dei dicuntur. *Iis ſimilia habet S. Aug. epiſtola 120. c. 4. & l.3. contra Fauſtum Manich. c.3.*

Finis

Finis vero huius adoptionis, vt ſæpius expoſitum, eſt adoptatorum filiorum ſempiterna felicitas. Rom. 8. v. 17. Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Gal. 4. v. 7. Quod ſi filius, & hæres per Deum. Tit. 3. v. 7. Vt iuſtificati hæredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ. S. Aug. in Pſal. 67. Hæreditas, *ait*, veteris teſtamenti, in vmbra ſignificatiua futuri, terrena felicitas; hæreditas vero noui teſtamenti eſt æterna immortalitas. *Et in Pſal.* 139. Ora ne perdas cœleſte patrimonium, ne amittas Chriſtum cohæredem: quia victurus es in æternum cum eo, qui te fecit hæredem. Non enim talis te fecit hæredem, cui mortuo ſuccedas, ſed cum quo in æternum viuas.

Domine pars hæreditatis & calicis mei, tu es, qui reſtitues mihi hæreditatem meam, Pſal. 15. v. 5. & quam hæreditatem? qua neque ego petere præſtantiorem poſſim, neque tu dare; & quæ hæc niſi tu ipſe Deus meus, & omne bonum meum. Da ergo te mihi, redde te mihi, te vnum poſtulo, in te vno acquieſco. Et quid ei ſufficiet, cui tu Deus meus immenſum totius perfectionis pelagus non ſufficis? Deus meus & omnia.

CAPVT V.

QVOD NOSTRVM POSTVLET officium Adoptionis beneficium.

Hoc diuinæ adoptionis, & hæreditatis beneficium maximi æſtimandum, trabali, quemadmodum dicitur, clauo menti infigendum, perſæpe conſiderandum, & ad eam dignitatem mo-

Digitized by Google

res noſtri conformandi, & illi bonis operibus reſpondendum.Propterea S.Ioannes 1.ep.3.v.1.*hortatur nos, vt animum aduertamus, atque expendamus diuinæ dilectionis, quam erga nos habet & declarauit, & quā nobis per Spiritum ſanctum indidit, magnitudinem, & excellentiam, qua nos immeritos, indignos, peccatores, & inimicos, & nomine, & re ipſa ſuos conſtituerit filios, & ſempiternæ beatitatis hæredes.* Videte, *inquit*, qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus; Propter hoc mūdus nō nouit nos: quia non nouit eum. *Ceteri eam dignitatem non æſtimant, quia ignorant.* S.Aug.tract.4.in ep. 1. S.Ioan.Ecce, *ait*, qualē dilectionē dedit nobis Pater, vt filij Dei vocemur, & ſimus. Nam qui vocantur, & non ſunt, quid illis prodeſt nomen, vbi res non eſt? Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani, & in rebus nō inueniuntur: quia hoc quod vocantur, non ſunt; id eſt, in vita, in moribus, in fide, in ſpe, in caritate.

Monet proinde S.Leo magnus ſerm.1.de Natiuit.Domini: Deponamus veterem hominem cum actibus ſuis Coll.3. & adepti participationē generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus. Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. *Et* ſer. 6. *de Natali Saluat.* Magnum eſt, *ait*, idem B.Leo, dilectiſsimi, huius muneris Sacramentum, & omnia dona excēdit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. Per has enim appellationes ſentitur, & diſcitur, quis ad tantam altitudinem aſcēdat affectus. Nam ſi in progenie carnali & ſtirpe terrena claris parentibus genitos, vitia malæ conuerſationis

tionis obſcurant, & ipſo maiorum ſuorum lumine ſoboles indigna cōfunditur: in quem exitum venient, qui propter amorem mundi, à generatione Chriſti non metuunt abdicari? Si autē ad humanam pertinet laudem, vt Patrum decus in prole reſplendeat: quāto magis glorioſum eſt, ex Deo natos, in auctoris ſui imaginē refulgere, & illum in ſe, qui illos generauit oſtendere dicente Domino, Matth. 5. v. 17. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrē veſtrum q in cœlis eſt?

Et hoc quidem quod improbi & flagitioſi liberi, Labes ſint & probrū parentū, morati autem bene, & ingenui, decus, & ornamentū, non modo experientia demōſtrat, ſed & ipſe Spiritus S. Prou. 16. v. 1. Filius ſapiens lætificat Patrem ſuum, filius vero ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. Quod & ſenſit Menander cū ait: Lætitia Patris, Filius ſapiens, *Et Agatho*: Quā dulce genitoribus, filios obtemperantes habere? *Et Eccleſ. 22. v. 3.* Confuſio Patris eſt de filio indiſciplinato. *Infamia Patris eſt, filius perperam inſtitutus, & peruerſus. Ratio vero, cur vel vituperatio, vel filiorum laus redundet in parentes eſt*. quia ſicut arbor ex fructū cognoſcitur, *teſte B. Chryſ. hom. 45. in Matth.* & fructus per arborem demonſtratur: ſic parentes cognoſcuntur in filijs, & filij per parentes. *Quod & indicat* Syracides, *Eccleſ. 11. v. 30.* Ante mortē ne laudes hominē quemquam (*tāquam felicem*) quia in filiis ſuis agnoſcitur vir. *Ex filiis tam carnalibus, quam ſpiritalibus facilè colligitur, qualis parentis vita fuerit. Filius imago animi & corporis paterni.*

Hoc autem argumento quod ſoleant filij Patrum referre mores, vtuntur ſæpius & Chriſtus Dominus, & B. Paulus, nos ad virtutem vt exhortentur Matth. 5. v. 9. Beati pacifici, qm̄ filij Dei vocabuntur. *Et v. 44. & 45.* Diligite inimicos veſtros, benefacite his, q

oderunt vos,& orate pro perſequentibus,& calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt,qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos,& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. *Et v.*48.Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Diligenda res homini,*ait* S.Cypr.l.de bono patientiæ,quæ Deo cara eſt. Bonum quod amat, Maieſtas diuina commendat,ſi Dominus nobis, & Pater eſt Deus,ſectemur patientiam(*ac caritatem*) Domini pariter & Patris:quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes,& filios non decet eſſe degeneres. Sic perfectos dixit fieri Dei filios,ſic conſummari oſtendit,& docuit cœleſti natiuitate reparatos, ſi patientia & caritas Dei Patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt,ſimilem Deo fieri, qualis & quãta felicitas, habere in virtutibus, quod diuinis poſsit æquari?*Et Luca* 6.*v*.36. Eſtote miſericordes,ſicut Pater veſter miſericors eſt. *Similiter Apoſtolus* 1.*Cor*.11.*v*.1. Eſtote imitatores mei,ſicut & ego Chriſti.*Et Epheſ*.5.*v*.1. Eſtote imitatores Dei,ſicut filij cariſsimi, & ambulate in dilectione,ſicut & Chriſtus dilexit nos.

Quod ſi diuini parentis æmuli eſſe,cumque virtutum veſtigiis perſequi recuſauerint filij adoptati non dubitent,quin ab eo abdicandi,exhæredandi, & acerbiſsimè puniendi ſint.Si Ariſtippus incuſanti cuidam, quod filium ſic abijceret negligeretque, quaſi ex ipſo natus non eſſet, reſpondit! Annon & pituitam, & pediculos è nobis natos velut inutiles procul a nobis abijcimus? Sentiens eos non habendos pro filiis,qui nihil haberent alioqui,quo ſe parentum affectui commendent, niſi quod ab ipſis progeniti ſint.Ita & ſenex in Comœdia : Tantiſper te volo meum, dum id quod te dignum, facis.

cis. Laert. l. 7. *Nec diſſimile eſt, quod refert* Maximus ſerm. 25. Alexander reprehenſus ab vxore quod filium inutilem abdicaſſet, diceretque ex eo eſſe, cum expuiſſet in terram, & hoc, inquit, ex me eſt, ſed non vtile. Auctor eſt Suetonius in Augusto Cæſare, *quod Iuliam filiam, ac neptem relegarit, & Agrippam prius adoptatum, poſt ob ſordidum ac ferox ingenium abdicatum, & ad omnem horum mentionem ſolitus fuerit exclamare,* O vtinam cœlebs vixiſſem, orbuſque periſſem. Nec illos aliter appellabat, quam tres vomicas ſeu tria carcinomata ſua. *Quin & Lacanæ quadam, vt in eorum Apophtheg. narrat Plutarchus, ignauos in bello filios non modo abdicarunt, ſed etiam occiderunt. Quod ſi illi naturales filios ob vitioſitatem, & honore, & hæreditate, & vita ſpoliarunt, quid faciet Deus adoptatis, à paterna indole, & virtute degenerantibus? Cacodæmones fuere olim filij Dei, ab ipſo in gratia, & ſanctitate conditi, at ob ſuperbiam ſuam, quibus nunc mactantur ſuppliciis? Fuere Iudæi filii Dei, ſed propter perfidiam ſuam, temporalibus & æternis miſeriis oppreſſi ſunt.* Filij regni, ait Dominus Matth. 8. v. 12. eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentiũ. *Quot Chriſtiani quondam Dei filii, dum à probitate defecerunt, miſerrimè perierunt?*

Quapropter prouidentiſſimè & amantiſſime nos cohortatur S. Petrus, vt præſentis vitæ peregrinationem eximio diuini Numinis metu traducamus: ſiquidem Deus noſter, quem votis precibuſque imploramus, & colimus, non ſolum Pater noſter eſt, ſed etiam iudex, & eiuſmodi iudex, qui nullum perſonarum delectum, & rationem habeat, & cuiq; pro bonis malisuè meritis vel præmium rependat, vel ſupplicium. Si, inquit Apoſtolorum vertex 1. ep. 3. v. 17. Patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat, ſecundum vniuſcuiuſque opus, in timore, incolatus veſtri

tempore conuerſationem. Cypr. Martyr Epiſc. epiſt. 30. Deus, *inquit*, vt eſt in Angelis, ita eſt præceptorum ſuorum exactor, & quidem diligens, & ſicut ad conuiuium vocat, ſic habitum nuptiarum non habentem ligatis manibus & pedibus extra Sanctorum cœtum foras iactat Matth. 22. Parauit cœlum, ſed parauit & tartarum. Parauit refrigeria, ſed parauit etiam æterna ſupplicia. Parauit inacceſſibilem lucem, ſed parauit etiam perpetuæ noctis vaſtam æternamq; caliginem.

Magnum eſt, Deus meus, eſſe filium tuum, maius eſt, eſſe tuæ maieſtati dignum filium, maximum eſt, non modo iure filij, ſed & recte factorum merito cæleſtem adire hæreditatem, atque hæc omnia gratuita ſunt munera tua, qui & adoptas nos in filios, & vt ſolum recte, at pie viuamus, in hoc ſæculo tribuis, & dona tua vis eſſe merita noſtra, atq; idcirco te laudet omnis creatura tua.

CAPVT VI.

CHRISTVS DOMINVS ET VNIgenitus Dei & primogenitus.

Beatiſſ. Aug. l. contra Secundinum Manichæum c. 5. de ſolo Chriſtum, *ait*, & vnigenitum & primogenitũ diuina teſtantur eloquia. *Vnigenitũ Ioan. 1. v. 14.* Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. *Et v. 18.* Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. *Et cap. 3. v. 16.* Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *Et v. 18.* Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia nõ credit in nomine vnigeniti filij Dei. *1. Ioan. 4. v. 9.* In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium

lium ſuum vnigenitum, miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Vnigenitus eſt quia illi ſoli per æternam generationem tota diuina natura à Patre communicata eſt.

Primogenitus vero Hebr.1.v.6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit *Pſ.95.v.8.* Et adorent eum omnes angeli Dei. Sic vocatur primogenitus omnis creaturæ, *Coll.1.v.15.* quia ab omni æternitate genitus ex Patre, antequam vlla produceretur creatura, in ipſo enim ait ibidem Apoſtolus condita ſunt vniuerſa, *& v.18.* primogenitus ex mortuis, ſiue primogenitus mortuorum *Apoc.1.5.* quia primus ad immortalem reſurrexit vitam. Vnigenitus eſt, quia ſine fratribus; primogenitus, quia cum fratribus. Vnigenitus ſecundum id quod ſcriptum eſt, *Ioan.1.v.1.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Primogenitus quatenus verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis *Ioan.1.v.14.* Quos præſciuit, ait Apoſtolus *Rom.8.v.39.* prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, quos ei Pater ad fraternam ſocietatem; non æqualitate ſubſtantiæ, ſed adoptione gratiæ generauit. Cui vnico non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. *Rom.8.v.32.* Vt apud ſe vnigenitum, ad nos primogenitum faceret, quos idcirco, vt ait Apoſtolus *Heb.2.v.11.12.* non confunditur fratres vocare dicens *Pſalm.21.v.23.* Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. *Et Ioannis 20.v.17. ait Maria Magdalena:* Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum.

Quanti te æſtimauit, ô homo, Deus tuus, cũ Pater vnigenitũ filiũ ſuũ pro tua ſalute ſexcentis calamitatib. tor-

Digitized by Google

mentis & morti longè acerbiſſimæ expoſuit, & filius ipſe libentiſſimè iſta ſuſtinuerit, vt te fratrem & cohæredem ſuum efficeret. Quid retribues? Te.

Deus, cuius vnigenitus aſſumenda carnē factus eſt noſter primogenitus frater, da vt quos fraterno dignatus eſt honore, eoſdē cœleſtis ſui regni conſortes efficiat, Qui tecū & cū S. Spiritu viuit & regnat Deus in ſæcula benedictus.

CAPVT VII.

PATRE, FILIO ET SPIRITV Sancto teſtibus, Chriſti Domini diuinitas confirmatur.

D*Væ ſunt internæ in Deo proceſſiones, altera per actionem intellectus, quæ gignitur* Dei Filius*, altera per actionem voluntatis, quæ procedit Spiritus ſanctus.* Ego, *inquit* Saluator *Ioan. 8. v. 42.* ex Deo proceſsi *& c. 15. Ioannis v. 26.* Spiritus veritatis à Patre procedit. *Deus Pater intelligendo, & ſeipſum quaſi ſpeculum quoddam intuendo, imaginem ſui ipſius verbum gignit, ſic infinito amore ſe Pater, & Filius diligendo, Spiritum ſanctum, non duabus ſed vnica ſpiratione producunt.* Et *quemadmodum Pater cum Filium generat, non aliam quàm ſuiipſius naturam & potentiam, & ſapientiā, & bonitatem cū eo communicat: Sic ēt Pater, & Filius, cum flammam illam diuini amoris ſperant, non aliam quàm ſuā ipſorum naturā, potentiam, ſapientiam, bonitatem cū Spiritu S. cōmunicant. Ipſo æternitatis momento quo diuina eſt natura, eſt & originis expers perſona prima, quæ ſine nulla eſt intelligens natura. Quæ quidem perſona propter diuinæ naturæ fœcunditatem, & ſe porro communicandi rationem, non potuit eſſe abſoluta, ſed debuit eſſe relatiua. Et quia natura intelligētia prædita, prima cōmunicatio*

eſt

eſt, per actum mentis, eo Pater æqualem ſibi generauit Filium: quia nihil in Deo eſt, quod non ſit Deus.

Hoc enim & ipſemet diuinus Pater teſtatus eſt, Pſal. 2. verſ. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tanto melior Angelis effectus, *ait Apoſtolus Heb. 1. v. 4. 5.* quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorũ: Filius meus es tu, ego hodie genui te? *Angeli ſunt adoptati filij, vt ſupra oſtendimus, ſed Liberator eſt naturalis, & ex Patris eſſentia genitus Filius. Quod rurſum diuinus Pater declarat, Pſalm. 109. v. 3.* Ex vtero ante Luciferum genui te. *Vbi S. Auguſt. in Comment.* Vterus pro ſecreta ſubſtantia, & Lucifer pro temporibus poſitus eſt. Ante Luciferum, ante ſidera, ante tempora: quia ſiderum mutatione fiunt tempora, Gen. 1. v. 5. Si ante tempora ab æternitate. Noli quærere quando, æternitas non habet quando. De Patre non eſt natus in tempore, per quem facta ſunt tempora. *S. Baſil. lib. 5. contra Eunomium c. 2. ait:* Ex vtero ante Luciferum genui te, non quoniam vterum Deus habeat, verùm quoniam propriæ ſuæ, & non noſtræ genituræ ex vtero parentum naſcuntur, vterum ſeipſum ad generandum habere Deus dixit, ad confuſionem impiorum, vt ſaltem ſuã conſiderantes naturam, proprium Patris fructum, ſicut ex vtero ſuo natum Filium eſſe prędiſcant.

Agnoſcit & profitetur idem Deus Pater, quod genuinus ipſius Filius ſit Chriſtus Dominus noſter, & in Baptiſmo, & in transfiguratione ipſius, Matth. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Nunc & ipſum Filium Dei de ſua diuinitate teſtificantem attendamus. Ioann. 5. v. 17. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor *(in rerum o-*

mnium conſeruatione, gubernatione, nouarumq; productione) ergo pariter ſumus vnus Deus, *Et v.* 19. Quæcunque enim ille facit, & Filius ſimiliter. (*eadem ſimul virtute*) facit. *Et v.* 21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat. *Et v.* 22. Vt omnes honorificent Filiũ, ſicut honorificant Patrem. *Aequalis honor non niſi æqualibus exhibetur. Ioan.* 8. *v.* 58. Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. *S. Auguſt. tract.* 43. *in Ioann.* Appende, *ait*, verba, & cognoſce myſterium. Intellige, *fieret*, ad humanam facturam; *ſum*, verò ad diuinam pertinere ſubſtantiam. Antequam Abraham fieret, qui niſi per me non fieret, ego ſum. Qui loquebatur, ſemen Abrahæ factus erat, & vt Abraham fieret, ante Abraham ipſe erat. *Et S. Chryſoſt. hom.* 54. *in Ioannem:* Quemadmodum, *ait*, Pater hoc verbo, *ſum*, vtitur Exod. 3. ita & Ieſus. Significat enim ſe perpetuo eſſe, ab omni liberum tempore. *Ioan.* 10. *v.* 25. Opera quæ ego facio, in nomine Patris mei (*virtute diuinitatis*) hæc teſtimoniũ perhibent de me (*quod ſim verus Chriſtus Filius Dei*) *& v.* 27. *&* 28. Oues meæ vocem meam audiunt (*fidem & obedientiam tribuunt*) Et ego cognoſco eas, & ſequuntur me (*noſco mente pariter, & affectu, & illæ me amore proſequuntur*) & ego vitam æternam do eis (*quam nemo dare poteſt, niſi ſolus Deus*) & non peribunt in æternum (*non damnabuntur*). & non rapiet eas quiſquam de manu mea (*non tyrannus tormentis, non mundus blanditiis, non fallaciis dæmon.*) Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Quid, *inquit S. Auguſtin. tract.* 48. *in Ioann.* dedit Filio Pater, maius omnibus? Vt ipſe illi eſſet vnigenitus Filius, Pater nõ de Filio Deus, Filius de Patre Deus, ideo Pater Filio gignẽdo dedit, vt Deus eſſet, gignendo dedit, vt ſibi coæter-

coæternus eſſet, gignendo dedit, vt ſibi æqualis eſſet. Hoc eſt, quod maius eſt omnibus: *Quod ſi vt homo loquatur, ſignificat, quod Pater diuinitatem ſuã coniungendo humanitati dederit (quod omnibus maius eſt, vt ſcilicet homo ille Deus eſſet.)* Et nemo poteſt rapere de manu Patris (*quia a Deo eſt*) proinde neque de manu mea, quia ego & Pater vnum ſumus: (*ſ. vnius eſſentiæ & poteſtatis*) Vnum, *ait S. Baſil. tract. aduerſus Eunomium*, pro æqualitate & identitate virtutis accipitur. *S. Hieron. in cap. 4. Abdiæ: Domini interpretans ſententiam:* Vnum, *inquit*, ad naturam, ſi longe ad diuerſitatem perſonarum referunt. Suſtulerunt Iudæi lapides, vt lapidarent eum. More ſuo duri, *ait S. Auguſt. tractatu 48. in Ioann.* ad lapides ſe conuertebant. Idem enim iratiſſimè, quoniam ferre omnino non poſſe dici, ego & Pater vnum ſumus, niſi vbi æqualitas eſt Patris & Filij. *Patres Africani in confeſſ. Catholicæ fidei lib. 2. perſecut. Vandalicæ apud S. Victorem Vticenſem Epiſcopum:* Quod dixit Dominus, *inquiunt*, ego & Pater vnum ſumus, non ad vnitatem tantummodo voluntatis; ſed ad vnam referuntur eandemque ſubſtantiam. Quia non dixit, Ego & Pater vnum volumus; ſed vnum ſumus.

Rurſum idem Dominus (vt eſt in Ioannis 14. verſu 1.) Creditis in Deum, & in me credite: *id eſt, teſte Sancto Auguſtino libro 1. de Trinitate, capite* 12. Sicut creditis in Deum, ſic & in me: quia ego & Pater vnus Deus. *Et tractatu 67. in Ioannem:* Conſequens eſt, vt ſi in Deum creditis, & in me credere debeatis; quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus. *Neque enim Saluator, vt hoc loco notauit Sanctus Cyrillus Alexandrinus:* Credite me eſſe Deum, ſed credite in Deum, & in me credite, vt fidem Euangelicam à Iudaica diſtinctam inſinuet. Iudæus enim vel ignarus Trinitatis myſte-

myſterij,vel obſcurè agnoſcens, vnum Deum confitebatur, non ita perſonas diſtinguens, at Chriſtianus diſtinctiorem fidem profitens, ita vnum credit, & confitetur Deum, vt tres in vna Deitate perſonas veneretur. *Eodem 14. cap. v. 7. & 9. iis Dominus ſuam declarat diuinitatem*: Si cognouiſſetis me,&Patrem meum vtique cognouiſſetis. Philippe,qui videt me,videt & Patrem. Neque enim poteſt eſſe verum, quod qui cognoſcit,& videt Filium, is cognoſcat & videat Patrem, niſi quia eſt vna eademque vtriuſque natura,& eſſentia, *vt notarunt Sancti Patres,Cyrillus,Chryſoſtomus,Athanaſius,& alij.Ioann.16.ver.15. eandem eſſe ſuam ac Patris diuinitatem, iſtis declarat verbis*: Omnia quæcunq; habet Pater, mea ſunt. *Quod non poteſt intelligi de rebus extra* Deum,*quomodo Lucæ 15.v.32.Pater dixit Filio*:Fili tu ſemper mecum es,& omnia mea tua ſunt; *qua ratione dicimus,omnia quæ habet vir, ſunt vxoris. Præcedit ſiquidem*:Ille me clarificabit,quia de meo accipiet,& annunciabit vobis:*id eſt, de illo meo eſſe diuino,quod Spiritus Sanctus à me ſemper accipit; annunciabit vobis. Accepit Spiritus Sanctus eſſentiam, & ſubſtantiam diuinam à Filio, vt interpretatur* Didymus *lib. 2. de Spiritu Sancto. Greg. Nazian. Orat. de fide. Cyrill. libr. 11. in Ioann. cap. 1. & lib. 13. Theſ. cap. 4. vero exponit, quod Spiritus Sanctus accepit à Filio voluntatem & ſcientiã, vt ſit ſenſus, non alia annunciabit, quàm ea, quæ ego volo, & docui, quia eadem eſt voluntas, & ſcientia mea, & ipſius. De hac ſcientia ante loquebatur* Dominus: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Nõ enim loquetur à ſemetipſo,ſed quæcunq; audiet,loquetur,& quę ventura ſunt,annunciabit vobis.*Vide S. Aug. tract. 17. in Ioann: hæc verba explanantem. Scientia autem in Deo eſt ipſiſſima eius eſſentia,ſed quia quiſpiam cogitare poſ-*

repoſſet. Quomodo Spiritus Sanctus eſſentiam ſuam acceperit à Filio, cum à Patre procedat. Reſpondet Dominus, & à me, & à Patre diuinam naturam accipit S. Spiritus, quia mea, & Patris vna, eademque eſt eſſentia, & hoc eſt, quod ait: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Et Ioann. 17. v. 10. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: quia ſic tuam mecum diuinitatem, potentiam; imperium communicaſti, vt ſimul retinueris, cùm vna ſit nobis eſſentia. Quod autem Saluator ſe verum & ſummum prædicaret Deum; viderunt cæci Iudæi, nec hæretici videre potuerunt. Propterea, ait S. Ioannes cap. 5. v. 18. ergò magis quærebant eum Iudæi interficere, quia nō ſolum ſoluebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, ęqualem ſe faciens Deo. Et hanc ſententiam vt veram, neque Chriſtus Dominus, neque Euangeliſta redarguit. Ita & Ioann. 19. v. 7. cùm dixiſſent Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Hoc Dominus non modo non cōfutauit, ſed eo teſtimonio, quod docuiſſet, ſe Filium Dei, lubens immortuus eſt.

Modo quæ quantaque de Filij diuinitate teſtimonia perhibeat, & Spiritus Sanctus; pauliſper conſideremus. Et quidem tot illa ſunt, quot in ſacris literis, vel Conciliis, de ea extant ſententiæ, quas omnes commemorare nimis longum eſſet: nam linguæ Sanctorum fuerunt calami dictantis & ſcribentis Spiritus Sancti. Pſalm. 44. Non enim, vt eſt 2. Pet. 1. v. 21. voluntate humana, allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati (impulſi) locuti ſunt ſancti Dei homines. Et de ſe Dauid 2. Reg. 23. v. 2. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Pſalm. 5. v. 3. Intende voci orationis meæ Rex meus & Deus meus. S. Auguſtin. in Comment. docet, quod propriè alloquatur Chriſtū. Quia ergo Spiritus Sanctus locutus eſt per Prophetas, vt in Niceno cōfitemur

fitemur Symbolo: ab iis etiam Spiritus teſtimonia ſumamus. Iob 19. v. 25. & 26. Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. *Liberatorem ſuum & Deum confitetur, & incarnatum, vt eum etiam corporeis oculis intueri. Dauid Pſal. 5. v. 3.* Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus. *Sic eum vocat, quod proprie alloquatur Chriſtum. Pſal. 23.* Chriſtum Dominum virtutū, Dominum fortem & potentem in prælio, Regem nuncupat gloriæ. *Pſal. 109.* Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. *Quam pro ſua aſtruenda diuinitate ſententiam adduxit Saluator Matth. 22. v. 44. nec quid reſponſi darent, habuere Phariſæi. Quo pertinet & illa Eccliaſtici 51. ſententia:* Inuocaui Dominū Patrē Domini mei, vt non derelinquat me, in die tribulationis meæ. *Hanc Euangelium de Chriſti Domini diuinitate ſententiam, multis modis confirmat Euangelicus vates Iſaias cap. 9. v. 6.* Paruulus, ait, natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomē eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſeculi, princeps pacis, *&c. Cap. 35. v. 4. 5. 6.* Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorū, & aures ſurdorū patebūt. Tūc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua murorū. *Quibus ſignis ſe Deum Saluatorē eſſe oſtendit Dominus Matth. 11. v. 5. & ad hoc vaticinium & ſua miracula reſpiciens dicebat, Ioan. 15. v. 24.* Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū nō haberent, nunc autē & viderunt, & oderunt, & me, & Patrē meum. *Iſ. 45. v. 14. ſic Pater alloquitur Filiū:* Hæc dicit Dominus Deus exercituū: Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopię, & Sabaini viri ſublimes, ad te tranſibūt, & tui erūt. Poſt te ambula-

bulabunt, vincti manicis pergẽt, & te adorabũt, atq; deprecabuntur. Tantũ in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus (*humana natura*) Deus Iſrael Saluator. *Iſa. 52. v. 5. 6. 9. 10.* Dicit D̃ns: Iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomen meũ, in die illa: quia ego ipſe qui loquebar (*per Prophetas*) ecce adſum (*præſens in carne*) cõſolatus eſt Dominus populũ ſuũ, redemit Ieruſalem: Parauit Dominus brachiũ ſanctũ ſuũ in oculis omniũ gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. *Alios Prophetas breuiter percurramus, Ierem. 23. v. 5. 6.* Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtũ, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudiciũ, & iuſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus (*Iehoua*) iuſtus noſter. *Bar. 3. v. 36.* Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quod non de Patre, *ait Gregorius Nazianzen. Orat. 4. de Theolog.* ſed de Filio ſermo habeatur, adiectio hęc apertè declarat, Hic enim eſt, qui corpoream nobiſcum conſuetudinem habuit, inferiſque rebus coniunctus eſt. *Mich. 5. v. 2.* Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es, in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. *Zach. 12. v. 10.* Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritũ gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quẽ cõfixerunt. *Verus Deus ſanctũ pollicens & largiens Spiritũ, ſe cruci figendũ affirmat. Itaque quod Ieſus ſit Filius Dei & veritas,* tres dant in cœlo teſtimonium, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt, *1. Ioan. 5. v. 7.*

Ab hac ſanctiſſima Trinitate acceperunt B. Angeli, vt Chri-

vt Chriſtum Ieſum Deum ſuum ac Dominum agnoſcerent, confiterentur, ſupplices venerarentur. Angelus Gabriel Zachariæ promittēs filium, illum Chriſti Dei prodromum fore denunciauit. Luc. 1. verſ. 16. Multos, *inquit*, filiorum Iſrahel conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum, in ſpiritu & virtute Eliæ: *Nam S. Ioannes non conatus eſt niſi ad Chriſtum homines conuertere, quem aſſiduè prædicabat, quem videns dicebat:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *Ioan. 1. v. 29. quibus & verbis permotus Andreas Chriſtum ſectatus eſt. Neque præcurſor fuit niſi Chriſti Domini.* Et duxit, *ait S. Paulus Act. 13. v. 24.* Deus Iſraheli Saluatorem Ieſum, prædicante Ioanne ante faciem eius Baptiſmum pœnitentiæ. *Ergo Dominus Deus, ad quem filios Iſrahel conuerſurus Ioannes, & quem præceſſurus erat, Chriſtus Ieſus ſententia Angeli fuit. Idem Gabriel Angelus & diuinitatis Chriſti myſterium beatiſſimam Virginem edocuit Luc. 1. v. 32.* Paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſsimi vocabitur: *Acclamant illi cœleſtes ſpiritus*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, *Iſa. 6. v. 3. Ioan. 12. v. 41.* Adorant eum vt Deum ſuum, *Pſal. 96. v. 8. Hebr. 1. v. 6.* Famulantur vt domino ſerui. *Matt. 4. v. 11. c. 24. v. 31. c. 25. v. 31. Hoc Angelorum obſequium pro Chriſti Domini diuinitate aſtruenda optimè interpretatur S. Athan. ſermo. 3. contra Arianos:* Seruiebant, *inquit*, ei Angeli, vt diuerſo, alienóque ab illis natura, & adoratur ab illis, nō vt gloria tunc maior, ſed vt alius diſcretus, & ſeiunctus à conditione, tum creaturarum reliquarum, tum etiam ipſorum Angelorum, Patri tantummodo æqualis ſecundum rationem ſubſtantiæ.

Quin & Chriſtum Dominum, quem ibi præſentem conſpiciunt, ſuppliciter in Euchariſtia venerantur. S. Chryſoſt.

Chryſoſt.hom.1.ſuper verba Iſaiæ 6. Vidi Dominum: Non cogitas, quod Angeli huic ſtupendæ aſsiſtunt menſæ, cumque reuerentia hanc circumuallant? *Et hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura:* Tempore ſacrificij non ſolum homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genua flectunt,& Archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. *Similia habet B.Chryſoſt.hom. 4.de incomprehenſibili Dei natura, & lib. 6. de Sacerdotio. Et S. Greg.libr. 4. dialog.c. 58.& alij Sancti Patres. Quid enim non adorarent vbique ſuum Angeli Deum? Vtinam nos homunciones illos amulemur, Euchariſtiam demiſiſſimè venerantes.*

Domine Ieſu Chriſte, Rex gloriæ, da, vt ſicut corde ad iuſtitiam credimus, & ad ſalutem ore confitemur, te verum, æternum, & immenſum Deum, ita & maieſtatem tuam dignis ſemper, & caſtis moribus veneremur, Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas in omnia ſæcula.

CAPVT VIII.

APOSTOLICIS IOANNIS ET Pauli teſtimoniis, Chriſti Domini diuinitas aſtruitur.

IN *commendanda Chriſti Domini diuinitate duo, tanquam Aquilæ, præcellunt Apoſtoli, Ioannes & Paulus.* Ioannes Apoſtolus, *inquit B. Hieron. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum*, quem Ieſus amauit plurimum, nouiſsimus omniũ, ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarũ dogma conſurgens, qui aſſerunt, Chriſtũ ante Mariam non fuiſſe. Vnde

& compulſus eſt, diuinam eius natiuitatem edi-cere. Proinde hoc modo ſuum exorditur Euã-gelium: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Quibus verbis Filij Dei æternitatem, & ſuæ perſonæ, à Patre di-ſtinctionem, & cum eo conſubſtantialitatem declarat. Nam quia initio rerum procreationis erat Dei Filius, nũquam eſſe incepit, ſed ſemper fuit: & ideo Deus.* quia Deus ſempiternus Dominus, *Iſai.* 40. *ver.* 28. *cuius proprium epitheton, & attributum eſt, ſempiternitas, Gen.* 21. *v.* 33. Inuocauit ibi nomẽ Dei æterni. *Rom.* 16. *v.* 26. Secũdum præceptum ęterni Dei. *Et quia erat apud Deum Patrem, cuius erat Verbum, & ad quẽ referebatur, nec ab eo ſeiunctum fuit, & ab eo diſtincta perſona fuit, quia nihil apud ſeipſum eſſe dicitur: & quia hoc ipſum Verbum, erat Deus, vtique eandem cum* Patre *diuinam naturam habuit, cùm ſit tantum vnus Deus. Recte S. Iren. lib.* 3. *c.* 6. Neq; Dominus, *inquit*, neq; Spiritus Sanctus, neq; Apoſtoli eum, qui nõ eſſet Deus, definitiuè & abſolutè Deum nomi-naſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus. *Neq, hic tantum, ſed plurimis locis Chriſtus ſine exceptione ap-pellatur Deus, Iſa.* 9. *v.* 6. *Act.* 20. *v.* 28. *Rom.* 9. *v.* 5. 1. *Io-an.* 3. *v.* 16. *Apoc.* 4. *v.* 8. *& alibi, vt partim oſtendimus, partim oſtenſuri ſumus. Ita SS. Patres, inter quos vnus nobis memorandus Ambr. qui lib.* 1. *de fide ad Gratian. Imp. c.* 5. Omnes, *inquit*, hæreſes hoc capitulo bre-ui, piſcator noſter excluſit. Quod n. erat in prin-cipio, non includitur tẽpore, non principio prę-uenitur. Ergo Arius conticeſcat. Quod autẽ erat apud Deum, cõmixtione non confunditur; ſed manentis Verbi apud Patrem, ſolida perfectio-ne diſtinguitur, vt Sabellius obmuteſcat. Et De-us erat Verbum. Nõ ergo in prolatione ſermo-nis, hoc Verbum eſt, ſed in illa cœleſtis deſigna-tione virtutis, vt confutetur Photinus.

Pergit

Pergit mox S. Ioannes Filij Dei diuinitatem probare ex ipſa rerum creatione, ſiquidem ex nihilo aliquid efficere, eſt infinitæ virtutis. Vnde & hoc opus ſibi vni adſcribit Deus, Iſai. 44. v. 4. Ego ſum Dominus extēdens cœlos ſolus, ſtabiliens terrā, & nullus mecum. Omnia, *ait* v. 3. per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. *Et quæ ſunt illa omnia à Dei Filio procreata, vt ne quidem vlla minima recula ſine ipſo facta ſit? Omnia illa ſunt, quæ extra Deum ſunt, vt optimè interpretatur Sanctus* Paulus *Coloſſ.* 1. v. 16. 17. In ipſo, *inquit*, condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra: Viſibilia. & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.

Et ſicut cuncta produxit Verbum, ita & conſeruat, conſeruatio enim eſt quædam quaſi continua creatio, & propria Dei. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, *Act.* 17. v. 28. *Hinc paulò ante dixit Apoſtolus Coloſſ.* 1. In ipſo omnia conſtant. *Hoc eſt, teſte S. Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. ad Coloſſ.* ab ipſo Dei Filio pendet omnium ſubſiſtentia. Non ſolùm ipſe ea ex nihilo, ad hoc vt eſſent, produxit, ſed & idem ipſe nunc quoq; ea cōſeruat, & tuetur; ita vt ſi ipſius cura deſtituerentur, mox perirent, & corrumperentur. Sic ergo in Dei filio omnia conſiſtunt, qui ea portat verbo virtutis ſuæ, *Heb.* 1. v. 3. *ſiue ſuo præpotenti ſuſtentat imperio.*

Paulò poſt ex alio capite, nimirum ex humani generis liberatione, Sanctus Ioannes Chriſti Domini diuinitatem aſtruit. In ipſo, *inquit verſ.* 4. vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. *Ipſo ſuo verbo, non ſolū omnia Deus fecit, ſed etiā homini, quem caſurū præuidit in mortē corporis, animæ & ſempiternā, immortalitatē, vitā gratiæ & gloriæ reſtituere*

conſtituit, quemadmodum docet Apoſtolus 2. Tim. 1. v. 9. Liberauit nos Deus, & vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto, ante tempora ſæcularia. *Et ad Epheſ. 1. v. 4.* Elegit nos Deus in Chriſto, ante mũdi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in caritate. *De hac vita ait idem S. Ioannes 1. epiſt. 5. v. 11.* Vitam æternam dedit nobis Pater, & hæc vita in Filio eius eſt: *id eſt, Filius eius vitæ auctor eſt, quem & ibidem cap. 1. v. 1. appellauit* verbum vitæ; *viuens & nos viuificans, non ſolum ab incarnatione, ſed etiam ante incarnationem, propter tamen incarnationis myſterium omnes conſecuti ſunt vitam ſpiritalem. Quam vt adipiſcerentur, vita erat, lux hominum, Verbum ſe hominibus manifeſtauit, omne* enim quod manifeſtatur, lux eſt, *Epheſ. 5. ver. 14. Siquidem Verbum, quod vita eſt, ſpiritalem vitam non tribuit, niſi iis, quos fidei lumine illuſtrarit.* Ego, *inquit Ioann. 8. ver. 12.* ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

Ergo cum Chriſtus Dominus, & mortem corporis, & animæ, hoc eſt peccatum, & æternam mortem, ſiue damnationem, à nobis depellat, & animæ vitam ſpiritalem, ſiue gratiam, & tam corpori quàm animo beatam largiatur immortalitatem, vtique Saluator noſter eſt, vt & meritò Angelus Matt. 1. v. 21. dixerit Ioſepho: Vocabis nomẽ eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Opus autem Dei eſt ſaluatio, iuxta illud Iſaiæ 43. v. 11.* Ego ſum Dominus, & abſque me non eſt Saluator. *Et c. 45. v. 21.* Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. *Hoſeæ 13. v. 4.* Ego ſum Dominus Deus, & Saluator non eſt præter me. *Eodem cap. 1. v. 11. Verbi diuinitatem ex omnipræſentia, & aliis rebus demonſtrat, cum ait:*

ait: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. *In mundo erat, vbique præſens, vniuerſa conſeruans, gubernans, in fines ſuos dirigens, cum omnibus agentibus vnà agens, vt ſint, vt permaneant, vt operentur. Vt diſertè affirmat Apoſtolus Act. 17. v. 25. & 28.* Deus dat omnibus vitam & inſpirationem, & omnia. Nec longè eſt ab vnoquoq; noſtrum. In ipſo n. viuimus, mouemur & ſumus. Et mundus per ipſum factus eſt. *Quem non ſolum ex nihilo produxit, ſed admirabili creaturarum varietate, perfectione, ordine, partium conſenſione diſtinxit, & exornauit. Et tamen ex his mundus illud diuinum Verbum non cognouit. Et quidem quod ratione perſonæ diſtincte à Patre & Spiritu S. nõ cognouerit, excuſabilis fuit, ſed prorſus accuſabilis, quod nec ratione diuinitatis illud agnouerit, vt mente perciperet, mundũ eſſe ab vno Deo ſapiente, potente, æterno, primo omniũ rerum principio, cuncta diſponente, moderante, & conſeruante Deo ædificatum. Quia ergo in omnibus à ſe cõditis rebus ſua immenſitate eſt Verbum, vtique,* & Deus eſt magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ eſt finis. *Pſal. 140. v. 3.* qui cœlum & terram implet. *Hier. 23. v. 24.*

Rurſus aliud pro diuinitate Chriſti Domini argumẽtum ibid. v. 12. ſuppeditat S. Ioannes. Quotquot, *inquit,* receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Quis poteſt filios Dei facere, niſi verus Deus?*

Facit Deus mirabilia magna ſolus, *Pſ. 71. v. 18. & Pſal. 135. v. 4. Fecit & Chriſtus Dominus, quod ibid. v. 14. teſtatur S. Ioan.* Verbum, *inquit,* caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriã eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *Qualis iſta gloria, Dei decens Filium? Auctoritas, puritas & efficacitas doctrinæ; docuit enim, vt Legislator, & poteſtatem habens, Baptiſmus, transfiguratio, mors, reſurrectio, aſcenſio, & potiſſimum mira-*

culorum patratio, in quibus tanquam in ſpeculo relucebat eius diuinitas, & tanquam Sol ſuo ſplendore ab omnibus agnoſcebatur. De hac gloria Ioan. 2. v. 11. edito aquæ in vinum conuerſæ miraculo. Hoc, ait *Euang.* fecit initiū ſignorū Ieſus, in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuā, & crediderunt in eū diſcipuli eius. *Et Ioan. 11. v. 4.* Infirmitas hæc non eſt ad mortē; ſed pro gloria Dei: vt glorificetur Filius Dei per eam. *Matt. 14. v. 33. cum ſedaſſet tempeſtatē*: Qui in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum dicentes: Verè Filius Dei es. *Mat. 27. v. 54.* Centurio autē, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terręmotu, & his quæ fiebāt, timuerunt valde dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. *Hoc & Apoſtolus docet ad Rom. 1. v. 3. quod Chriſtus Dominus ſecundū humanā naturā ad Dei gloriā fuerit ex Dauidis poſteritate natus, & æterno decreto definitus & ordinatus, vt eſſet verus, naturalis, proprius, & vnigenitus Dei, quem talem eſſe tria maximè declararunt, miraculorū poteſtas, Spiritus ſanctificantis donatio, & ſuiipſius ac aliorū à morte ad vitā exſuſcitatio. Apoſtoli verba ſunt:* Qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid, ſecundū carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundū Spiritū ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorū Ieſu Chriſti Dñi noſtri.

Idem S. Ioann. Iſa. c. 6. viſionem cernentis Dominū Deum ſuper ſolium excelſum ſedentem, & Seraphinos acclamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius, *attribuit Chriſto, c. 12. v. 41. cum ait:* Hęc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & loquebatur de eo. *Et ſanè non potuit clarius deſcribi Summi Dei maieſtas.*

Denique de Chriſti Liberatoris noſtri diuinitate cōteſtans hæc eſt S. Ioannis 1. epiſt. c. 5. v. 20. ſententia: Et ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum,

ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. *Cuius & veri Dei imitandam nobis caritatem proponit* 1. *Ioan*. 3. *v*. 16. In hoc, *ait*, cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animā ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratrib. animas ponere. *Et quis Deus, qui pro nobis animam ſuam poſuit, niſi qui ait Ioan*. 10. *v*. 15. Ego animam meam pono pro ouibus meis.

Verum piè Lector digneris, vt in te pietatis concites affectum, ad hæc pauliſper animū aduertere. Docuit nos S. Ioan. Chriſtū Dominū eſſe verum Deū: 1. *quia æternus*. 2. *quia Deus & eſt, & hoc nomine prædicandus*. 3. *quia vniuerſitatis opifex & architectus*. 4. *quia noſtræ libertatis aſſertor, & ſalutis vindex*. 5. *quia nullibi non præſto ſit, ſuo numine replens omnia*. 6. *quia nos Dei filios effecerit*. 7. *quia tā illuſtria diuinitatis ſuæ, & documenta & miracula ediderit, vt ſimilia, neque quis alius præſtiterit, neque præſtare potuerit. Et tamē propter nos homines, & propter noſtrā ſalutē ille æternus, cum venit plenitudo tēporis, natus eſt in tēpore, & omnib. temporū mutationib. ſubiectus creator temporū, creatus eſt in tēpore. Verbū illud, quod dicturus, antea nō ſilebat, quo dicto nō ſiluit, qui dicebat, verbū* ꝙ *labia nullius aperuit cœptū, clauſitve finitū, verbū* ꝙ *initiū non habet, ex ore loquentiū, & aperit ora mutorū. Verbum quod linguis gentium diſertis non fit, & linguas infantiū diſertas facit. Verbū hoc fit infans & homo, qui non habeat in ore ſuo redargutiones. Verbū* ꝙ *erat apud Deū, &* Vnigenitus Filius in ſinu Patris, *Ioan*. 1. *v*. 18. *fit puſio, reptans in gremio Virginis matris, regens ſidera, caſtiſſima lambens vbera. Qui verſabatur cū Angelis, voluit eſſe cū hominib. quia* delitiæ ipſius eſſe cū filiis hominū. *Pro*. 8. *v*. 31. *Princeps & Rex beatorū ſpirituum, fieri dignatus eſt, ærumnoſorū ſeruus mortaliū. Matt*. 20. *v*. 28. Filius hōis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare,

Luc.22.v.27. Ego in medio veſtrũ ſum, ſicut qui miniſtrat. *Philip.2.v.7.* Qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit. *Verbum fit caro, Deus homo, quid hoc? beatiſsimus miſerrimus: Vt te ô homo, filium Dei faceret, & calamitoſiſsimum, feliciſsimũ: Qui fecit omnia, factus eſt inter omnia, vt carne carnem liberans, ne perderet, quos condidit, vt fons vitæ, & ſalutis, mortuis nobis, vitam ſpiritalem & æternam, ac perditis nunquam interituram tribueret ſalutem, & felicitatem.* Deus, *inquit Apoſtolus Eph. 2.v.4.* qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccato, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſaluati eſtis.

Quid igitur pro his tot, tantiſque beneficiis, quæ mihi tribuit Deus, illi retribuam? Exiguum eſt, ſi cor meum, & caro mea exultent in Deum, ſi lingua mea meditetur iuſtitiam eius, & tota die laudem ipſius, ſi omnes vires corporis impendam in gloriam eius. Spiritus enim eſt Deus, *& ſpiritu laudari deſiderat. Itaque anima mea, aſsiduè lauda Dominum* Deum *tuũ, perpetuas illi gratias age, & omnes animæ meæ facultates quãta poteſtis contentione, ſanctiſsimum, & colendiſsimum ipſius nomen, hoc eſt, ipſummet, prædicate, nec ab eo celebrando ceſſate. Age, anima mea, age, laudes, & grates* Deo *tuo perſolue, nec vlla vnquam te capiat donorum ac munerum ipſius obliuio. Ipſe eſt, qui clementer & benigne ignoſcit, & condonat tibi peccata, qui te ægrotantem ſanum facit, qui ab impendente exitio, & cunctis malis te liberat, qui inſtar coronæ, te vndique ſuæ benignitatis, & miſerationis beneficiis cumulat, & circumcingit, qui cunctorum bonorum abundantia, tuum explet deſiderium.* Denique *benedicite* Domino *omnia opera eius, & vniuerſa creaturæ, quæ omni in loco eius, imperio, & dominatui ſubiectæ eſtis, benedic anima mea* Domino. *Amen.*

CAP.

CAPVT IX.

Aliis Apoſtoli ſententiis Chriſti Domini diuinitas aſtruitur.

E*Tſi luculentis S. Pauli teſtimoniis diuinitas Chriſti confirmata ſit, alia tamen & hic eiuſdem Apoſtoli teſtimonia ſunt producenda eaque luce clariora: vt Saluatoris noſtri maieſtas & veneratio tanto nobis magis commendetur. Itaque in illa nobiliſsima epiſtola Romana c. 9. v. 5.* Ex quibus eſt, *inquit*, Chriſtus ſecundum carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen. Tam perfecta *ait* S. Aug. ſerm. 6. de Tempore, filij eminentia declaratur, vt dici de Patre maiora non poſsint: Nam ſi initium haberet, non eſſet ſuper omnia, ſed inter omnia quæ pro conditione facturæ intra initium continentur. *Ex hoc etiam Apoſtoli loco, & illo Iſa. 9. vbi Chriſtus dicitur* magni Conſilij angelus *probabiliter colligit S. Aug. quod Dei filius ſit in rubo ardente viſus Moyſi. Siquidem* Exodi 3. v. 2. legimus: Apparuit illi Angelus Domini in flamma ignis de rubo. *Qui tamē v. 6. ait*, Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Ita S. Aug. l. 2. de Trin. c. 3. Qui & l. 3. contra Fauſtum Manich. c. 6. Chriſtus ergo Dominus & Saluator noſter, ait, filius Dei verus ſecundum diuinitatem, & filius hominis verus ſecundum carnem, non ex eo quod eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula, ex fœmina natus eſt, ſed ex illa infirmitate quam ſuſcepit ex nobis vt in ea moreretur pro nobis, & eam ſanaret in nobis.

Digitized by Google

S.Greg.Magnus *explanans illa Ezech.cap.1.v.24.* Audiebam ſonum quaſi ſublimis Dei hom. 8. in eundem Prophetam,*cauſſam exponit cur Apoſtolus non tantum dixerit Chriſtus eſt Deus, ſed etiam addiderit,ſupra omnia benedictus in ſæcula.* Redemptor noſter, *ait*, rectè per Prophetam ſublimis Deus eſſe memoratur. In ſcriptura etenim ſacra aliquando Deus nuncupatiuè, aliquando vero eſſentialiter dicitur, Nuncupatiuè n. dicitur ſicut ſcriptum eſt Exodi 7.v.1. Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis,& Aaron frater tuus erit Propheta tuus. Et ſicut Moyſes *ait Exod.22.v.8.* Si quis hoc vel illud fecerit,applica illum ad Deos, videlicet ad ſacerdotes. Qui rurſum dicit ibidem v.28. Dijs non detrahes,id eſt Sacerdotibus. Et ſicut Pſalmiſta ait Pſal.81.v.1. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat. Eſſentialiter autē Deus dicitur Exodi 3. Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham,Deus Iſaac,Deus Iacob. Vnde Paulus Apoſtolus volens nuncupatiuũ Dei nomen ab eſſentiali diſcernere, de Redēptore noſtro locutus eſt dicens. Quorũ Patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundũ carnē, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Qui n.nuncupatiuè dicitur,Deus inter omnia,qui vero eſſentialiter, Deus ſuper omnia eſt. Vt ergo oſtenderet Chriſtum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo,ſed Deum ſuper omnia eſſe memorauit. Quem ergo Paulus Deum ſuper omnia, hunc Ezechiel Propheta Deũ ſublimē nominat.

Eſt Deus benedictus: quia eius benedictiones & laudes perdurant in æternitate. Prædicemus & nos,celebremus, & quantis poſſumus laudibus, hunc Dominum Deum noſtrum Opt.Max.ſemper efferamus.

Num.21.v.4.& 6. Et tædere cœpit populũ itineris

neris ac laboris, locutuſq; eſt cõtra Deũ & Moyſen: Quamobrem miſit Dñs in populum ignitos ſerpentes. *Vtiq; hic ſummus & veriſſimus fuit Deus, at ex ſententia Apoſtoli: Iſte fuit Chriſtus. Ita n. ait* 1. *Cor.* 10. *v.* 9. Neq; tentemus Chriſtũ, ſicut quidã eorũ tentauerũt, & à ſerpentib' perierunt. *Tentare Deũ eſt periculum velle facere, vel ipſius poteſtatis, vel ſapientiæ, vel bonitatis, qđ cũ aut ex ignoratione, aut ex dubitatione ꝓficiſcitur, peccatũ eſt: qa Dei pfectiones ignorare, vel de iis addubitare nefas. Videatur S. Tho.* 2. 2. *q.* 97.

Idem S. Paulus ſuam Galaticam hoc pacto exorditur epiſtolam. Paulus Apoſtolus non ab hominib. neque per hominẽ, ſed per Ieſum Chriſtũ, & Deũ Patrẽ. *Et v.* 11. Notũ vobis facio, fratres Euangeliũ, qđ eſt euangelizatum à me: quia non eſt ſecũdũ hominẽ, neq; n. ego ab homine accepi illud, neq; didici, ſed per reuelationẽ Ieſu Chriſti. *Quo loco B. Apoſtolus Chriſtũ Dominũ opponit hominib. oſtendens Chriſtũ non eſſe purũ hominẽ, ſed ẽt eſſe verũ ac vnũ cũ Patre Deũ, quinimo opponit & Angelis: ac ꝓinde omnib. prſus conditis rebus. Ait n. eodem c.* 1. *v.* 8. 9. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquã qđ euangelizauimus vobis anathema ſit. *Clariſſimè Chriſtũ Apoſtolus à creaturis abiungit, & cum Deo Patre, quaſi ex altera parte coniungit, & Deũ Creatorem eſſe docet. Magna laus S. Pauli quod à Chriſto Domino vero Deo & homine iam immortali Euangelium doctus ſit, ſed maior gloria Chriſti quod talem tantumque Doctorem nobis quondam gentibus, & Eccleſiæ ſuæ prouiderit.*

Quod Dauid Pſ. 67. *v.* 19. *Summo tribuit Deo* Currus Dei decem millib. multiplex: millia lætantium Dominus in eis in Sinai in ſancto, aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus, *hoc ipſum beatus Paulus aſſignat Chriſto Domino Epheſ.* 4. *verſ.* 8. Vnicuique noſtrum,

noſtrum, *inquit*, data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti: Propter quod dixit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.

Sed pro Chriſti diuinitate & ille illuſtris eſt Pauli locus Philip.2.v.6. Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. *Quo ex loco argumentatur* S. Baſil. l. 4. contra Eunomium. Si filius eſt creatura Dei; omnis autem creatura ſerua eſt creatoris, ſeruus eſt Chriſtus non filius Dei. Non igitur accepit formam ſerui cum Dominus eſſet, ſed erat ſeruus. *Et quidem hac vna ſententia tribus modis Chriſti diuinitatem affirmat Apoſtolus* 1. *quia eſt in forma & eſſentia Dei.* 2. *quia ſine rapina, nihil indebitum, aut ſupra dignitatem ſuam naturalem ſibi arrogans*, 3. *quia exinaniuit ſe formam ſerui accipiens, quam ſerui conditionem, vt Dominus vniuerſorum ante non habuit.*

Fulgent. Ruſpenſis Epiſcopus l. de fide ad Petrum Diaconum. Intente, *inquit*, hanc Apoſtoli ſententiam cogita, & in ea cognoſces, quomodo Dominum Ieſum Chriſtum eundem Deum atque hominem credas. Nec tamen veritatem vtriuſque naturæ in vna perſona aut confundas aut diuidas. Cum ergo primo audis de Domino Ieſu Chriſto quia in forma Dei erat, oportet te agnoſcere, firmiſsimeque tenere, in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei Dominus Ieſus Chriſtus erat quia in natura Dei Patris ſemper erat, de quo natus eſt. Vnius ergo naturæ cum Patre eſt: æqualiterque cum eo ſempiternus, atque immēſus: æqualiter immortalis, & incommutabilis: æqualiter inuiſibilis & inenarrabilis: æqualiter

bonus

bonus & iuſtus: æqualiter miſerator & miſericors, patiens & multum miſericors & verax æqualiter fortis, & ſuauis: æqualiter ſapiens, atq; omnipotens. Proinde hæc omnia quæ diximus de filio Dei firmiſsima fide retine: quia hæc vtique omnia in vnitate naturæ habens cum Patre ſine dubio æqualis eſt Patri. Propter quod & Apoſtolus continuo adiungens ait. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Non enim rapina fuit illa filij cum Patre diuinitatis æqualitas ſed natura.

S. Aug. *B. Fulgentij Doctor tract. 17. in Ioannem.* Chriſtus, *ait*, æqualis Patri natus erat, non factus, natus de ſubſtantia Patris. Vnde illum ſic commendat Apoſtolus: Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Quid eſt non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo? Non vſurpauit æqualitatem Dei, ſed erat in illa, in qua natus erat. Et nos ad æqualem Deum quomodo perueniremus? Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Non ergo ſe exinaniuit amittens quod erat, ſed accipiens quod non erat. *Eadem habet ſerm. 31. de verbis Apoſtoli c. 4. & ſerm. 235. de Tempore c. 2.*

Idem S. Aug. ſerm. 6. de Tempore *qui eſt 2. in Natali Domini.* De Chriſti, *inquit*, diuinitate ita ad Titum c. 2. v. 11. dicit Apoſtolus: Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri. Et iterum v. 13. Exſpectãtes beatam ſpem & aduẽtum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: immane piaculum eſt, vt per infidelis hominis blaſphemias minor (*Patre*) eſſe dicatur, quem magnum Deum ipſa veritas profitetur.

Denique multis modis diuinam humanamque Chriſti liberatoris Maieſtatem, & amplitudinem explanat S. Apoſtolus ad Hebr. c. 1. Primùm quidem comparatur cum

Digitized by Google

cum angelis v.5. quod filius Dei iure hæreditario hoc nomen habeat, non gratuita donatione vt angeli. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? *Pſal. 2. v. 7. Et rurſum 2. Reg. 7. v. 14.* Ego ero illo in Patrem & ipſe erit mihi in filium. *2. ex adoratione ipſi debita v. 6.* Et cum iterum introducit primogenitum in orbẽ terræ dicit Pſal. 96. v. 8. Et adorent eum angeli Dei S. Chryſ. hom. 3. in ep. ad Hebr. Ex adoratione tanto filium angelis meliorem eſſe demonſtrat, quanto Dominum ſeruis conſtat eſſe meliorem: quomodo ſi quis in quandam domum introducat aliquem, & confeſtim omnes eius domus principes iubeat illum pronos ſimul omnes adorare: ita & Chriſtum ſecundum carnem iuſsit à cunctis angelis adorari. *3. ex regia maieſtate v. 8. 9.* Ad filium dicit *Pſ. 44. v. 7.* Thronus tuus Deus in ſæculum virga æquitatis virga regni tui dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus ſuis. *Hac vnctio ad humanam ſpectat naturam. 4. ex mundi creatione v. 10.* Tu in principio Dñe terram fundaſti & opera manuum tuarum, ſunt cœli. *5. ex mutationis omnis vacuitate.* Ipſi peribunt, tu a. permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent. *v. 11. 6. ex æternitate v. 12.* Et velut amictum mutabis eos & mutabuntur, tu aũt idem ipſe es & anni tui non deficient. *7. ex ſynedria ſeu conſeßione cum Patre v. 13.* Ad quẽ autem angelorum dixit aliquando ſede à dextris meis quoadvſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? *Pſal. 109. verſ. 1. Neque prætermittendus eſt Apoſtoli locus Act. 20. verſ. 28. vbi presbyteros hunc in modum alloquitur:* Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam

quam acquiſiuit ſanguine ſuo. *Quis Deus ſuo ſanguine comparauit Eccleſiam, niſi Chriſtus Dei filius?*

Te autem quæſo rogoque Chriſtiane Lector ne Paulinas has Chriſti Domini *diuinitatem confirmantes ſententias quaſi præteriens per tranſennam ſtrictim aſpicias, ſed fixis oculis intuearis, & diligenter expendas, carpes inde ſaluberrimos animæ tuæ fructus. Saluator tuus eſt* Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula. *Dic & tu cum Propheta Pſal.*33.*v.*1.Benedicam Dominum in omni tempore ſemper laus eius in ore meo. Non tentes hunc Dominum Deum tuũ *Deut.*6.*v.*16.*Matth.*4.*v.* 7. *ne vt Iudæos etiam te igniti ſerpentes interimant, aut dæmones crucient igne ſempiterno. Imitare & Dei tui, cum vermiculus ſis, & quod peius, peccator, ſummam demiſſionem.* Ad quid hoc fratres *ait*, S. Bern. ſerm. 1. in Natali Domini aut quæ neceſsitas fuit vt ſic exinaniret ſe, ſic humiliaret ſe Dominus maieſtatis, niſi vt vos ſimiliter faciatis? Et S. Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. ad Hebr. Hæc, *inquit*, cognoſcentes, nihil impudenter agamus, neque in ſuperbiam ſubleuemur: Si enim ipſe quum Deus eſſet, & Dominus, Deique filius non reſpuit formam ſerui ſuſcipere, multo amplius nos oportet cuncta perferre etiamſi humilia & abiecta ſint. S. Leo ſerm. 5. in Natiuit. Domini: verbi Deitas, *inquit*, propter noſtram infirmitatem extenuauit ſe incapacibus ſui, & velamine corporis ſplendorem maieſtatis ſuæ, quem viſus hominum non ferebat, obtexit. Vnde etiam exinaniſſe ſe dicitur tãquam ſe propria virtute euacuauerit, dum in ea humilitate qua nobis conſuluit, non ſolum Patre, ſed etiam ſe ipſo factus eſt inferior, nec aliquid illi hac inclinatione deceſsit, cui cum Patre &

Spiri-

Spiritu ſancto hoc quod eſt, cõmune eſt, vt hoc ipſum intelligamus ad omnipotentiam pertinere, quod qui ſecundum noſtra minor eſt, ſecundum propria minor non eſt. Quia enim lux ad obcœcatos, virtus ad imbecilles, miſericordia reſpexit ad miſeros, de magna factum eſt poteſtate vt Dei filius ſubſtantiam humanam cauſſamque ſuſciperet, qui & noſtram naturam quam condidit, reformaret, & mortem, quam non fecit, aboleret. *Hunc Chriſtum Deum tuum tantopere te diligentem redama*, Amantis autem maximè eſt, *vt ait* S. Chryſ. hom. 1. ad Antioch. nunquam ab his, quæ amato complacent, abſiſtere. *Illum & ſemper cum S. Angelis, vt paulo ante ex Apoſtolo didicimus, ſuppliciter adora & quidem* in omni loco puras ad eum leuans manus ſine ira & diſceptatione 1. Tim. 2. v. 8. *Illi cum Patre & Spiritu ſancto ſit ſempiternus honor. Amen.*

Omnipotens ſempiterne Deus: qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem noſtrum carnem ſumere, & crucem ſubire feciſti: concede propitius: vt & patientiæ ipſius habere documenta, & reſurrectionis conſortia mereamur. Per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAPVT

CAPUT X.

APOSTOLICIS CONFESSIONIbus & teſtimoniis Chriſti probatur Deitas.

TRes ſuperſunt Apoſtolici teſtes diuinitatis Chriſti, vnà cum ſancta virgine & Saluatoris hoſpita Martha. Et quidem S. Iudas Thadæus in epiſtola ſua verbis exigua, ſententiis magna v.5.6. Ieſus, *ait*, populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundò eos, qui non crediderunt, *Num.14.verſ.*37. perdidit. Angelos vero qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. *Quis Iſrahelitas è Pharaonica ſeruitute vindicauit niſi omnipotens Deus? Sic enim ait Exodi* 20.*verſ.*2. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo ſeruitutis. Quod habetur *Deu.* 5.*v.* 6. *& Deut.*32.*v.*12. Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. *Hic ergo Optimus Maximus Deus Chriſtus Dominus noſter, cuius vt bonitas pios Chriſtianos conſolari debet: vt quos è dæmonis, peccati, mundi, carnis tyrannide liberauit, & Dei filios & hæredes conſtituit: ita & iuſtitia eius malos in fidei & morum integritate non perſeuerantes terrere debet, vt qui ſeuere in Iſrahelitas, & Apoſtatas angelos vindicauit, quibus & innumeros alios adiungere poſſumus.*

Alter teſtis eſt S. Thomas Apoſtolus Ioan. 20.*v.*27. 28.*qui cum in Chriſti à morte rediuiui vulneratum latus manum, & digitos ſuos in clauorum fixuras immiſiſſet, & non ſolum viſu, ſed & tactu à ſeipſo ad vitam reuocatum exploraſſet, exclamauit*: Dominus meus

& Deus meus. *O Chriſte Ieſu, Tu es Dominus meus, tu es Deus meus S. Aug. tract. 121. in Ioan.* Videbat tangebatq; hominē, & confitebatur Deū quem non videbat neq; tangebat, ſed per hoc ꝙ videbat atque tāgebat, illud iā remota dubitatione credebat. *Et ſer. 6. de Temp.* idem B. Aug. Thomas Apoſtolus, *inquit*, in Euang. Ioan. vbi poſt reſurrectionē corpus hominis crucifixi per clauorū ſigna cognouit, Deum qui intra hominem latebat Apoſtolica & Euangelica authoritate confeſſus eſt, ita dicens: Dominus meus & Deus meus, Dominum propter humanam, Deum propter diuinam appellat naturam.

Tertius diuinitatis Chriſti teſtis & aſſertor lōge ampliſſimus & ab ipſo Saluatore ob hoc teſtimoniū laudatus, & ſumma in Eccleſia dignitate honoratus eſt Apoſtolorum Princeps ſanctiſſimus Petrus, de quo S. Leo magnus, ipſius ſi quis alius digniſſimus ſucceſſor ſerm. 2. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum. Soliditas, *ait*, illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet ꝙ in Chriſto credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit. Cum n. ſicut Euangelica lectione reſeratum eſt. *Matth. 16. v. 13. & ſeqq.* interrogaſſet Dominus diſcipulos ſuos, quem ipſum (multis diuerſa opinantibus) crederēt, reſpondiſſetque B. Petrus dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Dominus ait: Beatus es Simon BarIona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non prẹualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum: Et quodcunq; ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis. * Et quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Manet ergo diſpoſitio veritatis, &

beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dũ petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœlorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumq; arbiter, mãſura ẽt in cœlis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur, qualis ipſi cũ Chriſto eſſet Societas, per ipſa appellationũ eius myſteria noſceremus. Qui nunc plenius & potentius, ea quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorum atq; curarum in ipſo, & cum ipſo, per quem eſt glorificatus exequitur. Si quid itaq; à nobis rectè agitur, rectéq; diſcernitur, illius eſt operum atque meritorum, cuius in ſede ſua viuit poteſtas, & excellit authoritas. Hoc enim obtinuit, dilectiſsimi illa confeſsio, quæ à Deo Patre Apoſtolico inſpirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta tranſcendit, & firmitatem petræ, quæ nullis impulſionibus quateretur, accepit: In vniuerſa namque Eccleſia: Tu es Chriſtus filius Dei viui Petrus dicit: & omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magiſterio huius vocis imbuitur: Hæc fides diabolum inuicit, & captiuorum eius vincula diſſoluit. Hæc erutos mundo, inſerit cœlo, & portæ inferi aduerſus eam præualere non poſſunt. Tanta enim diuinitus ſoliditate munita eſt, vt eam neque hæretica vnquam corrûpere prauitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Filium Dei vocat natura non adoptione. Adoptione enim omnes confitebantur eſſe filium Dei, quandoquidem virum iuſtum, & Prophetam putabant. *Certiſſimum autem argumẽtum eſt, quod Petrus Chriſtum filium Dei viui appellans*

Ioanni, Eliæ, Hieremiæ, & Prophetis opponat, quos certum eſt filios Dei fuiſſe adoptione. Et ideo addidit, viui, non ſolum vt diſtinguat ab idolis, quæ res mortuæ ſunt, ſed etiam vt ſignificet eſſe naturalem Dei filium, ſecundum S. Paulum Hebr. 1. verſ. 3. vbi dicitur imago ſeu character hypoſtaſis paternæ filium, *quod non conuenit adoptiuis, & proprium vt habet idem Apoſtolus Rom. 8. v. 32. & verum vt teſtatur B. Ioannes. 1. ep. 5. v. 20. quia viuentium proprium eſt ſibi ſimile gignere in natura. Hanc ſuo & aliorum Apoſtolorum nomine confeſſionem iterauit S. Petrus Ioannis 6. verſ. 68.* Domine ad quem ibimus, ait, verba vitæ æternę habes? & nos credidimus & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei.

Aeque illuſtris de Chriſti Domini diuinitate videtur B. Marthæ atque S. Petri confeſſio. Cum enim Lazarum fratrem ipſius quatriduo mortuum ſuſcitaturus eſſet ad vitam & dixiſſet Ieſus Marthæ: Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me nõ morietur in æternum, Credis hoc? Ait illi vtique Domine. Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti. *Fidei & amoris pleniſſima confeſſio. Quaſi diceret. Non tantum hoc tempore credo, ſed & multo ante credidi: quia* tu es Chriſtus filius Dei viui, *qui vt promiſſum fuit à Deo per prophetas quod venturus eſſes ad noſtram curandam ſalutem, ita & veneris.* Et quando hoc credidi, (*ait S. Aug. tract. 49. in Ioannem*) quia tu es filius Dei viui, credidi quia tu es reſurrectio, credidi, quia tu es vita, credidi, quia, qui credit in te & ſi moriatur, viuet; & qui viuit & credit in te non morietur in æternum. *Beata es & tu Martha quia caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed diuinus Pater qui in cœlis eſt, hoc de filio ſuo manifeſtauit. Iſta Ioannis 11. v. 25. 26. 27.*

Pie

Pie Lector diligenter aduerte quantopere Saluatori tuo Chriſto ſui diuini Numinis placeat agnitio teſtificatio, veneratio. Marthæ ſe filium Dei confitenti fratrem Lazarum quatuor iam duobus extinctum vitæ reſtituit. Sanctum vero Petrum ſe Dei filium conteſtantem Eccleſiæ ſuæ præpoſuit, eiuſque paſtorem ac gubernatorem cum plena perfectaque poteſtate inſtituit. Præclare S. Leo Magnus ſerm. 2. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli *in Chriſti Domini perſona ita B. Petrum alloquitur:* Sicut Pater meus manifeſtauit tibi diuinitatem meam; ita ego notam tibi facio excellentiam tuam: Quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; tamen tu quoque petra es: quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. *Et S. Hier. in cap. 16. Matth.* Ieſus teſtimonio de ſe Apoſtoli reddidit vicem. Petrus dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei viui, mercedem recepit vera confeſsio: Beatus es Simon BarIona &c. S. Thomæ videntis & contrectantis corpus ſuum, & diuinitatem inde credentis fidem Dominus commēdauit ſed magis noſtram poſterorum, neque corpus eius neque diuinitatem intuentium fidem dilaudauit. Quia inquit, *Ioannis* 20. v. 29. vidiſti me, Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt & crediderunt. *Quia præſtantior, & nobilior eſt fides, ac maius & excellentius meritum, quando quis non propter rationes & argumenta, ſed ſimpliciter credit: quia magis captiuatur intellectus, & promptior eſt voluntatis obedientia.*

Promittit & ampliſsimos honores & præmia Saluator ſuis teſtibus & prædicatoribus Matth. 10. v. 32. Omnis qui confitebitur me coram hominibus

confitebor & eum coram Patre meo qui in cœlis eſt, *& vt eſt Lucæ* 12. *verſ.* 8. coram angelis Dei. *Quem tale præmium non allectet ad Chriſtum Deum ſuum ſemper & vbique confitendum, & in eo palàm gloriandum? Quam ob rem S. Paulum & laudat & animat Liberator noſter Act.* 23. *v.* 11. Sequenti nocte, *ait S. Lucas*, aſsiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Corde *ait idem Apoſtolus Rom.* 10. creditur ad iuſtitiam ore autem fit confeſsio ad ſalutem.

Verum hæc confeſſio fieri debet non ſolum vocibus, ſed etiam moribus, non tantum ſono linguæ, ſed & actu vitæ: nec tantum labiis ſonantibus, ſed operibus pronunciantibus: alioquin non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris *Eccl.* 15. *v.* 9: *Indecens eſt vt Dei vel cœleſtis ſapientiæ commendatio ab improbo vſurpetur: quia eam vel falſitate, vel vitæ peruerſitate dedecorat. Proinde & de eiuſmodi Apoſtolus* Tit. 1. *verſ.* 16. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi, *id eſt, cum ſint execrandi ob vitæ impuritatem, quibus veritas & virtus perſuaderi non poteſt, & à quibus nihil boni eſt exſpectandum.*

Eadem fuit dæmonum de Chriſti Domini diuinitate confeſſio, ſed à Chriſto Domino non modo non probata, ſed prohibita, ſed nimis coercita: quia non ex pia voluntate profecta, quæ fuit Marthæ quæ fuit Thomæ, quæ fuit Petri Matth. 8. *v.* 29. Duo habentes dœmonia clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? *Marci* 5. *verſ.* 7. Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſsimi.

Illud etiam pluſquam probabile, quod diaboli Chriſtum Dominum non gratia & adoptione, ſed natura & æterna

æterna generatione Dei filium agnouerint; præſertim cum eum tentaſſent & de eo periculum feciſſent Math. 4. Sic enim legimus Mar. 1. v. 34. Et non ſinebat ea loqui quoniam ſciebant eum *Lucæ 4. v. 41.* Exibant autem dœmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es Chriſtus filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui: quia ſciebant eum eſſe Chriſtum. *Myſterium tamen mortis eius, quod ea ratione homines eſſet ab ipſorum tyrannide liberaturus, credibile eſt non bene cognouiſſe, quia ſi cognouiſſent nunquam Iudam ad perditionem, & Iudæos ad ipſius necem incitaſſent, ne venatu ſuo perirent. Sane nemo probus ab improbo laudari ſuſtineat, ne ipſius ſimilis eſſe videatur, quanto minus Deus? Cuius eſt illa obiurgatio Pſal. 49. verſ. 16.* Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum. *Itaq; in confeſſione, & laude Dei, ac Sanctiſſimæ Trinitatis mens, os, manus concordent.*

Tribue Chriſte Ieſu benigniſſime Saluator vt diuinam Maieſtatem tuam non tantum lingua ſed & vita, non tantum vocibus ſed & moribus ſemper confiteamur, vt & miſericordiam tuam & gratiam impetremus cœleſtem.

* * *

Caput XI.

Christo Domino Diuinae naturæ proprietates attribuuntur ac ideo ipſe Deus.

Etſi ex Dei nominibus quæ Chriſto tribuuntur, vt cum appellatur Deus, vt iam ſæpe vidimus, יהוה *Iehoua, Iere.23.v.5. & 6.* Altiſsimus, *Luca 1.v.76.* Dominus & rex gloriæ *Pſal.23.v.7. 1. Cor. 2.v.8.* Rex Regum & Dominus Dominantium *Apoc.17.v.14. & 19.v.16. & 24. eius diuinitas probari queat, magis tamen ex diuinæ naturæ proprietatibus cõfirmabitur.* 1. Deus eſt omnipotẽs *Pſal.88.v.9.* Potens es Domine. *1.Tim.6.v.15.* Beatus & ſolus potens rex regum & dominus dominantium. *Quo iuſtiſsimo ac meritiſsimo omnipotentiæ titulo ſuo creberrimè cùm in aliis ſcripturæ locis, tum in libro Geneſis, S. Iobi, & 2. Machabæorum decoratur. Filius autem Dei eſt omnipotens Apoc.1.v.8.* Ego ſum Α & Ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens *Matth. 11. v. 27.* Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. *& c.28.v.18.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.

2. *Omnimoda ſapientia præditus eſt Deus Pſ.46.v.3.* Magnus Deus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus *Rom. 16.v.27.* Soli ſapienti Deo. *At verißimè S.Petrus Chriſto Domino loquens Ioan.21.v.16. & 17.* Domine, *inquit,* tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te. Et Apoſtolus *Coll. 2.v.3.* In Chriſto Ieſu ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei abſcõditi. Qui & *1.Cor.1.v.24. ait:* Nos prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

Eſſen-

3. *Eſſentia ſua, hoc eſt, non aliunde, ſed à ſe Deus bonus eſt, qua ratione Luc.*18.*v.*19. *dixit Saluator:* Nemo bonus niſi ſolus Deus. Confitemini, *ait Dauid Pſal.*105.*v.*1. Domino, quoniam bonus. *At diuina ſapientia, quæ Chriſtus eſt,* imago bonitatis illius eſt, *Sap.*7.*v.*26. *Qui & ait Matt.* 20.*v.*15. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? *Et Ioann.*10.*v.*11. Ego ſum paſtor bonus. *S. Greg. homil.*14. *in Euang.* Ecce, *inquit,* is, qui non ex accidenti dono, ſed eſſentialiter bonus eſt, dicit: Ego ſum paſtor bonus.

4. *Deus eſt immenſus & vbique præſens.* Cœlũ, *inquit Hier.*23.*v.*24. & terram ego impleo. Si, *ait Salomon* 3.*Reg.*8.*v.*27. cœli cœlorum capere te non poſſunt, quanto minus domus hæc? *Verum ſe omni loco præſto eſſe affirmat ipſe Dominus Matth.*18.*v.* 20. Vbi enim ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: *at in cælo & in terra, in omnibus prouinciis & locis aliqui ſunt congregati in nomine Chriſti. Qui Chriſtus Dominus Deus noſter: & Ioann.*3.*v.*13. *ait Nicodemo:* Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo. *Ergo adhuc in terra exiſtens, erat ſimul in cælo.*

5. *Eſt Deus æternus, Deut.*32.*v.*40. Viuo ego in ęternum. *Dan.*6.*v.*26. Ipſe eſt Deus viuens & æternus in ſæcula: *& Mich.*5.*v.*2. Egreſſus eius ab initio, & à diebus æternitatis, dicitur de Chriſto. *Et* in principio erat Verbum, *id eſt, ante omnia erat Dei Filius, Ioan.*1.*v.*1. *Ioan.*17.*v.*1. Et nunc clarifica me tu Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui, priuſquam mundus fieret apud te, *id eſt: Da Pater, vt claritas & gloria, quam ego vt Deus ab æterno tecum habeo, peracto iam redemptionis myſterio, & cum corpore communicetur, ea excellentia, quæ ſit digna Filio Dei. Et Apoſtolus Heb.*13.*v.*8. Ieſus Chri-

ſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula. *Id eſt, Chriſtus Ieſus ſemper fuit, ſemper eſt, & ſemper erit,* 1. *Ioann.* 5. *verſ.* 20. Simus in vero Filio eius: Hic eſt verus Deus, & vita æterna. *Si vita æterna eſt, igitur & ipſe ſempiternus.*

Deus eſt immutabilis, Malach. 3. *v.* 6. Ego Deus & non mutor. *Et Apoſtolus Hebr.* 1. *ver.* 12. *his Dauidicis verbis, Pſalm.* 101. *v.* 28. *Chriſtum Dei Filium alloquitur:* Tu autem Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis. Et tu idem es, & anni tui non deficient. *Animaduertit hoc & S. Athanaſius ſer.* 2. *contra Arianos.*

7. *Dei maieſtas, vt ſupremi* Domini, *ſummo & demiſſiſsimo cultu honoranda eſt, iuxta illud* Deut. 6. *v.* 13. *& Matthæi* 4. *v.* 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies: *at hæc præcellentiſſima Maieſtas ſummo cultu veneranda tribuitur Chriſto Domino, Hebr.* 1. *verſ.* 6. Adorent eum omnes Angeli Dei. *Et quidem Apoſtolus hanc ſententiam ex Pſal.* 95. *verſ.* 9. *mutuatus eſt, vbi manifeſtè agitur de adoratione latriæ, quæ ſoli* Deo *eſt propria: nam proximè anteceſſit:* Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.

8. *Adhæc Saluator habet templum, quod verè ſolius* Dei *eſt, Malachiæ* 3. *verſ.* 2. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quęritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.

9. *Præterea quis ſe poſtulantibus vniuerſa tributurum polliceri poteſt, niſi is, cui infinitæ ſint opes, inexhauſti theſauri? Et quis iſte, niſi ſolus* Deus? *At promiſſio Chriſti* Domini *in promptu eſt Ioann.* 14. *verſ.* 13. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Sic ergo, *ait Sanctus Auguſtinus tractatu* 73. *in Ioannem*, perrexit ad Patrem, vt non relinqueret indigétes, ſed exaudiret petentes. *Petere autem Chriſtum in no-*

in nomine ſuo, eſt illum rogare, vt ea, quæ poſtulamus ipſius merito, virtute, & fide percipiamus, & impetremus. Sanctus Cyrillus Alexandrin. lib. 9. in Ioannem: c.42. Liquido, *ait*, hic ſe Deum verum eſſe oſtẽdit, ſuſcepturum enim orationes ſuorum ſe dicit, omniaque eis conceſſurum, quæ petant.

10. *Denique ſicut Chriſtus Seruator noſter dicendo Luc. 23. v. 46.* Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Vtique Patrem Deum confitebatur, ita & S. Stephanus precando, Act. 7. v. 59.* Domine Ieſu accipe ſpiritum meum, illum etiam Deum ſuum agnoſcebat.

Conſidera hic ô anima mea, quod Saluator tuus vbique ſit, & diuinitate ſua vniuerſa compleat loca, quantam hæc illius præpotentis Numinis præſentia afferre tibi debet reuerentiam, vbi vbi fueris, ne quid committas, quod illi diſpliceat: mundi enim ſunt oculi eius, & reſpicere ad iniquitatem nõ poterit, *Haba. 1. v. 13. Quanto hæc eius præſentia tibi ſolatio eſt, ſi rectè egeris: coram enim cernit bona opera tua, & quia omnipotens eſt, valet, & quia optimus eſt, vult ea ſua feliciſſima æternitate remunerari.* Prouideas hunc Dominum Deum tuũ in conſpectu tuo ſemper, & à dextris erit tibi, ne cõmouearis, *Pſal. 15. v. 8. Si malè egeris, tunc ſine mora reſpice, & ad eum toto corde conuertere, quia omniſcium fallere non potes, nec omnipotentem effugere, nec optimum corrumpere, quin ille æternus æternis te mactet ſuppliciis. S. Cyp. tract. de lapſu:* Ad intelligentiam, *inquit*, delicti veſtri oculos cordis aperite, nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen iam veniam (*ſine pœnitentia*) vindicantes, Deus quantum Patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantũ iudicis maieſtate metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tã granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: Pœnitentia crimine minor non ſit.

Chriſte

Chriſte Deus noſter & Liberator, ac omnium etiam antequam fiant, cognitor, largire nobis gratiam tuam, vt in diuino conſpectu tuo ea puritate viuamus, & integritate, vt tuis promiſſa cultoribus præmia feliciter aſſequamur.

CAPVT XII.

EX ACTIONIBVS DEO PROpriis Chriſti demonſtratur diuinitas ex rerum creatione conſeruatione, Angelorum ac hominum ſaluatione & ſanctificatione.

ET *quidem certiſſimam nobis fidem facit ipſius Filij* Dei, *& ſummæ veritatis teſtificatio, Ioann.* 5. *v.* 19. Quęcunque Pater facit, ea ſimiliter Filius facit. *Vbi Saluator ſuam cum Patre æqualitatem ex operibus comprobat. Nam particula* (ſimiliter) *non imitationem, ſed æqualitatem, ſed naturæ, poteſtatis, voluntatis, actionumque vnitatem & conſenſum ſignificat. Quod nimirum Pater & Filius vna & indiuiſa, ac pari eſſentia, virtute, auctoritate cuncta efficiant. Ita tractat.* 20. *in Ioannem hanc explanans ſententiam B. Aug.* Non, *inquit,* facit Pater alia, & alia Filius ſimilia: ſed eadem ſimiliter. Non enim, ait, quæcunque facit Pater, facit & Filius alia ſimilia, ſed quæcunque, inquit, Pater facit, hæc eadem & Filius facit ſimiliter. Quæ ille, hæc & ipſe. Mundum Pater, mundum Filius, mundum Spiritus Sanctus, ſi tres Dij, tres mundi. Si vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus mundus factus eſt à Patre per Filium in Spiritu Sancto. *Et S. Gregor. Nazian. Orat.* 4. *de Theologia:* Quomodo, *ait,* illud accipiendum: quod

quod Patrem facientem videre dicitur, atque ita facere? An vt qui formas ac literas pingunt, eò quod veritatem aliter aſſequi nequeant, niſi exemplar ſuum intueantur, atq; inde velut manu ducantur? Qui verò quadrat, vt Sapientia magiſtro opus habeat?nihil ne efficiet niſi edocta? In hunc ergo ſenſum verba hæc accipio: Quæcunque Pater facit, eadem & Filius ſimiliter facit: non quod ſimilia ſint vtriuſque opera, ſed quod par ſit vtriuſque poteſtas atque authoritas. Atq; hoc fortaſſe eſſe queat, quod ait Chriſtus ibidem Ioann. 5. v. 17. Vſque modo Pater operatur, & ego operor. Quanquam etiam his verbis, quæ ab eo creata ſunt, gubernatio atque conſeruatio intelligi poteſt. *Recte ſic enim & explicat Sanctus Auguſt. tract. 17. in Ioannem*, quaſi diceret Saluator: Et Pater meus tunc operatus eſt, cum fecit mundum, & vſque modo operatur, cum regit mundum: ergo & per me fecit, cum fecit, & per me regit, cum regit. *Sed quænam ſunt propria diuinitati operationes, quæ & Chriſto Domino vt vero Deo conueniant?*

Prima eſt creatio: Quis hanc rerum vniuerſitatem architectatus eſt niſi Deus? Hoc certè opere vel maximè diſtingui vult Deus à falſis Diis, *Pſal.* 95. v. 4. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. *Hierem.* 10. v. 11. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra, & de ſub cœlo. *At Filius Dei mundi eſt opifex, Prou.* 8. *ver.* 29. Quādo appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens, *inquit diuina Sapientia ſubſiſtens, neque enim de eſſentiali intelligi poteſt, quia illa non gignitur, hæc autem dicit ibidem ver.* 23. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. v. 24. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.

eram.v.25. Ante omnes colles ego parturiebar. *Neque intelligi poteſt de creata ſapientia: quia hæc non fuit ante mundum, vt iſta de ſe verè fatetur* 1.*Cor.* 8. *v.* 6. Vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, *Hebr.* 1.*v.*2. Per quem fecit & ſæcula. *Altera diuina actio eſt rerum conſeruatio: Quis cœlum, terram & quæ iis comprehenduntur, tuetur ab interitu, ne in nihilum recidant, niſi præpotens Deus, qui illa ex nihilo produxit? nam* ſine illius voluntate nihil permanet, & ſine illius imperio nihil conſeruatur, *Sap.* 11.*v.*11. In ipſo n. viuimus, mouemur & ſumus, *Act.*17.*v.*28. Sed in Chriſto omnia conſtant, *Coll.* 1.*v.* 17. cuncta in eo conſiſtunt, qui & portat omnia verbo virtutis ſuæ, *Hebr.*1.*v.*3. *hoc eſt, cuncta ſuo imperio ſuſtentat, alioquin ruitura & peritura.*

Tertium Dei *ſolius opus eſt ſaluatio. Quis hominem, quis Angelum ſaluare poteſt niſi Deus?* Deus n. noſter Deus ſaluos faciendi, *Pſ.*67.*v.*21. *Hoſ.*13.*v.* 4. Ego ſum Dominus Deus & Saluator non eſt præter me. *Et quis magis Saluator quàm Chriſtus Dominus qui & à data ſalute nomen accepit? Matt.*1.*v.*21. Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Act.*4.*v.*11. Non eſt in aliquo alio ſalus. *Philip.*3. *v.*20. Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Quemadmodum & Iſa.c.*35.*v.*4. *prænunciarunt:* Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos.

Quartus diuinæ potentiæ actus eſt, intelligentis creaturæ ſanctificatio. Quis humanum angelicumve ſpiritum ſanctificat niſi Deus? *Leuit.*22.*v.*33. Ego Dominus qui ſanctifico vos. 1.*Theſſ.* 3. *v.*23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia. *Quo etiam pertinet illa Eccleſiæ precatio*: Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini preparatum. Verum, *vt ait S. Paulus Eph.*5.*v.*26. Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tra-

& tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctificaret. *Heb.* 10. *v.* 10. In qua (*Chriſti*) voluntate ſanctificati ſumus. *Et cap.* 13. *v.* 12. Vt Ieſus ſanctificaret per ſuũ ſanguinem populum extra caſtra paſſus eſt.

Chriſte Deus *conditor, moderator, & Liberator noſter, qui ſine te nõ ſolum non bene beateque eſſe, ſed nec omnino eſſe poſſumus, da, vt ex ſanctiſſimæ voluntatis tuæ præſcripto vitam noſtram inſtituamus. Qui es* Deus *ſuper omnia benedictus in ſæcula. Amen.*

CAPVT XIII.

PROBATVR CHRISTI DOMINI diuinitas ex cogitationum inſpectione.

Q*Vis intimos mentis receſſus penetrare & cogitata introſpicere poteſt niſi Deus?* 3. *Reg.* 8. *v.* 39. & 2. *Par.* 5. *v.* 30. Redde vnicuique ſecũdum vias ſu[illegible] quas noſti eum habere in cord[illegible] tu enim ſolus noſti corda filiorum hom[illegible]ſta *Salomon, cui vt filio ſuaſit & præcepit Dauid,* [illegible].28. *v.* 9. Tu autem Salomon fili mi ſcito Deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario: Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit, *Iob* 42. *v.* 2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. *Eccl.* 42. *v.* 20. Nõ prꝗterit illũ omnis cogitat⁹, & nõ abſcõdit ſe ab eo vllus ſermo.

Verũ Chriſti Domini oculis omnia nuda ſunt & aperta, *Heb.* 4. *v.* 13. etiã ocultiſsima animi cõſilia, *eſt igitur verus Deus, Matt.* 9. *v.* 4. Cũ vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordib. veſtris? *Expreſſius S. Mar.* 2. 8. Quo cognito ſtatim Ieſus ſpiritu ſuo, qa ſic cogitarẽt

intra

intra ſe dixit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? *S. Chryſoſt. hom. 30. in Matth. illa verba exponens:* Hic, *inquit*, ſignum Deitatis ſuę, & quod Patri æqualis eſſet, non paruum oſtendit. Illi enim murmurantes ſecum dicebant: Peccatorũ dimiſsionem eſſe ſolius Dei: Ipſe verò non ſolum peccata dimiſit, ſed occulta etiam cordiũ, quæ noſſe ſolius Dei eſt, manifeſtauit. *Luc. 6. v. 7.* Ipſe ſciebat cogitationes eorum.

Sanctus Ioannes ſimiliter, quod reconditos animi ſenſus intuitus fuerit, Seruator teſtatur cap. 2. v. 24. 25. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eò quod ipſe noſſet omnes, & quia ei opus non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine. *Illud explanans S. Auguſt. tract. 11. in Ioann.* Plus nouerat artifex, *inquit*, quid eſſet in opere ſuo, quam ipſum opus, quid eſſet in ſemetipſo. Creator hominis nouerat, quid eſſet in homine, quod ipſe creatus homo non nouerat. Nonne hoc probamus [illegible] Petro: quia non nouerat, quid in ipſo eſſet, quando dixit Ioannis 13. v. 37. Luc. 22. v. 33. Tecum ero vſque ad mortem? Audi, quia Dominus nouerat, quid eſſet in homine: Tu mecum vſque ad mortem? Amen amen dico tibi, priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Homo ergo neſciebat, quid eſſet in ſe, ſed creator hominis nouerat, quid eſſet in homine. *Et S. Ioannes Chryſoſt. hom. 23. in Ioann.* Ipſe Ieſus ſciebat, quid eſſet in homine, hoc eſt, non curabat exteriora verba, qui in ipſos animos ingreditur, qui in humanas cogitationes irrumpit, qui eorũ feruorẽ mox infrigeſcere ſciebat. Humanorum autem cordium cognitio ſolius Dei eſt, qui ea formauit. Chriſtus autem abſcondita cordium manifeſtè intuebatur. *Matth. 22. verſ. 18.* Cognita Ieſus nequi-

nequitia eorum, *&c. Ioan.* 13. *v.* 18. Ego ſcio, quos elegerim, *nimirum qualis quiſque ſit bonus an malus, beatus futurus vel damnandus.*

Eodem pertinet & S. Petri dictum ad Chriſtum, Ioann. 21. *v.* 17. Domine, tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te. *Et ipſemet Saluator, Apoc.* 2. *v.* 23. Ego ſum ſcrutans corda, & probans renes. Et ſcient omnes Eccleſiæ: quia ego ſum ſcrutãs renes & corda, & dabo vnicuique ſecundum opera ſua. *Quæ ſententia oſtendit ſe verum illum eſſe Deum, de quo Dauid Pſal.* 7. *v.* 10. Scrutans corda & renes Deus. *Et Hier.* 11. *v.* 20. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda. *Et cap.* 20. *v.* 13. Et tu Domine exercituum probator iuſti, qui vides renes & cor, *&c. Quo ſignificatur nihil ita eſſe intimum, vt Deum lateat, nihil ita arcanum & abſtruſum, vt non peruideat. Puderet nos ſæpe noſtra cogitata & ſenſa patere homini, neque coram Deo erubeſcimus.*

Ieſu Chriſte Domine noſter, qui es viuus ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis, in conſpectu tuo, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis tuis (*Heb.* 4. *v.* 12.) *da, vt te ſemper in oculis feramus, timeamus, & diligamus, nec te vllo vnquam ſcelere offendamus.*

* * *

Caput XIV.

Oſtenditur Salvatoris diuinitas ex futurorum prænotione & prædictione.

Quis futura certo prænoſcere & prænunciare poteſt niſi Deus, aut cui ea patefecit Deus? Iſai. 41. v. 23. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. *Qua ſententia refutantur Dij gentium, quod futura prædicere nequeant. Rectè Pindarus:* Ad futura cæcutiunt mentes humanæ. *Et Salomon Sapientiæ 9. verſu* 14. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. *Prouerbiorum* 16. v. 9. Cor hominis diſponit viã ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. *Homo proponit, Deus diſponit. Sæpe etiam contra hominis propoſitum: qui de euentu dubius & anceps eſt. At Chriſtus Dominus omnium præſcius admiranda minutim prænunciauit, quibus maximè ſuam diuinitatem patefecit. quod & indicat Ioann.* 13. v. 19. Amodo dixi vobis prius quam fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum, *id eſt, confeſtim, & citò nunc hæc vobis dico, vt cum impleta videritis, me eſſe verum Chriſtum, promiſſum, Deique Filium qui res omnes, antequam eueniant, perſpectas habeat, quod proprium diuinitatis eſt, & qualem me eſſe prædicaui vobis, credatis. 1. Suam prædixit paſſionem & reſurrectionem, Matth.* 20. v. 18. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabũt eum morte: & tradent illum gentibus ad illudendum & crucifigendum, & tertia die reſurget. *Eadem Mar.* 10. v. 35. *& Luc.* 18. v. 31. *Quæ & perſæpe inſinuauit Matthæi* 16. *verſu* 28. *cap.* 17. *verſu* 23. *&* 26.

& 26. verſu 2. Marci 8. verſu 31. 9. verſu 1. Lucæ 9. ver. 22. Ioannis 3. verſ. 15. 2. Prædixit negationem Petri diſtinctè, noueratque ſuam præmonitionem & prænunciationem euentum non impedituram, Marci 14. verſu 30. ait Petro Ieſus: Amen dico tibi: quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 3. *Præſignificauit proditionem Iudæ & fugam diſcipulorum, Matth. 26. ver. 31. Marci 14. v. 21. Luc. 22. ver. 32. Ioan. 16. verſ. 32. 4. Occurſum hominis amphoram aquæ baiulantis. Marc. 14. v. 13. Luc. 22. v. 10. 5. Staterem ex ore piſcis, qui primus occurſurus, Matt. 17. v. 27. 6. Euerſionem Iudæorum, Matth. 24. ver. 2. Luc. 19. verſ. 44. & 21. verſ. 6. Quæ omnia impleta eſſe conſtat experientia. Sileo hic alias prædictiones, de Apoſtolorum prædicatione, & miraculis, de perſecutionibus illorum de Petri crucifixione & Ioannis permanſione, de gentium conuerſione, de Euangelij in toto orbe promulgatione, de Eccleſiæ in finem mundi duratione, & id genus alia.*

Neque ſolum vt Deus propria virtute nouit hæc omnia, ſed & ipſe Prophetas docuit ea, quæ prædicturi erāt de ſe omnia, quemadmodum teſtatur S. Petrus 1. epiſt. c. 1. v. 11. De qua ſalute, *inquit*, ſcrutati ſunt, & exquiſierunt Prophetæ ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſsiones & poſteriores glorias. *Siue hic Spiritus Chriſti ipſius adoranda diuinitas, ſiue Spiritus S. ab ipſo procedens, ſiue Angelus ab ipſo miſſus intelligatur, ſemper hinc Chriſti demōſtratur diuinitas, vt probant S. Cyril. Alex. l. de fide ad Reginas, & Idacius contra Varimundum, vt qui ante ſuam Incarnationē tam clarè quæ acturus, perpeſſurus, & quē vt homo eſſet adepturus honorē, prædixerit. Affirmat & S. Iren. li. 4. c. 15. omnes Prophetas, qui reuelationē aduentus Chriſti habuerunt, ab ipſomet Verbo venturo in carnem accepiſſe.*

Ergo ab ipſo Chriſto edocti ſacri Vates prænunciarũt, 1. Deum in humana natura & ſpecie cum hominibus victurum, vt Baruch c.3.v.36. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrahel dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Naſciturum ex Virgine, Iſai.7.v.17.* Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, *quo nomine inſinuatur illum fore Deum & hominem: quia Emmanuel idem eſt quod Nobiſcum Deus. 3. Naſciturum in Bethlehem, Mich.5.v.2.* Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principib. Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrahel, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. 4. *Tẽpus aduentus ipſius deſignauit Iacob Geneſ.49.verſ. 10.* Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. 5. *Habiturum præcurſorem, qui populi animos ad illum excipiendum præparet, prædixit Malachias capite 3. verſu 36.* Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. *Quem de ſuo præcurſore Ioanne interpretatur Dominus Matthæi 11.v. 10. Lucæ 7. verſu 27. Rurſus Iſaiæ 40. verſu 3.* Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. *De quo loco, Matthæi tertio verſu 3. Lucæ tertio verſu quarto, Ioannis primo verſu 24.*

Prædicationem Domini vaticinatus eſt Iſaias capite 61. verſu 1. Spiritus Domini, *inquit in perſona Chriſti, vt teſtatur Dominus Lucæ 4. ver. 18.* ſuper me, eò quod vnxerit Dominus me ad annunciandum manſue-

manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiã, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro: vt conſolarer omnes lugentes, &c. *Miracula eius prædixit idem Sanctus Iſaias cap.* 35. *verſ.* 5. Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum, *&c. Quem locum de ſe interpretatur Dominus Matth.* 11. *ver.* 4. Ite, *inquit*, & renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.

8. *Ingreſſum Domini in Ieruſalem prædixit Zacharias capite* 9. *verſu* 9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. *Quod vaticinium impletum fuit Matthæi* 21. *verſu* 5. 9. *Proditionem Iudæ diſcipuli præmonſtrauit* Dauid *Pſalm.* 40. *verſ.* 10. Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplanationem. *Quemadmodum hoc de proditore ſuo ipſe Dominus interpretatus eſt Ioannis* 13. *verſ.* 18. 10. *Triginta argenteis vendendum diſertis ante verbis dixit Zacharias capite* 11. *verſ.* 12. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, & dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium. *Hic apertè prædicitur, Dominum triginta argenteis appretiandum, & illos triginta argenteos abiiciendos in templum, & agrum figuli ſeu ſtatuarij ex illis coëmendum. Quæ omnia impleta eſſe*

planum eſt, Matt. 27. v. 8. 11. Diſcipulorum fugam prænunciat idem Vates Zachar. 13. v. 7. Percutiam paſtorem & diſpergentur oues, *quemadmodum exponit* Dominus *Matt. 26. v. 31. 12.*

Paſsionem Chriſti Domini nō tam deſcripſere futuram, quam præteritam ſuis monumentis mandarunt flores illi Prophetarum, Dauid Pſalm. 21. & Iſaias c. 53. Ex his aliquot tantum ſententias delibemus. Pſalm. 21. Sunt iſtæ 1. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 2. Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. 3. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput. 4. Circumdederunt me canes multi, tauri pingues obſederunt me. 5. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa. 6. Ipſi verò conſiderauerūt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *Quid luculentius? Nunc ex Iſaia aliquas promamus ſententias ex c. 53.* 1. Non eſt ſpecies ei neque decor. 2. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. 3. Et nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. 4. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. 5. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viā ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatē omniū noſtrū. 6. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. 7. De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt, generationem eius quis enarrabit? 8. Propter ſcelus populi mei percuſsi eum. Iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius. 9. Iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, &

iniquitates eorum ipſe portabit. 10. Tradidit in mortem animam ſuam,& cum ſceleratis reputatus eſt. 11. Et ipſe peccata multorũ tulit,& pro tranſgreſſorib. rogauit. *Audiuiſtine pie Lector, Prophetam vaticinantem, an potius Euangeliſtam Dominicæ hiſtoriam paſſionis texentem? Quam euidenter hic prænunciata ſunt,& flagella & vulnera,& acerbiſſimi cruciatus, & crucifixio, & inter latrones ſuſpenſio, & ſuis pro perſecutoribus & interſectoribus precatio, & Iudæorum irriſio & blaſphemia, & veſtium ipſius ſortitio & diuiſio,& ipſa interneceio.*

De fellis & aceti potatione Pſal.68.v.22. Dederũt in eſcam meam fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto. *De oſſibus illius non confringendis, Exodi 12. v. 46.& Num. 9. verſ. 00.* Os illius non confringetis. *De lateris perforatione Zachar. 12.ver.10.* Adſpicient ad me, quem confixerunt. *Quem vtrunque locum expoſuit S. Ioannes c.19.v.36.37.38.*

12. *Reſurrectio Domini prædicitur Pſal.15.v.11.* Nõ derelinques animam meã in inferno, nec dabis Sanctũ tuũ videre corruptionẽ. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo delectationes in dextera tua, vſq; in finem. *Quemadmodum optimus illius interpres eſt S. Petrus. Act.2.v.27. Sed & à triduana morte ipſius Chriſti futuram reſurrectionẽ vaticinatus eſt Hoſeas c.6.v.3.* Viuificabit nos poſt duos dies,& in die tertia ſuſcitabit nos,& viuemus in conſpectu eius. *Cuius rei typus & exemplar(iuxta Domini interpretationẽ Mat. 12.v.39(fuit Ionas, qui fuit tribus diebus in ventre ceti, delituit, & tunc ex eo viuus egreſſus eſt.*

13. *Aſcenſio Domini prædicta eſt Pſ.23.v.7.* Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portę ęternales,& introibit Rex gloriæ. *Et Pſ.67. v.19.* Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus, *vt huius loci interpres eſt*

Sanctus Apoſtolus Epheſ. 4. verſ. 8. Mich. 2. verſ. 13. Aſcendet iter pandens ante eos.

14. *Sancti Spiritus miſsio prænunciata eſt Ioelis 2. verſu* 28. Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, *&c. Quæ Prophetia impleta eſt Actuum 2. verſu* 17. *Beato Petro interprete.* 15. *Excidium Iudæorum ob Christi necem prædixit Dauid Pſalm. 68. verſu* 25. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit, qui inhabitet: quoniam quem tu percuſsiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. *Tempus etiam huius excidij præmonſtrauit Daniel. cap. 9. verſ. 16. de quo præclarus noſtræ Societatis Theologus Leonardus Leſsius in nobili Opuſculo ſuo de prouidentia Numinis, capite ſiue ratione* 10.

16. *De gentium ad fidem & religionem Chriſti conuerſione prædictum fuit Geneſ. 18. v. 18. 22. v. 18.* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Pſalm. 21. verſu* 28. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in cōſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. *Iſaiæ* 49. *ver.* 6. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcipiendas tribus Iacob, & feces Iſrahel cōuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, *vt exponunt Apoſtoli Paulus & Barnabas, Actuum 13. verſ. 47. Et iterum Iſaiæ 66. verſu* 19. Mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad gentes in Africam & Lydiam, in Italiam, & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam gentib. & de cunctis gentibus adducent donum Deo. *Videatur & Apoſtolus Rom. 15. v. 8. ad 13.*

Hæc

Hæc ergo omnia tam claræ tam perſpicuè & diſtinctè filij Dei afflatu & inſtinctu, vt affirmat S. Petrus Prophetæ prædixerunt, verus ergo ille Deus.

Huc pertinent & illa Sibyllarum vaticinia, vbi & de eius diuinitate clariſſima ſunt teſtimonia quæ commemorat S. Aug. l. 18. de Ciuit. Dei ca. 23. præſertim ex Lactantio. quarum vna initialibus ſuorum carminum literis hanc reddidit ſententiam : Ieſus Chriſtus filius Dei Saluator: *inter quæ carmina & iſta ſunt*

E cœlo Rex aduenict per ſæcla futurus,
Scilicet in carnem præſens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Occultos actus retigens, tunc quiſque loquetur
Secreta atque Deus reſerabit pectora luci,
Vnus & æternus Deus, hic Seruator & idem
Chriſtus pro nobis paſſus ; quem Carmina ſignant.

Pergit autem S. Aug. & ait quæ ſingillatim Lactantius poſuit Sibyllarum vaticinia ego arbitratus ſum coniunctim eſſe ponenda. Sunt autem hæc. In manus iniquas infidelium poſtea veniet. Et dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & impurato ore expuent venenatos ſputus. Dabit vero ad verbera ſimpliciter ſanctum dorſum. Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum, vel vnde venit vt inferis loquatur, & corona ſpinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam. Ipſa enim inſipiens gens tuum Deum non intellexiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed & ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti. Templi vero velum ſcindetur & medio die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis. Et morte morietur tribus diebus ſomnio ſuſce-

pto. Et tunc ab inferis regreſſus ad lucem ſ̨uam veniet, primus reſurrectionis principio reuocatis oſtenſo. *Domini paſſionem non tam futuram prædixerunt quam factam conſcripſerunt David Pſal.* 21. *Et Iſaias c.*53, *ſed Sybillis, ſi fas eſt dicere, non luculentius. Neque mirum nam vt auctor eſt peruetus ille Clemens Alexand. l. 6. Stromaton ſicut Deus Iudæos ſaluos eſſe voluit per Prophetas, ita gratos per Sybillas, quarum proinde & lectionem ſuadebat Apoſtolus Paulus.*

O Chriſte ſapientia & virtus Dei attingens à fine vſque in finem fortiter & cuncta perſpiciens ſolerter, cui nihil eſt præteritum nec futurum, ſed omnia in æternitate præſentia da vt præterita peccata noſtra videamus & defleamus & futura ſupplicia metuamus & caueamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XV.

EX MIRACVLORVM MAGNITUDINE Liberatoris diuinitas aſtruitur.

QVis ſua propria virtute miraculorum opifex niſi verus Deus, quemadmodum ſæpius indicat regius vates, vt Pſal. 71. *verſ.* 18. Benedictus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus. *Pſal.* 85. *v.* 10. Magnus es tu & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus *Pſal.* 135. *verſ.* 4. Qui facit mirabilia magna ſolus. *At quam multa, quam præclara, quam inuſitata miracula patrauit cum hominibus degens* Dominus? 1. *Leproſos mundauit Matth.* 8. *verſ.* 3. *& cap.* 11. *verſ.* 5. 2. *Paralyticos erexit Matth.* 4. *verſ.* 24. *cap.* 8. *verſ.* 6. *cap.* 9. *verſ.* 2. 3. *dæmoniacos liberauit Matth.* 8. *verſ.* 30. *& cap.* 4. *v.* 24. *cap.* 8. *verſ.* 16. *&* 28. *cap.* 9. *verſ.* 32. *cap.* 15. *verſ.* 22. *cap.* 17 *verſ.* 11. *Mar.* 1. *v.* 34. *Lucæ* 4. *v.* 34. *Omne morborum & lan-*

languorum genus diſpulit, 4. cæcis viſum Matth. 9. verſ. 27. cap. 12. v. 22. c. 20. v. 30. c. 21. v. 14. Lucæ 7. v. 21. Ioan. 9. v. 1. 5. Surdis auditum Marci 7. v. 32. & 37. 6. Mutis ſermonẽ Matth. 9. v. 32. c. 12. v. 22. c. 15. v. 30. 7. Claudis greſſum Matth. 15. v. 30. c. 21. & 14. 8. Mortuis vitam reſtituit Matth. 9. v. 24. c. 11. v. 5. Lucæ 7. v. 15. Ioan. 11. v. 44. 9. Imperauit ventis, compeſcuit tempeſtates Matth. 8. v. 26. 10. Ambulauit ſuper vndas maris Matt. 14. v. 26. 11. Multa hominum millia pauit modico cibo in millecuplum repente multiplicato Marci 8. v. 8. Ioan. 6. v. 12. De his generatim Matth. 4. v. 24. & cap. 11. v. 5. & c. 14. v. 36. c. 15. v. 30. & alibi. Et fecit hæc non clam ſed palam non in abdito ſed in publico ita vt per totam Iudææ regionem eſſent notiſſima & teſtatiſſima, vt nec æmuli ea poſſint inficiari quorum vox fuit Ioan. 11. verſ. 47. Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit.

Cogitabit quiſpiam & alios ſanctos feciſſe miracula, vt Moyſen, Heliam, Eliſæum, Petrum, Paulum, Gregoriũ Taumaturgum, Martinum Turonicum Epiſcopũ, & alios. Ita profecto eſt, ſed maximo diſcrimine. Nã hi ſancti Prophetæ, Apoſtoli, vel quicunq; alij miracula patrarunt per inuocationem Dei & auxilium ipſius, non poteſtate ſua. Hinc de Helia legimus 3. Reg. 17. v. 21. Expandit ſe ſuper puerum (*mortuum*) tribus vicibus & clamauit ad Dñm & ait: Dñe Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. Et exaudiuit Dñs vocẽ Helię & reuerſa eſt anima pueri intra eum & ręuixit. *Et 4. Reg. c. 4. v. 33. de Eliſæo legimus puerum ſcilicet ſuſcitaturo:* Ingreſſus clauſit oſtiũ ſuper ſe & ſuper puerũ, & orauit ad Dñm. *S. Petrus cũ ex matris vtero claudum ſanaſſet Act. 3. v. 12. reſpondit ad populũ:* Viri Iſraelitæ qd miramini in hoc, aut nos qd intuemini, quaſi noſtra virtute aut põtate fecerimus hũc ambulare. Deus Patrũ noſtrorũ glorificauit filiũ ſuum Ieſum, & in fide nominis eius dedit integram huic ſanitatem. *Et*

c.9.v.34. ab octo annis paralytico ait Petrus: Anea, ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus ſurge & ſterne tibi & confeſtim ſurrexit. *Et ibidem v.40. excitaturus idem B.Petrus à morte Thabitam* ponens genua orauit.

At Chriſtus Dominus propria virtute & auctoritate faciebat miracula, quod multis & euidentibus conſtat argumentis, nam primo ipſe teſtatus eſt, ſe ſimiliter ac Patrem ea opera patrare Ioan. 5. v. 19. Quæcunque, ait, Pater facit, ea ſimiliter & filius facit. Et ibidē v.21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ſic & filius, quos vult, viuificat. 2. *quia non ſolum leui attactu, ſed ſolo imperio & arbitratu ſuo iſta faciebat Marci* 4.v.39. Exurgens comminatus eſt vento & dixit mari. Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus & facta eſt tranquillitas magna. *Marci 9.v.25.* Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum diſcerpens eum exijt ab eo. Marci 5. v.41. Puella tibi dico, ſurge, & confeſtim ſurrexit puella Lucæ 7.v.15. Adoleſcens tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus. Ioan.11.verſ.43. Voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus. 3. *Sola voluntate etiam abſentes curabat vt Centurionis puerū Matt. 8. & Reguli filium Ioan.* 4. 4. *Vt totius naturæ Dominus aliis etiam miracula edendi poteſtatem impertiuit. Matth.10.verſ.1. Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Et Marci 16.v.17. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequuntur.* In nomine meo (*ad inuocationem nominis mei, mea virtute & ope*) dœmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt.

bebunt. *Videat Lector in hunc locum Ioannem Maldonatum noſtrum Theologum vndiquaque doctiſſimum.*

Hoc argumento ex miraculis ſumpto tanquam firmiſſimo vſus eſt ipſe Saluator Ioan.15.v.24. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. *Hoc eſt, ſuæ perfidiæ & infidelitatis ac perſecutionis excuſationem & prætextum aliquem Iudæi habere potuiſſent, ſi non & in eorum conſpectu, & erga eos ſiue in illorum beneficium & commodum ea diuina perfeciſſem opera, quæ me & Meſſiam & Dei filium eſſe clariſſimè teſtabantur, & qualia nemo alius vnquam patrauit neque Moſes neque Propheta, & multitudine & magnitudine.*

De multitudine miraculorum Chriſti Mar. 1. v.32. Afferebant ad eum omnes malè habẽtes, & dæmonia habentes, & erat ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus & dœmonia multa eijciebat. *Et Marci 6.v.56.* Quocunque loco introibat in vicos, vel in villas, vel in ciuitates in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur, vt vel fimbriã veſtimenti eius tangerent, & quotquot tangebãt eum ſalui fiebant. *Hæc profectò nemo alius fecit.*

Et vt de horum miraculorum magnitudine aliquid dicamus, quis Moyſes, quis Propheta quatuor diebus extinctum ſuſcitauit vt Chriſtus Deus noſter quatriduo demortuum Lazarum ab inferis reuocauit? Ioan. 11. quis cæco nato viſum dedit vt Saluator Ioan.9. Quis tam varia, & multiplicia edidit miracula atque Saluator noſter? Propheta, hic vnum ille aliud facere miraculum, nemo ſimul tot ac tanta, & faciebat hæc in huius confirmationem veritatis: quod ipſe eſſet Meſſias, & verus Dei ac naturalis filius, quod ipſe perſæpè & diſertè affirmauit, vt Iudæi intelligerent quid per miracula probaret.

Digitized by Google

ret. Matth. 9. v. 2. cum dixiſſet Paralytico. Confide fili remittũtur tibi peccata tua *& illi cogitaſſent.* Quis põt dimittere peccata niſi ſolus Deus? *ſubiunxit* vt ſciatis qa filius hominis in terra habet põtatẽ dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge, *id eſt, vt cognoſcatis me habere hanc poteſtatem peccata donandi, quæ ſolius Dei eſt, ac proinde eſſe verum Deum, id euidenti miraculo coram veſtris oculis confirmo. Matth. 9. 11. Cum Ioannes Baptiſta diſcipulos ad Chriſtum deſtinaſſet, vt veritatem: an ipſe eſſet Meßias promiſſus eius ex ore diſcerent, reſponſum illud à Chriſto Domino acceperit:* Ite & renunciate Ioanni quę audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur &c. *quaſi diceret: Facta probant, quis ſim: nimirum Chriſtus ab Iſaia c. 35. v. 5. prænunciatus. Ioan. 14. v. 11.* Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite. *Si mihi ſimpliciter affirmanti fidem non tribuitis, fidem ſaltem propter miracula adiungite Ioan. 10. v. 25.* Opera quæ ego facio in nomine Patris mei (*virtute diuinitatis*) hæc teſtimonium perhibent de me (*quod ſim verus Chriſtus filius Dei*) *Et rurſum verſ. 38.* Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt & ego in Patre. *Si ſermo meus minus vobis perſuadeat, perſuadeant ſtupẽda opera, quod vnius naturæ & eſſentiæ ſim cum Patre, ratione cuius ego in Patre & Pater in me eſt.*

Domine Ieſu Chriſte inuſitata quidem plurima & maxima, quæ propria patraſti auctoritate miracula, te verum Deum teſtantur, da tamẽ, vt non tam propter ea quam quia tu ſumma veritas es, quæ nec potes falli, nec vis fallere tibi ſimpliciter credamus.

CAP.

C A P V T XVI.

EX DIVINAE ESSENTIAE COMprehenſione, ex prædeſtinatione, ex peccatorum condonatione, ex perpetuæ beatitatis largitione Aſſertoris noſtri Chriſti Domini affirmatur diuinitas.

C*Vius cognitio diuinæ eſſentiæ exæquatur niſi ſolius Dei, ita nimirum vt illam perfectiſſimè cognoſcat, & penitus comprehendat? Rom.* 11. *v.* 34. Quis cognouit ſenſum Domini. 1. *Cor.* 2. *v.* 16. Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei qui in ipſo eſt. *Atque Chriſtus hanc ſibi cognitionem iure vendicat Matth.* 11. *v.* 27. Nemo nouit Patrem niſi Filius. *Ioan.* 10. *v.* 15. Sicut me nouit Pater & ego agnoſco Patrem. *Pater cognoſcendo totam ſuam cum Filio communicat ſubſtantiam & vitã & filius quod accepit à Patre recognoſcit & redamat illum.*

Quis homines & angelos ad ſempiternam elegit vitam? Deus. Epheſ. 1. *verſ.* 4. Elegit nos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti &c. *Sed eſt & illud opus Chriſti qui ait Ioan.* 13. *v.* 17. Ego ſcio quos elegerim. Quos, *inquit* S. Auguſt. tract. 59. in Ioannem, niſi eos qui beati erunt, faciendo quæ præcepit, ac facienda monſtrauit, qui efficere beatos poteſt?

Quis peccata cõdonat homini eumque iuſtificat? Reſpondit Apoſtolus Rom. 8. *v.* 33. Deus eſt qui iuſtificat. *Qui & ait Iſa.* 43. *v.* 25. Ego ſum, ego ſum ipſe q deleo iniquitates tuas propter me. *At hoc eſt & opus Chriſti*

Chriſti Iſa. 53.*v.*22. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit *Lucæ* 5.*v.*24. Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata *Ioann.* 1. *verſ.* 29. Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccatum mundi. *Hebr.* 1. *verſ.* 3. Purgationem peccatorum faciens.

Propria Deo actio eſt mortuorum ad vitam reuocatio. Quod vt Deus facit ita & Chriſtus quia Deus Ioan. 5.*v.*21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. *Ioan.* 11.*v.*25. Ego ſum reſurrectio & vita, *id eſt, ego ſum reſurrectionis & vitæ effector & auctor.*

Præcipua & ſingularis Dei actio eſt ſempiternam tribuere felicitatem iuxta illud Pſal. 83.*v.*12. Gratiam & gloriam dabit Dominus. at Ioan. 10. v. 27. ait Dominus: Oues meæ vocem meam audiunt & ego cognoſcô eas & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. *Quibus verbis Dominus oſtendit quomodo oues ipſius & electi ſe habeant nimirum quod ei fidem præſtent, & obedientiam. Ipſe vero eos noſcat non modo mente ſed & pro affectu quomodo dicitur Amos* 3.*v.*2. Tantũmodo vos cognoui ex omnibus cognationib. terræ. *Deinde ita cuſtodiat vt neque perfidus Iudæus, neque impius tyrannus, neque ſceleratiſſimus dæmon, neque nequiſſimus mundus eos à ſe auertere poſſit. Adhæc quod ab æterno interitu & cruciatu liberet, ac poſtremo ſempiternam iis largiatur felicitatem. Et Apoſtolus* 2. *Tim.* 4.*v.* 8. In reliquo repoſita mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: Non ſolum autem mihi ſed & ijs qui diligunt aduentum eius.

Eſt ergo vocaturq; Deus Chriſtus Dominus Deus, vt notauit S. Hilarius l. 7. *de Trinit.* 1. *nomine quia ſimpliciter*

citer & abſolute appellatur Deus *Ioan*.1.*v*.1.Deus erat verbum 2.*natiuitate: quia nuncupatur Deus non adoptione ſed per generationem vnicus filius Dei à Patre genitus* 3.*natura Ioan*.10.*v*.30. Ego & Pater vnum ſumus 4.*poteſtate*, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra *Matt*.28.*v*.18.5.*profeßione Ioan*.5.*v*. 18.Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo, *quam veriſſimam profeßionem & miraculis confirmauit, & morte obſignauit, & reſurrectione demonſtrauit*. Teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis *Pſal*.92.*v*.5. *Vt ſuo ſcelere pereat, qui ei fidem obedientiamque non habuerit*.

Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui propter temetipſum condona nobis peccata noſtra, quibus te ſæpe offendimus, & eas largire virtutes, quibus tibi placeamus, & in tua gratia & caritate perſeueremus, & in cœleſti regno te vna cum omnibus electis perpetuo laudemus.

CAPVT XVII.

QVA RATIONE NOBIS CHRIſtus Dominus vt Deus noſter colendus.

Vm ſupremam hactenus, hoc eſt diuinam in Chriſto maieſtatem cognouerimus, æquiſſimũ eſt vt illum demiſiſſimo cultu, & omni quo poſſumus honore, vt Deũ noſtrum proſequamur & ſupplice mente pariter & corpore adoremus. Vt quemadmodum ipſe ait Ioannis 5.*verſ*.23. Omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem. *Vbi vt benè notauit S. Athan*.l. de communi eſſentia diuinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, non permiſit Chriſtus diuidere honorem ſibi debitum ab honore,

qui debetur Patri. *Et rectè, neque enim ſolum par, ſed vna etiam eademque eſt ipſius & Patris maieſtas amplitudo, gloria quemadmodum & ipſe teſtatur Matth. 16. v. 27.* Filius hominis venturus eſt in gloria Patris. *Et Matth. 25. v. 30.* Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua. *Quam dixit gloriam Patris, affirmat ſuam eſſe maieſtatem. Sed quis Chriſto Domino diuinus cultus eſt tribuendus?*

1. *Vt tanquam primæ ac ſummæ veritati illi firmiſſima fides adiungatur Hebr. 11. verſ. 6.* Accedentem ad Deum oportet credere. *Quapropter & hoc fidei munus vt Deus à nobis Saluator poſtulat Ioan. 14. v. 1.* Creditis in Deum, & in me credite. *Nec ſine maximo noſtræ ſalutis commodo à nobis poſtulat Ioan. 3. v. 16.* Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum ſuum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Et quia ſine ſanctitate & iuſtitia non peruenitur ad vitam æternam, hanc & ſibi pio animo credenti impertit.* Iuſtitia Dei, *ait* Apoſtolus Romanorum 3. verſ. 22. per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. *S. Auguſt. l. de Spiritu & litera cap. 11.* Iuſtitia, *inquit*, Dei per fidem IESV CHRISTI, hoc eſt per fidem qua creditur in IESVM CHRISTVM. Sicut autem fides Chriſti iſta dicta eſt, non qua credit Chriſtus, ſic & illa iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus. Vtrumque enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod eius nobis largitate donatur. Et quod eſt initium verius Chriſtiano, quam credere in Chriſtum? *ait idem S. Auguſt. l. de bono perſeuerantiæ. cap. 11. Neque hæc fides vt iuſtitiam afferat ſpei & caritatis expers eſſe poteſt: quia* in Chriſto Ieſu non valet fides, niſi quæ per caritatem operatur. *Galat. 5. verſ. 6.*

Elegan-

Eleganter & iucundè B. Auguſt. lib. 50. Homil. h. 17. Audi, *inquit*, Apoſtolum ipſum fidei diſputatorem, & gratiæ magnum defenſorem: audi dicentem: Epheſ. 6. verſ. 23. Pax fratribus & caritas cum fide magna A fine cœpit ad initium terminauit. Nos dicamus Fides, caritas, pax: crede, ama, regna.

2. *Chriſtus Dominus vt verus Deus ſpe & fiducia colendus, vt in ipſo tanquam in vltimo fine ac felicitate noſtra ac felicitatis largitore ſpes noſtras omnes altiſſimè defigamus.* Habe fiduciam in Domino, *ait Salomon Prouerb.* 3. v. 5. ex toto corde tuo. Maledictus homo qui confidit in homine. Et benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, *vt eſt Ierem.* 17. *verſ.* 7. *At de Chriſto Domino loquens Iſaias cap.* 11. *v.* 10. *& cum explanans Apoſtolus Rom.* 15. *v.* 12. Erit, *inquit*, radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt. *Nec fruſtra* Beati omnes qui confidunt in eo, *id eſt in Chriſto* Dei *filio, vt & in ſuis Controuerſiis l.* 1. *de Chriſto cap.* 5. *atque in ſuo in Pſal.* 2. *Commentario demonſtrat noſter Robertus Bellarminus eruditione & virtute præclarior, quam purpura. Quocirca & Apoſtolus* 1. *Tim.* 1. *verſ.* 1. Ieſum Chriſtum vocat ſpem noſtram. *Ipſe enim omnibus modis eſt ſpes noſtra. Ille in nobis ſpem efficit, ille materia obiectum & finis ſpei noſtræ. Neque hæc ſpes confundit, aut nos noſtra fruſtratur exſpectatione: quia* Chriſtus pro nobis mortuus eſt Rom. 5. verſ. 6. *Hanc ſpem excitat animi puritas.* Ipſa caritas benè operantis dat ei ſpem bonæ conſcientiæ ait S. Aug. præfatione in Pſal. 31. ſpem enim gerit bona conſcientia. Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe.

3. Honorandus nobis Chriſtus Seruator vt ſumma & infinita bonitas, toto, quo valemus amoris conatu & impetu, vt eius dilectioni nihil anteponatur, nihil exæquetur. Id enim vni Deo conuenit, & ſeuerè ab eo præcipitur Deut. 6. v. 5. Matth. 22. verſ. 36. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Atque hac ratione nobis diligendus Chriſtus Dominus: Vnde & S. Cypr.* de exhortatione martyrum c. 6. Redempti & viuificati Chriſti ſanguine, nihil Chriſto præponere debemus, *niſi alieni ab eo, & hoſtes eſſe velimus Matth. 10. v. 37.* Qui amat Patrem aut matrem plus quam me non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenerit animam ſuam: perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. *In quæ verba S. Chryſoſt. hom. 36. in Matthæum.* Vidiſti, *inquit*, præcipuam docentis auctoritatem, intellexiſti quo modo Dei Patris filium ſe eſſe oſtendit, quum iubet omnibus rebus caritatem ſuam anteponere? Sed quid de amicis atque cognatis diſputo, quum etiam ſi animam tuam meæ caritati antepoſueris, procul à diſcipulorum meorum numero, ait, te ſeparaueris.

4. *Colendus Chriſtus Dominus eius iuſſis & mandatis vt legitimi Monarchæ, & iuſtiſſimè imperantis ſedulo morem gerendo, & alacriter obtemperando qui & obedientiam noſtram ſempiterna mercede remunerabit. Hæc obedientia ſibi debita & homini ſalutifera ferè frequentius nihil in S. Scriptura exigit Deus.* Cuſtodite leges meas atque iudicia & facite ea. *Leuit. 20. verſ. 23. Sic ergo parendum Chriſto præcipiente Deo Patre Matth. 17. v. 5.* Hic eſt filius meus dile-

ctus

ctus in quo mihi benè complacui, ipſum audite. *Ipſi vt veſtro legiſlatori & principi obtemperate*: *Neque enim alius quam* ſibi obedientibus factus eſt cauſſa ſalutis æternæ *Hebr.* 5. *v.* 9. *Quapropter & ſua doctrinæ & legis auditores, non ſectatores cum deliris componit ac fatuis, vt qui non intelligant quid ſit ipſis ſalutare ac neceſſarium Matth.* 7. *verſ.* 26. Omnis, *inquit*, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum meam ſuper arenam &c.

5. *Metuendus eſt nobis Chriſtus, vt vitæ necisq; ſalutis ac perditionis Dominus: hoc enim Deo conuenit Deut.* 13. *verſ.* 4. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis *Ioſuæ* 24. *v.* 24. Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei corde perfecto atque veriſſimo *Pſal.* 32. *v.* 8. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. *Hinc de Chriſto Domino ſermonem habens David Pſal.* 2. *verſ.* 12. Apprehendite, *inquit*, diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta. *Et Apoſtolus* 1. *Cor.* 10. *verſ.* 9. Neque, *inquit*, tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt & à ſerpentibus perierunt. S. Aug. l. 1. contra aduerſarium legis c. 16. & 17. *iuſti huius timoris cauſſas exponit dicens.* Salubriter non ſolum bonitatem verumetiam ſeueritatem Dei ſancta ſcriptura commendat: quoniam amatur Deus vtiliter & timetur. Dominus Ieſus vbi dixit *Luc.* 19. *verſ.* 27. Eos qui noluerunt me regnare ſibi, adducite & interficite coram me, profecto quia mortem ſignificat animarum, magis eſt vtique illa fidelibus horrenda & metuenda quam corporum. Vnde idem Dominus

dicit Matth. 10. verſ. 26. Lucæ 12. verſ. 5. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius eum timete qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Et cap. 17. Non ille qui propter lucrorum auaritiam etiam eum ſeruum qui non perdidit talentum, quod acceperat, ſed tantum qui non amplius acquiſiuit, ligatis manibus & pedibus proijci iuſsit in tenebras exteriores, vbi eſſet ei fletus & ſtridor dentium Matth. 25. verſ. 30. Lucæ 19. verſ. 26. Et qui hominem non habentem veſtem nuptialem de conuiuio ſuo tollit, & ſimiliter alligatum ſimili ſupplicio punit Matth. 22. verſ. 13. Et qui venientibus ad ſe & pulſantibus & dicentibus Domine aperi nobis, reſpondet: Non vos noui: tantum quia oleum ſecum, quod infunderent ſuis lampadibus non tulerunt Matth. 25. verſ. 12. Et qui propter vnum contumelioſum verbum mittit in gehennam Matth. 5. v. 24. Et qui pro temporali cibo non accepto igne damnat æterno Matth. 25. verſ. 44. *Ecce cur & quomodo timendus Chriſtus Dei filius.*

6. *Honorandus etiam nobis Chriſtus vt in eo ſolo tanquam Deo noſtro gloriemur Hier. 9. verſ. 24. 1. Cor. 1. verſ. 31.* Qui gloriatur in Domino glorietur. Abſit mihi gloriari *ait* S. Paulus Gal. 6. verſ. 14. niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti Philip. 3. verſ. 3. Nos ſumus circumciſio qui Spiritu ſeruimus Deo & gloriamur in Chriſto Ieſu, non in carne fiduciam habentes. *Quomodo in Chriſto ſponſo ſuo mirabiliter gloriabatur S. Agnes apud B. Ambroſ. ſerm. 90.*

7. *Chriſto Domino tanquam bonorum inexhauſto fonti & beneficiorum cunctorum benigniſſimo largitori: dum*

ri, dum gratias agimus, diuinum honorem habemus, cum Apoſtolo 1. *Tim.* 1. *verſ.* 12. *dicente.* Gratias ago ei, qui me confortauit Ieſu Chriſto qui me fidelem exiſtimauit ponens in miniſterio. *Et cum Sanctis Apoc.* 11. *verſ.* 17. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es. *Vt enim Deo proprium eſt benignè facere, ita creaturæ intelligenti vel maximè conuenit gratias Deo ſuo agere.* Omne, *inquit*, Apoſtolus *Coll.* 3. *verſ.* 15. 16. quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

8. *Perſæpe illũ ſupplices demiſſo animo & corpore adoremus vt* Magi *Matth.* 2. *verſ.* 11. procidentes adorauerunt eum, vt leproſus Matth. 8. verſ. 2. *vt* Chananæa Matth. 15. verſ. 25. *& alij paſſim in Euangelio & ipſi Angeli eum adorant Hebr.* 1. *verſ.* 7. *Siquidem ſcriptum eſt Matth.* 4. *verſ.* 10. *& Deut.* 6. *verſ.* 15. Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies.

9. *Vt cum vel honor Dei, vel noſtra, aut proximi neceſſitas ita poſtulauerit per eius nomen iuremus, tali iuramento non offenditur Deus, ſed honoratur,* Deut. 10. *verſ.* 20. Dominum Deum tuum timebis, & ei ſeruies, ipſi adhærebis iurabiſque in nomine illius *Ierem.* 4. *verſ.* 2. Et iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iuſtitia. *Sic Apoſtolus ſuum, vt erga Iudæorum ſalutem teſtatum faceret amorem, per Chriſtum Deum ſuum iurauit Rom.* 9. *verſ.* 1. Veritatem *ait* dico in Chriſto non mentior teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, &c.

10. *Chriſto vt vniuerſorum Dominatori ſubmiſſiſſima ſeruitus exhibenda.* 1. *Reg.* 14. *verſ.* 20. Seruite Dño in omni corde veſtro. Et nolite declinare poſt vana quæ non proderunt vobis, neque

eſſent vos:quia vana ſunt. *Et verſ.*24. Igitur ti- mete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro. *Talem Chriſto Domino Deo noſtro ſeruitutem ſeruire debemus exhortante nos Apoſtolo Coll.*3.*v.*24.Domino Chriſto ſeruite. *Matth.* 4. *v.*21. Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.

11. *Implorandus nobis Chriſtus, vt potentiſſimus & paratiſſimus auxiliator, & liberaliſſimus quorumcunque bonorum largitor. Ita ſeruatorem inuocauit B. Stephanus Act.*7.*v.*58. Domine Ieſu ſuſcipe Spiritum meum. *Præſtantiſſima bona & diuiniſſima ſunt gratia & pax* Dei,*hæc autem à Chriſto donari,& ab eo peti oſtendit Apoſtolus* 2.Cor.1.*v.*2. Gratia, *inquit*, vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. *Acclamemus illi* Domine ſalua nos perimus *Matth.* 8. *verſ.*25.*Se nullius non boni præbitorem fore poſtulantibus promiſit Ioan.*14.*v.*14. Si quid petieritis, *inquit*, me in nomine meo hoc faciam. *Talis n. inuocatio qua omne bonum ab aliquo tanquā ſua propria auctoritate & poteſtate donante petitur, ſolū decet Deum iuxta illud Apoſtoli Rom.*10.*v.*14. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt: *Ioel.*2.*v.*32. Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*Cum enim terribile Chriſti iudicium prædixiſſet, oſtendit neminem & hoc & interitum poſſe effugere niſi in Chriſtum credendo, & nomen eius inuocando.*

12. *Deniq; honorandus nobis Chriſtus virtutū ipſius & ſanctiſſimæ vitæ imitatione. Quod ille creberrime in Euangelio à nobis iure poſtulat. Matth.*4.*v.*19.20.21.*c.* 8.*v.*22.*c.*9.*v.*9.*c.*19.*v.*21.*& alibi. Quod ſedulo faciebat Apoſtolus, cuius & illa vox eſt:*1. *Cor.*11.*v.*1. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. *Et hoc omnibus ſummopere neceſſarium:* Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare 1.*Ioan.*2.*v.*6.

Iſte

Iſte Filij ſui cultus cœleſti Patri gratiſſimus eſt, Ioannis 5. *verſu* 23. Omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. *Ioannis* 12. *verſu* 26. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, *Ioann.* 16. *verſu* 27. Ipſe Pater amat vos, quia vos amaſtis me, & crediſtis, quia ego à Deo exiui. *Qui ergo cupit (omnes autem ſummis id votis diſcupere debemus) à cœleſti patre, & amari & honorari, is quanto poteſt, & honore & amore Chriſtum dilectiſſimum eius Filium proſequatur.*

Te Ieſum Deum noſtrum laudamus: Te Chriſtum Dominum ac Redemptorem noſtrum confitemur. Te Regem regum, & Dominum dominantium benedicimus. Te perennem bonorum fontem & benigniſſimum largitorem inuocamus: Te ſupplices adoramus, & Maieſtati tuæ prouoluimur. Humiliamus in conſpectu tuo animas noſtras, & gratiam & gloriam à te poſcimus. Te decet cum Patre & Spiritu Sancto omnis laus, honor & gratiarum actio in ſæcula, Amen.

Capvt XVIII.

Nominvm Christo Domino tributorum ex S. Gregorio Nazianzeno, & B. Ambroſio explanatio.

De nominibus Saluatoris tam quæ diuinitati ipſius conueniunt, vel humanitati, aut vtrique pariter naturæ hoc caput pertexam S. Gregorij Nazian. ſententia. Is igitur Theologus Orat. 4. de Theologia, hunc in modum loquitur. Proprium, *inquit*, eius, qui principij omnis atque originis expers eſt, nomẽ

eſt Pater, eius autem qui citra vllum principium genitus eſt, Filius, illius denique qui citra generationem progreſſus eſt, aut procedit, Spiritus Sanctus. Verum ad Filij nomina, de quibus nobis dicere propoſitum erat, accedamus. Primū ergo Filius mihi dici videtur: quia eſſentia idem eſt cum Patre: tum quia ex illo (*Filius à Patre procedit ſine vlla corruptione, ſicut ex animo ratio, & ex ratione notitia. Et vt ratio in animo, & in ratione manet notitia, ita Filius in Patre manet. Et vt notitia ſe indicare poteſt per vocem, ita Filius* Dei *per aſſumptam humanam naturam*) eſt. 2. Vnigenitus autem, non quia ſolus ex ſolo & ſolum: ſed etiam, quia peculiari quodam modo, ac nō vt corpora. 3. Verbum porrò, quia ita ſe habet ad Patrem, vt ſermo ad mentem, non modo propter generationem paſsionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipſius cum Patre, vimque enunciatricem. 3. Fortaſſe etiam quia eodem modo ſe ad Patrem habet: quo definitio cum definito (*definitio totam definiti naturam exprimit, ita & Filius Patris naturam totam continet*) Nam hoc quoque λόγος dicitur: Qui enim Filium cognouit, *ait Chryſoſtomus Ioan.* 14. *v.* 7. (hoc enim ſignificat illud: Qui videt) Patrem quoq; cognouit. Ac breuis & compendioſa faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt Filius. Omnis enim fœtus progenitorem ſuum tacita quadam voce prædicat. Quod ſi quis etiam quia rebus omnibus inſit, λόγον vocari contendat, à ratione non aberrabit. Quid enim in rerum natura eſt, quod non vi Verbi coagmentatum ſit? atq; conſeruetur? 4. At verò Sapientia 1. *Corinth.* 1. *verſ.* 21. *Prouerbiorum* 8. *verſ.* 1. Vt rerum diuinarum, atque humanarum ſcientia. Qui enim fieri poteſt, vt conditor rerum à ſe conditarum rationes

nes

nes ignoret? 5. Vis & potentia, 1. *Corinth.* 1. *v.* 25. vt rerum creatarum conſeruator, iiſque cohærendi facultatem ſuppeditans. 6. Veritas, *Ioann.* 14. *v.* 11. vt natura vnum non multa. Verũ quippe vnum eſt, mendacium multiplex: atque etiam vt purum Patris ſigillum minimeque mendax character, *Hebræorum* 1. *verſu* 3. 7. Imago, *Coloßen.* 1. *verſ.* 15. vt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, & quia ex illo eſt, & non item ex hoc Pater. Hæc ſiquidem imaginis natura, vt exemplar ſuum imitando referat. Quãquam hic imago exemplar ſuum expreſsius refert. Illic enim rei viuæ ac motu præditæ, mortua atque motus expers imago eſt: hic autem viui exemplaris, viua quoque eſt effigies, multoque minus à Patre differens quam Seth ab Adamo, Geneſ. 4. v. 25. Filiuſque omnis à parente ſuo. Huiuſmodi namque ſimplicium rerum natura eſt, vt non partim inter ſe ſimiles ſint, partim diſsimiles, ſed totæ totas repræſentent, eædemque potius ſint, quam ſimiles. 8. Iam verò lux dicitur Ioannis 1. v. 4. & 9. cap. 8. verſ. 12. cap. 11. verſ. 9. vt animabus illis, quæ & vita & ſermone purgantur, ſplendorem afferens. Nam ſi caligo eſt ignorãtia, & peccatum: lux vtique fuerit, ſcientia, & vita diuina. 9. Vita Ioann. 1. v. 4. & c. 14. v. 6. quia lux totiuſque ratione præditæ naturæ coagmẽtatio, ac ſi mihi hoc verbo vti liceat, eſſentiatio. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus, Act. 17. v. 28. Secundum duplicem illam inſufflationis facultatem, Gen. 2. ver. 7. & Ioann. 20. verſ. 22. Nam & omnibus vitæ ſpiraculum inſufflatur: & Spiritus Sanctus, prout quiſque ipſius eſt capax, & quatenus os mentis aperuerit, Pſalmo 80. verſu 11. 10. Iuſtitia, Ieremiæ 23. verſ. 6. 1. Corinth. 1. verſ. 30. quia pro cuiuſque merito

merito præmia pœnaſque diſtribuit, æquumq; ſe Iudicem præbet his qui ſub lege ſunt, & his qui ſub gratia: corporiſq; etiam & animæ cauſſam iuſtè diſceptat, vt illud pareat, hæc præſit atque imperet, præſtantiorque pars principatū aduerſus deteriorem teneat: ne alioqui in meliorem inſurgat. 11. Sanctificatio 1. *Cor.* 1. *v.* 30. quia puritas, vt purum illud Numen puritate concipi queat. 12. Redemptio 1. *Cor.* 1. *v.* 30. quia nos à peccato detentos in libertatem aſſeruit, ſeſeque noſtri vice, vt orbem terrarum expiaret, pro liberationis pretio ſubſtituit. 13. Reſurrectio *Ioannis* 11. *v.* 25. vt nos hinc ſubrigens, atq; ad vitā reducens, à peccato extinctos. Nunc ad ea veniamus, quæ propria noſtra ſunt, humanitatiſque aſſumptæ. 14. Homo itaque dicitur, non ſolum vt corporis interuentu à corporibus concipiatur, qui alioqui ob imperceptibilem naturam ſuam concipi non poterat: Sed etiam vt per ſe homines ſanctitate imbuat, fermentique inſtar vniuerſæ conſperſioni ſit, ſibique vniens, quod cōdemnatum fuerat, totum illud à condemnatione liberet, omnia pro nobis quæcunq; ipſi ſumus, excepto peccato factus, corpus, anima, mens (per quæ mors irrepſerat) & quod ex his commune eſt, homo, viſibilis Deus propter id quod animo atque intellectu perſpiciebatur. 15. Filius autem hominis propter Adamum, ac Virginem, ex quibus natus eſt, illo quidem vt generis auctore, hac autem vt matre, & lege & ſupra legem generationis. 16. Chriſtus vero propter diuinitatem. Ea enim humanitatis vnctio eſt, non actu, vt in alijs, qui Chriſti nuncupantur, ſanctificans, ſed totius Vnctoris (DEI) præſentia. Cuius hic effectus eſt, vt homo Vnctorem ſuum audiat, eique quod vngitur diui-

diuinitas compareretur. 17. Via *Ioan.14.v.6.* vt per ſe nos ducens. 18. Oſtium *Ioann.10.v.7.* vt introductor. 19. Paſtor *Ioan.10.v.11.* vt nos in loco virenti collocans, & aqua refectionis educans, atque hic itineris nobis ducem ſe præbens, necnō aduerſus belluas pro nobis dimicans, tum etiam vt errantes ac perditos in viam reducens, & cōfractos obligans, & firmos ac validos cuſtodiens, atque ad futuræ vitæ caulam paſtoralis ſcientiæ rationibus colligens, *Pſal. 22.v.1. Ezech.34. v.15. 20.* Ouis porrò *Iſa.53.v.7.* vt victima. 21. Agnus, *Ioan.1.v.29.& Apoc.5.v.6.7.8.&c.* Vt perfectus. 22. Pontifex, *Heb.4.v.15.cap.5.v.5.cap.7.ver. 26.* & ſæpius, vt conciliator atque perductor. 23. Melchiſedech, *Hebr.7.* ab initio & conſequenter, vt matris expers, quod ad naturam illam noſtrā excelſiorem attinet, Patris autem expers, quantum ad humanam, ac noſtratem: tum etiā quia, quantum ad ſupernam naturam ignoti generis eſt. (Generationem enim illius, *inquit Iſa. c.53.v. 8.* quis enarrabit?) Ac præterea vt Rex Salem, hoc eſt pacis, ac Rex iuſtitiæ, & denique vt à Patriarchis, aduerſus impuras ac peſtiferas poteſtates ſtrenuè rem gerentibus, decimas accipiēs, *Gen.14.v.21.* Habes filij appellationes: per eas incede, per ſublimes, inquā, illas, diuinè: per corporeas autem humanè: imò verò prorſus diuinè. Ita enim Deus efficeris, è terra ſubuectus, propter eum, qui ſupernè noſtræ ſalutis cauſa deſcendit. Præter omnia, & ante omnia illud ſerua, nec laberis in ſublimioribus, aut abiectioribus nominibus: Ieſus Chriſtus heri & hodie corporaliter idem & ſpiritualiter, & in ſæcula ſæculorum Amen. *Heb.13. Hactenus eo loco S. Greg. Nazian. re & nomine Theologus. Qui tamen in dictum illud Euangelij:* Quum conſummaſſet Ieſus hos ſermo-

ſermones, *Matth.19.v.1. ingenuè, & verè confitetur: hæc nomina non attingere, neque exprimere Chriſti, quem ita affatur*, maieſtatem: Verbum diceris, & omni verbo ſuperior es: lucem ſuperas, & lux nominaris. Ignis vocaris, Deuter.4.v.24. Hebr. 12.v.29. non quod in ſenſum cadas, ſed quia leuem ac flagitioſam materiam expurgas. Gladius, quia rectum à malo ſcindis. Ventilabrũ quia aream repurgas, ac quicquid leue ac ventoſum eſt, reiiciens, id omne quod graue eſt, in ſupernis horreis recondis. Securis, quia diuturna patientia & lenitate vſus, infrugiferam ficum tandem excindis: quia improbitatis radices amputas. Oſtium, propter introductionem. Via, quia recto itinere gradimur. Ouis, quia victima. Pontifex, quia corpus offers. Filius, quia Patris.

S. Ambroſius lib. de fide contra Arrianos cap. 6. Filius Dei modo Verbum, modo virtus, modo ſapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo theſaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas. Et ita cum ſit Deus omnia in omnibus, vt per hæc vocabula diuinarum diſpoſitionum myſteria agnoſcantur, non vt ipſa maieſtas Filij Dei propriè definita mõſtretur. Quid eſt enim Filius de eo quod Pater eſt? Alius idem. Nam & hoc verbum nũcupatur, quia ex proprio diuino ore proceſsit, & nihil Pater ſine eo aut iuſsit aut fecit. Virtus dicitur, quia verè de Deo, & ſemper cum Deo eſt, & omnis poteſtas in eo cõſiſtit. Sapientia appellatur, quia de corde patris aduenienſ, arcana cœleſtia credentibus reſerauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfecta ſunt

cta ſunt. Brachium dicitur, quia ab ipſo omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil illo pretioſius habeatur. Theſaurus dicitur, vt in ipſo omnes opes, & diuitiæ regnorũ cœleſtiũ cõditæ agnoſcantur. Retia dicitur, quia per ipſum, & in ipſo de mari ſæculi diuerſa gentium multitudo ſicut piſcium per aquã Baptiſmatis in Eccleſia congregatur, vti bonorũ malorumq; diſcrimen agnoſcitur. Aratrum nuncupatur, quia ſigno crucis ſuæ dura pectora ſubiiciuntur, vt neceſſariora in ipſa præparentur. Fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo ſitientia corda cœleſtis aquæ gratię irriguantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiã pręſtat. Lapis angularis dicitur, quia vtroſque parietes noui & veteris Teſt. vnus & mediator in ſemetipſo continens copulauit. Agnus dicitur, vt innocentia Chriſti, & paſsio demonſtretur. Homo dicitur, quia ſecundum carnem propter nos homines naſci dignatus eſt. Vitulus dicitur, quia propter noſtram ſalutem pati ſuſtinuit. Aquila dicitur, quia poſt venerabilem reſurrectionẽ, vt Rex altam Patris peruolat ad ſedem. Leo dictus eſt, quia ipſe eſt Rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis ſuæ poteſtate comminuit. Via eſt, quia per ipſum aſcenſus eſt. Veritas quia mendacium neſcit. Vita, quia ipſe vniuerſa viuificat. Vides ergo per hæc vocabula ſignificationes diſpoſitionum & operum diuinorum præoſtenſas, nõ tamen ipſum Deum propriè definitum. Eſt ergo Pater Deus immẽſus, æternus, incomprehenſibilis, inæſtimabilis. Eſt & Filius eius Deus & Dominus noſter, tantus quantus eſt Pater, ſed nõ aliunde quã de Patre: quia ego, inquit, de Patre exiui, hoc eſt, lumen de lumine.

Hæc Lector eadem reperiet in lib. S. Hilarij Pictauorum Epiſc. de Patris & Filij vnitate. *Mira-*

Mirabilia ſunt hæc nomina tua Chriſte Deus, incomparabilem Maieſtatem tuam non exprimentia, ſed tenuiter adumbrantia, & qualis quantuſque tu es? quo te nomine appellabimus, quem mente complecti non poſſumus? da, vt qui per hæc nomina, tanquam per ſpeculum in ænigmate te nunc cernimus, depoſita mortalitate te facie ad faciem perpetuo contemplemur.

CAPVT XIX.

QVOD SECVNDA S. TRIADIS perſona verè ſit naturalis Dei Filius.

ALtera in diuinitate Perſona tribus potiſſimum nominibus inſignitur. 1. *Nũcupatur* Filius *comparatione Patris.* 2. *Verbum, quatenus intelligentia producitur.* 3. *Imago, quia vi ſuæ proceſſionis eſt per omnia ſimilis, & æqualis* Patri *producenti.*

Et quidem vel maximè propriè Filius eſt: quia propria generatio definitur, quod ſit: Proceſſio viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ. Debet eſſe *à viuente coniuncto, vt nimirum ex ſubſtantia eius, vel parte ſubſtantiæ gignatur, & non ex materia extrinſeca, quo modo generant inanimata. Debet & vi proceſſionis in naturæ ſimilitudinem tendere: quia hanc communicare, & propagare intendit. Quocirca & generatio tunc maximè perfecta, & naturalis eſt, quando eſt in perfectiſſima ſimilitudine cum ad eiuſdem naturæ vnitatem peruenit. Atqui ſecundæ diuinæ perſonæ productio eſt proceſſio viuentis à viuente intimè coniuncto: tum quia procedit per actum intelligendi immanẽtem, tum quia eſt de ſubſtantia eius. Pſal.* 109. v. 3. Ex vtero ante Luciferum genui te, *&c. tum quia eſt non ſolum in naturæ ſimilitudinem, ſed etiam identitatem.*

Ego,

Ego, *inquit Ioan.* 10. *v.* 30. & Pater vnum ſumus. *Et vi proceſsionis illa diuina natura excellētiſsimo modo & gradu communicatur, nimirum quatenus per eſſentiam intelligens eſt.*

Hinc & ſapientia Patris & Dei *appellatur.* 1. *Cor.* 1. *v.* 24. *quia gignendo infinitam ei ſuam ſapientiam Pater attribuit. Vnde S. Athan. Orat. contra gregales Sabellij*: Sapientia Patris, *ait*, eſt Filius, non vt in homine, vbi per ſapientiam eſt ſapięns, ſed ex ſapiente ſapientia illa ortum habet. Quæ æterna ſapientia, *&c. & ait Eccli.* 24, *v.* 5. Ego ex ore Altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: *quaſi dicat: Quæ ante mundi molitionem, in Dei latebam natura, cum ille verbo ſuo omnia procreauit, tunc conſpicua facta ſum.*

Eſt itaque proceſsio ſecundæ perſonæ diuinæ, vera & propria generatio. De qua & Iſaias capite 53. *verſ.* 8. Generationem eius quis enarrabit? *Et ipſe Deus Pater Pſalmo* 2. *verſu* 7. *& Hebr.* 1. *verſ.* 5. Ego hodie genui te. *In cuius Pſalmi & ſententiæ Commentario ita S. Auguſtinus*: Quanquam etiam poſsit in Prophetia videri, quo Ieſus Chriſtus ſecundum hominem natus eſt: tamęn hodie quia præſentiam ſignificat: atque in æternitate nec præteritum quicquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, ſed præſens tantū: quia quicquid æternum eſt, ſemper eſt: diuinitus accipitur ſecundum id dictum: Ego hodie genui te, quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, 1. Corinth. 1. v. 2. Qui eſt vnigenitus Filius, fides ſincerifsima & Catholica prædicat.

Eſt ergo altera diuina perſona verè Filius, Prouerb. 30. *ver.* 4. Quis ſuſcitauit omnes terminos terrę? Quod nomen eſt eius, & quod nomen Filij eius, ſi noſti? *Eccli.* 51. *ver.* 14. Inuocaui Dominum Pa-

trem Domini mei, Chriſti ſcilicet Filij eius. *Hic Filius peculiaris Dei, Romanorum* 8. *verſu* 32. Proprio Filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Hic cariſſimus Filius, Matthæi* 3. *verſu* 17. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Hic Filius vnicus & vnigenitus:* Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, *Ioannis* 3. *verſu* 16. *Hic Filius in Patris gremio ſemper manens, Ioannis* 1. *verſ.* 18. Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. Hac, *inquit Sanctus Chryſoſtomus homilia* 14. *in Sanctum Ioannem*, gratia, Euangeliſta ſinus meminit, quo vno verbo multa, ſubſtantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, poteſtatem, oſtendit. Non enim diuerſam ſubſtantiam in ſinu haberet Pater, ſed nec ipſe auderet, ſi ſeruus eſſet, ſi ex multitudine vnus eſſet, in ſinu Domini verſari, hoc namque Filij eſt, qui multum genitori ſuo fidit, neq; ipſo vlla parte eſt inferior. *Hic natura Filius Dei nos adoptione Dei filios effecit, Galatarum quarto verſu quarto:* 4. Miſit Deus Filium ſuum, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Iſte autem talis tantuſque Dei Filius quid? Propter nos homines factus eſt Filius hominis. O amor, ô bonitas. Et quaſi eo nomine gloriatur ſæpiſſimè illud iterum atque iterum in Euangelio repetens, quod ſit Filius hominis, vt ſe homo homini magis humanum & amabilem oſtenderet.

O Fili Dei, *quanta eſt dignatio tua? & ingratitudo noſtra? Quis tantam ſubmiſſionem tuam, tantam caritatem tuam, non dico, pro dignitate ſua, ſed vel pro ſimili portione conſiderat, & exiſtimat? Hinc naſcitur hominum malitia, quod tua beneficia, & ſua è contrario malefacta non ponderant: Fac benigniſſime Saluator, vt*

ter, vt qui nos totos tibi debemus, nos etiam totos tuo obſequio impendamus.

CAPVT XX.

DIVINA FILII DEI GENERATIO non modo noſtrum ſuperat ſermonem, ſed etiam intelligentiam excedit.

S*Anctus Auguſtin. lib. 2. de conſ. Euang. cap.* 1. Illa ſuperna, *inquit*, & æterna generatio, ſecundum quam Filius Dei vnigenitus eſt ante omnem creaturam: quia omnia per ipſum facta ſunt, Ioannis 1. ver. 3. ita ineffabilis eſt, vt de illo dictum à Propheta Iſaia capite 53. verſu 8. intelligatur: Generationem eius quis enarrabit? *Et ſermone 64. de verbis Domini idem Beatus Auguſtinus:* Filius de Patre genitus, non Pater de Filio, & ſemper Filius: ſemper ergo genitus. Quis hoc capiat ſemper genitum? *Et epiſtola 105. ad Paſcentium:* Quid dicemus? Si Filius Dei natus eſt de Patre, iam Pater deſtitit gignere; & ſi deſtitit, cœpit. Si autem cœpit gignere, fuit aliquando ſine Filio; ſed nunquam fuit ſine Filio: quia Filius eius ſapientia eius eſt, quæ candor eſt lucis æternæ, Sapient. 7. verſ. 26. Ergo ſemper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius. Hic rurſus timendum eſt, ne putetur imperfecta generatio, ſi non dicimus natum eſſe, ſed naſci. Compatere mecum, obſecro, in his anguſtiis humanę cogitationis, & linguæ, & pariter confugiamus ad Spiritum Dei per Prophetam dicentem: Generationem eius quis enarrabit? Iſai. 53. v. 8. *Et iterum lib. 1. de Symb. ad Catech. cap.* 3. Nolite cogitare

Digitized by Google

in hac natiuitate initium temporis, nolite cogitare vllum ſpacium ęternitatis,quando erat Pater,& non erat Filius. Semper Pater ſine initio, ſemper Filius ſine initio. Et quomodo,inquies, natus eſt,ſi non habuit initium? De æterno coæternus. Vnde datur qualiſcunque ſimilitudo? Occurrat nobis ignis Pater, ſplendor Filius,ecce inuenimus coæuos. Ex quo ignis eſſe cœpit, continuò ſplendorē gignit,nec ignis ante ſplendorem,nec ſplendor poſt ignem.*Denique idem S. Doctor lib.2.de Symb. ad Catechum. cap.* 3. Diuinam illam natiuitatem,*inquit*, qua Filius proceſsit ex Patre,qua natus eſt Deus de Deo,ſine initio, ſine tempore,ſine matre, ſiue aliqua fragilitate, ſine vlla ſui diminutione, non poſſumus explicare. Natiuitatem eius, ait Propheta, quis enarrabit? Et reuera quis comprehendere vel dicere poteſt,quo modo natus ſit,qui ſemper eſt in Patre, & nunquam recedit à Patre? Dignè,vt dixi,non poſſumus enarrare, ſed debemus corda noſtra ipſi Filio præparare, vt illuminando, & per fidem gubernando perducat nos ad ſpeciem veritatis ſuæ.

Et quid mirum, quod hæc diuina & æterna Chriſti Domini natiuitas incomprehenſibilis ſit; cum nec humana ipſius & temporalis generatio comprehendi poſſit? Sanctus Auguſtinus libro 4. *de Symb. ad Catechum. cap.*4.Fides,*inquit*,& veritas hoc prædicat,quod Chriſtus ſit natus ex Virgine. Hæc natiuitas Dei & hominis facta eſt cauſa hominis, vt ſublimis illa maieſtas procedens ex corde Patris infunderet ſe in vtero matris. Cauſa exegit pietatis, vt homo inueniretur perditus, & Deo Patri per mediatorem reſtitueretur inuentus.Mira & ineffabilis hęc natiuitas,quam explicare non poſſumus. Quis non expaueſcat, cum audit Deum natum?

natum? Impletur vterus matris ſine vllo complexu Patris, ſentit prolem, quæ ſe ignorat coniugem: Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur: Chriſtus fide concipitur. Parit mater & Virgo, fœta & intacta, naſcitur filius ſine homine patre, qui fecit & ipſam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus rector totius orbis. Lambit vbera, regens ſidera: tacet, & Verbum eſt. Nec dum per linguam ſe demonſtrabat, quis eſſet, & vniuerſa creatura ſuum natum indicat creatorem: Angeli paſtoribus annunciant, ſtella Magos inuitat, *&c.*

Sed & temporariam Chriſti Domini noſtri natiuitatem inexplicabilem nobis eſſe ſæpius confitetur Sanctus Leo Magnus ſermone 3. *in Natiuitate Domini:* Non ad illud, *ait*, tantummodo ſacramentũ quo Filius Dei conſempiternus eſt Patri, ſed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum eſt, credimus pertinere, quod dictum eſt Iſaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit? *Et ſermone* 5. Ineffabilis eſt natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, in qua ſe naturæ noſtræ carne veſtiuit. *Et ſermone* 9. Excedit quidem dilectiſsimi multumque ſupereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo, & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi. Quia in Chriſto Ieſu Filio Dei, non ſolum ad diuinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictum eſt per Prophetam: Generationem eius quis enarrabit? Vtramque eius ſubſtantiam in vnam conueniſſe perſonam, niſi fides credat, ſermo non explicat, *&c. Quod ipſum myſterium latius explanat ſermone* 1. *in eadem ſolennitate:* Verbum Dei Deus, *inquit*, Filius Dei qui in principio erat apud Deum, per quem fa-

cta ſunt omnia, & ſine quo factnm eſt nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo: ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ, ſine diminutione ſuæ maieſtatis inclinans, vt manens quod erat, aſſumenſque quod non erat, veram ſerui formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, vniret, & tanto fœdere naturam vtramque conſereret, vt nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salua igitur proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas; & ad rependendum noſtræ conditionis debitum, natura inuiolabilis, naturæ eſt vnita paſſibili, Deuſque verus & homo verus in vnitatem Domini temperatur, vt quod noſtris remediis congruebat, vnus atque idem Dei hominumque mediator, & mori poſſet ex vno, & reſurgere poſſet ex altero.

Noſtram ipſorum natiuitatem intelligentia penetrare non poſſumus, vt ingenuè confitetur generoſiſſima illa ſeptem Machabæorum fratrum martyrum mater, 2. Machabæorum 7. verſu 22. 23. Neſcio, *inquit*, qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra, non ego ipſa compegi, ſed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, *&c. Et Eccleſiaſt. capite 11. verſu 5. & quomodo vel temporalem vel ſempiternam Filij Dei generationem perſpiciemus? Qua ratione Eunomij arrogantiam retundit Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 3. de Theologia, quem hoc pacto alloquitur:* Quomodo ergo genitus eſt? (*Dei ſcilicet Filius*) quærere perges. Haud

Haud magna eſſet hæc generatio, ſi à te percipi poſsit, quippe qui nec tuam percipias, aut certè tam exiguam eius cognitionem habeas, vt etiam dicere erubeſcas. Et poſtea eam omnino tibi cognitam eſſe cenſes? Magnus tibi labor prius ſubeundus eſt, quam vt rationes eas inuenias, quibus coagmentatus formatuſque fueris, atque in lucem prodieris, quibus etiam anima cum corpore, mens cum anima, ſermo cum mente quaſi vinculis quibuſdam aſtringatur, tum quo modo corpus incitetur, & augeatur, alimentumq; in corporis ſimilitudinem tranſeat: adhæc quæ ſit ſenſuum ratio, quæ memoriæ, quæ reminiſcentiæ, cæterarumque rerum ex quibus conflatus es? ac præterea quæ coniunctim vtriuſque partis ſint, quæ diuiſa ac ſeparata, quæ rurſus à ſe inuicem mutuentur. Quæ enim temporis progreſſu perfectionem ſuam conſequuntur, eorum certè rationes ipſæ ſimul cum generatione extiterunt. Dic ergo quæ ſint hæ rationes, ac ne tum quidem de Dei generatione pertracta. Nec enim id pericu[lo] vacat. Si enim tuam cognoſcis, non protinus ſequitur, Dei quoque generationem tibi cognitam & exploratam eſſe. Si autem tua tibi ignota eſt, quo tandem modo, Dei generatio tibi nota erit? Quanto enim difficilius eſt Dei naturam, quàm hominis indagare, tanto quoque difficilius percipi poteſt ſuperna illa & diuina generatio quàm tua? Quod ſi quia eam cognitione aſſequi nequis, idcirco ne genitum quidem eſſe contendis, tempus iam tibi fuerit, multa quæ tu minimè percepiſti, atq; ante omnia Deum quoque ipſum è rerum natura delere atque obliterare. Neque enim quid tandem ſit, expli-

care potes, quamlibet audax ſis, atque in ſuper-uacaneis rebus ſtrenuus & magnanimus.

Vtraque quidem natiuitas tua Chriſte Saluator, incomprehenſa & inenarrabilis eſt, ſed vtraque nobis vtiliſſima, niſi enim eſſes natus Deus, miſeriæ noſtræ non afferres remedium, & niſi homo natus eſſes, ignorantiæ & imbecillitati noſtræ virtutis non præberes exemplum, Deus natus es felicitas noſtra, homo natus es via noſtra, quâ ad felicitatem tendimus.

Capvt XXI.

QVOMODO FILIVS SIT ET DIcatur verbum.

V*Erbi nomen reliqui vel Apoſtoli vel Euangeliſtæ* DEI *filio Liberatori noſtro non attribuerunt, ſed ſolum S. Ioannes tum in ſuo Euangelio* c. 1. v. 1. In principio erat verbum & verbum erat apud DEVM, & DEVS erat verbum. Et 1. ſua ep. cap. 1. verſu 2. manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt. *Apocalip.* 1. *verſu* 2. Qui teſtimonium perhibuit verbo DEI, & teſtimonium IESV Chriſti. *Sc autem per verbum* DEI *Filium intelligere manifeſte declarat cum ait in Euangelio. cap.* 1. *verſu* 14. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. *Hic vnigenitum Patris vocat verbum. Et capite* 5. *verſu* 7. Suæ primæ epiſtolæ: Tres ſunt, *inquit*, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum & Spiritus & hi tres vnum ſunt *& Apocalyp.* 19. *verſu* 12. mul-

Digitized by Google

multis argumentis deſcribens Chriſtum Dominum, ait: Erat veſtitus veſte aſperſa ſanguine, Et nomen eius verbum Dei, Dei verbum filium eſſe, nullus Chriſtianus dubitat, ait S. Auguſt. l. 9. de Trinit. cap. 12.

Sed cur iſto nomine S. Ioannes vti voluit? Reſpondet B. Cyrillus Alex. l. 7. Theſauri c. 3. Nomen verbi elegit: quia eſt maximè proprium & ſignificatiuum diuinitatis, & proceſsionis propriè ſecundæ perſonæ. S. Baſilius hom. 16. in hæc verba: In principio erat verbũ *&c.* Si dixiſſet, *ait*, in principio erat filius, appellatione filij cogitatio de generatione paſsionis ſubiiſſet: Quoniam apud nos genita, & tempore, & paſsione generantur. Idcirco de induſtria verbum dixit variis hominum ſuſpicionibus occurrens, vt tuam animam incolumem conſeruaret. Itaque verbum potius quam Filium appellauit, ne quis in illa diuina generatione quippiam carnale aut patibile cogitaret. *Hoc & docet S. Chryſoſt. hom. 2. in Ioannem & alij.*

Neq; improbari debet quod noſter Ioannes Maldonatus in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus in cap. 1. Ioannis affirmat, & probat nullum nomen Filij Dei tam vſitatum fuiſſe apud Hebræos & Græcos quam verbum. Quod & maxime accommodatum erat ad illud quod paulo poſt dicturus erat: omnia per ipſum facta ſunt: quia omnes neſcij non erant: Deum verbo ſuo, ſuo conſilio & ſapientia, ſine labore & difficultate omnia feciſſe quæ nomine verbi indicantur, non Filij Geneſ. 1. v. 3. Dixit Deus Fiat lux, & facta lux *& ita in reliquis operibus Pſal. 32. v. 5. 6.* Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Et Pſal. 148. v. 9.* Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.

Adhæc iſta propoſitio. In Principio erat verbum magis

gis rationi apparet conſentanea quam illa: In principio erat filius: nam hæc ſolo fidei lumine agnoſcitur, illam vero vtcumque ratio perſuadet. Si enim ratio dictat; vnum eſſe Deum æternum, & ante omne principium, eumque eſſe mente atque intelligentia præditum, neceſſe eſt ipſum in ſe intelligere & loqui ab æterno, & verbum quod æternæ mentis notitiam & conceptum ſignificat, æternum eſſe.

Si etiam res creatas conſideremus ab hoc vno Deo emanantes, clarior etiam ac magis perſpicua eſt hæc veritas: ſiquidem in rerum omnium exordio fuiſſe verbum ſapientiam, mentis conceptum cum ratione eſt cõſentiens: nam mundi hæc machina ſuum auctorem mẽte & ſapientia præditum, & conſilio cuncta expendere & moderari conuincit, quod & S. Dauid ſignificat dicens: Pſal. 18. *v.* 3. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, *id eſt, ordo, & viciſſitudo hæc dierum ac noctium oſtendit molitorem & architectum ſcientia pollere & verbo rationis vti.*

Philoſophi etiam, vt teſtatur Tertull. *in ſuo Apolog. c.* 21. *λόγον, id eſt rationem & ſapientiam vniuerſorum fuiſſe artificem affirmarunt. Scribit* B. *Aug. l.* 8. *Confeſſ. c.* 2. *ſe hoc Ioannis exordium in Platonicorum Philoſophorum legiſſe libris. Et l.* 10. *de* Ciuit. *c.* 29. Quidam, *ait* Platonicus hoc initium aureis literis conſcribendum & per omnes Eccleſias in locis eminẽtiſsimis proponendum eſſe dicebat. *Auctorem & Euſeb. l.* 11. *Euang. præpar. c.* 10. *& Cyrill. l.* 8. *aduerſus Iulianum: Amelium Platonicum Philoſophum & Heraclitum dixiſſe;* recte Barbarum illum (*ita S. Ioannem vt Iudæum appellantes*) affirmaſſe in principio apud Deum fuiſſe verbum, ipſumque Deum. *Quorum tum fortaſſis non alius fuerit ſenſus quam primum omnium principium ſcientia ac ratione vigere illudque eſſe Deum.*

Præterea Moſes quidem in principio Deum verbo ſuo omnia

omnia creaſſe docuerat, ſed huius verbi antiquitatem, diuinitatem, & alia non expreſſerat quæ S. Ioannes vetus teſtamentum cum nouo connectens explanat, & hoc illi merito anteponit: cum iſtis Deus per Prophetas, nobis *locutus ſit per verbum & filium ſuum, quem vt Doctorem noſtrum rectè verbum appellat.*

Ad extremum voluerit S. Ioannes diſtinctius filij Dei originem explanare, vt qui ex Patre & ex mente Patris, & ſine motu, & intra Patrem vt illi conſubſtantialis procedit. Hoc enim nomen verbi exprimit.

Has cauſſas aſſignauit c. 18. S. Greg. Naz. & aſſignat S. Baſil. hom. 16. in verba S. Ioannis. In principio erat verbum *&c.* Verbi, *inquit*, poteſtatem ac ſenſum diligentius inueſtiga. Cur verbum: vt quod ex mente procedit, oſtendatur. Cur, inquam, verbum? Quoniam ſine motu genitum eſt. Cur verbum? Quoniam imago eſt genitoris, totum in ſe monſtrans genitorem, nullam inde partem deducens, & perfecta in ſe exiſtens: quemadmodũ fere verbum noſtrum, q; totius noſtræ cogitationis imaginem refert. Quæ n. ſecũdum cor nouimus, hæc verbo proferimus. Et q; loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus. Ex cordis enim abundãtia verbum pronunciatur. Verbum, vt perfectam cum Patre ſubſtantiam & coniunctionem ſine tempore oſtendat.

Neque contẽnenda ratio cur Filius verbum dicatur: quia Deus per illud omnia fieri iuſſerit, & quod nobis diuinæ ac paternæ voluntatis atque ſententiæ interpres ſit, quemadmodum verbum vocale noſtrum mentis volũtatisque noſtræ interpres eſt, & apud Ioan. Mald. noſtrum in c. 1. Ioan. multi Patres docent, ſed ea ratione: q̃a ſemper verbũ fuit, & ſemper anteq̃ homines eſſent & angeli aptum fuit vt p illud Pater omnia iuberet, & ſuã volũtatẽ indicaret, quemadmodũ Spiritus S. vi ſuæ pceſſionis dicitur donum, etſi ab æternitate nullus eſſet cui donaretur,

naretur, ſed quia erat donabilis vt docet S. Thom. 1. P. q. 38. ar. 1. ad 4. & art. 2. c. Et S. Aug. l. 5. de Trinit. c. 15. An ſemper, *inquit*, procedit Spiritus ſanctus, & non ex tempore, ſed ab æternitate procedit? Sed quia ſic procedebat vt eſſet donabile, iam dōnum erat, & antequam eſſet cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum eſſe poteſt antequam detur, donatum autem niſi datum fuerit nullo modo dici poteſt.

O verbum Patris, fac vt in verbo tuo fide & obedientia acquieſcamus quia in eo nobis ſpem ſalutemque dediſti.

CAPVT XXII.

QVALE VERBVM SIT Dei filius.

VErum vt diuini verbi Maieſtatem manifeſtius cognoſcamus, animaduertendum eſt, locutionem conuenire ſoli naturæ intelligenti, quid dicat, vt Deo Angelo, homini, vnde aſinæ Balaam Num. 22. v. 28. non locutio fuit ſi ad ipſam referatur, ſed ſonus quidam humanæ voci ſimilis. Eſt autem Dei, angeli & hominis locutio duplex: altera exterior quæ ſenſibili voce fit, & ad auditum pertingit, qua ratione homines ore ſua ſenſa enunciant, & Deus & angelus loquuntur, vel formando ſonos & voces in aere, aut intra auditum, vel imaginationem audientium. Interior locutio eſt qua quis in mente ſecum loquitur: vt Deus cum dixit Gen. 1. v. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Et Pſal. 2. v.* Filius meus es tu ego hodie genui te. *Nulli enim extra ſe hæc dixit Deus. Angeli ſimiliter ſæpiſſimè legun-*

leguntur ſermonem habuiſſe cum hominibus Gen. 18. v. 5. c. 19. v. 12. Lucæ 1. v. 13. & v. 28. cum Zacharia & B. virgine & c. 2. v. 10. cum paſtoribus, neque angelus hæc loqui potuiſſet, niſi prius illa mente concepiſſet qua interior locutio exterioris cauſſa eſt. Hinc ſcriptura Pſal. 4. v. 5. quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini, Pſal. 9. v. 6. Dixit in corde ſuo non mouebor in æternum Eccleſ. 1. v. 16. Locutus ſum in corde meo dicens. Matth. 9. v. 3. Dixerunt intra ſe. *Hoc autem verbum quo quis intra ſe ſecum loquitur, non eſt ipſa intelligendi actio, ſed aliquid per eum productum nimirum animi noticia, rem quam intelligimus nobis repræſentans, & veluti imago ſeu expreſſa ſpecies rei cognitæ & intellectæ. Vnde S. Anſel. in Monologio c. 29. & ſeqq. dicit* quod verbũ ſit expreſſa imago, quæ oritur in ratione cogitante *Damaſ. l. 1. cap. 18.* quod ſit naturalis mentis conceptus *Athan. in Ep. de ſententia Dionyſii*, quod ſit mentis promanatio.

Verum bene monuit S. Athan. ſerm. 3. contra Arrianos: Non tale eſſe quærendum Dei verbum, quale noſtrũ eſt: quia non talis eſt Deus quales nos ſumus. Conueniũt quidem noſtrum & diuinum verbum quod vtrumque ſpiritale ſit, & permanens, & non diffluens vt vocale verbum quod vtrumque maneat intra ipſum intelligentem quod vtrumque naturale, per ſe, & vi ſuæ proceſſionis repræſentet: quia vtrumque eſt ipſummet intelligere eius à quo procedit.

Differunt autem in plurimis: nam primo verbum noſtrum non eſt coæuum ſuo principio, antiquior eſt enim mens noſtra, quam ſua intelligentia, prius enim fuimus, quam intelligeremus. Et quamuis angelus creatus ſit intelligens, tamen multa poſt cognouit quorum ante neſcius fuerat. At ſicut Deus ſemper intelligens eſt, ſic verbum eius ſemper eſt, nec vnum altero antiquius, ſi enim aliquando non intelligeret Deus, & poſtea intelligeret muta-

mutabilis, nec Deus, eſſet. 2. Angelicum & humanum verbum accidens eſt, & menti inhærens, at ſimpliciſſima Dei natura nullum admittit accidens in ſe, quapropter ipſius verbum ſubſiſtens eſt, & ſubſtantia. 3. Verbũ angelicum & noſtrum cum ſint accidẽtia non ſunt ſubſtantia noſtra ſiue natura, ſed verbum Dei idem eſt, cum diuina eſſentia; cum enim ſit ſubſtantia, & in Deo nihil eſſe poßit alienum ab ipſius ſubſtantia, neceſſe eſt eſſe eandem ſubſtantiam cum Deo. 4. Angelorum & hominum multa ſunt verba, quod ex duplici accidit defectu. Alter eſt eorum virtus limitata; non enim omnia ſimul vno actu cognoſcere poſſumus, ideo neceſſe eſt multiplici actu multa cognoſcere, quamuis enim contingat vno multa percipere, non tamen tot, vt omnia ſimul intelligere valeamus. Alter eſt mutabilitas, mutabilis enim naturæ cum ſimus, ab hoc actu & intelligentia ceſſamus, & ad alia conuertimur. Dei autem verbum vnicum eſt ſemper exiſtens: quia mutabilis non eſt Deus, omnia complectens quæ poſſunt cognoſci: quia diuinus intellectus virtutis eſt infinitæ, vno igitur actu & verbo ſemper exiſtenti & totam ſuam eſſentiam & quæ poteſt cuncta facere cognoſcit. 5. Verba noſtra & angelica infirma ſunt, quantumcunque enim multiplicemus verba, non fiunt quæ volumus verbis, ſed viribus. At verbum diuinum omnipotens eſt, cum ſit eiuſdem naturæ cum ipſo Deo, cuius eſt verbum. Ergo Pater diuinus intelligendo ſuam eſſentiam, tres perſonas, ac creaturas poßibiles producit, hoc verbum in quo illa omnia repræſentantur. Hoc eſt illud quod nobis S. Ioannes prædicat verbum.

Quod quia inuiſibile erat, ſicut verbum mentis induit vocem vt cognoſcatur, & audiatur, ita vt audiretur, videretur, tangeretur verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quod & ſuæ epiſtolæ primæ exordio ſignificauit S. Ioannes cum ait: Quod fuit ab initio

quod

quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem & apparuit nobis &c.

Beati, ô verbum Patris, ô fili Dei, ô amantiſſime Saluator, qui viderunt te in carne mortali conuerſantem, beatiores, qui te viderunt in immortali carne coruſcantem, beatiſſimi qui te vident in carne triumphatrice regnantem, ſic te videamus & ſufficit nobis.

CAPVT XXIII.

PROFERVNTVR CAVSSAE quas propter Verbum caro factum ſit.

CVr autem verbum caro factum ſit pulcherrimas & vtiliſſimas rationes affert S. Aug. quarum prima eſt vt fidem noſtram firmiorem conſtantioremque efficeret, vt quàm ab ipſo Dei filio acceperimus. Mens ait B. Auguſt. l. 11. de Ciuit. Dei c. 2. vt fiat tantę felicitatis capax: fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua, vt fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus, Dei filius homine aſſumpto, non tamē Deo conſumpto, eandem conſtituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter eſſet homini, per hominem Deum. Hic eſt enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus 1. *Tim.* 2. *verſ.* 5. Per hoc enim mediator, per ꝙ & homo, per hoc & via *Ioannis* 14. *v.* 6. Quia ſi inter eum quī tendit & illud quo tendit, via media eſt, ſpes eſt

eſt perueniendi. Si autem deſit, aut ignoretur, qua eundum ſit, quid prodeſt noſſe quo eundẽ ſit. Sola autem eſt aduerſus omnes errores via munitiſsima, vt idem ipſe ſit Deus & homo, quo itur Deus, qua itur homo.

Vbi & alteram cauſſam inſinuat S. Aug. cur verbum caro factum ſit, vt nimirum dum illum Chriſtum Dominum mediatorem noſtrum, & rectiſſimam ad felicitatem viam fide cognoſcimus, etiam fiducia in nobis eo perueniendi excitetur & corroboretur. Quod & docet l. 13. de Trinit. c. 10. Quid enim, *inquit*, tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram menteſque mortalium conditione ipſius mortalitatis abiectas ab immortalitatis deſperatione liberandas, quam vt demonſtraretur nobis quãti nos penderet Deus quantumque diligeret? Quid vero huius rei tanto iſto iudicio manifeſtius atque præclarius, quam vt Dei filius immutabiliter bonus in ſe manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens, quod non erat, præter naturæ ſuæ detrimentum noſtrum dignatus inire conſortium, prius ſine vllo malo merito ſuo mala noſtra perferret, & ſic iam credentibus quantum nos diligat Deus, & quod deſperabamus, iam ſpiritualibus dona in nos ſua ſine vllis bonis meritis noſtris, imo præcedentibus & malis meritis noſtris, indebita largitate conferret; quia & ea quę dicuntur merita noſtra dona ſunt eius?

Atque hæc ſentẽtia S. Auguſt. & tertiam indicat rationem, cur verbum caro factum ſit, vt ſcilicet talem tantumque ſuum erga nos amorem demonſtrando noſtrum & erga ſe viciſſim amorem proliceret. Amor enim, & gratuitus amor, & beneficus amor maximum alieni amoris inuitamentum. Quam prouocandæ caritatis incitationem egregie idem D. Auguſt. l. de catechizandis

chizandis rudibus cap.4.explanat. Quæ,inquit, maior cauſſa eſt aduentus Domini, niſi vt Deus oſtenderet dilectionem ſuam in nobis, commendans eam vehementer quia cum adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Rom.5.verſ.10. Hoc autem ideo, quia finis præcepti,& plenitudo legis caritas eſt. 1. Tim. 1. verſ. 5. Rom. 13. verſ. 10. Vt & nos inuicem diligamus, & quemadmodum ille pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos pro fratribus animam ponamus,1.Ioan.3.verſ.16. & ipſum Deum quoniam prior dilexit nos,Ioann.4.verſ.10. & filio vnico ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum Rom.8.verſ.32. Si amare pigebat;ſaltem nunc redamare non pigeat: Nulla eſt enim maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Et nimis durus eſt animus, qui dilectionem,ſi nolebat impendere,nolit rependere. Operæ pretium eſt & animaduertere quod ibi amor gratior, vbi non æſtuat indigentiæ ſiccitate,vt cum inferior diligit ſuperiorem, ſed vbertate beneficentiæ profluit, vt cum ſuperior diligit inferiorem. Ille namque amor ex miſeria eſt, iſte ex miſericordia. Iam vero ſi etiam ſe amari poſſe à ſuperiore deſperabat inferior, ineffabiliter commouetur in amorem, ſi vltro fuerit ille dignatus oſtendere quantum diligat eum, qui nequaquam ſibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem ſuperius Deo iudicante, & quid deſperatius homine peccante? Ergo maxime propterea Chriſtus aduenit, vt cognoſceret homo quantum eum diligat Deus,& ideo cognoſceret, vt in eius dilectionem,à quo prior dilectus eſt,inardeſceret, proximumque illo iubente & demon-

ſtrante diligeret. *Iſta ibi & plura doctiß. & ſanctiß. Aug.*

Hac tertia ratione oſtenditur & quarta cur verbum caro factum ſit. Si enim idcirco Dei *filius homo factus eſt, vt ſummo hoc ſuo dilectionis argumento hominem in Dei proximique inflammaret amorem, & omnis vera & ſalutaris virtus, vel ex caritate profluit, vel ab ea vt regina imperatur quemadmodum magnus ille Apoſtolus docet 1.Cor.13.Conſequens eſt, veniſſe vt imitandæ virtutis cuiuslibet illuſtre præberet exemplum. Quod ipſum & S. Auguſt. docet ſerm.52. de diuerſis in Natiuitate Domini habito.* Obſecro vos, *ait*, cariſsimi, quàm magnum ſit hoc myſterium veritatis. Ad ſaluandos homines legem dederat: Prophetas miſerat, & quia ſanandis languoribus hęc remedia præceſſerunt, ipſum ſe ad ſalutem eorum offerre hominibus Deus voluit. Porro homines Deum ipſum in ſubſtantia ſua videre non potuerunt; ſpem vero homines ſuam ponere in ſolo homine non debebant. Quid ergo hic fieret? Hominem ſequi non debebant. Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.

Dat & quintam rationem B. Auguſt. quod verbum caro factum ſit, vt nos ſuæ diuinitatis efficeret participes, ſiue vt loquitur S. Petrus 2.ep.1.verſ.4. diuinæ naturæ conſortes. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ait B. Auguſt. ſerm.9. in Natali Domini cariſsimi, qui in æternum eſt cunctorum creator, hodie de matre naſcendo factus eſt nobis Saluator. Natus eſt nobis hodie in tempore per voluntatem, vt nos perducat ad Patris æternitatem. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus, vt

us, vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus eſt homo. *In quem celſiſſimum dignitatis gradum, vt ſit filius Dei hominem poſſe aſcendere ne quiſpiam ambigeret, S. Ioan. cum dixiſſet c. 1. verſ. 12.* Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri *quaſi huius ſententiæ rationem reddens: v. 14. quia* Verbum *inquit* caro factum: *ac ſi diceret teſte S. Aug. epiſt. 120. c. 4.* O homines nolite deſperare vos fieri poſſe filios Dei: quia & ipſe filius Dei hoc eſt, verbum Dei caro factum eſt, & habitauit in nobis. Reddite vicem, efficimi Spiritus, & habitate in illo qui caro factus eſt, & habitauit in vobis. Neque enim iam deſperandum eſt, participatione verbi fieri poſſe homines filios Dei quando filius Dei participatione carnis, factus eſt filius hominis.

Ex quibus & ſexta cauſa cur verbum caro factum ſit ſumi poteſt vt nimirum noſtram honoraret naturã eamque peccando ne contaminaremus, doceret. Hinc S. Auguſt. lib. de vera religione cap. 16. Cum omnibus modis ait, medeatur Deus animis, pro temporũ oportunitatibus, quæ mira ſapientia eius ordinantur nullo modo beneficentius conſuluit generi humano, quam cum ipſa ſapientia Dei, id eſt vnicus filius conſubſtantialis Patri & coæternus totum hominem ſuſcipere dignatus eſt, & verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. Ita enim demonſtrauit, quam excelſum locum inter creaturas habeat humana natura: cum hominibus in vero homine apparuit: ipſa enim natura ſuſcipienda erat, quæ liberanda.

Et quia filijs debetur hæreditas, & ideo (quæ cauſſa ſeptima eſt) verbum caro factum eſt vt ſempiternam hæreditatem & felicitatem conſequeremur. Ego, *inquit* Dominus Ioannis 10. verſ. 10. veni vt vitam habeant & abundantius habeant.

Nimirum vt vitam habeant gratiæ in hoc ſæculo, & abundantius in futuro vitam obtineant ſempiternam, glorioſam, ac beatam.

Et quia his bonis potiri non poteramus, niſi & malis quibus implicati eramus exolueremur, ideo octaua de cauſa, verbum caro factum eſt, vt nos è ſeruitute dæmonis, peccati, mortis, gehennæ in veram libertatem aſſereret. Quo pertinent iſtæ partim Saluatoris, partim Apoſtolorum, ſententiæ Lucæ 5. verſ. 32. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam Lucæ 19. v. 10. Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat Ioannis 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. 1. Timot. 1. verſ. 15. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facre. Hebr. 2. verſ. 14. Quia pueri cōmunicarunt carni & ſanguini & ipſe ſimiliter participauit iiſdem, vt per mortem deſtrueret eum qui mortis habebat imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.

Etſi vero propter has ſimileſque cauſſas verbum caro factum ſit, rectè tamen, ait S. Auguſt. l. 13. de Trinit. cap. 10. non defuit Deo alius modus quo liberaret hominem à miſeria mortalitatis huius; cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientior modus alius non fuit, nec eſſe oportuit. *Vbi & illud allatis rationibus affirmat.* Et l. de Agone Chriſtiano cap. 11. B. Auguſt. Sunt, *inquit*, ſtulti qui dicunt: Non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem? *Quo loco & multis argumentis hunc modum hominem liberandi decentiſſimum*

mam fuiſſe demonſtrat. Et *S. Leo ſerm. 2. de Natiuit. Domini*: Verax, *inquit*, miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent hanc potiſsimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli non virtute vteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ.

O verbum æternum temporis expers, O verbum ex mente Patris procedens, illi æquale & totam continens diuinitatem, ô verbum efficax quo condita ſunt & conſeruantur vniuerſa, ô verbum caro factum & habitans in nobis, vt nos homines diuinitatis tuæ tribueres eſſe participes, ô verbum quod doctrina pariter & exemplo erudiſti nos qua via & ratione ſempiternam conſequeremur felicitatem. Tibi Deo & Liberatori noſtro ſit cum Patre & Spiritu Sancto honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

CAPVT XXIV.

QVAMOBREM DEI FILIVS Dei ſiue Patris imago nuncupetur.

SÆpiuſcule *Filius Dei imago Dei in S. literis appellatur Sap. 17. ver. 26.* Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum Dei Maieſtatis & imago bonitatis illius. Candor lucis æternæ ait S. Aug. lib. 4. de Trinit. c. 20. quid aliud eſt, quam lux lucis æternæ? Candor quippe lucis quid niſi lux eſt: & ideo coæterna luci, de qua lux eſt?

Huic ſimile eſt quod ait Apoſtolus Hebr. 1. verſ. 3. de Dei filio. Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura

 ſub-

ſubſtantiæ eius. *Hoc eſt, lumen de lumine, ſplendor de lucido Patre prodiens ac ſine mutatione procedens*, ſicut radius, inquit B. Chryſ. ibidem in ep. ad Hebr. procedit à ſole, & eſt Patri coæternus, ſicut radius æquæuus eſt ſoli, *& vt* Damaſc. ait l. 1. de Fide c. 9. inſeparabilis eſt à Patre, & lux inſeparabilis eſt à Sole, neque poteſt deficere, ſicut neq; lux ſolis deficit.

Eſt & ſpeculum ſine macula, *lęuiſſimum terſiſſimum & nitidiſſimum paterna energia, virtutis, ac Maieſtatis Patrem ac diuinam eſſentiam perfectiſſimè repræſentans. Sicut enim in ſpeculo, quibus id intuens motibus commouetur, iiſdem & imago quæ per ſpeculum formatur, & in nullo prorſus declinat. Sic filius à Patre nullo modo variat &* quæ facit Pater, hæc & filius ſimiliter facit Ioan. 5. v. 19.

Eſt & imago bonitatis illius *quæ bonitas eſt ipſiſſima eſſentia diuina, quæ Filio à Patre infinita bonitate communicata eſt. Et 2. Cor. 4. v. 3.* Vt non fulgeat illuminatio glorię Chriſti, qui eſt imago Dei. Coll. 1. v. 15. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Hebr. 1. verſ. 3. Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, ſiue character hypoſtaſiæ, *id eſt, ad diuini Patris naturam expreſſus vt eam exactiſſimè & perfectiſſimè per omnia referat.*

Quam Apoſtolicam ſententiam in Comment. epiſtolæ ad Hebr. explanans. B. Ambroſ. Vbique quidem, *inquit*, religioſo nobis opus eſt intellectu, maxime autem vbi de Deo vel loquimur, vel audimus, Quoniam neque ad loquendum dignè de Deo lingua ſufficit, neque ad percipiendum præualet intellectus. Oportet enim vbi vel ſermo deficit, vel cogitatio explicari de Deo nõ poterit, tunc magis glorificare nos Deum, quod talem Deum habemus: qui & intellectum tranſcen-

ſcendit,& cogitationis intuitum. Merito ſplendorem cum dixit gloriæ: vtpote qui ipſum ſciebat dicentem Ioannis 8.verſ.12. Ego ſum lux mundi. Oſtendens enim lumen de lumine, ſicut Deum de Deo eſſe, animaſque noſtras illuminantem: & Patrem nobis inſinuantem. Per ſplendorem quippe vnitatem declarauit eſſentiæ cum Deo Patre, & mirabili modo ſic vnam ſubſtantiam oſtendit, vt duas perſonas aperiret in gloria & ſplendore. Vnde etiam ſubiungit, qui eſt figura ſubſtantiæ eius. Figura quippe altera eſt ab eo, cuius refert formam. Altera autem non in omnibus, ſed in ſecundum perſonam. Nam & hic figura æqualitatis omnino præbet inditium ad illud cuius figura oſtenditur: & ſuſpicionem vel paruæ diſsimilitudinis proculdubio non recipit. Hic enim figuram dixit quod alio loco formam nominauit. vbi ait Philip.2.v.6. Qui cum in forma Dei eſſet. Forma videlicet, vel figura vnam declarat eſſentiæ æqualitatem. *Itaque ſecundum S. Ambroſ. figura & characteris nomine denotatur expreſſio ex alio, per quod res manifeſtà cognitione percipitur, qualis eſt ſigilli figura in cera impreſſa. Hinc & Saluator dicebat Ioannis* 14.*verſ*.9. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum. *Quaſi dicat teſte* S. Ambroſ. lib.6. Hexæmeron cap.7. Tu cum imaginem viuam Patris viuentis videas, dicis: Oſtende nobis Patrem. Imago Dei ſolus eſt ille qui dixit Ioannis 10.verſ.30. Ego & Pater vnum ſumus. Ita habés ſimilitudinem Patris, vt diuinitatis & plenitudinis habeat vnitatem.

*Ratio vero cur Chriſto Domino peculiariter & propriè hoc nomen imaginis conueniat, aſſignatur à S. Thom.*1.*p.q.*35.*& ab aliis Scholæ Doctoribus* 1. *S. d.* 27. 28.31. *quoniam ex vi productionis ſuæ per intellectum* pro-

procedit vt ſimilis, & velut ad imitationem ſubſtantiæ Patris producentis, quæ ſubſtātia per modum ſpeciei intelligibilis ad verbi diuini productionem concurrit. I*mago autem propriè ſimilitudo eſt, non qualibet, ſed per ſe id, vnde habet originem, repræſentans, & cuius imago dicitur, etiamſi non ideo producatur, vt repræſentet; quod Seth exemplo oſtendi poteſt, quem genuit Adam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* S. Baſil. l. 2. aduerſus Eunomium: Oportet intelligere ait imaginem inuiſibilis Dei, nec ſecundum artificioſas has imagines ad exemplar poſtea laboratam, ſed exiſtentem & conſubſiſtentem cum prototypo, qui ipſi ſubſtantiam dedit, idemque cum architypo exiſtentem, nec imitatione figuratā, ſed tanquam ſigillo aliquo tota potens natura filio impreſſa.

Et hom. 25. contra Sabellianos & Arrianos idem D. Baſil. Filius ex Patre genitus, ait, patremque in ſeipſo naturalem exprimens, vt imago quidem per omnia illi reſpondet, vt progenies vero quod conſubſtantialis ſit, obtinet.

Quod ſapienter à S. Baſilio dictum; ſiquidem ex eo quod filius dicatur imago, non ſatis probatur eum eſſe perfectam imaginem, ſed quia eſt Patri conſubſtantialis: nam vt notat S. Aug. l. 7. de Trinit. c. 6. homo etiam vocatur abſolutè Dei imago à S. Paulo 1. Cor. 11. v. 7. cum ait: Vir non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei. *Eſt autem homo imago Dei: quia ab eo originem ducens illi ſimilis eſt intelligentia, quæ quaſi eſt vltima ratio & differentia ipſius. Eſt autem intelligentia ſimilis illi imago, non ſecundum id tantum quod Deus exemplar & idea eſt, ſic enim quæuis creatura facta eſt ſecundum ſimilitudinem & imaginem aliquam in Deo, ſed etiam quia eſt creata ſimilitudo naturæ diuinæ in natura hominis, per quam homo eſt peculiaris quædam imago Dei;, imperfecta tamen: quia gradus*

gradus diuinæ intelligentiæ ab humanæ intelligẽtiæ gradu in infinitum diſtat. Atque ideo dixit Deus: Faciamus hominem, non vt ſit imago noſtra, ſed ad imaginem noſtram, *vt notauit S. Auguſt. li. 7. de Trinit. cap. 6.*

Quo pacto & Angelus eſt imago Dei, quod probat S. Greg. hom. 34. in Euang. ex illo Ezech. 28. v. 12. Tu ſignaculum ſimilitudinis. *Eſt etiam in homine iuſto peculiaris quædam ratio diuinæ imaginis, quatenus perfectiori quodam modo intelligit & amat Deum per gratiam, ſicut ipſe Deus intelligit, & amat ſeipſum. Hinc S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam:* Non æqualitatis, *ait*, homini ad Deum, ſed ſimilitudinis æmulatio eſt. Solus enim Chriſtus eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt. ſi propter imitandam diuinæ conuerſationis ſimilitudinem, mundũ hunc Dei cognitione cõtemnat, voluptateſque terrenas Verbi perceptione deſpiciat, quo alimur in vitam, vnde & corpus Chriſti edimus, vt vitę æternæ poſsimus eſſe participes. *Ac demum perfectiſsima eſt Dei in beatis imago, qua Deum perfectiſsima ſcientia ac charitate complectuntur.* Cùm enim apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eum, ſicuti eſt, 1. *Ioan.* 3. *v.* 2. *Ad quam ſimilitudinem ac felicitatem vt perueniamus, Apoſtolo monenti obtemperemus. Coll.* 3. *v.* 9. Expoliantes vos veterem hominem cum actib. ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem, ſecũdum imaginem eius, qui creauit illum. *Videatur S. Tho.* 1. *P. q.* 35. & *q.* 93.

Da cœleſtis Pater, vt quos Filio tuo vnigenito intelligentia creaſti ſimiles, efficias & ſimiles virtute & gratia, vt & eius ſimilitudinem conſequamur in ſempiterna felicitate & gloria.

Capvt XXV.

DE ALIIS VARIISQVE DEI FIlij nominibus.

ANte omnia hic intelligẽdum: Ex eo quod res quæque eſt, habeat appellationem. Vnde ſæpe dicitur vocari hoc aut illo modo, non tam quod illud nomen habitura ſit, quàm quod re vera conuenit ei, quod nomine ſignificatur. Sic de Saluatore noſtro dicitur Iſa. 7. v. 14. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel (*quod eſt nobiſcum* Deus) *vt eſt Matthæi* 1. *verſ.* 24. *Et cap.* 8. *verſ.* 3. Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. *Et capite* 4. *verſ.* 6. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſęculi, Princeps pacis. *Non omnia hæc nomina Chriſtus habuit, omnia tamen quæ illis ſignificantur, habuit.*

Verè ipſe Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus: *quia* Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, *Ioan.* 1. *v.* 14. Hic enim eſt Deus noſter, qui in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, *Baruch* 3. *v.* 38.

Verè magnus prædator & ſpoliator Chriſtus, qui fortem illum armatum dæmonem atrium ſuum cuſtodientem ipſe fortior ſuperueniens vicit, & vniuerſa arma illius abſtulit, & ſpolia diſtribuit, *Luc.* 11. *v.* 21. 22. qui captiuam duxit captiuitatem, *Pſal.* 67. *v.* 19. *Eph.* 4. *v.* 8.

Admirabilis Chriſtus in conceptu & ortu ex Virgine, invitæ ac doctrinæ ſanctimonia, in miraculis, in paſſione, reſurrectione, aſcenſione, in Eccleſiæ gubernatione. Sapientiſſimus conſiliarius Chriſtus non modo in Euangeli-

angeli eorum conſiliorum, vt caſtitatis, obedientiæ, paupertatis, patientiæ, percuſſori vltro maxillam offerentis, & pallium auferẽti etiam tunicam largientis ſuaſione, ſed etiam in cunctorum vitiorum dehortatione, & omnium virtutum commendatione.

Deus, Chriſtus ſuper omnia benedictus. Rom. 9. v. 5. Fortis Chriſtus vniuerſa ex nihilo producens, Ioan. 1. v. 3. Coll. 1. v. 16. & eadem ſolo imperio ſuo ſuſtentans & gubernans, Heb. 1. v. 10. inuictus dæmonis, peccati, mortis triumphator.

Pater futuri ſæculi, in veteri Teſtamento aduerſus ſeruos Dominus, *in nouo Teſtamento erga filios pater, ſuis nunc adoptionis gratiam, & poſt ſempiternam largiens hæreditatem.*

Ex hac eadem Scripturæ conſuetudine, quâ nomen pro re ſignificata idcirco ponitur: quia cum res ipſa conueniat, & nomen rectiſſimè conuenire queat, intelligitur, & illud Ierem. 23. v. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtũ, & regnabit Rex; & ſapiens erit, & faciet iudiciũ & iuſtitiam in terra, & hoc eſt nomen, quo vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. *Vel vt alij ex Hebræo vertunt: Iehoua iuſtitia noſtra, id eſt, Deus iuſtificans nos. Talis re vera Saluator noſter eſt, licet hoc nomine nunquam appellatus.*

Quomodo & accipiendum illud Zach. 3. v. 8. Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem. *& cap. 6. v. 12.* Ecce vir Oriens nomen eius. *Et Luc. 1. ver. 78.* Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri viſitauit nos Oriens ex alto. *Sol Oriens Chriſtus, &* Sol intelligentiæ, *Sap. 5. verſ. 6. &* Sol iuſtitiæ, *Malach. 4. verſu 2.* Orietur vobis timentibus nomen meum, *(id eſt me.)* Sol iuſtitiæ. *Et vt ait Apocalyp. 22. verſu 16.* Ego Ieſus ſum radix, & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina. Et ſtella ex Iacob, *Num. 24. v. 17.*

Et eſt

Et eſt lux gentium, Iſa. 49. *v.* 6. *Act.* 13. *v.* 47. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. *Luc.* 2. *v.* 32. Lumen ad reuelationem gentium, *&c. Imo &* lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundũ, *Ioan.* 1. *v.* 9. *Ioan.* 8. *ver.* 12. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *Ioan.* 12. *v.* 46. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. *Et hæc Chriſtus* Dominus, *quia infidelitatis & ignorantiæ, peccati ac mœſtitiæ nubem ac caliginem diſpellit & præbet fidei, veritatis, iuſtitiæ, ſcientiæ, lætitiæ lumen.*

Eſt alia hic regula notanda, ex qua Chriſti Domini *nomina & attributa rectius intelliguntur, quod nimirum abſtracta ſæpe ponantur pro cõcretis, exempli cauſa, Pſ.* 17. *v.* 1. Diligam te Domine fortitudo mea, *id eſt, me confortans, Pſ.* 26. *v.* 1. Dominus ſalus mea, *hoc eſt ſaluans ac liberans me. Pſal.* 58. *v.* 18. Deus meus, miſericordia mea. *id eſt, clemẽter ac benignè mecum agens. Ex quo iam cognoſcitur, quod de Chriſto ait S. Paulus* 1. *Cor.* 1. *v.* 30. Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt Ierem. 9. 23. Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Chriſtus ſapientia noſtra, id eſt, erudiens nos, & ſapientes efficiens Chriſtus, iuſtitia noſtra, id eſt iuſtificans nos, & cœleſti gratia ac virtute impertiens. Chriſtus ſanctificatio noſtra, nos vera ſanctitate ornans. Chriſtus redemptio noſtra nos redimens, & in libertatem vindicans.*

Eſt & tertia regula S. Auguſt. tract. 80. *in Ioannem, quod multa nomina tribuantur Chriſto per ſimilitudinem, non per proprietatem. Sic dicitur vitis, Ioan.* 15. *v.* 1. *Ouis, Iſai.* 53. *v.* 7. *Agnus, Ioan.* 1. *v.* 36. *Apoc.* 5. *v.* 6. *& cap.* 19. *v.* 7. *Leo, Apoc.* 5. *v.* 5. *Petra,* 1. *Cor.* 10. *v.* 4. *Lapis angu-*

angularis, Pſalm. 117. v. 22. Epheſ. 2. v. 20. Fundamentum, 1. Cor. 3. v. 10. Via, Ioan. 14. v. 6. Oſtium, Ioan. 10. v. 7. Flos, Iſai. 11. v. 1. Cant. 2. v. 1. & cætera huiuſmodi, ex quibus ducuntur ſimilitudines nō proprietates. Verbi gratia, Agnus dicitur Chriſtus, 1. propter puritatem & innocentiam, & vtilitatem. 2. ideo, quod noſtræ ſalutis cauſa puerulus factus ſit. Solemus enim puellos agnos vocare, ait Clem. Alex. lib. 1. pædag. cap. 5. 3. quia ipſe noſter paſchalis agnus immolatus pro peccatis noſtris, 1. Cor. 5. v. 7. quo ſui ſacrificio mundi peccata abſtulit. 4. quia præmonſtratus agno, cuius ſanguine aſperſi poſtes in Aegypto, Exod. 12. v. 22. tuti erant ab Angelo percuſſore. Et illo agno, qui manè & veſperè offerebatur, Leuit. 6. 5. quia Agnus prædictus à Prophetis, Iſaiæ 53. v. 7. Tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit. *Ierem. 11. verſ. 7.* Ego tanquam Agnus manſuetus qui portatur ad victimam. *Ita fons Chriſtus appellatur, Zach. 13. v. 1. quia ſordes peccatorum abluit, quia concupiſcentiæ ardorem reſtinguit, quia caducarum rerum ſitim extinguit, quia perennibus & largis gratiarum ac virtutum ſcatebris abundat, quia mirificè recreat: atque hunc in modum de aliis ratiocinandum.*

Alia Chriſto Domino nomina aſſignantur ex officiis quæ vel obiuit in terra, vel etiamnum gerit in cœlo. Vt cum dicitur Summus Sacerdos & Pontifex noſter, Pſal. 109. v. 4. Heb. 5. v. 1. & cap. 13. v. 11. Mediator Dei & hominum. *1. Tim. 2. v. 5. interceſſor & interpellator, Rom. 8. v. 34. Heb. 7. v. 25. Aduocatus, 1. Ioan. 2. v. 2. Pacificator, Coloſſ. 1. v. 20. Rex regum, & Dominus dominantium, Apoc. 19. v. 16. Paſtor, Iſai. 40. v. 11. Ezech. 2. v. 23. Ioan. 10. v. 14. Dominus virtutum, Rex gloriæ, Pſal. 23. v. 7. & 8. Doctor, Iſa. 30. verſ. 20. Ioel. 2. v. 23. Magiſter noſter, Matth. 23. v. 8. Ioan. 13. v. 13. Iudex viuorum & mortuorum, Act. 10. v. 42. Propheta, Deuter. 18. v. 15. Ioan. 1. v. 45. Act. 3. v. 22.*

Ex

Ex his & aliis ſimilibus nominibus alia de Chriſto prædicantur vt Deo, *alia vt de homine, alia vt de Verbo incarnato, ſiue* Deo *& homine.*

Sunt autem duo celeberrima & vſitatiſsima Saluatoris nomina, quibus appellatur Chriſtus & Ieſus. Et quidem quod Græcè eſt Chriſtus, hoc Hebraicè eſt Meſsias, & Latinè vnctus: Sacro autem oleo perungebantur & ſummi Sacerdotes, Exodi 29. *v.* 36. *& Reges,* 1. *Reg.* 10. *v.* 1. *cap.* 16. *v.* 12. *& Prophetæ aliqui inſignes, vt Eliſæus,* 3. *Regum* 19. *v.* 15. *Omnes hi vocabantur Chriſti. Sed Saluator noſter Chriſtus per antonomaſiam & excellentiam nuncupatus eſt, Pſalm.* 2. *ver.* 2. Aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Daniel.* 9. *verſ.* 26. Poſt ſexaginta duas hebdomadas occidetur Chriſtus.

Excellentia autem in duobus conſiſtit. 1. *quia noſter Chriſtus* Dominus *omnes ſimul vnctionis cauſas complectitur. Ipſe enim eſt Rex. Pſalm.* 2. *v.* 6. Ego autem conſtitutus Rex ab eo. *Ierem.* 23. *verſ.* 5. Regnabit Rex, & ſapiens erit. *Ipſe Summus Sacerdos, Pſal.* 109. *v.* 4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. *Ipſe Propheta, vt paulò ante oſtendimus. Fuit quidem Dauid Rex & Propheta, ſed non ſacerdos; fuit Ezechiel ſacerdos & Propheta, ſed non Rex: Solus Seruator noſter hæc tria ſimul nomina habuit, & præſtantiſsimo modo habuit. Quare & nomen Chriſti illi maximè accommodatum, & quaſi propriè tributũ eſt.* 2. *Quia illi in veteri lege naturali oleo ſiue vnguẽto delibuti fuêre: cum quo, ſi qua gratia communicata fuit, erat illa finita & infuſa, qualis puris & meris datur hominibus. At Chriſtus* Dominus *noſter longè aliter vnctus fuit, nimirum ipſa diuinitate, quæ ipſius humanitate vnita eſt, Iſai.* 61. *v.* 1. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit me. *Act.* 10. *v.* 38. Quomodo eum vnxit Dominus Spiritu S. *Itaque per coniunctam diui-*

diuinitatem ſanctificabatur humanitas, & quanto diuinitas ſuperat creaturam, tanto ſuperat vnctio Chriſti cæteras vnctiones. Hinc Chriſtus Dominus dicitur vnctus præ participibus ſuis, Pſal. 44. v. 8. Et Heb. 1. v. 9. Ex hac autem diuinitatis coniunctione & vnctione in humanam etiam Chriſti Domini naturā dimanauit gratia infuſa, ſed quæ ſit ſine menſura, Ioan. 3. v. 34. omnē complectens gratiam, & excellētiſſimo modo cōplectens, à qua omnes aliæ gratiæ tanquam riuuli è fonte deriuātur: nam de plenitudine eius omnes accipimus, gratiam pro gratia, Ioan. 1. v. 16.

Ieſus verò Liberatoris noſtri nomen eſt propriū ipſum ab aliis diſtinguens, ſignificat autem idem quod Saluator, quemadmodum ipſe Angelus exponit Ioſepho, Matthæi 1. verſ. 21. Vocabis, ait, nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quo nomine etſi alios appellatos fuiſſe legimus, vt Ieſum filium Naue, Ioſuæ 1. verſu 1. & filium Ioſedech ſacerdotem, Haggæi 1. verſu 12. 14. illis tamen caſu, Chriſto Domino conſilio, eoque non humano, ſed diuino hoc nomen datum, & illi non erant, qui hoc nomine ſignificabantur, verè Saluatores, Chriſtus autem Dominus plus eſt, quam hoc nomine ſignificatur. Itaque aliis erat nomen quodammodo commune, & certè vulgare, Chriſto proprium, & vt Propheta Iſaias capite 62. verſu 2. prædixerat nomen & ſingulare: quia eo modo quo de Chriſto dicitur, nemini præterea conuenit, quia non eſt in aliquo alio ſalus, Actuum 4. ver. 12..

Et quamuis hoc nomen Saluator toti beatiſſimæ Trinitati ſit commune: Siquidem Pater, Filius, & Spiritus ſimul ac indiuiſè ſalutē efficiunt, condonant peccata, gratiam largiuntur & gloriam, Pſal. 24. v. 5. Tu es Deus ſaluator meus. Eccli. 51. v. 1. Collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Iſaiæ 12. v. 2. Ecce Deus Saluator meus, tamen tanquā propriū Verbo incarnato impoſi-

impoſitum eſt, quia Chriſtus verus Deus & homo ſatisfecit pro peccatis noſtris factus propitiatio pro peccatis totius mundi, *Rom.* 3. *v.* 25. 1. *Ioan.* 2. *v.* 2. & *c.* 4. *v.* 10. *Ipſe emit nos pretio magno,* 1. *Cor.* 6. *v.* 20. Sanguine ſuo, 1. *Pet.* 1. *v.* 19. *Ipſe meruit nobis veniam & gratiam,* 1. *Cor.* 1. *v.* 4. *Ipſe mediator* Dei *& hominum,* 1. *Tim.* 2. *v.* 5. *Ipſe à quo inſtaurata ſunt omnia, Eph.* 1. *v.* 0. *quæ non ſunt communia toti S. Trinitati, ſed propria Chriſto* Deo *& homini, cui proinde ſingulari modo conuenit eſſe Saluatorem, & hoc nomen Ieſus ratione vtriuſque naturæ in diuino Verbo connexæ illi attributum eſt.*

Voluit autem nomen Saluatoris potius ſi[illegible] vendicare, quàm Iudicis, quamuis Pater omne iudicium dederit Filio, *Ioann.* 5. *v.* 22. & ſit conſtitutus Iudex viuorum & mortuorum, *Act.* 10. *v.* 42. *non idcirco ſolum, quod maluerit nos amore inuitare, quàm metu percellere, aut quod prius ad ſaluandum venerit, quàm ad iudicandum, ſed hac potiſſimum de cauſa, quod Filius Dei ideo factus ſit homo ſolummodo, vt ſaluaret nos, nõ autem vt iudicaret, & ſua ſacratiſſima paſſione pro peccatis noſtris ſatisfaceret, Ioan.* 3. *v.* 17. Non miſit Deus Filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, *Ioann.* 12. *v.* 47. Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum.

Cum ergo cuncta inſint in Chriſto Domino, quæ his nominibus tam multis, tam variis ſignificantur, merito S. Ambroſ. libr. 3. *de Virginibus:* Omnia habemus in Chriſto, omnia Chriſtus eſt nobis. Si vulnus curare deſideras, medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt. Si grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges, virtus eſt: Si mortem times, vita eſt: Si cœlum deſideras, via eſt: Si tenebras fugis, lux eſt: Si cibum quæris, alimentum eſt. Guſtate igitur, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus,

rius, beatus vir qui ſperat in eo, Pſalmo 33. verſu nono.

O bone Ieſu, ſis mihi Ieſus. Tunc autẽ mihi Saluator eris, ſi fueris omnia in omnibus, nec lubeat adire diſſipatas creaturarum ciſternas, qui in te viuo bonorum fonte ſincerius cuncta poßideo.

Capvt XXVI.

CVR DEI FILIVS CREBERRIME ſe hominis Filium appellauerit.

V*Idetur hoc nomine Saluator delectatus, quod toties illud in S. Euangelio repetiuerit, neque ſolum cum vilibus in rebus de ſe ſermonem haberet, ſed etiam cum in ſplendidis & magnificis, quod vtrunque breuiter declarandum eſt:* De abiectiore ſua condi*tione loquens Matth.* 8. *v.* 20. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. *cap.* 11. *v.* 19. *cap.* 12. *v.* 27. 32. & 40. Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. *cap.* 13. *v.* 37. Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. *cap.* 17. *v.* 22. Filius hominis tradendus eſt in manus hominum. *cap.* 18. *v.* 11. Venit Filius hominis quęrere & saluũ facere, quod perierat. *cap.* 20. *v.* 18. *Et v.* 28. Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. *Et cap.* 26. *v.* 2. Filius hominis tradetur, vt crucifigatur. *v.* 24. Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo, *&c. Ioann.* 3. *v.* 14. exaltari oportet Filium hominis.

Hominis etiam Filium ſe libenter nominat, cum de ampliſſimis ſuis rebus & nunciis loquitur. Matth. 9. *ver.* 6. Filius hominis habet poteſtatem in terra di-

mittendi peccata. c. 16. v. 27. & 28. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius: Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtãtibus, qui non guſtabunt mortem, donec videãt Filium hominis in regno ſuo. *c.* 24. *v.* 27. 30. 44. *c.* 25. 31. *c.* 26. *v.* 64. *Ioa.* 3. *v.* 13. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo, *&c.* *Dan.* 7. *v.* 13.

Et quidem Filij hominis nomine homo ſignificatur, Iob 25. *verſu* 6. Homo putredo & filius hominis vermis. *c.* 35. *v.* 8. *Pſal.* 8. *v.* 5. Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum. *Pſal.* 32. *v,* 13. *Eccleſ.* 8. *v.* 11. Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia abſq; timore vllo filij hominum perpetrant mala. *Iſa.* 5. 2. *v.* 14. *Thren.* 3. *v.* 25. *Quid ergo, nunquid ſe hominẽ eſſe teſtificari voluit Saluator? quis ei hoc non credidit? Aliud ergo latet myſterium. Ezechiel ſæpiſſimè cap.* 2. *v.* 1. 3. 6. 8. *ca.* 3. *v.* 1. 4. 10. 17. 25. *& per totum Prophetam ab Angelis vocatus eſt filius hominis, vt & Daniel c.* 8. *v.* 17. *vt Angeli eos à ſe, qui homines non erant, ſed videbantur, diſtinguerent, & illi fragilem ſuæ naturæ conditionem agnoſcerẽt. Sed illi ab aliis ita nominati ſunt, Chriſtus verò* Dominus *ſeipſum hominis Filium appellauit. Cauſæ autem potiſſimæ hæ ſunt:* 1. *Ex qua tanquam radice & aliæ pullulant, eſt, vt mentis fideique oculis nobis ſubiiceret, quod ait S. Paulus Philipp.* 2. *v.* 3. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominũ factus, & habitu inuentus vt homo. *Vt diligentiſſimè conſideraremus, & reputaremus, quod in Symbolo habet Concil. I. Nicænum*: Credo in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum,

nitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialẽ Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus eſt. *Hoc eſt, vt nunquam obliuiſceremur ſummi illius beneficij, quo Dei Filius noſtræ ſalutis ergò eſt homo factus. Hinc S. Auguſt. lib. de conſenſu Euang. cap.* 1. Secundũ carnem, *inquit*, Chriſtus Filius hominis eſt, quod etiam ſeipſe ſæpiſsimè appellat, commendans nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis. *Hoc ergo nomine hominis Filij magnum erga nos Incarnationis ſuæ beneficium declarat. Quam Filij Dei erga nos caritatem & his verbis prædicat S. Gregor. Naz. Orat. in Sancta Lumina:* Dei Filius, hominis Filius eſſe & vocari ſuſtinet, non quod erat immutans (neque enim mutationem admittit) ſed pro ſingulari ſuo erga homines amore, id, quod non erat aſſumens, vt qui natura ſua comprehendi non poteſt, comprehendatur intermedia carne, quaſi velo quodam interiecto nobiſcum verſans: quandoquidem procreata natura interituiq; obnoxia imbecillior eſt, quàm vt puram ipſius diuinitatem ferre queat.

Secunda cauſa eſt, vt hoc verbo ſuæ Incarnationis modum exponat, quod reuera homo natus ſit, Matth. 1. *verſ.* 16. De Maria natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. *Luc.* 1. *v.* 4. Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius IESVM. *Galaticæ* 4. *verſu* 4. Miſit DEVS Filium ſuum factum ex muliere. *Potuiſſet ſiquidem ſibi corpus ex nihilo fabricari, vel ex terra formare, vt corpus Adæ, vel ex humani corporis particula, vt ex Adami coſta*

Euam produxit, & tunc non fuiſſet Filius hominis, ſicut nec Adamus & Eua fuêre filij hominis. Hoc in ſuo hymno ponderant SS. Ambroſius & Auguſtinus, cum aiunt: Tu Rex gloriæ Chriſte. Tu Patris ſempiternus es Filius: Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum. *Ergo Filius hominis Chriſtus, qui natus eſt ex homine, Virgine videlicet Maria, ſanctiſſimi Spiritus virtute non viri opera. Inſinuant hoc Iren. Martyr Epiſcopus lib. 3. c. 21. & vetuſtiſſimus auctor Tertull. lib. de carne Chriſti.*

Tertia cauſa eſt, vt hac dulciſſima voce ſuam nobiſcum coniunctionem, conſanguinitatem atque adeo fraternitatem exprimeret, vt qui quatenus homo non ſolum ex Deo *communi omnium parente, vt nos genitus, ſed etiam ſimiliter atque nos ſecundum naturam, non culpam ex ipſo Adamo deſcẽderit, & proinde frater noſter ſit: fratres enim dicuntur, & ſunt, qui communem aliquem parentem habent, licet ab eo multis & diuerſis gradibus diſtent. Hæc eſt conſolationis plena & Apoſtolica doctrina. Heb. 2. v. 11. 12.* Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes. Propter quã cauſam non cõfunditur fratres eos vocare, dicens, Pſal. 21. v. 23. Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. *Senſus eſt: Chriſtus, qui quaſi Pontifex, Mediator, & redemptor, homines in peccatum & mortẽ lapſos ſanctificat, & homines qui ab ipſo Chriſto ſanctificantur, ex Adamo vno parente orti & prognati ſunt, atque hac de cauſa Chriſtus* Dominus *quantumuis nobis immenſum præſtãtior non erubeſcit, nos homines ſuos fratres appellare, non verò Angelos, quibuſcunque ſecundum carnem communem hominem parentem non habet. Atque hac ratione quilibet homo cuilibet homini frater eſt, Exod. 10. v. 22. 23.* Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrẽ ſuum. *Quod explanans S. Aug. lib. locutionis in Exodum:*

dum: Notandum, *ait*, fratrem hominis quemlibet hominem dici.

Quarta cauſa eſt, vt hac appellatione ſignificaret ſe eum eſſe, quem Prophetæ humanam ſumpturum naturam prædixerant, quemque etiam filium hominis appellauerat Daniel *c.7.v.13. ac ſe promiſſiones* Patribus *factas impleuiſſe, quibus promiſſum fuit non ſolum* Dei *Filium carnem ſumpturum, ſed etiam de ipſorum ſemine futurum Abrahæ dictum fuerat*: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. *Et Dauid*: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Hæc eſt S. Epiphanij ſententia hæreſi 57. aduerſus* Noetianos. *Et Theodoreti in cap.7. Danielis. Hinc & Apoſtolus Rom. 15.v.8.* Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſsiones Patrum.

Quinta cauſa eſt, vt hoc vocabulo ſpiritualem nobis indicaret natiuitatem, quia ipſe Filius Dei *factus eſt filius hominis, vt hominis filius fieret* Filius *Dei*: quia enim Verbum caro factum eſt, omnibus, qui receperunt eum, dedit poteſtatem filios Dei fieri, *Ioann.1. & Galat.* 4. Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus.

Sexta cauſa eſt, vt humiliter & ſubmiſſe de ſe loqueretur, & nos doceret iactãtiam fugere, & ſermonis modeſtiam amare. Itaque non honoris ſed abiectionis cauſa ſe hominis Filium vocauit, ſicut & vermem & opprobrium hominum, *Pſalm.21.v.7. Huius cauſæ & capitis abſolutionem perficiat S. Aug. Doctor eximius. Is tract.25. in Ioann.* Iſtum, *inquit*, Filium hominis nolite ſic accipere, quaſi alios filios hominum de quibus dictum eſt, Pſalm.35. v. 8. Filij autem hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt. Iſte Filius hominis ſequeſtratus quadã gratia ſpiritus, & ſecundum carnem Filius ho-

minis, exceptus à numero hominum, filius hominis eſt. Iſte & Filius hominis, & Filius Dei eſt, iſte homo etiam Deus eſt. Alio loco interrogans diſcipulos Matth. 16. v. 13. ait: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Reſpondit Petrus: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Optimè ille commemorabat, quod miſericorditer exhibuerat: ille commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendat humilitatem ſuam, homo agnoſcit claritatem Domini ſui. Et reuera fratres puto, quia iuſtum eſt. Humiliauit ſe propter nos, glorificemus illum nos. Non enim Filius hominis propter ſe eſt, ſed propter nos.

Fili Dei, qui factus es Filius hominis, vt nos homines Dei efficeres filios, cõſerua in nobis adoptionis gratiam, vt tuæ virtutis imitatores in terris, cohæredes ſimus in cœlis.

CAPVT XXVII.

VERBVM, SIVE DEI FILIVS ſapientia Patris.

ALteri in diuinitate Perſonæ hoc nomen attribuit Apoſtolus, 1. *Cor*. 1. *v*. 24. Prędicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. *S. Leo ſer.* 1. *in Natiu. Dom.* Talis, *inquit*, dilectiſsimi, natiuitas decuit Dei virtutem, & Dei ſapientiam Chriſtum, qua nobis & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium, niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum. S. *Aug. de fide & Symb. cap.* 5. Sempiternus Deus ſapiens, ſempiternam ſecum habuit ſapientiam ſuam. S. *Athanaſ. con-*

naſ. contra gregales Sabellij: Sapientia, *inquit*, Patris eſt Filius, non vt in homine, vbi per ſapientiam eſt ſapiens, ſed ex ſapiente ſapientia illa ortum habet.

S. Auguſtin. lib. 7. de Trinit. c. 1. Pater, *inquit*, ipſa ſapientia eſt. Et ita dicitur Filius ſapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id eſt, vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrunque vnũ lumen: Sic intelligatur ſapientia de ſapientia, & vtrunq; vna ſapientia, ergo & vna eſſentia: quia hoc eſt ibi eſſe quod ſapere. Quod enim eſt ſapientiæ ſapere, & potentiæ poſſe, & æternitati ęternum eſſe, iuſtitiæ iuſtum eſſe, magnitudini magnum eſſe, hoc eſt eſſentię ipſum eſſe. Et quia in illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quam eſſe, eadem ibi ſapientia eſt, quæ eſſentia.

Et cap. 3. In Scripturis, *inquit*, nunquam fere de ſapientia quicquam dicitur, niſi vt oſtendatur à Deo genita, vel creata; genita ſcilicet, per quam facta ſunt omnia, creata verò vel facta, ſicut in hominibus, cum ad eam, quæ non creata nec facta, ſed genita eſt, conuertuntur & illuſtrantur. In ipſis enim ſit aliquid, quod vocetur eorum ſapientia, vel illud Scripturis prænunciantibus, aut narrantibus, quod Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: hoc modo enim Chriſtus facta ſapientia eſt, quia factus eſt homo.

Ex quibus Sancti Auguſtini verbis cognoſcitur, quod quadruplex ſit ſapientia, duplex increata, & duplex creata: nam diuina vel increata ſapientia aut eſt abſoluta, & ad ſe dicitur, & tribus perſonis eſt communis, vel eſt relatiua, & ad aliud dicitur, vt ſapientia Dei, ſapientia Patris, ſapientia nata, genita, ex ore Altiſſimi prodiens, & ſic eſt ipſe Dei Filius. Sapientia creata eſt, qualitas hominũ vel Angelorũ mentib. inſita,

 aut

aut quatenus æterna Dei *ſapientia humanam aſſumpſit naturam, rectè creata appellatur.*

Quid obſtabit, *ait S. Gregorius Nazianzenus Oratione 4. de Theologia,* quo minus ſapientia ſecũdum inferiorem generationem creaturæ nomine appelletur, ſecundum autem primam illam minuſquẹ comprehenſibilem genita dicatur.

O ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiiſti, attingens à fine vſque in finem fortiter ſuauiterque diſponens omnia veni ad docendum nos viam prudentiæ.

LIBER V.
De Sancto Spiritu.

Capvt I.

HAERETICORVM CONTRA Sancti Spiritus diuinitatem refelluntur argumenta.

SAnctus Auguſt. lib. de hæreſibus c. 52. ait Macedoniani ſunt à Macedonio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, de Patre & Filio rectè ſentiunt quod vnius ſint eiuſdemque ſubſtantiæ vel eſſentiæ, ſed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere creaturam eum eſſe dicentes. *Eandem hæreſin complexus eſt perfidus Eunomius, de quo* lib. 3. contra eundem hoc loquitur modo S. Baſilius. Hic qui audet omnia, qui periculum, quod impendet audentibus verbum aliquod blaſphemum in Spiritum ſanctum emittere. Matth. 12. v. 32. non expaueſcit, ſed expertem ipſum Deitatis cenſet. *Suxerunt hoc venenum Macedoniani, ex ſceleratiſſimorum Arianorum vberibus.* Ariani, ait S. Aug. l. de hæreſ. c. 49. ab Ario in eo ſunt notiſsimi errore, quo Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, nolunt eſſe vnius, eiuſdemque naturæ, atque ſub-

ſtantiæ, aut eſſentiæ, ſed eſſe filium creaturam, Spiritum vero ſanctum creaturam creaturæ, hoc eſt, ab ipſo filio creatum voluit. *Et quid Pneumaticos iſtos permouit vt S. ſanctum de diuinitatis ſolio deturbare niterentur. Macedonius & eius aſſeclæ non capiebant, qua ratione S. ſanctus eſſet productus conſubſtãtialis Patri & nõ eſſet filius, & eius ꝓductio generatio, & idcirco negabant S. ſanctum eſſe Deũ cum Patre & Filio, infinitã Dei maieſtatẽ ſtupido ſuo ingenio metiẽtes, quaſi non* plurima ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſint nobis Eccl. 3. v. 25. *in quorum ſuperbiam, temeritatẽ & temerariam ſuperbiam acriter inuehuntur S. Patres qui humili mente & pro affectu ſuam potius ignorationem confeſſi Scripturæ & Eccleſiæ fidem habendam confirmarunt, cũ & multa ſint in naturalibus rebus mirabilia, quorũ ratio mentem noſtram ſugiat S. Aug. l. 3. cõtra Maximinum Arrianorũ Epiſc. c.* 14. Quæris à me: Si de ſubſtantia Patris eſt filius, de ſubſtantia Patris eſt ẽt S. Sanctus, cur vnus filius ſit, & alius nõ ſit filius? Ecce reſpondeo, ſiue capias, ſiue nõ capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt S. ſanctus: ſed ille genitus, iſte procedens: ideo ille filius eſt Patris, de quo eſt genitus: iſte a. Spiritus vtriuſque quoniam de vtroque procedit. Quid autem inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſsima natura loquens explicare quis põt? Diſtinguere inter illam generationem, & hãc proceſsionem neſcio, non valeo, nõ ſufficio. Ac per hoc quia & illa & iſta eſt ineffabilis, ſicut Prophèta de Filio loquens Iſa. 53. v. 8. generationem eius quis enarrabit? ita de S. ſancto veriſsime dicitur: proceſſionem eius quis enarrabit? *Id de ſe ac aliis confitetur B. Ioan. Damaſ. l. 1. orth. fidei c.* 10. Et quidẽ *ait*, generationem & proceſſionem inter ſe differre compertum habemus: cæterũ quis huius differentiæ modus ſit, prorſus nos fugit. S. Atha. Dial. 3. contra Anomœos *affirmat* hoc myſteriũ

eſſe imperueſtigabile. *Cuius & illa vox eſt* : Rem credo cauſſam ignoro. D. Greg. Naz. orat. 5. de Theologia. Quæ ergo hæc proceſſio eſt, inquies (ô hæretice) dic tu quæ Patris ingenitura ſit, & ego Filij generationem, & Spiritus proceſsionem explicare aggrediar: vt ambo mentis veſania p̃cipites agamur, in Dei myſteria oculos inijcientes, idq; qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes ſunt, ſcire, nec arenam maris, aut pluuiæ guttas, aut dies ſæculi enumerare poſſumus Eccl. 1. nedũ in Dei ꝓfunda irrumpere, naturæq; adeo arcanæ ac ſermone omni ſuperioris rationes referre. Quod genitus non ſit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum eſt, vt alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus appelletur: atq; ita inconfuſa trium perſonarũ diſtinctio in vna diuinitatis natura & dignitate conſeruetur. *Iſta Theologus &* Anaſtaſius Synaita lib. de teſtis fidei dogmatibus dicit: non eſt tutũ hoc inquirere, quod ſoli Trinitati cognitũ eſt.

Et quidem S. Sanctum non eſſe filium, & eius proceſſionem non eſſe generationẽ ex S. Scripturis, in quibus altera Trinitatis perſona vnigenitus prædicatur, vt Io. 1. v. 14. 1S. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris. *Io. 3. v. 16.* Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *& alibi, manifeſtiſſimum eſt.*

Sed & probabiles rationes vtriuſq; proceſſionis diſcrimen declarantes afferunt S. Patres B. Aug. l. 5. de Trinit. c. 14. Solet, *ait*, multos mouere, cur non filius ſit et S. ſanctus, cũ & ipſe à Patre exeat, ſicut in Euãgelio legitur: *Ioan. 15. v. 26.* Exijt enim non quomodo natus, ſed quomodo datus, & ideo non dicitur filius. *Et lib. 15. de Trinit. c. 27.* Si S. ſanctus filius diceretur, amborũ vtiq; filius diceretur, ꝙ abſurdiſsimũ eſt. Filius q̃ppe null⁹ eſt duorũ, niſi patris & matris. Abſit a. vt inter Deum Patrem & Deum filium aliquid tale ſuſpicemur. S. Baſilius

Google

l.5.contra Eunomium c.12.*quærit.* Quare Spiritus ſanctus non eſt filius Filij? *Et reſpondet*: Non equidem, quod non ſit ex Deo per Filium, ſed, vt non Trinitas putetur eſſe infinita multitudine, quæ ſuſpecta ſit filios ex filijs habere, quemadmodum fit in hominibus. B. Athanaſ. epiſtola ad Serapionem Epiſcopum. *Docet Spiritum ſanctum non eſſe filium: quia diuina natura (qua diuina natura eſt) per vnam generationem perfectiſſimè & integerrimè communicatur, & ideo in Deo multiplicari generatio non poteſt: nam in humanis ideo multiplicatur, quia per vnam generationem non tota natura, ſed pars naturæ communicatur. Eadem quidem diuina natura cum Spiritu ſancto à Patre & Filio communicatur, ſed non per modum naturæ in qua genitum gignenti ſimile, verum per modum amoris, qui tamen idem eſt cũ diuina eſſentia. Et ita S. Tho.1.P.q.27.art.4. & l.4. cõtra Gentes. c.11. & 19. docet verbum eſſe Filium: quia procedit in ſimilitudinem naturæ. Secundum rationem ſuæ proceſſionis. Spiritum ſanctum vero non eſſe Filium: quia non procedit ſecundum rationem in natura ſimilitudinis: quia procedit per modum amoris. Pro cuius rationis intelligentia cognoſcendum eſt, quod quamuis attributa diuina res vna ſint, hoc eſt diuina eſſentia, ratione tamen, virtute eminenter, & quaſi formaliter diſtinguuntur, quæ diſtinctio ſatis eſt, vt cum attributum poſſit eſſe principium quo vnius actionis & non alterius, ſi proprias rationes ſpectemus, ſi vt mens intelligendi, voluntas amandi, quamuis vna in altera inſit. Et ita in actionibus internis prima perſona producit ſecundam intelligendo, non amando, & tertiam producit amando non intelligendo, ſicut & in actionibus Dei externis, miſericordia ſubleuat miſeriam, iuſtitia punit iniquitatẽ. Poteſt ergo in diuinis vnius proceſſionis terminus produci ſub ratione vnius attributi, & non alterius, & hoc eſt habere aliquid vi proceſſionis, & hoc modo filius procedens*

dens

dens per intelligentiam habet ſapientiam & notitiam Patris, Spiritus ſanctus procedens per voluntatem, habet amorem & dilectionem, & quia in vno attributo includuntur omnia, vterque cuncta reliqua habet. Tamen quia diuina natura in eſſe ſuo maxime per intelligentiã conſtituitur, & per hanc procedit filius, hinc vi proceſſionis habet diuinam naturam, & patri prorſus natura ſimilis eſt, eiuſque proceſſio generatio. Quæ natura vi proceſſionis non communicatur cum Spiritu ſancto, ſed quatenus per identitatem in amore includitur & proinde generatio non eſt. Conſulat Lector noſtrum doctrina & pietate præcellentem Doctorem Franciſcum Suaretium l.11. de Trinitate c.5. & 6.

Verum vt ante diximus myſterium hoc fugit intelligentiam noſtram, vt cum alijs fatetur S.Bern.ſerm.1. in feſto Pentecoſtes. De Spiritu ſancto, *inquit*, ſi non proceſsionem, qua ex Patre Filioque procedit (illa enim mirabilis facta eſt ſciẽtia ex me, confortata eſt, & non potero ad eam Pſal.138.) noui tamen aliquid videlicet inſpirationem. Duo enim ſunt, vnde procedat, & quo. Proceſſio à Patre & Filio, poſuit tenebras latibulum ſuum Pſal.17. Sed proceſsio ad homines, hodie cœpit innoteſcere, & eſt iam fidelibus manifeſta. Et Anaſtaſius Synaita l. de teſtis fidei dogmatibus *ait*, Non eſt tutum hoc myſterium inquirere, quod ſoli Trinitati cognitum eſt. *Nunc quibus falſis rationibus permoti Macedoniani Spiritu ſancto bellum mouerint, inſpiciamus. Nolim ego iſta eorum futilia commemorare argumenta, niſi ſolutiones vtiliſſimam continerent doctrinam.* Afferunt ait S.Baſil.l. 3.aduerſus Eunom. demonſtrationes quod creatura dictus ſit Spiritus ſanctus. 1. Ex Propheta Hamos c.4. v.13. Ecce ego formans montes & creans Spiritum (*ſic verterunt 70. S.Hieron. ex heb. tranſtulit ventum*) &c. *Reſpondet S.Baſil. non eſſe ſermonem*

*monem de S.ſancto,ſed de communi aeris flatu ſiue vento.vt & Pſal.*148.*v.*8.*dicitur* Spiritus procellarum.

2.*Opponebant illud Ioan.*1.*v.*3. Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil: *igitur & à verbo creatus eſt S.ſanctus.Notauit bene S.Chryſ.hom.* 4.*in Ioann.loqui Euangeliſtam de creaturis, & idcirco cum dixiſſet* omnia per ipſum facta ſunt, *mox ſubiunxit* : Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt,*alioquin ſi abſolute omnia quæ ſunt,per verbum effecta eſſent,oporteret & Patrem eſſe factum.Vt obſeruarunt S.Aug.& Cyrill.in hunc locum.S.Baſil.hom.*17.*in ſanctum baptiſma & B.Greg.Naz.oratione* 5.*de Theologia.*

3. *Opinabantur ſe S.ſanctum poſſe in creaturarum ordinem redigere,quod dicatur gemere,& rogare. Verba ſunt S.Pauli Rom.*8.*v.*26.27.Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram,nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus:ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda,ſcit quid deſideret Spirit⁹, quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis. *Hæc Apoſtolus,quem ita exponit S.Aug.l.*1.*contra Maximinum Arianorum Epiſcopum non multum à principio.* Videtur,*inquit*,tibi illa perfectio ſanctitatis in gemitibus ſemper eſſe, nec reſpirare à gemendo, O æterna miſeria,intellige locutionem,&blaſphemiam deuitabis. Sic enim dictum eſt,gemitibus interpellat,vt intelligeremus gemitibus nos interpellare facit.Adeſt enim nobis, & infundendo caritatem nobis,facit nos interpellare gemitibus. Denique alio loco, cum dicit Apoſtolus: clamantem Abba Pater Gal.4.v.6. alio loco dicit Rom.8.v.15. In quo clamamus Abba Pater: expoſuit quid ſit clamantem Abba Pater dicendo:in quo clamamus. Ac per hoc quid eſt clamantem,

mantem,niſi clamare fauentem?Do exemplum locutionis huius: NonneDeus eſt omnium præſcius futurorum?Quis hoc negabit inſanus?Tamen ait Apoſtolus Gal. 4. verſ.9. Nunc autem cognoſcentes Deum imo cogniti à Deo: Si nunc eos cognouit Deus,non eos nouerat,non elegerat, non prædeſtinauerat ante mundi conſtitutionem:ſed ſic dixit. Nunc autem cognoſcentes Deum, imo cogniti à Deo, vt intelligerent Deum feciſſe in eis cognitionem ſuam, cognoſcentes Deum, Quid eſt cognoſcentes Deum? Nolite vobis arrogare,nolite ſuperbire:cogniti eſtis à Deo, Quid eſt cogniti eſtis à Deo? Cognitores ſuos vos Deus fecit. Deus vobis dedit,vt cognoſcatis, Quomodo eſt illud: Nunc cognoui dicit Abrahæ Dominus Gen.22.verſ.12. quoniam timeas Dominum, quando attulit filium ſuum ad holocauſtum Abraham, dicit ei Deus, Nunc cognoui. *Ipſa eſt tota Dei præſcientia, Tunc cognouit, quando dixit, Nunc cognoui ſed quid eſt. Nunc cognoui?Id eſt nunc cognoſcere te feci. Si ergo has locutiones,ſicut libris diuinis eruditus agnoſceres, de gemitibus illis, quibus dictum eſt gemitibus interpellare Sanctum Spiritum, non eum faceres miſerum. Quid eſt enim aliud ſemper gemere,quam ſemper eſſe miſerum?Ideo nos gemimus quia miſeri ſumus. Et gratias Spiritui ſancto: quia caritate æterni ſæculi facit nos gemere propter quod dictus eſt gemere. Facit nos clamare,propter quod dictus eſt clamans. Facit nos cognoſcere Deum,propter quod dictum eſt Gal.4.v.9. Nunc autem cognoueritis Deum. Immo cogniti ſitis à Deo. Facit Abraham Deus cognoſcentem, propter quod ei dixit: Nunc cognoui, B.Chryſ. hom. 14. in epiſtolam ad Rom.

per Spiritum ſanctum clamantem intelligendum eſſe docet donum orationis,quo anima clamat ac gemit, ſimili modo alij affirmant ſuum Spiritum eſſe mentem noſtram diuino Spiritu illuſtratam, vel Spiritus ſancti gratiam vel caritatem. Quocirca & Apoſtolus qui dicit quod Spiritus poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus,eodem cap.8.ad Rom.v.23.ait: Nos ipſi primitias Spiritus habentes intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei *(conſummatam & perfectam per æternam gloriam)exſpectantes,redemptionem corporis noſtri.*

Alteram hic elegantiſſimam S.Auguſtini ſententiam, qua oſtendit,quanto ſatius in huius ſæculi miſeriis Sancti Spiritus inſtinctu gemere,quam infernalis corui inſtigatione in mundi delitijs clamare. Sic ergo ille tract. 6.in Ioannem loquitur: Amor noſter pro inuicem gemat ad Deum? ipſe enim gemitus colūbæ eſt. Si ergo gemitus columbæ eſt quod omnes nouimus,gemunt autem columbæ in amore, audite quid dicat Apoſtolus & nolite mirari, quia in columbæ ſpecie voluit demonſtrari Spiritus ſanctus. Quid enim oremus,ſicut oportet,inquit,Rom.8.v.26.neſcimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo fratres mei?Hoc dicturi ſumus:quia Spiritus gemit,vbi perfecta & æterna beatitudo eſt ei cum Patre & Filio? Non ergo Spiritus ſanctus in ſemetipſo apud ſemetipſum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate ſubſtātię gemit ſed in nobis gemit,quia gemere nos facit. Nec parua res eſt quod doceat nos Spiritus ſanctus gemere:inſinuat enim nobis quia peregrinamur,& docet nos in patriam ſuſpirare, & ipſo deſiderio gemimus. Cui benè eſt in hoc ſæculo,imo qui putat quod ei bene ſit, qui lætitia rerum carnalium,& abundantia temporalium, & vana felicitate exultat, habet vocem corui,

vox

vox enim corui clamoſa eſt, non gemebunda. Qui autem nouit in preſſura ſe eſſe mortalitatis huius, & peregrinari ſe à Domino, nondum tenere illam perpetuam, quæ nobis promiſſa eſt, beatitudinem, ſed habere illam in ſpe, habiturus in re, cum Dominus venerit in manifeſtatione præclarus; qui prius in humilitate venit occultus, qui hoc nouit, gemit. Et quamdiu propter hæc gemit, benè gemit. Spiritus illum docuit gemere, à columba didicit gemere. Multi enim gemunt in infelicitate terrena vel quaſſati damnis, vel ægritudine corporis prægrauati, vel carceribus incluſi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris iactati vel aliquibus inimicorum inſidijs circumſepti gemunt, ſed non columbæ gemitu gemunt; non amore Dei gemũt, non Spiritu gemunt. Ideo tales cum ab ipſis preſſuris fuerint liberati, exultant in grandibus vocibus: vbi apparet quia corui ſunt, non columbæ. Ideo merito de arca miſſus eſt coruus & non eſt reuerſus. Miſſa eſt columba & reuerſa eſt. Illas duas aues miſit Noe. Gen. 8. Et ſi arca figurabat Eccleſiam, videtis vtique quia neceſſe eſt, vt in iſto diluuio ſæculi; vtrumque genus contineat Eccleſia. Qui ſunt corui? qui ſua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Chriſti ſunt, quærunt *Philip.* 2. *v.* 21.

Concludam hoc caput inſigni S. Greg. Nazianz. ſententia, qua docet omnem noſtram religionem aduerſus Deum Spiritui ſancto adſcribendam & rectiſſimè. Sic autem loquitur oratione 5. *de Theologia.* Spiritus eſt, in quo adoramus & per quem oramus. Spiritus enim, *inquit*, *Ioan.* 4. *v.* 24. eſt Deus, atq; eos qui ipſum adorant in Spiritu & veritate adorare oportet. Ac rurſus *Rom.* 8. *v.* 26. Quid enim oremus, quemadmodum oportet, neſcimus, ſed

Spiritus ipſe interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et alio loco 1. Cor. 14. v. 15. Orabo Spiritu, orabo & mente, id eſt, in mente & Spiritu. Ergo Spiritu adorare vel orare mihi nihil aliud eſſe videtur, quam ipſum ſibi ipſi orationem vel adorationem offerre.

Spiritum nobis quæſumus Domine gratiæ & precum infunde vt nunc pro peccatis noſtris dolentes, gementes, lugentes, orantes, æternam tua benignitate conſolationem & lætitiam conſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum & cum Spiritu ſancto vnus viuit & regnat Deus. Amen.

Capvt II.

TVM EX DEI APPELLATIONE tum ex actibus Dei internis S. Spiritus probatur diuinitas.

INitium huius *Cap. facio ab inuocatione S. Spiritus cum B. Greg. Naz. orat. 5. de Theologia.* Det, *ait*, Spiritus, & oratio curret, Deiq; gloria celebrabitur. *Diuini Spiritus hoſtes, vt ibidem teſtatur Greg. Theologus identidem ſæpiuſq; inculcabãt S. ſancti diuinitatem nullo ſcripturæ loco conſignatam haberi. Sed à mendace Spiritu edocti & ſplendide in veritatis Spiritum mentiebantur. Nam 2. Reg. 23. v. 2. dixit Dauid:* Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam, dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael Dominator hominum. *Hic Spiritus Domini dicitur* Deus Iſrael, *& vtique verus Deus: Et Act. 5. v. 3. & 4. Dixit Petrus:* Anania cur tentauit Satanas cor tuum mẽtiri te Spiritui ſancto & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus ſed Deo. *Spiritui ſancto mẽtiri*

tiri

Digitized by Google

tiri eſt Deo mentiri. Spiritus itaque ſanctus Deus & eſt & nuncupatur. Et Apoſtolus 1. Cor. 6. v. 19. & 20. An neſcitis, *ait*, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt? *& mox ſubijcit:* Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Vbi dilucidè oſtendit *verbis ytor S. Aug. lib. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum c. 21.* Deum eſſe Spiritum ſanctum glorificandum ſcilicet in corpore noſtro tanquam in templo ſuo. Et quod Ananiæ dixit Apoſtolus Petrus. Auſus es mentiri Spiritui ſancto? Atque oſtendens Deum eſſe Spiritum ſanctum, Non es, inquit, hominibus mentitus ſed Deo. *Et S. Baſil. l. de Spiritu ſancto c. 16. Ex his quæ Petrus dixit:* Quid eſt quod conuenit inter vos tentare S. ſanctum, non mentiti eſtis hominibus ſed Deo, *quæ peccantur in Spiritum ſanctum, eadem peccari in Deum. Act.* 28. v. 25. 26. *Quod dixit S. Paulus* Benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetã ad Patres noſtros dicens vade ad populum iſtum & dic ad eos: Aure audietis & non intelligetis &c. *hoc ſibi à Domino exercituum dictum c. 6. v. 8. Iſaias affirmat. Spiritus ergo ſanctus & appellatur & eſt Deus Dominus exercituum.*

Et quid opus eſt litigare de nomine cum de re conſtet & ex ipſa diuinitate atque operibus ſoli diuinitati congruentibus diuina S. ſpiritus maieſtas demonſtretur?

Et quidem 1. *quod diuinam in Spiritu ſancto conuincit naturam, eſt perfectiſſima rerum omniũ ſcientia, & totius veritatis perſpiciẽtia, vniuerſam rationẽ & modũ ſciendi comprehendens.* Spiritus *ait Apoſtolus* 1. Cor. 2. v. 10. 11. omnia ſcrutatur ẽt profunda Dei. Quis n. hominum ſcit, quæ ſunt hominis niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quę Dei ſunt nemo cognouit niſi Spiritus Dei. *Qua ſententia dicti ſui, quod Deus ea per S. ſanctum myſteria pateſeciſſet, quæ*

neque oculus vidiſſet, nec auris audiuiſſet, nec in cor hominis aſcendiſſent, rationem reddit, hoc potuiſſe Spiritum ſanctum, vt qui ſcrutetur *etiam* profunda *ipſius* Dei. *Hæc autem ſcrutatio non cognoſcendi ſtudium, ſed accuratiſſimam & pleniſſimam ſignificat notitiam vt Pſalm.7.verſ.10.* Conſumetur nequitia peccatorum,& diriges iuſtum, ſcrutans corda,& renes Deus.*Et 1.Paral.28.verſ.9.* Tu autem Salomon fili mi,ſcito Deum Patris tui, & ſerui ei corde perfecto,& animo voluntario: Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit. *quanquam & S. Baſil.hom.*17. quæ eſt in ſanctum baptiſma,Spiritus,*inquit*, ſcrutatur:quia in ipſo ſcrutationem facimus. *Et S.Auguſt.in Pſal.*52. Spiritus omnia ſcrutatur,etiam altitudinem Dei, non quia ille ſcrutatur,qui nouit omnia, ſed quia tibi donatus eſt Spiritus,qui & te ſcrutari facit. Et ꝙ dono ipſius tu facis,ille facere dicitur, quia ſine illo tu non faceres.*Spiritus ergo ſanctus eſt omniſcius & quis omniſcius,niſi ſolus Deus? Hinc* 1.*Reg.*2.*v.*3.Deꝰ ſcientiarũ Dominus eſt,&ipſi præparantur cogitationes.*id eſt, omni ſcientia præditus eſt & ſua voluntate cuncta adminiſtrat,quia ſine ipſo conſilia, & actiones exitum non habent. Porro maximum argumentum Spiritus cum Patre & Filio arctiſſimæ ſocietatis illud eſt,quod eodem modo dicitur ſe habere erga Deum, quo erga vnumquemque noſtrum ſe habet Spiritus, qui eſt in nobis.* Quis,*inquit*,1.*Cor*.2.hominum nouit ea, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus qui eſt in ipſo? Sic quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus qui ex Deo eſt.

Spiritus ſancti diuinitatem arguit abſoluta voluntas & ſumma in bonis diſtribuendis libertas, quæ ſupremum Dominum, & omnium rerum principem indicat

*dicat Ioan.*3.*v*.8. Spiritus vbi vult ſpirat. *Id eſt, S. ſanctus liberrimus eſt, in ſuis operationibus, quod vult, facit, nullo prohibetur impedimento, quemadmodum hunc locum de S. ſancto, non de vento, interpretantur Aug.tract.*12.*in Ioannem.Hilar.l.*2.*Trinit.epiſt.*150.*ad Hedibiam q.*9.*Ambr.l.*2.*de fide cap.* 3. Spiritus vbi vult ſpirat. Vbi vult, *inquit*, non vbi iubetur *Greg. l.*27.*Mor.c.*13.*Athanaſ.l.* 1. *&* 5. *de vnica Deitate Trinit.Greg.Naz.oratione* 5.*Theol.Baſil.l.*5.*cont.Eunom.*

Neque ſolum Spiritus ſanctus liberrimus eſt, ſed etiam eximia libertate donat quemcunque poſſederit, vt diuina mandata expleat, tentationes vincat, peccata deuitet, diabolum ſuperet, à caritate Dei nunquam inuitus excidat, ſed filius Dei permaneat. Vbi Spiritus Domini, *ait Apoſtolus* 2.*Cor.*3.*verſ.*17. ibi libertas. *Eandem cum ſumma poteſtate in diſpertiendis muneribus diuinis libertatem, in Spiritu ſancto prædicat Apoſtolus* 1.*Cor.*12.*v.*4.*ad* 12. Hæc omnia, *inquit*, operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult. *Atque hæc S.Spiritus voluntas, iudicio ſuo ſpiritalia dona tribuentis, inæqualis gratiæ vna cauſa eſt, & altera noſtra diſpoſitio, ſiue præparatio ad gratiam, ſiue accuratior ſiue minus accurata, vt & docet* Conc.Trident.*ſeſſ.*6.*cap.*7. Iuſtitiam in nobis recipimus, vnuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſq; diſpoſitionem & cooperationem. *Hinc ſolo diuino arbitratu magna eſt diuerſitas cœleſtis hierarchiæ Ioan.* 14.*verſ.*2. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt *Coll.*1.*v.*16. *Magna varietas Eccleſiaſtica hierarchia, vt docet Apoſtolus Rom.*12.*v.*6.1.*Cor.*12.*v.* 8. *Eph.* 4.*v.*11.*Magna creaturarum inæqualitas, vt experientia docet, & S.Tho.l.*2.*contra gentes c.*39.*& ſeqq. Interim & Deus* talenta ſua diſpertit ſecundum propriā

cuiuſque virtutem Matth. 25. v. 14. Et peccatrici remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum Lucæ 7. v. 47. *Et ſemen ſecundum terræ diſpoſitionem tenuiorem, vberiorem fructum profert Matth. 13. verſ. 8. S. Chryſoſt. homil. 42. in Geneſ.* Scit, *ait*, Deus abdita cordis noſtri, & quando videt volentes quæ oportet, ac ſanam præ ſe ferentes mentem, manum porrigit, & ante labores remunerat, alacriores hac ratione efficiens: id quod in iuſtis omnibus fieri inuenies.

Praſta quæſumus, omnipotens Deus, vt Spiritu ſancto omnium cognitore & doctore veritatem percipiamus, & eam congruis moribus aſſectemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT III.

EX EXTERNIS DEI ACTIOnibus S. Spiritus diuinitas comprobatur.

EX actibus internis, & in Deo permanentibus, nimirum ex abſolutiſsima intelligentia, & liberrima voluntate Spiritus *ſancti diuinitatem oſtendimus, nũc eandem ex actionibus externis, & in creaturam permeantibus demonſtremus. Quis huius vniuerſitatis conditor nonne Deus? Exodi* 20. v. 11. Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Ierem. 32. v. 17. Domine Deus ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna & in brachio tuo extento non erit tibi difficile omne verbum. *At* verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum Pſ. 32, v. 6. *In quem Pſalmum & verſum*

ſum videatur S.*Baſil*. *Quis procreauit hominem* ad imaginem & ſimilitudinem ſuam? *Deus. Gen.1.v.27.Atqui* S.*Iob c.33. v. 4. gratè & ingenuè confitetur:* Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotẽtis viuificauit mè. *Ecce Spiritus ſanctus, & corpus formauit,& formatum animauit,& ei animum conſilij participem indidit.Piè & verè precatur Eccleſia:* Veni Creator Spiritus, Mentes tuorum viſita, Imple ſuperna gratia, Quæ tu creaſti pectora. *Quocirca & recte Dauid Pſ.103.v.30.* Emittes Spiritum tuum & creabuntur,*ſiue hanc creationem ad ſucceſſiuam in locum emortuarum rerum productionem referas,dum plantæ plantis, animantia animantibus, hominibus homines ſummittuntur , ſiue ad carnis noſtræ exſuſcitationem;*cum Spiritus qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis , viuificabit mortalia corpora noſtra *Rom.8.v.11.* S.*Baſil.l.5.contra Eunom.c.2.multis docet argumentis quod* S.*Spiritus ſit creator.*

2.*A rerum creatione ad conſeruationem gradũ faciamus.Quis conditarum rerum conſeruator,& cuſtos,niſi Deus,quem alloquitur Salomon* Sap.*11.v.26.* Quomodo poſſet aliqd permanere,niſi tu voluiſſes? aut quod à reuocatum non eſſet,conſeruaretur: *verum,vt idem ſapientiſſ.rex affirmat Sap.1.v.7.* Spiritus Domini repleuit orbem terrarum & hoc quod continet omnia,ſcientiam habet vocis.

3.*Quis iuſtum ſanctumq; efficit hominem, præter vnum Deum?*Deus eſt qui iuſtificat.*Rom.8.v.33. Verũ 1.Cor.6.v.11.Apoſtolus cũ multa memoraſſet partim flagitia,partim ſcelera ſubiungit.* Hæc qdem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis , ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri.*quem proinde &* Spiritum ſanctificationis,*hoc eſt,ſanctificantem appellat id.Apoſtolus Rom.1.verſ.*4.S.*Baſil.l.3.contra Eunom.*Principatus,*ait*,& poteſtates, & omnis creatura talis,

quæ ad obtemperandum, & diligenter quæ cõmiſſa ſunt curandum ſanctificatæ ſunt, non iure natura Sanctæ dicuntur. Appetentes enim bonum, ſecundum amoris quem ad Deum habẽt proportionem ſanctitatis menſura participant. Et ſicuti ferrum, quod in medio igni iacet, ferri naturam non amiſit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cum vniuerſam ignis naturam in ſemetipſum acceperit, & colore, & calore, & actione ad ignem tranſit, ſic ſanctæ virtutes cõmunicatione, quam cum illo habent, qui natura ſanctus eſt, per totam ſuam ſubſiſtentiam receptam, iam quaſi innatam ſanctificationem habent, diuerſitas vero ipſis à Spiritu ſancto hæc eſt, quod Spiritus natura ſanctitas eſt, illis vero participatione ineſt ſanctificatio. *Hoc Spiritu ſancto maculæ noſtrorum peccatorum eluuntur Iſa. 4. v. 4.* Si abluerit Dominus ſordes filiarũ Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius, in Spiritu iudicij, & Spiritu ardoris, *Et quis hic Spiritus iudicij, & ardoris, niſi de quo S. Ioannes Matth. 3. v. 11.* Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiã, qui autem poſt me venturus eſt fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. *Quæ coniunctio (Et) hic explicatura eſt, vt non qualiscumque Spiritus ſancti communicatio, ſed illa illuſtriſſima, quæ die Pentecoſtes ſpecie ignis facta eſt, ſignificaretur. Ex eo autem, quod Spiritus ſanctus peccatorum labem deleat, noſque ſanctitate impertiat, illum verum eſſe Deum, ſapienter affirmat S. Baſil. lib. 5. aduerſus Eunom. cap. 3.* Proprium, *ait*, Dei eſt peccata dimittere cum ipſe dicat *Iſa. 43. v. 25.* Ego ſum qui deleo peccata tua. *Et Iſa. 1. v. 18.* Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, vt lana alba erunt. *Præterea*

quoniam

quoniam Deus Dei Filius Ieſus paralytico peccata dimiſit, dicens Matt.9.v.2. Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua, *qua in re à Iudæis, qui Deum ipſum eſſe neſciebant, blaſphemare putabatur, dicentibus: Ipſe blaſphemat: nullius enim eſt dimittere peccata, niſi ſolius Dei. Dominus autem Sanctis Apoſtolis inſufflans, inquit Ioan.20.v.22.* Accipite Spiritum Sanctum, quorumcunque dimittetis peccata, dimittentur eis. *Si ergo nullius eſt peccata dimittere, ſicuti certè nullius eſt, niſi ſolius Dei, dimittit autem Spiritus Sanctus per Apoſtolos:* Deus *ergo Spiritus ſanctus, & eiuſdem operationis cum* Patre *& Filio.*

4. *Quis intimos animi ſinus & receſſus introſpicere poteſt, niſi ſolus Deus? quem hoc pacto compellat Salomon, 3.Reg.8.v.39.& 2.Paralip.6.v.30.* Redde vnicuique ſecundum vias ſuas, quas noſti, eum habere in corde ſuo, tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum. *Verum quid idem Salomon ait, Sap.1.v.6.7.8.* Benignus eſt Spiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor: Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latere. *Id eſt: Spiritus Sanctus ſapientiæ fons, & auctor eſt hominum amator, & idcirco non abſoluit maledicum à pœna, quam ſua maledicentia, vel aduerſus Deum vel contra homines admiſſa, commeritus eſt: Siquidem omnium ipſius appetitionum, cogitationum, & ſermonum cognitor, inſpector, & teſtis eſt* Deus, *cuius Spiritus vbique, & nullo non loco eſt, omnia penetrans, omnia genera linguarum pernoſcens, & ipſa cogitata intelligens.*

5. *Euenta præſertim libera prænunciare cuius eſt niſi vnius Dei? Iſa.41.v.23.* Annunciate quæ ventura

ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. *Et tamen vnde vatum prædictiones, & tam certæ, vt præteritam ſæpe hiſtoriam videantur texere, niſi à Spiritu Sancto? quemadmodũ teſtatur S. Petrus 2. ep. 1. v. 21.* Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.

6. Deus eſt, qui facit mirabilia magna ſolus, *Pſal. 71. v. 18. & Pſal. 135. v. 4. Veruntamen, quid Saluator Matth. 12. v. 28.* Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei. *Quid Apoſtolus 1. Corin. 12. v. 9. nonne doni linguarum ſanitatum, mirabilium operum, prædictionum, auctorẽ facit Spiritum Sanctum? Qui S. Paulus & Hebr. 2. ver. 4. miracula per Apoſtolos edita Sancti Spiritus appellat diſtributiones.*

7. *Solius Dei eſt abſoluta cum poteſtate Eccleſiæ gubernatio, quam non minus, quàm Pater aut Filius vſurpat Spiritus ſanctus: quod tum aliunde, tum ex Apoſtolicis Actibus perſpicuum eſt. Actuum 10. verſ. 19.* Dixit Spiritus Petro: Ecce viri tres quærunt te: ſurge ergo, & deſcende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego miſi illos. *Hic Spiritus Sanctus Sanctum Petrum ad Cornelij & aliorum gentilium ablegat conuerſionem, in quos & ipſe ſenſibili illapſus eſt ſigno. Act. 13. v. 2. 3. 4.* Miniſtrantibus (*ſacrificantibus*) illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod aſſumpſi eos: Tunc ieiunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. Et ipſi quidem miſsi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam. *En altera Apoſtolorũ ad gentes à Spiritu S. deſtinata legatio. Act. 15. v. 28. In Concilio nihil decernebant ſine præſidio, auctoritate, & afflatu S. Spiritus Apoſtoli, vnde & dicebant:* Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, *&c. Act. 16. v. 6.* Vetati ſunt à Spiritu S. loqui verbum Dei in Aſia: *quia vel indignos, vel imparatos, aut ingratos*

tos prouidebat, Act. 20. v. 28. Eccleſiæ antiſtites à Spiritu S. cõſtitui, docet Apoſtolus, cum maiores natu, ſiue Preſbyteros conuocatos alloquitur his ipſis verbis: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. *Partitur ipſe S. Spiritus vnicuiq; in Eccleſiã munera ſua, quemadmodũ* 1. *Cor.* 12. *v.* 4. *ad* 12. *docet Apoſtolus.* S. *Baſil. lib.* 5. *contr. Euno. rectè docet, Spiritum* S. *Eccleſiam gubernare, vt Dominum, Apoſtolos, vt ſeruos.* Quod ſi, *ait*, dicant Apoſtoli, *Act.* 15. *v.* 28. viſum eſt Spiritui S. & nobis, nõ coordinantes ſeipſos, cum poteſtate Spiritus, ſed ſubiicientes, tanquã ab ipſo tunc ducti, & quaſi vnam cognitionem, ac prudẽtiam dicentes ſuã & Spiritus, & vnã poteſtatẽ, idcirco tu in creaturam Spiritũ deducere conaberis? Quemadmodũ ſi Moſen quoq; Deo coæquari affirmes cum audias *Ex.* 14. *v.* 31. Credidit autẽ populus Domino, & Moſi ſeruo eius. Sed differentia eſt, videlicet inter ſeruum & Dominum, quam etiam mõſtrans ſcriptor dixit: Et Moſi ſeruo eius. Nã Deo ſicuti Domino, & ſicuti ei qui Moſen miſit, credĩderunt, Moſi verò ſicut ſeruo miſſo. Sic igitur Spiritui quidẽ viſum eſt, à quo tanquã Domino Eccleſiæ leges datæ ſunt: Apoſtolis verò tanquã miniſtris, per quos præcepta edita ſunt.

Itaq; ſicut animus noſter viuificator & rector eſt corporis noſtri, ita Spiritus S. Eccleſiæ viuificator eſt, & gubernator. Præclarè id docet S. Aug. ſer. 186. *de Tempore:* Spiritus, *inquit*, noſter omnia mẽbra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linquam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus ſimul adeſt membris, vt iuuent: vitam dat omnibus, officia ſingulis: Sic eſt Spiritus Sanctus in tota Dei Eccleſia. In aliis Sanctis facit miracula, in aliis Sanctis loqui-

loquitur veritatem, in aliis Sanctis cuſtodit virginitatem, in aliis cuſtodit pudicitiam coniugalem, in aliis hoc, in aliis illud; ſinguli propria operantur, ſed pariter viuunt. Sed videte, quid caueatis, quid timeatis. Membrum præſectum de corpore humano, non ſequitur animus: ſic nec SpiritusSanctus ſequitur membrum ab Eccleſia amputatum. Si ergo vultis viuere de Spiritu Sancto, tenete caritatem, amate veritatem, deſiderate vnitatem, vt perueniatis ad æternitatem.

Mentibus noſtris, quæſumus Domine, Spiritum Sanctum, benignus infunde, cuius & ſapientia conditi ſumus, & prouidentia gubernamur. Per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Amen.

Capvt IV.

Ex Dei attribvtis S. Spiritus diuinitas demonſtratur.

Ex attributis etiam ſoli Deo conuenientibus Sancto Spiritui ſua conſtat diuinitas.

Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ. Iſa. 40. v. 28. at Spiritus Sanctus, æternus eſt, quia ipſe cunctarum rerũ opifex, in creationis etiam exordio, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, *Gen. 1. v. 2. S. Baſil. hom. 2. Hexam.* A maioribus, *inquit*, noſtris probatum, Spiritus ille Dei Sanctus dictus eſt, qui diuinæ beatæque Trinitatis numerum complet. Hic ferebatur ſuper aquas, & confouebat, vitalemque illis fœcunditatem præbebat, ad ſimilitudinem auiculæ incubantis, vimque vitalem quandam imprimentis in ea, quæ ſub ipſa fouentur. *Quare ſatis oſtenditur, nec ab actu creandi Spiritum Sanctum abfuiſ-*

abfuiſſe. S. Gregor. Nazianzen. Orat. in S. Pentecoſten: Spiritus Sanctus & ſemper erat, & eſt, & erit, nec vllo ortu generatus, nec finem habiturus, ſed ſemper cum Patre & Filio coniunctus, atq; connumeratus; nec enim conueniebat, vt vel Pater Filium, vel Filius Spiritum Sanctum aliquando deſideraret. Maximam enim alioquin ignominiam perferret diuinitas, vt quæ ad perfectionis cumulum velut ex pœnitentia veniſſet, *(dum ſc. Spiritum ſanctum, qui ad Trinitatem deſiderabatur, aſſumpſit.) Videatur S. Baſilius lib. 5. contra Eunom. c.* Quod Spiritus ſit ex Deo.

2. *Solus* Deus *immenſus eſt, & ſua eſſentia vbique præſens, vtpote cuius ſedes cœlum eſt, & terra ſcabellum pedum eius. Iſa. 66. v. 1. Qui & Ierem. 23. v. 24.* Nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus. *At* Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Sap. 1. v. 7. vt meritò exclamat Dauid, Pſal. 138. v. 7.* Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? *Hinc S. Auguſt. lib. 65. Quæſt. q. 22.* Spiritus Sanctus Deus eſt. Quare non continetur loco, aut diſtenditur: Neque temporum motionibus ſubiacet, ſed eſt vbique præſens & totus. *Et lib. 2. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum cap. 11. ita ſanctus Auguſtinus alloquitur:* Non vis eum dicere Deum, cuius tãtam diuinitatem per laudem coactus es confiteri: vt cum ſit vnus, vbiq; ſit præſens, & nemini ſanctificando deſit, vbicunque quiſque Chriſtianus eſſe & Deum orare voluerit, ſimul ſe omnibus exhibendo, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente baptizentur in Chriſto: hoc & nos dicimus, ſed quem dicimus, talem ac tantum, abſit à nobis, vt eum negemus Deum. *Cum itaque ſolius diuinæ immenſitatis ac maieſtatis ſit eſſe vbique, & Spiritus S. nullibi abſit, profectò verus Deus eſt omni loco ſuſpiciendus, & reuerendus.*

3. *Quis rerum omnium præpotēs niſi ſolus Deus?* *Tobiæ* 13. *v.* 4. Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium laudate eum: quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos: quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum. *Quæ immenſa ſua vi, & poteſtate, ab vniuerſis ſecernitur rebus. Sicut ab hominibus homines nomine diſtinguuntur.* *Exod.* 15. *v.* 3. Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius. *Verum Spiritus Sanctus eſt omnipotens, teſtificante Salomone Sap.* 7. *v.* 23. Eſt, *inquit*, Spiritus intelligentiæ Sanctus omnem habens virtutem (παντοδύναμος) omnipotens, & qui omnia poteſt: *vt c.* 10. *lib. de Incarn. legit* S. *Ambroſ. qui & libr.* 3. *de* S. *Spiritu cap.* 23. *toto probat, quod Spiritus Sanctus ſit omnipotens. Quæ Spiritus ſancti omnipotentia, non ſolum rerum creatione, & ex nihilo productione, ſed etiam ſpiritalium donorū (quæ naturæ vires excedunt) largitione demonſtratur?*

4. *Marci* 10. *v.* 18. Nemo bonus niſi vnus Deus, *ſcil. natura ſua, & non alterius participatione. At ita bonus eſt Spiritus* S. Spiritus tuus bonus, *ait Dauid Pſal.* 142. *v.* 10. deducet me in terram rectam. *Spiritus ſanctus remouebit peccati prauitatē, & recta virtutis ſemita me perducit ad te, Sap.* 12. *v.* 1. O quā bonus & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus. *Luc.* 11. *v.* 13. Pater veſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe. S. *Baſil. libr.* 3. *contra Eunom.* Bonus, *inquit*, Deus, & dicitur, & eſt bonus, & Spiritus ſanctus non aſtructàm habens bonitatem, ſed natura ſibi innatam.

Propitius Domine, tui nos Spiritus dono ſanctifica, & tibi gratum, & æternum nos habitaculum perfice. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

CAPVT V.

EX COMPARATIONE S. SPIRItus cum Chriſto homine ipſius oſtenditur Deitas.

M*Iſit Pater Chriſtum Ioan.* 8. *v.* 29. Sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt, & nõ reliquit me ſolum: quia ego, quę placita ſunt ei, facio ſemper. *Miſit & Chriſtum Spiritus ſanctus, quemadmodũ de ipſo teſtificatur Iſa.* 48. *v.* 16. *Ex tempore* antequam fieret, ibi eram: Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.

Sanctitate donauit Chriſtum Pater, Ioan. 10. *v.* 36. Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum. *Dedit & eidem ſanctitatem Spiritus ſanctus, vt fatetur Dominus Iſa.* 61. *v.* 1. *& Luc.* 4. *v.* 18. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me.

Pater Filij incarnationem operatus eſt, Rom. 8. *v.* 3. Miſit Filiũ ſuũ Deus in ſimilitudinẽ carnis peccati. *Perfecit & eandem Spiritus S. quemadmodum diſertè ad Ioſephum ambigentem loquitur Matt.* 1. *Angelus:* Quod in ea natũ eſt, de Spiritu S. eſt. *Et ad Deiparã Lu.* 1. *v.* 35. *Gabriel,* Spirit⁹ S. ſuperueniet in te. *Virtute Patris Chriſtus patrabat miracula Ioan.* 14. *v.* 10. Pater in me manens, ipſe facit opera. *Quæ & diuino Spiritui aſsignat Dominus, Matt.* 12. *v.* 28. Ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia.

Chriſto Domino vt noſtræ ſalutis ergò mortem ſuſciperet, auctor fuit Pater. Rom. 8. *ver.* 32. Proprio Filio nõ pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Auctor fuit & Spiritus ſanctus, affirmanti Apoſtolo Heb.* 9. *v.* 14. Chriſtus per Spiritum ſanctũ obtulit ſemetipſum immaculatum Deo.

Pater

6. Pater Chriſtum à morte reuocauit ad vitam, Act. 2. v. 32. Rom. 6. v. 4. Præſtitit & idem Spiritus Sanctus, Rom. 8. v. 11. Si Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis. *Cum ergo Chriſtus Dominus, non qua Deus tantum, ſed etiam quatenus homo, omnes longiſſimo interuallo poſt ſe relinquat creaturas, & Spiritus Sanctus, Chriſtum vt hominem antecellat, quid conſequens eſt, niſi quod Spiritus Sanctus ſit Deus, & idem cum Chriſto Domino quatenus Dei Filius eſt, Deus? Quod & inde colligitur, quod peccare in Sanctum Spiritum grauius ſit, quam peccare in Chriſtum hominem. Matt. 12. v. 32.*

Huc mentis oculos conuertit S. Gregor. Naz. *Orat. 5. de Theologia, cum ait:* Tibi Spiritus diuinitùs oſtēditur. Sic autem expende: 1. Naſcitur Chriſtus, præcurrit Spiritus: 2. Baptizatur ille, hic teſtimonium dicit: 3. Tentatur ille, hic in altū ſubducit. 4. Miracula edit ille, hic concomitatur: 5. Aſcendit ille, hic ſuccedit. Quid enim adeo magnum & diuinum eſt, quod non ipſe poſſit? *Eodem pro Spiritus Sancti diuinitate argumento vtitur* S. *Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 16.* Quæ circa Chriſti in carne aduentum diſpenſata ſunt: per Spiritum geſta ſunt omnia. Primo enim adfuit ipſi carni Dominicæ, dum illi factus eſt vnctio, & inſeparabiliter coniunctus, Ieſum à Nazareth vnxit Deus Spiritu Sancto. Act. 10. ver. 38. Deinceps omnis actio, præſente Spiritu Sancto peragebatur. Hic aderat ſimul, quum & à diabolo tentabatur. Sublatus eſt, inquit Matth. c. 4. v. 1. Ieſus à Spiritu in deſertum, vt tentaretur. Tum edenti miracula ſimul aderat. Si enim, inquit Matt. 12. v. 28. in ſpiritu eiicio dæmonia. Nec deſeruit excitatum à mortuis: Inſpirauit in faciem diſcipulorum, & ait Ioan. 20. v. 22. Accipite Spiritum Sanctum, ſi quorum peccata remiſeritis, remit-

remittuntur,&c.Iam verò Eccleſiæ ordo & gubernatio nõne palam & irrefutabiliter per Spiritum Sanctum peragitur. Hic enim ordo iuxta diſtributionem donorum Spiritus digeſtus eſt. Quin & in die, quo Filius iudicaturus eſt orbem terrarum, in iuſtitia aderit: nam iuſtorum corona eſt Spiritus beneficium, *&c.*

Præſta, quæſumus Domine Deus, vt ſicut in humanam Chriſti Filij tui naturam fons Spiritus ſancti deſcendit, ita de eius plenitudine accipiamus gratiam pro gratia. Per eundem Dominum noſtrum.

CAPVT VI.

SPIRITVS SANCTI DIVINITAS ex eo liquet, quod nunquam in creaturarum, ſed ſemper in diuinarum numero Perſonarum ponatur.

DIuinam in S. Spiritu reueriti Maieſtatem tum regius Vates, Pſalm.148.tum tres pueri illi Dan.3. vbi ad Deum non tantum vulgares, ſed etiam præcipuas creaturas, vt cœlos, homines, Angelos inuitauit, nunquam ad id præſtandum S. Spiritus mentionem auſi ſunt facere, vt nec idem Dauid Pſalm.102. & Apoſtolus Colloſ.1.v.16.cum præſtantiſsimas recenſent creaturas.

Quod autem ſemper cum Patre & Filio coniungatur, toto ſuperiore ſecundo libro demonſtratum eſt, ſed ille locus illuſtriſsimus Matth.28.v.19. vbi Dominus Apoſtolis mandat: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Neque enim in nomine, niſi veri Dei baptizamur, neque Dominus Spiritum S.cum Patre ac Filio copulaſ-*

copulaſſet, ſi creatura eſſet. Nec Spiritus ſanctus nos baptiſmo & gratia efficeret Dei filios, niſi ipſe eſſet verus Deus, vt argumentatur S. Baſil. lib. 3. contra Eunom. Si Deos, *ait*, nominamus eos qui per virtutem perfecti ſunt, perfectio autem eſt per Spiritũ: quomodo & qui alios effecit Deos priuatus ipſe Deitate eſt? Non eſt igitur pium, vt in hominibus, ſic & in Spiritu per participationem & honorem ac non natura eſſe Deitatem putare. Qui enim gratia diuinus efficitur, mutabilis eſt naturæ, nō nunquam per negligentiam ex bonitate excidentis, id autem baptiſmi ſalutaris traditioni apertè repugnat: Euntes, inquit, baptizate, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Baptiſmus enim eſt ſigillum fidei, fides verò Deitatis confeſsio, vt Deitas in Trinitate compleatur. Quod autem extra hanc eſt, totum conſeruum eſt, etiamſi maximè dignitatis exceſsibus alia aliis in honorem præponantur.

Et S. Gregorius Naz. Orat. 5. de Theologia: Si adorandus non eſt Spiritus, quomodo me Deum per Baptiſmum efficit? Si autem adorandus, an non colendus? ſi porrò colendus, an non Deus? Vnum vni cohæret. *Ergo ſpiritalis noſtræ natiuitatis parens eſt Spiritus ſanctus. Qua de re Saluator Ioan. 3. v. 5. Nicodemo:* Amen amē dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Triplex eſt hominis natiuitas ſiue generatio: Prima naturalis, eaque calamitoſa, de qua Iob 14. v. 1. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. *Altera generatio eſt ſpiritalis, quæ fit per Baptiſmum, quo peccatum moritur, & deletur, iuſtitia & ſanctitas, ac filiorum Dei adoptio tribuitur. Poſtrema generatio eſt felix & perfecta mortuorũ reſurrectio, de qua Dominus Matt. 19. v. 18.* Amen di-

co vo-

co vobis quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. *S. Auguſt. lib. 3. contra 2. epiſtolas Pelag. c.* 3. Regenerationem hoc loco, ambigente nullo, nouiſsimam reſurrectionem vocat Dominus, quam Paulus quoq; Apoſtolus & adoptionem, & redemptionem nuncupat, dicens Roman. 8. v. 23. ſed etiam noſipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. *Nũquid non per lauacrum ſanctum regenerati, adoptati, & redempti ſumus? Et tamen reſtat regeneratio, adoptio, redemptio, quam in fine venturam, nunc patienter exſpectare debemus, vt tunc filij huius ſæculi ex nulla parte iam ſimus. Nullis ſcil. peccatis aut miſeriis amplius obnoxij.*

Extremum autem mundi tempus, ſiue iudicium, regeneratio vocatur, ſiue quia tunc totus mundus renouandus, & quaſi regenerandus eſt, Apoc. 21. v. 1. Vidi cœlum nouum, & terram nouam. *Et v.* 5. Ecce noua facio omnia. *Et* D. *Petrus* 2. *c.* 3. *v.* 13. Nouos verò cœlos, & nouam terram, ſecundum promiſſa ipſius expectamus: *ſiue, quia tunc mortalitatem exuti, induti verò immortalitatem, regenerandi quodammodo homines ſumus, cum Chriſtus Dominus* reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, *Philip.* 3. v. 21. *Spiritus ergo ſanctus per Baptiſmum, ab infelici natiuitate, quâ peccatores, & miſeri, ex peccatoribus & miſeris naſcimur, traducit nos, ad natiuitatem ſpiritalem, quâ filij* Dei *renaſcimur, vt in æternam vitam ac lucem ſuſcipiamur; quod non poſſet, niſi* Deus *eſſet, quia, vt ait ſanctus* Dauid *Pſalm.* 83. v. 12. Gratiam & gloriam dabit Dominus.

Digitized by Google

præcipit, Epheſ, 4. *verſ.* 30. Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis. *Vt autem ſciamus omnem, qui exaſperat Spiritum Sanctum, Deum offendere, & de amico inimicum, & hoſtem fieri, Petrus Apoſtolus ſignificantius in Apoſtolorum Actibus loquitur cap.* 5. *verſ.* 3. Quare conuenit vobis mentiri Spiritui Sancto ? non eſtis hominibus mentiti, ſed Deo. *Ita Sanctus Hieronymus. Eandem Iudæorum rebellionem contra Spiritum Sanctum exercitam ſatis declarat ſanctus Stephanus Actuum* 7. *verſ.* 51. Dura, *inquit,* ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, & vos. *Vbi ſanctus Chryſoſtomus homilia* 17. *in Actibus*: Non dixit, Deo reſiſtitis, ſed Spiritui, ſic nullum ſcit in perſonis diſcrimen.

3. *Veri Dei eſt animos veritatis lumine intrinſecus colluſtrare. Iſa.* 54. *verſu* 13. *Ioannis* 6. *verſu* 45. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei, hoc eſt docti à Deo. *Verùm Spiritus Sanctus intus in animo erudit, & inſtituit, Luc.* 12. *ver.* 12. Spiritus Sanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere. *Ioan.* 15. *v.* 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. *Ioannis* 16. *v.* 13. Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Hinc S. Auguſtinus tract.* 3. *in* 1. *S. Ioannis epiſtolam exponens cap.* 2. *v.* 27. *ſententiam:* Vnctio ipſius docet vos de omnibus. Quid ergo, *inquit,* nos facimus fratres, quia docemus vos? Si vnctio eius docet vos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus. Et vt quid tantum clamamus ? Dimittamus vos vnctioni illius, & doceat vos vnctio ipſius. Iam hic videte magnum Sacramentum, fratres. Sonus verborum noſtrorum aures percutit, magiſter in-

intus eſt: Nolite putare, quẽquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitũ vocis noſtræ, ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Adeò fratres vultis noſſe? Nunquid nõ ſermonem iſtum, omnes audiſtis? Quam multi hinc indocti exituri ſunt? Quoniam ad me pertinet, omnib. locutus ſum: ſed quibus vnctio illa intùs non loquitur, quos Spiritus ſanctus intùs non docet, indocti redeunt, Magiſteria forinſecùs, adiutoria quædam ſunt, & admonitiones. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet: de Domino dico, interior ergo magiſter eſt, qui docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet. Agricola forinſecùs ad arborem operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ. Quælibet forinſecùs adhibeat, nunquid poma format? Nunquid nuditatem lignorum veſtit vmbra foliorum? Nunquid aliquid tale intrinſecus agit? ſed quis agit hoc? Audite agricolam Apoſtolum, videte & quid ſumus, & audite magiſtrum interiorem: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. 1. Corinth. 3. verſ. 6.7. Hoc ergo vobis dicimus: Siue plantemus, ſiue rigemus loquendo, non ſumus aliquid: ſed ille qui incrementum dat, Deus, id eſt, vnctio illius, qui docet vos de omnibus. *Iſta S. Auguſtinus. Quem ſequitur B. Gregorius homilia 30. in Euang.* De Spiritu ſancto. *ait*, rectè promittitur, Ioann. 14. verſ. 26. Ipſe vos docebit omnia; quia niſi idem Spiritus adſit cordi audientis, otioſus eſt ſermo doctoris. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter ſenſum auditę vocis percipitis. Per vocem ergo non inſtruitur, quando mens per Spiritum nõ vngitur. Sed

cur

cur iſta de doctrina hominum loquimur, quando & ipſe conditor, non ad eruditionem hominis loquitur, ſi eidem homini per vnctionem Spiritus non loquatur? Certè Cain priuſquam fratricidium opere perpetraret, audiuit, Gen. 4. Peccaſti, quieſce. Sed quia culpis ſuis exigentibus, voce eſt admonitus, non vnctione Spiritus, audire verba Dei potuit, ſed ſeruare contempſit.

Sicut autem vnius Dei eſt, ſalutaribus diſciplinis, & præceptis animum imbuere, ita & illius ſolius donum eſt, poſſe diuinitùs cognita alios docere. Exodi 4. *verſu* 11. 12. Dixit Dominus ad Moyſen: Quis fecit os hominis? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris. *Pſalm.* 8. *v.* 3. Ex ore infantium (*ſimplicium, imbellium, ineloquētium*) & lactentium perfeciſti laudem. *Et Sap.* 10. *verſu* 20. *&* 21. *agens de Hebræis ſtragem Aegyptiorum in mari rubro cernentibus, ſummoque periculo perfunctis, vt eſt Exodi* 14. *&* 15. Decantauerunt, *inquit*, Domine, nomen ſanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter: Quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. *At hanc piè, ſapienterque loquendi facultatem præbet Spiritus Sanctus, Matth.* 10. *verſ.* 20. Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Aut vt eſt Marci* 13. *ver.* 11. Non vos eſtis loquentes, ſed Spiritus Sanctus. *Videatur vita Sancti Lucæ hanc Chriſti Domini promiſſionem præfecto obiicientis. Actuum* 2. *verſ.* 4. Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Diſputantes cum Stephano,* non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui, qui loquebatur: *Actuum* 6. *verſu* 10. 1. *Corinthiacæ* 2. *verſu* 13. Loquimur in doctrina Spiritus. *Et capite* 12. *v.* 8.

Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritū. *Qua de re S. Baſil. li. 5. con. Eun. c. Quod eadem ſit poteſtas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

5. *Similiter veram, ſolidamque ac ſalutiferam humanis mentibus conſolationem non affert, niſi* Deus: *quemadmodum teſtatur Apoſtolus Roman. 15. v. 5.* Deus autem patientiæ, ait, & ſolatij, det vobis idipſum ſapere, in alterutrū, ſecundū Ieſum Chriſtū. *Hoc eſt, Deus omnis tolerātiæ, & cōſolationis auctor & ingenerator tribuat vobis, vt eodem alius in aliū ſitis affectu, vt quod pro ſe quiſque curat, idem faciat & pro altero, ſed hanc dilectionem non ſimpliciter quærit, ſed ſecundum Ieſum Chriſtum, quia & alia quædam dilectio. Ita S. Chryſ. hom. 27. in ep. ad Rom.* Et 2. Cor. 1. v. 3. *idē Apoſt.* Benedictus, *ait,* Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius cōſolationis, qui cōſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſsimus, & ipſi cōſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. *Deum appellat miſericordiarum, teſte S. Chryſ. hom. 1. in 2. Corint.* Quia hoc Deo maximè proprium eſt, & illi eximiū, eiuſq; naturæ cognatū, miſereri, & conſolari. 2. *Theſſ. 2. v. 15.* Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternā, & ſpem bonam in gratia, exhortetur, & confirmet corda veſtra, in omni opere, & ſermone bono. *Atq; hic conſolator, eſt Spiritus Sanctus, quamuis enim eſſe conſolatorem Patri æquè, ac Filio conueniat, vt Spiritui Sancto, vt bene oſtendit S. Hieron. epi. 150. ad Hedibiam q. 9. & 2. Cor. 1. v. 3. vbi dicitur:* Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deus totius conſolationis. *Et ſe eſſe conſolatorē oſtēdit Filius Dei, Ioā. 14. v. 19. vbi ait, q ſuo conſolatoris loco aliū ſit miſſurus ſcil. Spiritū S. tamen hoc Paracleti ſiue conſolatoris nomen, Spiritui Sancto propriè attribuitur: quemadmodum rectè docet*

docet S.Athan.l.de communi eſſentia Patris, Filij,& Spiritus ſancti , *& ex S.Scripturis planiſſimè colligitur.Ioan.14.v.26.*Paracletus autem Spiritus ſanctus,quem mittet Pater in nomine meo *Ioan. 15.v.26.*Cum veneritParacletus,quem ego mittam vobis à Patre *Ioan.16.v.7.*Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. *Rectè S.Baſil.l.3.contra Eunom.In eo quod dixit Dominus:Ioan.14.v.16.* Ego rogabo Patrem,& alium paracletum dabit vobis , & ipſe paracletus noſter eſſe oſtenditur. *Quare paracleti quoque appellatio , non parum ad demonſtrationem Maieſtatis Spiritus ſancti confert.*

Deus,qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti,da nobis in eodem Spiritu recta ſapere , & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum.

CAPVT VIII.

EX NOMINIBVS SPIRITVI Sancto attributis eius Deitas maniſeſtò colligitur.

S*Anctus Gregorius Nazianz. oratione 5.de Theologia.* Quod,*inquit*, tam diuinum nomen eſt,quo Spiritus Sanctus non appelletur? Equidē ipſe ad tantam nominum cōpiam aduerſus quam frontem perfricant,qui Spiritui aduerſantur , totus cohorreſco. 1.Spiritus Dei dicitur 1.Cor.2.v.11.& cap.3. v.16.2.Spiritus Chriſti Rom.8.v.9.mens Chriſti 3.Spiritus Domini Sap.1.v.7.4. ac Dominus ipſe 2.Cor.3.v.7.5.Spiritus adoptionis Rom. 8. v.15. 6. veritatis Ioan.14.v.17. & c.15. v.26. & c.16. v. 13.7.Libertatis,2.Cor.3.v.17.8.Spiritus Sapien-

tiæ,prudentiæ,conſilij,fortitudinis, ſciētiæ,pietatis,timoris Dei.Iſa.11.v.2. Vtpote horū omniū efficiens,9.omnia eſſentia ſua implens Pſ. 138. v. 7.Sap.1.v.7.10.omnia continens Sap.1.v.7.mundum quantum ad eſſentiam implens, interim ipſe maior,quam vt mundus vires illius ac potētiam capere poſſit 11.bonus Pſ.142.v.10. Luc.11. v.13.rectus,principalis.Pſ.50.v.12.14. natura nō gratia, 12. ſanctificans non ſanctificatus Rom.1. v.4. 13. metiens non dimenſus,impertiens non particeps,implens non impletus, continens non contentus, 14. hæreditate acceptus Epheſ. 1.v. 14. glorificatus , Patri & Filio connumeratus Matth.28.v.19.1.Ioan.5.v.7.15. minaciter denūciatus 1.Cor.3.v.16.17.Eph.4.v.30. 16.Dei digitus Exodi 8.v.19.Lucæ 11.v.20. 17.ignis vt Deus Lucæ 12.v.49.ad oſtendendam,vt opinor, candem ipſius cum Patre & Filio ſubſtantiam Deut. 4.v.24. 18.Spiritus qui fecit Pſ.32.v.6.Iob 34.v. 14. 19. Qui per baptiſmum & reſurrectionem denuo creat Ioan.3.v.5.Rom.8.v.11.20. Spiritus omnia cognoſcens 1.Cor.2.v.10.21. docēs Ioan. 14.v.26.22.vbi vult & quoniam vult, ſpirans Ioan.3.v.8. 23 . præiens Pſal.142. 24. loquens Matt. 10.20.mittens Act.10.v.20.25. ſegregans Act.13. v.2. 26. Spiritus qui ad iram incitatur Iſa. 63.v. 10.27.qui tentatur Act.5.v.3.28.qui eam vim habet vt nobis abdita detegat 1.Cor.2.v.9. 30. lucē ac vitam afferat Ioan.6.v.63.imo qui ipſa vita & lux eſt.31.qui nos templum 1. Cor. 3.v.16.& c.6. v.19. 32.qui Deos efficit ac perficit Rom.8.v.15. Gal.4.v.4. ita vt & baptiſmum anteuertat Act. 10. v. 44. & poſt baptiſmum requiratur 1.Cor. 12.v.3.33.qui diuino ſuo numine nos afflat Ioan. 3.v.8.34.in igneis linguis diuiditur Act.2.verſ.3. 34.qui gratias diuidit 1.Cor.12.v.4.11.35.Qui Apoſtolos

poſtolos

poſtolos, Prophetas Euangeliſtas, paſtores & doctores facit Eph. 4. v. 11. 1. Cor. 1. Act. 20. v. 28. 36. Spiritus intellectilis, multiplex, apertus, clarus, incontaminatus Sap. 7. v. 22. minimeq; impeditus (quod idem valet ac ſi dicerem ſapientiſſimus, agendique facultate varius ac multiplex, omnia explicans ac declarans, liberamque poteſtatem habens atque immutabilis) omnipotens, omnia luſtrãs, per omnes Spiritus penetrans intellectiles, puros tenuiſſimos Sap. 7. v. 22. & 23. hoc eſt per angelicas, vt opinor, copias, quemadmodum & per Propheticas & Apoſtolicas; eodem temporis momento, nec tamen in ijſdem locis (alij enim eorum alibi fuſi ac ſparſi erant) quod quidem perſpicuè oſtendit cũ nullius loci circumſcriptione definiri. Ac tot nominibus tam viuis & expreſſis in ſcriptura Spiritus appellatur. Quid enim teſtimonia ipſa tibi ad verbum producere attinet? Quæcumq; autẽ hic quoq; humilius dicuntur, velut quod detur, mittatur, diſtribuatur, chariſma etiam, donum, inſufflatio, pollicitatio, interceſſio, aut ſi quid aliud huiuſmodi, ne ſingula commemorem, ad primam cauſſam (id eſt originem vnde eſt; vel effectum quem producit) referri debent, vt ex quo ſit oſtendatur, ac non tria principia diuiſa, proindeque plures dij admittantur. Paris enim impietatis eſt, vel Sabellij more Perſonas connectere: vel Arij inſtar naturas diſtinguere ac ſeparare. *Hactenus Greg. cognomento Theologus. Quæ & repetit oratione in ſanctam Pentecoſten.*

Adſit nobis quæſumus Domine *virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

CAP.

Capvt IX.

Ex vna eademqve perpetua Sanctis Spiritus cum Patre & Filio externa actione eius demonſtratur diuinitas.

Cvm in diuina Triade, vel facultas agendi, vel ipſa actio nihil ſit aliud, quam ipſa eſſentia, vtique conſequens eſt, vt eiuſdē cum Patre, & Filio naturæ ſit Spiritus ſanctus, ſi indiſtincta cum iis ſit operatio, quod in opere creationis, conſeruationis, iuſtificationis, miraculorum editionis, tam hoc libro tertio, quam ſecundo, variis, multisque argumentis demonſtratum eſt, & libro inſequenti luculentius, & copioſius confirmabitur, cum S. Trinitatis in creaturis opera indiuiſa & inſeparabilia eſſe docebimus.

Hoc pacto diſcere poteris, ait S. Baſil. l. de Spiritu Sancto c.16. Spiritum ſanctum in omni operatione coniunctum & inſeparabilem eſſe à Patre & Filio. Siquidem cum Deus efficiat varias operationum diſtributiones, ac Dominus *eas diſtributiones adminiſtret, ſimul adeſt Spiritus ſanctus partitionem donorum pro cuiuſque dignitate proprio arbitrio diſpenſans.* Diuiſiones, *inquit Apoſtolus* 1. *Corint.* 12. donorum ſunt, vnus autem Spiritus. Et diuiſiones adminiſtrationum ſunt, vnus autem Dominus & diuiſiones operationū ſunt, vnus autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem inquit, omnia operatur vnus & idem Spiritus diuidens ſeorſim cuiq; prout vult. Attamen non quoniam Apoſtolus primo loco meminit Spiritus, ſecundo filij, tertio Dei & Patris protinus oportet ſuſpicari totum omnino

omnino ordinem vniuerſum eſſe. A noſtra ſiquidem conditione ſumpſerat exordium, eo quod nobis qui dona accepimus, primum occurrit is qui diſtribuit: mox cogitamus eum qui miſit, poſtremo cogitationem ſubducimus ad fontem auctoremque bonorum. *Iſta S. Baſilius.* Etſi Pater origine primus quia à nullo eſt, filius ſecundus quia à ſolo Patre eſt, Spiritus ſanctus tertius quia à Patre & filio eſt: tamen voluit Deus Spiritum ſanctum hic primo nominari & cõſtitui loco, ne in alijs ſcripturæ ſententijs, vbi poſtremo nominatur Spiritus ſanctus propter numeri ordinem fingeremus cum Arianis & Macedonianis naturæ diuerſitatem.

Benè autem ex Apoſtolo concludit S. Baſil. l. 5. contra Eunom. Quod ſi omnia operatur Deus ſicuti vult omnia vero hæc vnus ac idem Spiritus operatur diuidens ſingulis prout vult: quomodo diuerſitas ſubſtantiæ illic eſt, vbi operatione identitas eſſe cognoſcitur: permutatis enim ſubſtantijs ſecundum impijſſimum Eunomium, diuerſas oportebat eſſe & operationes? Eandem autem auctoritatem & poteſtatem Spiritus, Saluator atteſtatur Ioan. 3. verſ. 8. Spiritus, inquit, vbi vult, ſpirat.

Actiones noſtras quæſumus Domine gratia Sancti Spiritus & aſperando præueniat, & adiuuando proſequatur, vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

CAPVT X.

SPIRITVS SANCTVS DEVS, quia ſoli Deo templa dedicantur.

PErmagna Chriſtiani pijque hominis dignitas quod is ſit vnum, verumq; ſancti Spiritus ac totius eminentiſsimæ Trinitatis templum. Id autem pluribus locis affirmat Apoſtolus quæ loca in commemorandis S.Patrum ſentẽtiis citabimus.

*S.Aug.l.1.de Trinit.c.6.*Spiritus ſanctus,*inquit*,Deus eſt Patri & filio prorſus æqualis,& in Trinitatis vnitate conſubſtantialis & coæternus. Neſcitis,*ait Apoſtolus* 1.*Cor.6.v.*19. quia corpora veſtra templum eſt eius,qui in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis à Deo. *Et verſ.*15. Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Si autẽ quæ membra ſunt Chriſti,templum eſt Spiritus ſancti, nõ eſt creatura Spiritus ſanctus : quia cui corpus noſtrum templum exhibemus, neceſſe eſt, vt huic eam ſeruitutem debeamus,qua non niſi Deo ſeruiẽdum eſt, quæ græcè appellatur λατρεία vnde cõſequenter dicit ibidem Apoſtolus v.20.Glorificate ergo & portate Deum in corpore veſtro.

Et tom. 6. contra ſermonem Arrianorum. Si apertiſsime,*inquit*,legerent in ſanctis ſcripturis Salomonem regem lignis & lapidibus iuſſu Dei templum ſtruxiſſe S.ſancto, Deum eſſe S.ſanctũ dubitare non poſſent, cui tanta religionis ſeruitus, quæ latria dicitur, legitimè exhiberetur in populo Dei,vt illi etiam templum fabricaretur. Et eum negare audent Deum qui non ligna & lapides,ſed membra Chriſti habet templum?

Et

Et lib. 3. contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum cap. 21. idem beatiſſ. Aug. Spiritum ſanctum, *ait*, negare Deum quid eſt, niſi non eſſe & nolle eſſe templum eius? *Alloquitur nos Apoſtolus dicens Rom. 12. verſ. 1.* Obſecro autem vos, fratres, per miſerationes Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem. Corpora itaque fidelium hoſtia ſunt Deo, membra Chriſti, templum Spiritus ſancti. Et Deus non eſt Spiritus ſanctus? Quis hoc dicit, niſi in quo non habitat? Quoniam vtiq; in quo habitat templũ eius eſt. Deniq; cum dixiſſet Apoſtolus 1. Cor. 6. v. 19. Neſcitis quia corpus veſtrum templum in vobis Spiritus ſancti eſt quem habetis à Deo & nõ eſtis veſtri: Empti enim eſtis pretio magno, continuo ſecutus adiũxit: Glorificate ergo Deum in corpore veſtro. Vbi dilucidè oſtendit Spiritũ ſanctum eſſe Deum, glorificandum ſc. in corpore noſtro tanquã in templo ſuo. Ibidẽ. Iam ergo cõtitere Deum eſſe S. ſanctum. Neq; n. niſi eſſet Deus haberet templum, & templum non manufactum, ſed ædificatum de membris Dei: Chriſtus enim ſuper omnia eſt Deus benedictus in ſæcula Rom. 9. v. 5. cuius membra ſunt noſtra corpora. Quomodo ergo Deus non eſt, cui ſunt membra Dei ſubiecta? Ac per hoc & Dominus eſt templi ſui. Quis enim hoc neget, quis ita deſipiat, vt dicat non eſſe aliquem Dominum domus ſuæ? Quomodo ergo Spiritus ſanctus non eſt Dominus, qui Dominus eſt membrorum Domini.

S. Baſilius magnus lib. 3. aduerſus Eunomium. Similiter ex eo quod homo iuſtus ſedes ſit & ſanctus Spiritus domicilium eius, colligit diuinitatem. Verba illius ſunt: Cum de Deo Ioannes *dicat 1. ep. cap. 3. verſ. 24.* Ex hoc ſcimus quod in nobis eſt ex Spiritu quem dedit nobis. *Et Apoſtolus 1. Cor. 3. verſ. 16.* Neſcitis quod

quod templum Dei eſtis,& Spiritus Dei habitat in vobis. Et rurſus Epheſ.2.v.21. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctũ in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto. Si ergo Deus in nobis habitare dicitur per Spiritum, quomodo non eſt aperta impietas expertem Deitatis ipſum Spiritum dicere? *Prorſus ſimilia habet S.Baſ.homil. 17.in Sanctum baptiſma.Et ex citatis SS. Pauli & Ioannis locis conficitur, vt ibidem concludit Magnus Baſilius*: Si Deus in nobis non eſt,neque vita, neque vllis bonis ſempiternis potiemur.

Qui idem B.Baſilius epiſtola 141.*ad Cæſarianos*. Audiamus, *ait*,eum qui ad tertium vſque cœlum raptus eſt,quid dicit? Quoniam templum eſtis eius qui in vobis eſt,Spiritus ſancti. Omne autem templum Dei templum eſt. Si vero templum ſumus Spiritus ſancti, ergo Deus eſt Spiritus ſanctus. Dicitur quidem & templum aliquod templum Salomonis:ſed tanquam eius qui illud exſtruxit. Quod ſi hoc modo templum ſumus Spiritus ſancti, & ſic Deus eſt Spiritus ſanctus. Qui enim omnia condidit, Deus eſt. Si vero tanquam eius qui adoratur, & habitat in nobis, confitebimur vtique illum eſſe Deum. Dictum enim eſt: Dominum Deum tuum adorabis,& illum ſolum coles. Deut.6.v.13.Matth.4.v.10.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt Spiritus ſanctus adueniens templum nos gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT

CAPVT XI.

BREVIS ARGVMENTORVM de Sancti Spiritus diuinitate complexio.

S*Anctus Baſil. l. 3. contra Eunom. in vnũ quaſi faſciculum colligit, quæ hactenus pro S. Spiritus diuinitate deprompta ſunt argumenta:* Operationes, *ait,* Spiritus ſancti quales? Verbo, *inquit,* Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vt ergo Deus verbum creator cœlorum eſt, ſic S. ſanctus firmam ac ſtabilem virtutem cœleſtibus præbet & poteſtatibus. Et rurſus Iob: Spiritus Domini, qui fecit me, non de creatione, vt arbitror, ſed de humanæ virtutis perfectione dicens. Iſaias vero ex perſona Domini videlicet ſecundum humanitatem eius. Dominus inquit miſit me & Spiritus eius. Et Pſalmiſta rurſus per vniuerſa pertrãſire Spiritus virtutẽ probans, Quo, inquit, ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Beneficentiæ vero ab ipſo ad nos peruenientes, quales & quantæ ſunt? Sicut ipſe Dominus dedit poteſtatem ſuſcipientibus ſe filios Dei fieri: ſic & S. ſanctus Spiritus adoptionis eſt. Et ſicut magiſter verus eſt Dominus noſter, ſecundum quod dicitur: Vos autem nolite vocare magiſtrum vobis in terra, vnus enim magiſter veſter eſt Chriſtus. Sic & S. ſanctus omnes docet, q in nomine Domini crediderint, vt ab ipſo Domino teſtimonium perhibetur dicente: Paracletus autem S. ſanctus, quem mittet Pater meus, ille vos docebit omnia Et quemadmodũ diuidere operationes in eos, qui digni ſunt ſuſceptione operationum, Pater

dicitur, & diuidere miniſtrationes filius in dignitatibus miniſterij: ſic & Spiritus ſanctus diuidere gratias in eos qui ad ſuſcipiendum eas digni ſunt, probatur. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vides quomodo hic quoq; ſancti S. operatio, operationi Patris ac filij coniuncta eſt. Deinde ex eo etiã quod ſequitur magis diuinitas naturæ ſancti S. aperitur. Quid n. ait? Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult, nihil aliud quam auctoris & Domini poteſtatem ipſi atteſtatur. Quapropter in nouo teſtamento Prophetæ clamarunt: Hæc dicit Spiritus ſanctus. Inueſtigatio autem profunditatum Dei, vnde Spiritui adeſt? Sicut enim, inquit, nemo ſcit hominum ea quæ hominis ſunt, niſi Spiritus hominis, qui eſt in eo, ſic & ea quæ ſunt Dei, nemo cognouit niſi Spiritus Dei. Nam quemadmodũ nemo alienus ac peregrinus intrinſecas poteſt animæ cogitationes inſpicere; eodem ſc. modo, ſi quid cum Deo in ſecretis ipſius communicat: non alienum nec peregrinum ab eo, profunditates iudiciorum ipſius inueſtigare poteſt. Præterea & vita nobis à Deo per Chriſtum in Spiritu ſancto præbetur. Vnde ait Paulus. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificauit omnia, vitam autem præſtat & Chriſtus: Oues enim, inquit meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do illis. Viuificamur autem & per Spiritum, vt inquit Paulus. Qui excitauit Chriſtum è mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ſanctum in vobis. *S. Ioann. Damaſcenus lib. 1. Orth. fidei c. 10.* *Eandem Spiritus*

ſancti

ſancti diuinam Maieſtatem eximiis explicat epithetis: ita enim loquitur. Eodem enim modo in Spiritum ſanctum credimus, qui Dominus eſt, & viuificat, qui ex Patre procedit, & in filio conquieſcit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, vtpote conſubſtantialis & coæternus, qui Dei Spiritus eſt, rectus, principalis, ſapientiæ vitæ & ſanctitatis fons, qui cum Patre & Filio Deus eſt & appellatur, qui increatus eſt, plenus, artifex, omnipotens, omnium effector, infinita potentia præditus, rebus omnibus conditis imperans, nullius autem rei imperio parens: qui implet, non impletur: deificat, non deificatur: participatur non participat: ſanctitate afficit, nō ipſe afficitur: qui cōſolator eſt, vtpote omnium conſolationem capiens, per omnia Patri ac filio ſimilis, ex Patre procedens, & per Filium omni creaturæ impertitus, atq; perceptus, per ſeipſum omnia creans, atq; vt ſint, faciens, & ſanctificans atq; conſeruans ἐνυπόστατος, id eſt, in propria hypoſtaſi exiſtens, à Patre & filio inſeparabilis, & nunquam egrediens, omnia habens quæ Pater habet & Filius, excepta ingeniti ac geniti proprietate. Pater quippe cauſſæ expers eſt atque ingenitus. Nec enim ex quoquam eſt (à ſeipſo enim eſſe habet) nec quicquam eorum quæ habet, ab alio habet: quin potius ipſe rebus omnibus principium eſt, cauſſaque tum quod ſint, tum quod naturaliter certo modo ſint. Filius a ex Patre eſt generationis modo. Spiritus vero ſanctus, & ipſe quoque ex Patre eſt, non tamen gignendi modo, ſed procedendi. Et quidem generationem & proceſſionē inter ſe differre cōpertū habemus: cæterū quis huius differentiæ modus ſit, prorſus nos fugit. *Hæc Damaſcen. Eandem S. ſancti diuinitatem, compendio probant Patres*

Africani ſanctiſſimæ Trinitatis ad quoſuis cruciatus paratiſſimi & tolerantiſſimi, præcones in ſua Catholicæ fidei confeſſione, apud S. Victorem Vticenſem Epiſcopum l. 2. Vandalicæ perſecut.

Sancti Spiritus Domine corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XII.

SPIRITVS SANCTI TAM EX Filio quam Patre proceſſio.

SAnctus Spiritus, vt vidimus, verus æternum viuens eſt Deus. Sed vnde illi diuinitas? ex Patre & Filio: ſiquidem ab vtroque procedit: Ioan. 15. v. 26. Cum venerit Paracletus, quē ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me. *Hic Dei filius ſanctum Spiritum à Patre procedere diſertè affirmat, ſed & hoc de ſe oſtendit, dum dicit S. ſanctū à ſe mitti: non enim inter diuinas perſonas miſſio eſt, niſi ratione proceſſionis, vt ea mittatur ab altera, quæ ab illa procedit, vt ex hac Domini ſententia ſanctum Spiritum à filio procedere, & filium ſimul cum Patre eundem S. Spiritum producere, optime docent S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 20. B. Hilar. l. 8. de Trinit. & alij.*

Adhæc vt intelligatur quod Spiritus ſanctus, à Patre iuxta, ac filio procedat, nunc Patris, nunc Filij Spiritus appellatur. Patris quidem Matth. 10. 20. Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Filij vero: quia Ioan. 14. v. 17. & c. 15. v. 26.* dicitur Spiritus veritatis, *ipſe autē Chriſtus Dominus de ſe ait Ioan. 14. v. 6.* Ego ſum via veritas

& vita. S. Cyrill. Alex. l. 10. in Ioannem cap. vlt. Pollicetur, *ait*, Spiritum veritatis, hoc eſt ſuum: nam ipſe veritas eſt: non eſt enim Spiritus alienus à ſubſtantia filij, ſed ex eo naturaliter procedit, Act. 16. v. 7. Tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. Rom. 8. v. 9. Si qs Spiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Gal. 4. v. 6. Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum filij ſui, in corda veſtra, clamantem Abba Pater.

Non poſſumus dicere, ait S. Aug. li. 4. de Trinit. c. 20. quod Spiritus ſanctus & à filio nõ procedat, neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris & Filij Spiritus dicitur. Nec video quid aliud ſignificare voluerit, cum ſufflans in faciem diſcipulorum, ait, Ioan. 20. v. 22. Accipite S. ſanctum; neq; enim flatus ille corporeus, cum ſenſu corporaliter tangendi procedens ex corpore ſubſtantia Spiritus ſancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantum à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum ſanctũ. Quis enim dementiſsimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum quem ſufflans dedit, & alium quem poſt aſcenſionem ſuam miſit. Vnus enim Spiritus, eſt Spiritus Dei, Spiritus Patris, & Filij, Spiritus ſanctus, qui operatur omnia in omnibus. Quod ergo, ait Dominus: Quem ego mittam vobis à Patre, oſtendit Spiritum & Patris, & Filij: quia etiam cum dixiſſet, quem mittet Pater, addit in nomine meo, non tamen dixit, quẽ mittet Pater à me, quemadmodum dixit, quem ego mittam vobis à Patre: videlicet oſtendens, quod totius diuinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis, principium Pater eſt. *Etſi vero hoc Saluatoris dictũ:* Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre proce-

 dit,

dit, ille teſtimonium perhibebit de me &c. *illo ſine & conſilio adductum ſit, vt eo ſancti Spiritus ex Patre ac Filio proceſsio comprobaretur.*

Illud tamen non prætereundum ea ſententia fere totam ſancti Spiritus naturam explicari. 1. plana & perſpicua ſit eius perſonæ, à perſona Patris, & Filij diſtinctio: nam à Filio mitti & à Patre procedere, & ille venire dicitur. Sicut ergo diſtincta ſunt, mittere & procedere ab alio, & venire: ita diuerſæ ſunt perſonæ, mittens, à quo procedit, & veniens. 2. pateſit ſancti Spiritus eſſentia: cum enim à Patre procedat, eſt Patri conſubſtantialis, ſicut & Filius, qui à Patre gignitur, quo ſit vt tres perſonæ vnius ſint, & eiuſdem eſſentiæ. 3. ſequitur Spiritum ſanctum ita eſſe diſtinctam perſonam à Patre & Filio, & vtrique conſubſtantialem, vt ab vtroque procedat: nam à Filio mitti, & à Patre procedere dicitur, quod non eſt aliud, quam ab vtraque perſona procedere & mitti. 4. declaratur Spiritum ſanctum procedere quidem à Patre, tamen non dici filium ſed Spiritum, eiuſque proceſsionem non eſſe generationem. 5. docemur quod ſit Paracletus & veritatis Spiritus qui cœleſti lumine & conſolatione ad teſtificandam Chriſti Saluatoris maieſtatem, animos compleat. Cuius ſancti Spiritus dignitatem vt magis magiſque commendaret Dominus & beatiſsimæ ſimul Trinitatis *myſterium aperiret, quod Chriſtianæ religionis caput eſt, pluribus verbis & encomiis eſt vſus.*

Iam fiat ad propoſitum reditus, & ſancti Spiritus à Filio proceſsionem aliis argumentis euincamus. Ea argumenta ſuppeditat nobis ipſe Dei filius Ioann. 16. v. 13. 14. 15. *vbi ait:* Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Non n. loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque Pater habet, mea ſunt

ſunt. Propterea dixi quia de meo accipiet & annunciabit vobis. *Indicauerat Dominus multa ſibi ſupereſſe dicenda, quorum tunc temporis nõ erant capaces diſcipuli, ſed S. ſanctum hæc omnia docturum & in omnem eos veritatem deducturum, cuius ſui dicti cauſſam ſubiungit: Quia S. ſanctus* nõ loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet, *nempe à me,* loquitur: *quaſi diceret quia ſcientiam & omnia quæ tradet, à me habet, nec ſine me loquitur ſicut nec ſine me eſt. Audire ab alio eſt ſcientiam accipere ab illo, quam cum eſſentia à Patre & Filio accipit S. ſanctus, & hinc patet ratio cur S. ſanctus doctrinam Chriſti illuſtraturus & completurus ſit: quia non loquitur S. ſanctus niſi quæ à Filio audit, ab ipſo enim procedit, ab eo eſſentiam & ſcientiam omnem accipit & ipſi conſubſtantialis eſt. S. Aug. tract. 99. in Ioan. pro mentis ſubtilitate ipſi à Spiritu ſancto conceſſa & mirificè illuſtrata* Non loquetur, *ait,* à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud quam ſcientia. Nec moueat, quod verbum futuri temporis poſitum ſit. Non enim dictum eſt, quæcunque audiuit, aut quæcunque audit, ſed quæcunque audiet, loquitur: illa quippe audientia ſempiterna eſt: quia ſempiterna ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti ſiue præſentis, ſiue futuri non mẽdaciter ponitur. Quamuis n. natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, ſed tantum eſt, ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt, & ideo illi tantum conuenerat dicere Exodi 3. v. 14. Ego ſum qui ſum. & Deus filiis Iſrahel: Qui eſt miſit me ad vos, tamen propter mutabilitatẽ temporum, in quibus verſa-

tur noſtra mortalitas, & noſtra mutabilitas non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & eſt. Apoc. 4. v. 8. Fuit in præteritis ſæculis, eſt in præſentibus, erit in futuris. Fuit quia nunquam defuit, erit quia nunquam deerit, eſt quia ſemper eſt. Neque enim velut qui iam non ſit, cum præteritis occidit, aut cum præſentibus, velut qui non maneat, labitur, aut cum futuris velut qui non fuerit, orietur. Proinde cum ſecundum volumina temporum locutio humana variatur qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora, vera dicuntur, de illo cuiuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus ſanctus quia ſemper ſcit, Ergo & ſciuit, & ſcit & ſciet. Et per hoc & audiuit, & audit, & audiet: quia ſicut iam diximus, hoc eſt illi audire quod ſcire, & ſcire illi hoc eſt, quod eſſe. *Iſta acutè, & doctè S. Aug. Verum cum miſſio diuinæ perſonæ, & æternam ſignificet proceſſionem, & temporalem effectum vt infra docetur. Cap. 2. lib. 6. propter hunc effectum futurum indicandum dicitur (audiet accipiet) cum ab omni æternitate audierit, acceperit Spiritus ſanctus.*

Ille me clarificabit: quia de meo accipiet *D. Aug. tract. 100. in Ioannem* Quod *ait*, ille me clarificabit poteſt intelligi: quia diffundendo in cordibus credentium fidelium caritatem, ſpiritaleſque faciendo declarauit eis quomodo filius Patri eſſet æqualis: quod ſecundum carnem prius tantummodo nouerant, & hominem ſicut homines cogitabant, vel certè quia per ipſam caritatem fiducia repleti & timore depulſo annunciauerunt hominibus Chriſtum ac ſic fama eius diffuſa eſt in toto orbe terrarum. Vt ſic dixerit: Ille me clarificabit, tanquam diceret: Ille vobis auferet timorem & dabit amorem quo me ardentius prædicantes gloriæ meæ per totũ mundum

mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu ſancto, hoc eundem Spiritum dixit eſſe facturum, quale eſt etiam illud Matth. 10. v. 20. Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Hic ergo Spiritus ſanctus me manifeſtabit, quia quæ diuinitatis meæ ſunt accipiet, ac vobis, & per vos mundo declarabit. *S. Gregorius Nazianzenus Oratione de fide*: Ipſe Dominus & Saluator noſter, de meo, *inquit*, accipiet. Ex eo vtique quod eſt Filius, quia & Filius de eo, quod eſt Pater. *Et Didymus lib. 2. de Spiritu Sancto:* De Spiritu veritatis Saluator, qui & veritas ait: Non enim loquetur à ſemetipſo, hoc eſt, non ſine me, & ſine meo & Patris arbitrio: quia inſeparabilis eſt, à mea & Patris voluntate. Quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre, & me eſt; hoc enim quod ſubſiſtit & loquitur, à Patre & me, illi eſt. Rurſum quod ait: de meo accipiet, hic accipere, vt diuinæ naturæ conueniat intelligendū. Quomodo ergo Filius dans non priuatur his, quæ tribuit, neque cum damno ſuo impertit aliis, ſic & Spiritus Sanctus non accipit, quod ante non habuit. Spiritum ſanctum à Filio accipere, id quod naturæ ſuæ fuerat, cognoſcendum eſt: & non dantem & accipientem; ſed vnam ſignificare ſubſtantiam. Siquidem & Filius eadē à Patre accipere dicitur, quib. ipſe ſubſiſtit. Neque enim quid aliud eſt Filius, exceptis his quæ dantur ei à Patre, neque alia ſubſtantia eſt Spiritus ſancti, præter id, quod datur ei à Filio. Propterea autem iſta dicuntur, vt eandem in Trinitate credamus eſſe naturam Spiritus ſancti, quæ eſt Patris & Filij. *Hic Didymus Alexandrinus in S. Trinitatis doctrina Catholicus, doctiſſimus, & Sanctus Hieronymi iam ſenis magiſter fuit, quamuis captus*

à parua ætate oculis plura opera & nobilia conſcripſit, & tempore S. Hieronymi adhuc viuens octogeſimum tertium exceſſerat annum. De quo S. *Hieron.epiſt.*33. *ad Caſtrutium:* Beatus Antonius,*inquit,* cum à S. Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus, & iſſet ad eum Didymus vir eruditiſsimus,captus oculis:inter cęteras ſermocinationes,quas de Scripturis ſanctis habebant, cùm eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret ſciſcitans ait: Nunc triſtis es quod oculis carnis careas? Cum ille pudore reticeret,ſecundo tertioque interrogans,tandem elicuit, vt mœrorem animi ſimpliciter fateretur. *Cui Antonius.* Miror, *ait*, prudentem virum eius rei dolere damno,quam formicæ & muſcę & culices habent,&non lætari illius poſſeſsione quam Sancti ſoli & Apoſtoli meruerũt. Ex quo peruides, quod multo melius ſit ſpiritu videre quàm carne, & illos oculos poſsidere, in quos peccati feſtuca non poſsit incidere. *Iſte ergo Didymus quia de beatiſsima Trinitate bene ſenſit & ſcripſit, ab eadem pro corporis cæcitate mentis lumen & acumẽ impetrauit, quo & illud rectè vidit, de meo accipiet ad diuinitatem à Filio cum Spiritu ſancto communicatam intelligendum:ſiquidem non poteſt vna diuina perſona dici accipere ab alia, niſi procedendo.*

Sequitur apud S. Ioannem: Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *Hoc eſt:Etſi dixerim Spiritum ſanctum à Patre habere eſſentiam, quia ab ipſo procedit, accipit tamen & illam de me, quia eadem eſt eſſentia Patris & mea, & omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, præter ſcil. eſſe Patrem & Filium, quod enim eſt Pater, & eſt in Patre, hoc totum eſt Filius & eſt in Filio, ſeruata diſtinctione Patris, & Filij.* Si o-

mnia

mnia Patris, præter eſſe Patrem, habet Filius, & Pater ſpirat, & producit Spiritum ſanctum, ergo & Filius. Si enim id Pater habet, & non Filius, relinquitur aliquid habere Patrem, quod non habeat Filius.

Quo alludens S. Cyrill. Alexand. in defenſione 9. Anathematiſmi: Procedit à Patre, *ait*, Spiritus ſanctus, ſecundum Saluatoris vocem, ſed non eſt alienus à Filio, omnia enim habet cum Patre, & hoc ipſe docuit. *S. Athanaſ. in ſuo Symb. ait*: Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. S. *Chryſoſt. hom. 1. in Symb. Apoſtolorum art.* Credo in Spiritum ſanctum: Iſte eſt, *inquit*, Spiritus procedens de Patre, & Filio, qui diuidit propria dona ſingulis prout vult. S. *Epiphan. libr. 2. contra hæreſes cap. 62.* Spiritus Sanctus, *ait*, verè ex Patre & Filio, eiuſdem Deitatis, ex Patre procedens, & de Filio accipiens, ſemper vnus Deus primus, & qui poſtea. *Et Pronunciatum Theologicum eſt, ex* S. *Anſelmo, in lib. de proceſſione* Spiritus *ſancti, cap.* 2. In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationum oppoſitio. *Et ſanè ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ab eo non diſtingueretur: quia perſonæ diuinæ non diſtinguuntur, niſi per oppoſitas relationes, quas inter ſe Filius, &* Spiritus *ſanctus non haberent, ſi hic ab illo non procederet.*

Omnipotens & miſericors Deus, *da, vt Spiritus ſanctus, qui à te, Filioque tuo procedit, & omnem nos doceat veritatem, & in virtutis ſtudium vehementer inflammet. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.*

* * *

CAP.

CAPVT XIII.

SICVT NATVRAM HABET A Patre Filius, ita & habet, vt cum eo producat Spiritum Sanctum.

DOcet id S. Auguſt. libr. 15. de Trinit. cap. 17. vbi ait: Non fruſtra in hac Trinitate, non dicitur Verbum, niſi Dei Filius, nec donum Dei, niſi Spiritus ſanctus: nec de quo genitũ eſt Verbum, nec de quo procedit principaliter Spiritus ſanctus, niſi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter: quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam exiſtenti, & nõdum habenti, ſed quicquid vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus, Spiritus eſſet amborum. *Et cap. 26.* Qui poteſt intelligere ſine tempore, generationem Filij de Patre, intelligat ſine tempore proceſsionem Spiritus ſancti, de vtroque. Et qui poteſt intelligere in eo, quod ait Filius, Ioann. 5, v. 26. Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo: non ſine vita exiſtenti iam Filio, vitam Patrem dediſſe, ſed ita eum ſine tẽpore genuiſſe, vt vita quam Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris, qui dedit: intelligat, ſicut Pater habet in ſemetipſo, vt de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio, vt de illo procedat idem Spiritus ſanctus, & vtrunq; ſine tempore, atque ita dictum Spiritum ſanctum, de Patre procedere, vt intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre eſſe, & Filio. Si enim quicquid habet, de Patre habet Filius, de Patre

Patre habet vtique, vt de illo procedat Spiritus ſanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius & poſterius: quia omnino nulla ibi ſunt. Filius de Patre natus eſt, & Spiritus ſanctus de Patre, principaliter, & ipſo ſine vllo temporis interuallo dante, communiter de vtroq; procedit.

Quod hic & alibi ſanctus Auguſtinus affirmat, Spiritum ſanctum principaliter de Patre procedere, intelligendum eſt, quemadmodum exponit S. Thom. 1. Par. q. 36. arti. 2. hoc ſenſu; quod Pater à ſe habeat, vt producat Spiritum ſanctum, Filius verò non à ſe, ſed à Patre acceperit per generationem: nam perſpicaciſſimum D. Auguſtini ingenium non latuit vnum idemque ac planè proximum ſancti Spiritus principium eſſe pariter & ex æquo Patrem & Filium, quemadmodum clariſſimè docet lib. 5. de Trinit. c. 14. Si ergo & quod datur, *ait*, principium habet eum, à quo datur, quia non aliundè accepit illud, quod ab ipſo procedit, fatendum eſt, Patrem & Filium, principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia. Sed ſicut Pater, & Filius, vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator, & vnus Dominus; ſic relatiuè ad Spiritum ſanctũ, vnum principium. Ad creaturam verò, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnum principium; ſicut vnus creator, & vnus Dominus. *Et libr. 3. contra Maximinum Arianorum Epiſcopum cap.* 14. Cùm de Spiritu ſancto, *inquit*, Filius loqueretur, ait Ioan. 15. v. 26. Qui à Patre procedit: quoniam Pater proceſsionis eius eſt author, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, vt etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus.

Atque hac ratione exponendi ſunt ſancti Patres, qui dicunt, Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium: ſignificant enim ita procedere à Filio, vt Filius id habeat

beat communicatum à Patre, eadem tamen eſt proceſsio ab vtroque, vti diximus. Vt S.*Cyrillus Alex. libr.* 10.*in Ioan.c.*33.*& lib.*11.*c.*1.*Tertull.li.contr.Praxeam.* Spiritum ſanctum non aliundè puto, quàm à Patre per Filium. S.*Athanaſ.lib. de redargutione hypocriſis Meletij*: Impoſsibile eſt, Spiritum ſanctũ in Trinitatis gloria numerari, ſi non emanaſſet ex Deo per Filium, ſed per modum creaturæ à Deo factus, vt putant.

Sancti Spiritus gratia, quæſumus Domine, corda noſtra illuminet, & perfectæ charitatis dulcedine abundãter reficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XIV.

QVALIS, QVANTVSQVE Nobis cogitandus, ſuſpiciendusque ſit Spiritus Sanctus.

Hoc quidem ex ſuperioribus ſatis & abundè conſtat, tamen operæ erit pretiũ, S. *Baſilium hoc ſub vnum ponentem aſpectum, & eleganter, ac neruoſe diſſerentem audire: Is ergo lib. de Spiritu ſancto cap.*9.*hunc in modum loquitur*: Iam verò etiam de Spiritu Sancto, communes noſtræ ſententiæ, cuiuſmodi ſint, expendamus, tum eas, quæ nobis de illo è Scripturis collectæ ſunt, tum eas, quas Patrum traditione, ſine ſcripto accepimus. Primum igitur, qui audiuit appellationes Spiritus, erigitur animo, & ad ſupremam naturam animum attollit: Nam Spiritus Dei dictus eſt, & Spiritus veritatis, qui ex Patre procedit; Spiritus rectus, Spiritus principalis, Spiritus ſanctus,

ctus, quæ poſtrema propria eſt illius ac peculiaris appellatio.

Quod ſanè nomẽ omnium maximè, id quod eſt incorporeum, & ab omni materia purum atque incompoſitum declarat. Quapropter & Dominus, vt animum, qui putat Deum in loco adorandum, doceret eum incomprehenſibilem, & incorporeum eſſe. Spiritus, inquit Ioan. 4. verſ. 24. eſt Deus. Proinde fieri non poteſt, vt qui audit Spiritus, naturam loco circumſcriptam, aut mutationibus & alterationibus obnoxiam, aut omnino creaturæ ſimilem imaginatione imprimat menti ſuæ: ſed ad id, quod ſummum eſt, cogitatione proficiſcens, intelligibilem ſubſtantiam cogitet, neceſſe eſt, virtute infinitam, magnitudine incircumſcriptam, nec temporum, nec ſæculorum dimenſionem recipientem, nemini bona, quæ habet ipſa, inuidentem: ad quam omnia conuertuntur, quæ egent ſanctificatione, quam omnia appetunt, iuxta virtutem viuentia, cuius afflatu velut irrigantur, & adiuuantur, vt perueniant ad proprium ſuum, naturalemque finem: ſic perficientem cætera, vt ipſe in nullo deficiat, non aliunde parta vita viuentem; ſed qui ſit ipſe vitæ largitor, nec acceſsionibus augeſcentem, ſed plenum, rectum, in ſeipſo collocatum, qui nuſquam non adeſt: ſanctificationis parentem, lucem intelligibilem, vniuerſæ potentiæ rationali, ad veritatis inueſtigationem, velut illuſtrationem quandam ex ſe præbentem, natura inacceſſum, ſed qui capi poſsit, ob benignitatem: omnia quidem implentem virtute, ſed ſolis iis, qui digni ſunt, communicabilem, quibus ſeſe non eâdem impertit menſurâ, ſed iuxta portionem fidei diſpertitur vim ſuam.

Sim-

Simplicem iuxta eſſentiam, ſed potentiis varium: qui ſingulis totus adeſt, & totus vbiq; eſt; qui ſic diuiditur, vt nihil ipſe patiatur: cuius ſic omnes participes ſunt, vt ipſe maneat integer, radij ſolaris in morem, cuius beneficium ſic adeſt ei, qui fruitur, quaſi ſoli adſit, quam & terram illuſtret, & mare, & aeri miſceatur: itidem & Spiritus ſanctus, vnicuique capacium, quum adſit, quaſi ſoli, omnibus ſufficientem, & integram gratiam infundit, quo fruuntur, quæcunque de illo participant, non quantũ ipſa ſua natura poſſunt capere, ſed quantum poteſt ille.

Porrò, conſortium cum Spiritu, non conſtat loci propinquitate; nam quî fiat, vt ad incorporeum corporaliter accedas: ſed à cupiditatibus receſſu, quæ poſt acceſſerunt animæ propter amicitiam erga carnem, & à Dei conſortio alienarunt. Itaque purgata à probro, quod eam per malitiam contaminaret, & ad natiuam pulchritudinem reuerſa, ac velut imagine regia veterem formam puritate reddens, hoc vno demũ modo poteſt ad Paracletum appropinquare: ille portò veluti Sol purum nactus oculum oſtẽdat tibi in ſeipſo imaginem illius, qui videri non poteſt.

In beata autem huius imaginis contemplatione, videbis ineffabilem archetypi pulchritudinem, per hunc corda ſuſtolluntur in altum, manu ducuntur infirmi, proficientes perficiũtur. Hic eis, qui à tumultu cupiditatum purgati ſunt illuceſcens, per cõmunionem, quam cum ipſo habent, ſpiritales reddit. Et quemadmodũ corpora illuſtria, perlucidaque contacta radio Solis, fiunt & ipſa ſupra modum ſplendida, & alium fulgorem ex ſeſe profundunt: ſic & animæ ſpiritu afflatæ, ac ſpiritu illuſtratæ, fiunt & ipſæ

ſpiri-

ſpiritales,& in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præſcientia,arcanorum intelligentia, occultorum comprehenſio, donorum diſtributiones, cœleſtis conuerſatio, cum Angelis chorea:hinc gaudium nunquam finiendũ, hinc in Deo perſeuerantia,hinc ſimilitudo cum Deo, & quo nihil ſublimius expeti poteſt, hinc eſt,vt Deus fiat.*Hucuſque S.Baſilius.*

Deuotionis noſtræ ſacrificium tuo,Domine, conſpectui oblatum ignis ille diuinus aſſumat, qui diſcipulorũ Chriſti Filij tui per Spiritum Sanctum corda ſuccendit. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XV.

TERTIA IN TRINITATE PERſona quomodo appelletur Spiritus Sanctus.

P*Ater eſt Spiritus,eſt & Filius Spiritus: quia vterque Deus: Spiritus autem eſt Deus,Ioann.4.v.24.Eſt & Pater ſanctus,Ioan.17.v.11.*Pater ſancte,ſerua eos, in nomine tuo, quos dediſti mihi.*Eſt & Filius ſanctus,Luc.1.v.35.*Quod ex te naſcetur Sanctum,vocabitur Filius Dei. *Itaq; non ſolum tertia in Deitate perſona, ſed & prima, & ſecunda dici poteſt Spiritus ſanctus, quin & ipſa tota ſanctiſsima Trinitas rectè Spiritus ſanctus appellatur.* Pater,*ait S.Aug.lib.5.de Trin.c.11.* & Filius, & Spiritus Sanctus,quoniam vnus Deus,& vtiq;Deus ſanctus eſt,& Deus Spiritus eſt, poteſt appellari Trinitas & Spiritus S. Sed tamen ille Spiritus S. qui non Trinitas,ſed in Trinitate intelligitur,in eo quod propriè dicitur Spiritus S. relatiuè di-

citur,cum & ad Patrem & ad Filium refertur: quia Spiritus ſanctus,& Patris & Filij Spiritus eſt.

B.Thomas 1.Part.q.36.art.1.ad Argumentum 1.docet, quod quamuis vi duarum dictionum, Pater, & Filius, poſſint dici Spiritus ſanctus: quia vterque eſt Spiritus, & eſt ſanctus, tamē illa vox quatenus vſurpata eſt vt vna dictio, propria eſt Spiritus ſancti, vt conſtat ex communi ſenſu, & perpetuo Eccleſiæ vſu, & ipſa Chriſti Domini *inſtitutione Matthæi 28.v. 19.* Baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus S.

Commune ergo S.Trinitati nomen, tertiæ perſonæ eſt proprium. Cuius ratio eſt, quam tradit ſanctus Auguſtinus lib.15. de Trinit. cap. 19. Spiritus ſanctus, *inquit*, non ſolus eſt in illa Trinitate, vel Spiritus vel ſanctus: quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus;& Pater ſanctus, & Filius ſanctus, quod nō ambigit pietas,& tamen iſte non fruſtra propriè dicitur Spiritus ſanctus: Quia enim communis eſt ambobus,id vocatur ipſe propriè,quod ambo communiter. *Eſt enim Spiritus ſanctus nexus quidam & amor Patris & Filij.*

Addit & S.Thomas 1.P.q.36.art.1.cap. hoc ex propria illi ſignificatione conuenire: Nam nomen Spiritus, in rebus corporeis impulſionem quandam, & motionem ſignificare videtur: nam flatum, & ventum ſpiritum nominamus. Eſt autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum: Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur perſona diuina, procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus ſanctus nominatur, qui & animos noſtros, ſuo afflatu vehementer in omnem virtutem, ac præſertim Dei, ac proximi caritatem impellit. Roman.8.v.14. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.

Sanctus eſt autem diuinus ille Spiritus, non vt ſacra ſupellex, & inſtrumenta diuino cultui dedicata, quo

modo

modo dicitur Exodi 40. v.9.10.11. *à Deo Moyſi*: Aſſumpto vnctionis oleo vnges tabernaculũ cum vaſis ſuis, vt ſanctificentur: altare holocauſti, & omnia vaſa eius: labrum cum baſi ſua, omnia vnctionis oleo conſecrabis, vt ſint Sancta Sanctorum. *Neque ſanctus eſt participatione ſanctitatis, vt homines, vt Angeli, diuina gratia & virtute præditi, ſed vt infinita ſanctitas, & vt loquitur aduerſus Euno. lib.5.S.Baſil. fons ſanctitatis.*

Et lib.3.contra Eunom. loquens de homine & Angelo: Creatura ita comparata eſt, vt virtutis & diuinæ electionis præmium ſanctificationem habeat: quoniam natura vtitur libera, vt ad vtrũlibet poſsit inclinari, ad electionem ſc. boni, & peioris. Spiritus autem ſanctus, fons eſt ſanctificationis. Et vt natura ſanctus eſt Pater, & natura ſanctus eſt Filius, ſic natura ſanctus Spiritus quoque veritatis. Quapropter præcipua quoq; hac appropriata ſancti appellatione dignus eſt. Quod ſi ſanctitas ei natura eſt, ſicuti Patri, etiam & Filio, quo pacto tertiæ, atque alienæ naturæ eſt? Hęc propter, vt arbitror, & apud Iſaiam capite 6. Seraphin tertio Sanctus exclamare conſcripti ſunt: quoniam in tribus hypoſtaſibus naturalis ſanctitas perſpicitur. Non eſt autem hoc nomen ſolum ſanctitatis, cum Patre ac Filio ipſi commune, ſed ipſa etiam Spiritus appellatio, Spiritus namque Deus, & adorantes eum in ſpiritu & veritate adorare oportet, Ioã.4.v.24. *Rurſus lib. de* Spiritu *ſancto c.16.* Meræ, *inquit*, & intelligibiles, & vltramundanæ virtutes ſanctæ tum ſunt, tum nominantur, ex gratia per Spiritum infuſa ſanctimoniam nactæ. Angelorum perfectio eſt ſanctificatio, & in hac perſeuerantia. Verbo Dñi cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, Pſal.32. Itaq; tria intelligis

mandantem Dominum,creans Verbum,& cō-
firmantem Spiritum Sanctum. Quæ porro alia
poſsit eſſe confirmatio , quam in ſanctimonia
perfectio, cōfirmationis verbo ſignificante cō-
ſtantiam,immutabilitatem , ac ſoliditatē in bo-
nis. Sanctificatio verò non eſt abſque Spiritu.
Neque enim cœlorum virtutes ſuapte natura
ſanctæ ſunt: nam ſi id eſſet, nulla re differrent à
Spiritu ſancto,ſed iuxta portionem qua ſe inui-
cem ſuperant, à Spiritu habent ſanctificationis
menſuram. Quæ ſanctificatio eſt extra ſubſtan-
tiam illorum,& perfectionem illis adiungit per
communionem Spiritus.

*Corda noſtra,quæſumus Domine,Sancti Spiritus il-
luſtratione emunda, & opera noſtra, illius gratia ſan-
ctifica.Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

CAPVT XVI.

SPIRITVI SANCTO CVR RAtionalis creaturæ aſsignetur ſanctificatio.

INſicias *Chriſtianorum nemo ire poterit, quin à ſanctiſsima Trinitate omnis ſit tam homini,quàm Angelo ſanctitas.Diuini Patris teſtificatio eſt,Exod.*31. *v.*13. *& Leuit.* 20.*v.* 8. Ego Dominus,qui ſanctifico vos.*Ezech.*37.*v.*28. Scient gentes,quia ego Dominus,ſanctificator Iſrael. *Eſt & illa pro ſuis diſcipulis precatio Chriſti,Ioann.*17.*ver.*17. Pater ſanctifica illos in veritate. *De Dei Filio ſanctitatem impertiente locuples teſtis eſt Apoſtolus, Epheſ.* 5. *v.* 26. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea,vt illam ſanctificaret.*Heb.*2.*v.*11. Qui ſanctificat, & qui ſanctificātur,ex vno omnes, *id eſt,*

Chri-

Digitized by Google

*Chriſtus ſanctificans, & homines ſanctificati eiuſdem ſunt naturæ.Et cap.*10.*v.*10.In qua voluntate (*Saluatoris ſe diuinæ voluntati tradentis*) ſanctificati ſumus per oblationē corporis Ieſu Chriſti ſemel. *Et cap.*13.*v.*12. Propter quod,& Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum,extra portam paſſus eſt. *De Spiritu ſancto veram ſanctimoniã tribuente luculenta etiam exſtant teſtimonia,Rom.*1.*v.*4.*vocatur Spiritus ſanctificationis,hoc eſt, ſanctificans, Et Rom.*15.*v.*16. Vt fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto. 1.*Cor.*6.*v.*12. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis,ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. *Proinde & in tremendis myſteriis Sacerdos precatur: Veni ſanctificator, omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc ſacrificium,tuo ſancto nomini præparatum.*

*Cum ergo ſanctificatio ſit totius opus Trinitatis, cur Spiritui ſancto attribuitur? Soluit hunc nodum Victorinus lib.*3.*contra Arium*: Sicut ſapientia, *ait*, cum ſit totius Trinitatis, tribuitur Filio, non quod ſolius ſit ipſius, ſed vt ſignificemus ipſum eſſe Verbũ Patris, & paterno intellectu procedere: ita etiã opera omnia ſanctificationis tribuimus Spiritui ſancto, quia ex Patris & Filij voluntate procedit: eſt autem voluntatis obiectum bonũ, idcirco quę bonitatis ſunt,Spiritui S.tribuũtur. Hæc eſt voluntas Dei, ait Apoſtolus, 1. Theſſ.4. v.3.ſanctificatio veſtra.

*Atque hæc idcirco in Scriptura fiunt, vt diſtinctio perſonarum ſignificetur,& agnoſcantur diſtinctæ perſonæ in vnitate eſſentiæ.Ipſe Spiritus in Trinitate eſt perſonalis amor,ſanctificatio autem & hominis iuſtificatio maximè eſt diuinæ charitatis argumentum,& ſingularis effectus,ita vt ipſa caritate quiſque iuſtus,& ſanctus ſit.*Caritas autem Dei,diffuſa eſt in cordibus no-

ſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis. *Ro.5.v.5.*

Et ad homines ſanctificandum præcipuè Spiritus S. *miſſus fuit*: Effundam *inquit Deus Ezec.36.v.25.26.27.* ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritũ nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciã, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. *Quæ maior ſanctitas in homine eſſe poſſit, quàm quæ hic à* Spiritu S. *in ſuo vate loquente, & à ſe donanda promittitur, nimirũ à peccatorum ſordib. expurgatio,* Spiritus S. *ac donorum ipſius perceptio, & per hanc animi innouatio, atque diuinorum præceptorum ſedula executio?*

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus *ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Chriſtum* Dominum *noſtrum.*

CAPVT XVII.

QVO NOMINE ET RATIONE ſanctitatem homini impertiat Spir. S.

Illud certum & in confeſſo eſt, extra Eccleſiam Catholicam, neminem à Spiritu ſancto iuſtum ſanctumque effici. Hic Spiritus ſanctus, *ait B. Aug.* veniens in eos, tale ſignum primitùs dedit, vt qui eum acceperant, linguis omnium gentiũ loquerentur: quia portendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram, nec quẽquam acceptu-rum Spiritũ S. niſi qui eius vnitati copularetur. *Ita D. Aug. li. 2. contra Creſconium Grammat. cap. 14.*

Qui

Qui & tract. 27. *in Ioann. aptiſſima ſimilitudine hanc ſuam veriſſimam doctrinam explicat*: Ergo, *ait*, Spiritus eſt, qui viuificat, ſpiritus enim facit viua membra, nec viua membra ſpiritus facit, niſi in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, inuenerit. Nam ſpiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas, vt homo ſis, nũquid viuificat membrum, quod ſeparatum inuenerit à carne tua? Vnum ſi tollas, iam non viuificatur ex anima tua: quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. Qui autem, *inquit Apoſtolus Roman.* 8. *v.* 9. Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. *S. Cypria. Martyr & Epiſcopus epiſt.* 49. *ad Corneliũ Papam*: Quomodo, *inquit*, poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti atque in eius Eccleſia non eſt? *Et epiſtola* 52. *ad Antonianum*: Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.

Spiritus ſanctus hominem in S. *Eccleſia communione perſeuerantem ſanctificaturus, facit perinde atque Rex, qui cum primum in vrbem ingreditur, mandat aperiri carceres, ſolui vincula, liberari captiuos, ita cum Spiritus ſanctus omnium Dominus, in hominis animum illabitur, reſerantur cuſtodiæ dæmonum, franguntur catenæ peccatorum, rumpuntur laquei tentationum, diabolica ſeruitus, & tyrannis exploditur, vt bono peccator lætus cantare poſſit*: Dirupiſti vincula mea, Domine, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. *Sicut enim ignis ille Babylonicus, Daniel.* 3. *trium puerorum cõpedes diſrupit, & liberos dimiſit, ita diuinus hic ignis ſcelerum vincula confringit, & hominem libertati*

ſed ſanctificati eſtis ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.

3.*Eiectis peccatorum ſordibus Spiritus ſanctus ſuum domicilium renouat, & inſtaurat. Peccatum enim non tantum priuat animam Deo, ſed etiam vniuerſis diuitiis, muneribus, & ornamentis S. Spiritus, quibus locupletata fuerat, & decorata. Deinde reddit animam pigram, debilem, & ad opus bonum difficilem, pronam vero & procliuem ad malum, infirmam ad tentationibus reſiſtendum, tardam ad ambulandum viam mandatorum Dei, obſcuram quoque tenebricoſam, & quaſi alia nocte obductam, vt ſol intelligentiæ & iuſtitiæ ibi non luceat. Segnes quoque obtuſos omnes ſenſus ſpiritales facit peccatum, vt non videant quod ſalutare eſt, non audiant inſtinctus & inſpirationes diuinas, ſuauiſſimum virtutis odorem, & teterrimum peccati fœtorem non percipiant, aut pulcherrima ſanctorum exempla, non deguſtent, quam ſuauis ſit Dominus, non ſentiant flagella, quibus caſtigantur, non expendant beneficia, quibus ad Dei prouocantur amorem. Denique peccatum pacem & gaudium tollit conſcientiæ, feruorem Spiritus exſtinguit, ac hominem calamitoſiſſimum prorſus efficit. At Spiritus ſanctus in animam ingreſſus, omnia vitia emendat, ruinas reſtaurat, vulnera ſanat, improbarum cupiditatum iugum duiicit, interiores ſenſus viuificat, eoſque promptos & idoneos ad omne bonum facit, remiſſos & languidos ad malum, fortes ad tentationibus repugnandum, & vt ita dicam, nouum creat hominem. Ergone hæc animi renouatio quaſi quædam creatio eſt? Cur id non dicam cum diuinæ ſcripturæ affirment? Id potius mire S. Baſilij, quam meis oſtendam verbis. Is ergo hom.9.* Quod Deus non ſit auctor malorum cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. *Pſ.50.v.12.* Hoc eſt, in malitia inuetetatum renoua, vt duos con-

dat (Baſ. creet) in ſemetipſo in vnum nouum hominem faciens pacem. Eph. 2. v. 15. non vt ex non exiſtente faciat, ſed vt iam exiſtentes mutet, atque renouet. *Et ſi qua noua in Chriſto creatura Gal. 6. v. 15. Et rurſus Moſes Deut. 32. v. 6.* Nunquid ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? *Clare hic poſt facturam creatio conſtituta nos docet, creationis nomen ſæpenumero pro renouatione poſitum eſſe.* Tria creationis genera in ſcripturis nominata deprehendimus.. *ait idem S. Baſil. epiſtola* 141. *ad Cæſarianos*, vnum quidem ac primum eorum, quæ ex nihilo cum non eſſent, ad hoc vt eſſent ſunt condita. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Pſalm. 148. verſ. 5. Alterum eorum quæ ex prioribus ad meliora immutantur. Tertium, quod eſt in reſurrectione mortuorum. In iſtis omnibus (*hoc eſt in productione rerum ex nihilo, in hominis per gratiam renouatione, in mortuorum ad immortalitatem reuocatione*) inuenies Spiritum ſanctum Patri, & Filio cooperatorem. Si reſpicias cœlorum ſubſiſtentiam, quid Dauid dicit, Pſalm. 32. verſ. 6. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum. Deinde homo per Baptiſmum creatur, ſi qua enim, inquit Galat. 6. verſ. 15. in Chriſto noua creatura. Et quid ad diſcipulos Saluator dicit? Matth. 28. verſ. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti. Vides & hic vna cum Patre & Filio coniunctum eſſe & Spiritum ſanctum. Quid autem & de reſurrectione mortuorum dicas? Moriemur nempe, & ad puluerem noſtrum reuertemur? Terra enim ſumus, & in terram abibimus. Emittet Spiritum ſanctum, & creabit nos, & renouabit faciem terræ. Pſalm. 103. verſ. 30. Quod enim

enim Paulus reſurrectionem dixit, eam Dauid renouationem appellat. *De qua renouatione iterum Apoſtolus Titiana* 3. *verſ.*6. Secundum miſericordiam ſuam, ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, per Ieſum Chriſtum Dominum. *Quod renouationis beneficium promiſit Deus Ezech.*36.*v.*26. Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio veſtri.

Emaculatam, inſtauratam, redintegratamque animam mirificè exornat Spiritus ſanctus, & tam formoſam ac gratam in Dei facit oculis, vt illam recipiat pro filia & ſponſa ſua; idcirco Spiritus adoptionis filiorum Dei appellatur. Romana 8. *verſ.*15. *De hoc ornatu & ſplendore à Spiritu ſancto accepto gratulatur ſibi ſancta anima Iſa.*6.*verſ.*10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea, in Deo meo, quia induit me Dominus veſtimentis ſalutis, & indumentis iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſam decoratam corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis, *quæ monilia ſunt virtutes omnes, & chariſmata Sancti ſpiritus, quibus anima Dei manibus exornatur. Hæc veſtis illa* deaurata, circumdata varietate, *qua induta eſt regina, Regi ſuo ad dexteram aſſiſtens* Pſal.44.v.10. *nam à gratia Sancti ſpiritus procedunt omnium virtutum & cœleſtium habituum colores, in quibus ſponſæ pulchritudo conſiſtit. Imo quia hæc gratia ſiue caritas à Spiritu ſancto indita, non eſt aliud ſecundum Theologos, quam diuinæ naturæ participatio, hoc eſt, ſanctitatis, puritatis, bonitatis, nobilitatis, pulchritudinis ipſius Dei communicatio, cuius gratiæ, vel caritatis ope homo ſeipſum exuit, & Deum induit, fit vt hominem in Deum transformet, & ſicut ferrum in ignem miſſum, prorſus candens & ignitum efficitur, ita iuſtus planè diuinus efficiatur. Hoc eſt,* quod

quod ait S. Petrus 2. epiſt. 1. verſ. 4. Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit Deus, vt per hæc efficiamini conſortes diuinæ naturæ. *Sicut ſuam figuram ſigillum imprimit ceræ, ſic Spiritus ſanctus animo ſuam ſanctitatem. Hanc gratiam non modo diuinitatis conſortium, ſed &* deificationem, *(quæ cum acceſſerit ſimilitudo creaturam Creatori amabilem & dilectam reddit) c. 1. Eccleſ. Hier. appellat S. Dionyſ. Apoſtoli Pauli diſcipulus. De tali anima gratulatur Deus Cant. 4. v. 7.* Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.

In hac anima expiata, & tam eximiis ornamentis condecorata, vna cum Patre, & Filio ſedem, atque habitationem deligit, & figit ſibi Spiritus ſanctus, quemadmodum promiſit Deus, Leuit. 26. v. 11. & 12. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea, Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus. *& explanat Apoſtolus 2. Cor. 6. v. 16.* Si quis diligit me, *ait Dominus Ioan. 14. v. 23.* ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Nō exiſtimet quis, *ait S. Aug. eum in locum commentans tract. 76. in Ioannem.* Patrem tantummodo, & Filium, ſine Spiritu ſancto, apud dilectores ſuos facere manſionem: recolat quod ſuperius (*hoc eodem Cap. verſ.* 17.) de Spiritu ſancto dictum eſt: Quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in ſanctis cum Patre & Filio, ſanctus etiam Spiritus manſionem: intus vtique, tanquam Deus, in templo ſuo, Deus Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt ſubueniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuē-

do:

do: veniunt implendo, venimus capiendo, vt ſit nobis eorum non extraria viſio, ſed interna, & in nobis eorũ nõ tranſitoria manſio, ſed æterna. *Illud autem pernecеſſarium, vt pectoris noſtri domum inhabitet Spiritus ſanctus*. Quoniam, *vt ait S. Auguſt. epiſtola* 105 *.ad Sixtum*: Poſt remiſſionem peccatorum niſi mundatam domum habitet Spiritus ſanctus nonne cum alijs ſeptem redit Spiritus immundus? *Lucæ* 11.*v*.26.*Et rurſus ſerm*.11. *de verbis Domini*. A quo mundamur accipiendo indulgentiam, ipſum accipimus habitatorem, ad faciendam, augendam, perficiendamque iuſtitiam.

Inſidet vero in animo Spiritus ſanctus non otioſus: neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia, *ſed tanquam ſol in mundo illum illuminans, vt Rex in regno ſuo illud regens, vt cor in corpore vitam ſubminiſtrans, velut Dux in ſuo exercitu, contra hoſtes illum inſtruens, & muniens, ſicut paſtor in ſuo grege illum cuſtodiens, nutriens, & defendens, quemadmodum Paterfamilias domum ſuam gubernans, quodammodo ac Magiſter in Schola diſcipulos erudiens, veluti hortulanus in horto ſuo, illum noxias herbas exſtirpando, ſalutares inſerendo, ac irrigando excolens, vt anima in corpore ſenſum, motum, & vigorem illi præbens. Quid optabilius quid ſalutarius, quid felicius, quam talem, tantumque animi ſui habere incolam, ac poſſeſſorem?*

Quid autem Spiritus ſanctus in nobis efficiat, ſuauiſſimè docet S. Bern. ſerm.1 *.in feſto Pentecoſt*. Quia, *inquit*, mandatum accepimus, vt declinantes à malo, faciamus, quod bonum eſt. Pſal.36.v.27. Declina à malo, & fac bonum. Iſa.1.v.16. Quieſcite agere peruersè, diſcite bene fratre. Rom.12.v.9. Odientes malum, adhærentes bono, vide quẽadmodum in vtroque Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Rom. 8.v.26. Nam diuiſiones gra-

gratiarum ſunt, idem autem Spiritus 1.Cor.12. v.4. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, ſupplicationem, remiſſionem. Initium enim reuertendi ad Deum pœnitentia eſt, quam ſine dubio Spiritus operatur, non noſter, ſed Dei idque & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cum ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne veniſſe calorem, quem habere non poterat ſine illo? Sic ergo qui prius in iniquitate erat frigidus, ſi poſtmodum feruore quodam pœnitentiæ accendatur, alium ſibi Spiritum qui ſuum arguit, & diiudicat non dubitet aduenìſſe. Habes hoc, & in Euangelio Ioannis 16. verſ. 8. Vbi cum loqueretur de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ille, inquit, arguet mundum, de peccato. Sed quid prodeſt pœnitere de culpa, & non ſupplicare pro venia? Neceſſe eſt, vt hoc etiam Spiritus operetur, dulcedine quadam ſpei replens animum, per quam fiducialiter poſtules, nihil hæſitans. Viſne oſtendam tibi, etiam hoc opus eſſe Spiritus ſancti? vtique dum abeſt ille, tale aliquid in tuo Spiritu non inuenies. Denique ipſe eſt, in quo clamamus Abba Pater Rom. 8. verſ. 15. Ipſe qui poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8. verſ. 26. Et hæc quidem in corde noſtro, quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum Patre. Aduocatus noſter ad Patrem in cordibus noſtris, Dominus noſter in corde Patris. Itaque quod poſtulamus, idem ipſe donat, qui donat, vt poſtulemus, & ſicut nos erigit pia quadam fiducia, ita Deum inclinat ad nos, magis pia miſericordia ſua.

Ita-

Itaque vt omnino ſcias: quia remiſſionem peccatorum Spiritus ſanctus operatur, audi quod audierunt aliquando Apoſtoli. Ioannis 20. verſ. 22. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Et de malo quidem declinando ſic. Porro ad faciendum bonum, quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profecto monet & mouet & docet. Monet memoriam, docet rationem, mouet voluntatem. In his etiam tribus conſiſtit anima. Memoriæ ſuggerit bona in cogitationibus ſanctis, atque ita ignauiam noſtram torporemq; repellit. Propterea quotiens huiuſmodi ſuggeſtionem bonam ſenſeris in corde tuo, da honorem Deo, & habe reuerētiam Spiritui ſancto cuius vox ſonat in auribus tuis. Ipſe namq; eſt, qui loquitur iuſtitiam. Et in Euangelio habes, quia ille ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Ioann. 14. v. 26. Et aduerte, quid præmiſerat: Ille docebit vos omnia: dixeram enim quia docet rationem. Multi ſiquidem monētur, vt benè faciant, ſed minime ſciunt, quid agendum ſit, niſi adſit denuo gratia Spiritus ſancti, vt quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. 2. Cor. 6. verſ. 1. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi gratia. Propterea non ſolum moneri, & doceri, verumetiam moueri, & affici ad bonum, neceſſe eſt, ab eo vtiq; Spiritu, qui adiuuat infirmitatē noſtram. Rom. 8. v. 26. & per quem diffunditur caritas, in cordibus noſtris, quæ eſt bona voluntas. Itaque cum ſic adueniens Spiritus totam poſſederit animam ſuggerendo, inſtruendo, afficiendo, loquens ſemper in cogitationibus noſtris, vt audiamus & nos, quid loquatur in nobis D[illegible]us Deus Pſalm. 84. verſ. 9.

ratio-

rationem illuminans, voluntatem inflammans non tibi videtur quia totam domum impleuerint diſpertitæ linguæ, tanquam ignis: *Nam in his tribus ſuperius dictum eſt animam conſiſtere totam.*

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, purifica per infuſionem ſancti Spiritus, cogitationes cordis noſtri, vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

CAPVT XVIII.

TERTIA S. TRIADIS PERSONA cur Spiritus veritatis appelletur.

SAnctiſſimum Spiritum ſæpius Saluator Spiritum veritatis nuncupat Ioann. 14. v. 17. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. *Ioan.* 15. v. 26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, ille teſtimonium perhibebit de me. *Et cap.* 16. *verſ.* 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Eccleſiæ Doctores varias afferunt cauſſas, ob quas Paracletus dictus ſit Spiritus veritatis. Euthymius in Ioannem, exponit dictum Spiritum veritatis, id eſt, verum & præcipuum, vt opponatur cæteris ſpiritibus quæ creaturæ ſunt, & hoc commune nomen habent, vt ventus, animus, angelus, & ab iis diſtinguatur, quaſi veriſſima ipſius diuinitatis comparatione veri non ſint. Iſa. 40. v. 17. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & mane reputatæ ſunt ei. *Sicut enim*

enim creatura cum Deo comparata non ſunt, ita nec veræ ſunt.

S. Cyrill. l. 9. in Ioannem c. 44. & l. 10. c. 33. & S. Baſil. interpretantur Spiritum veritatis, hoc eſt Filij qui veritas eſt Ioannis 14. v. 6. Ego ſum via, veritas, & vita.

Spiritus veritatis dicitur, quaſi verax, vt opponatur fallaci, & mendaci ſpiritui, qualis eſt diabolicus, & mūdanus Spiritus 3. Reg. 22. verſ. 22. Egrediar, & ero Spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum eius. *Ioannis 8. v. 44.* Vos ex Patre diabolo eſtis: & deſideria Patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia nō eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, & Pater eius. *1. Cor. 2. verſ. 12. Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Et quia Spiritus ſanctus verax eſt, & illud eſt conſequens quod infert S. Ioannes Chryſoſt. hom. 76. in Ioannem: Ille fide dignus erit, propterea non Spiritum ſanctum, ſed veritatis appellauit.*

Spiritus etiam veritatis rectè dicitur, quia eſt vniuerſæ veritatis cognitor, vt penitus nihil illum lateat. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei 1. Cor. 2. v. 10.

Probabile & iſtud eſt quod noſter Ioannes Maldonatus eximius Theologus docet, in c. 14. Ioan. v. 17. quod cū Chriſtus humanam præſentiam, & aſpectabilem formā, & conuerſationem iis ſubtracturus erat vt eos Spiritus ſancti acceſſu & permanſione conſolaretur, nominat illum Spiritum veritatis, hoc eſt ſtabilem & permanentē, non ab iis diſceſſurum: ſiquidem Hebræi veritatem ſtabilitatem vocant, quo ſenſu Ezechias dicebat Iſa. 39. v. 8. Fiat tantum pax, & veritas in diebus meis, *i. e. pax firma, & ſtabilis. Et Iſa. 61. v. 8.* Et dabo opus eo-

rum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. *Quia ergo dixerat Spiritum ſanctum manſurum cum Apoſtolis in æternum, vocat Spiritum veritatis, id eſt, perpetuo manentem.*

Denique rectiſſimè Spiritus veritatis appellatur, ab effectu, ſiue à tradenda doctrina quia ſcilicet eſt Doctor, & magiſter veritatis Euangelicæ, quam ille hominum mentibus inſtillat.

Tres autem Euangelium veritates complectitur. Prima eſt, res ipſa, per vmbras & figuras ſignificata, quæ enim ſub his latebant, explicat Hebr. 10. v. 1. Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum *Ioan. 1. v. 17.* Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. *Altera veritas eſt promiſſionum exhibitio, & præſtatio Pſ. 88. v. 34.* Neque nocebo in veritate mea & quæ procedunt de labiis meis non faciã irrita. *Gal. 3. v. 19. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſores poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat. Euangelium hæc promiſſa præſtat. Tertia veritas eſt diuinarum rerum, ad ſalutem neceſſariarum cognitio, quam & tradit Ioan. 18. v. 37.* Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeã veritati. Omnis *qui eſt ex veritate, audit vocẽ meam. Itaque cum has veritates contineat Euangelium, cuius Doctor eſt Spiritus ſanctus, merito Spiritus veritatis appellatur.*

Eſt & triplex veritas apud Philoſophos, eſſentiæ, cognitionis, & propoſitionis: veritas eſſentiæ eſt quæ reſpõdet principiis ſuæ naturæ, ac præſertim primo exemplari, & apta eſt, ad gignendam in animo opinionem naturæ ſuæ conſentaneam. Veritas cognitionis eſt, quæ reſpondet primo principio intelligendi, quod in Deo eſt ſua eſſentia omnium rerum exemplar, in nobis autem ſunt res ipſæ, ab iis n. cognitionem noſtram mutuamur. Veritas propoſitionis eſt, cum verba verum mentis iudicium interpretan-

pretantur. Et huius triplicis veritatis, vt naturæ conditor illuſtrator S. ſanctus auctor eſt. Sed illam Philoſophus, tanquam tum noſtro inſtituto non facientem dimittamus. illud perſuaſi quod ait S. Aug. in Pſ. 108. v. 1. Deus verax, omnis autem homo mendax: quia nō eſt homo verax, niſi in quo loquitur Deus.

Sanctiſſime Spiritus impertire nobis ſapientiæ tuæ lumen, vt te, & Patrem, & Filium cognoſcamus, vnum ſolum verum Deum, in quo eſt natura ſalus, & vita æterna. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XIX.

QVOD SPIRITVS SANCTVS nos doceat & intus in animo per ſuam illuſtrationem, & extra per Eccleſiæ eruditionem, & doctrinam.

SPiritus veritatis, non niſi in Eccleſia Catholica ſalutiferam docet veritatē: quia illi ſoli Spiritum veritatis promiſit veritas, Chriſtus. Ioannis 14. verſ. 17. & ipſa eſt columna, & firmamentum veritatis 1. *Tim. 3. verſ. 16. Docet autem duobus in Eccleſia modis Spiritus ſanctus, & interius in hominis animo erudiendo per ſeipſum, & exterius, inſtituendo per Eccleſiæ præſides, & doctores. Et quidē de interiore illa Spiritus ſancti inſtitutione, multa dicta ſunt hoc ipſo tractatu, c. 7. num. 3. iis tamen & aliqua modo aſtruenda. Spiritus ſanctus cum ſit Spiritus fidei 2. Cor. 4. v. 13. fide ad Chriſtiana dogmata percipienda erudit mentem.*

Et cū ſit Spiritus ſcientiæ & intellectus, Spiritus ſapiētiæ & conſilij Iſa. 11. v. 2. dono ſcientiæ animū imbuit vt pro conditione, & ſtatu ſuo, res inferiores cognoſcat. Inſtruit,

ſtrait, & dono ſapientiæ, vt res ſublimes peruideat. Informat & dono intellectus, vt Dei myſteria percipiat. Illuſtrat & dono conſilij, quo vitæ actiones ſciat moderari.

Hoc eſt quod promiſit Deus Iſa. 54. v. 13. Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino, ſiue vt habent 70. omnes filios tuos diſcipulos Dei. *Et Dominus Ioan. 6. v. 45.* Eſt ſcriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei, *id eſt docti, & eruditi à Deo. Et Ierem. 31. v. 33.* Dabo legem meam in mentibus eorum, & ſuper cor eorum, ſcribam eam, & nequaquam docebunt ſinguli proximos ſuos, & fratres ſuos dicentes: Cognoſce Dñm; ſed omnes ſcient me à minimo vſq; ad maximũ. *Vbi in Comment. S. Hier.* Cum ſcriptum fuerit Dñi teſtamentũ in mente credentium, doceantur à S. ſancto: ſi tamen audire mereantur: Templũ Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis 1. *Cor. 3. v. 16.* Spiritus autem ſpirat, vbi vult. *Ioann. 3. v. 8. & diuerſas habet gratias 1. Cor. 12. v. 4.*

De hoc interno Doctore S. Spiritu Saluator Ioan. 14. v. 26. Paracletus S. ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero (*dixi*) vobis. *Docebit vos omnia. Quæ? Aduentus mei myſteria. & meorum dogmatum intelligentiam miniſtrabit, ac quæ dixi vobis, in memoriam reuocabit, & vniuerſa, quæ ad Eccleſiæ erectionem, & inſtructionem pertinebunt, edocebit. Cur id, quum poſſet, non præſtitit Chriſtus? cur ſuam ipſe doctrinam præſens iis non explanauit? Sapientiſſimo id conſilio factum, vt intelligerent exteriorẽ diuini verbi prædicationem, etiam ipſius Chriſti, non ſufficere ad intelligentiam, & auditorum mentem conuertendum, niſi interius operetur S. ſanctus. Et ſi homines ait S. Aug. tract. 26. in Ioan.* ab hominibus audiunt, tñ quod intelligunt, intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur.

Ruſum Dominus Ioannis 16. v. 13. Cum venerit ille Spir t. s veritatis docebit vos omnem veritatem. *Græcè potius eſt,* deducet vos in omnem veritatem, *& vtroque modo legit aliquoties S. Aug. tract. 96. in Ioannem, & licet idem ſit ſenſus quod perfectam ſcilicet iis doctrinam tradet S. ſanctus, verbo tamen (deducet) maius quid inſinuari videtur.*

CAPVT XX.

QVATVOR VIIS SPIRITVS ſanctus ad veritatis notitiam perducit.

M*Vltis modis in omnem veritatem Chriſti diſcipulos deduxit S. ſanctus audita à Chriſto, & obliuione obliterata, in memoriam reducendo; quo Spiritu Euangeliſta dicta, & facta Chriſti perfectiſsimè deſcripſerunt, vt nec verbum excideret. S. Aug. tract. 12. in Ioannem.* Quomodo audimus vocem Spiritus? Sonat Pſalmus, vox eſt Spiritus, ſonat Euangelium vox eſt Spiritus: ſonat ſermo diuinus, vox eſt Spiritus. Ergo S. ſanctus eſt, qui in dictato à ſe Euangelio loquitur.

Plurimos Chriſti Domini ſermones & actiones, quarum aliquas vel non intellexerant, vel penitus non penetrauerant, explicando, & accuratius declarando in veritatis cognitionem induxit Spiritus ſanctus. Quale eſt illud Ioannis 2. quod de templo corporis ſui dixit Saluator: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, *cuius ab ipſius reſurrectione* recordati ſunt diſcipuli, & tunc crediderunt ſcripturę & ſermoni Ieſu. *Et Ioan. 12.* Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit ſuper pul-

lum aſinæ. Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primùm, ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tunc recordati ſunt: quia hac erant ſcripta de eo, & *hæc fecerunt ei, ſicut videlicet prænunciata erant. Hoc ergo poſt Chriſti Domini in cœlos aſcenſionem, miſſo Spiritu ſancto illuſtrati myſterium cognouerunt.*

Multa etiam alia quæ Chriſtus Seruator vel non expreſſit, vel non docuit, docendo & illuſtrando Spiritus ſanctus patefecit, ſiue quæ ad dogmata, ſiue quæ ad mores, ſiue quæ ad regimen Eccleſiæ pertinebant, quo ſpectant pleræque traditiones Apoſtolicæ, de quibus S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 27. hunc in modum loquitur. Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione, in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus, Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè, vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habētur, imo potius ipſam fidei prædicationem, ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt, vt eius quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco commemorem, 1. vt ſigno Crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit? 2. Vt ad Orientem verſi precemur, quæ nos docuit ſcriptura? 3. Inuocationis verba, quum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? 4. Conſecramus aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis, præterea ipſum qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? I-

pſum

pſam porro olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? 6. Iam ter immergimus hominem, vnde eſt traditum? 7. Reliqua item quæ fiunt in baptiſmo veluti renunciare Satanæ & angelis eius, ex qua ſcriptura habemus? In prima Sabbathi erecti perficimus deprecationes. Deficiet me dies ſi Eccleſiæ myſteria citra ſcriptum tradita pergam recenſere. Omitto cætera, 9. Ipſam fidei profeſſionem, qua credimus in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, è quibus habemus ſcriptis? Etenim quoniam ſi ex baptiſmi traditione, iuxta pietatis congruentiam, vt baptizamur, ita credere debemus, ſimilem baptiſmo profeſſionem exhibemus, concedant nobis vt iuxta eandem conſequentiam ſimiliter glorificemus Deum, vt credimus. Nihil ad ſenſum refert ſiue dicas: Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu ſancto ſiue dicas: Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. *Eiuſmodi Apoſtolicæ traditiones apud S. Aug. ſunt 1. quod Euangelium Matthæi ſit Matthæi l. 28. contra Fauſtum Manich. c. 2. 2. quod Marcus & Lucas ex traditione Apoſtolorum Euangelium ſcripſerint l. 1. de conſenſu. Euang. c. 1. 3. Quis canon ſcripturæ l. 11. contra Fauſtum c. 11. l. 15. de Ciuit. Dei c. 23. l. 2. de doctr. Chriſtiana. c. 8. 4. quod S. Trinitas ſit conſubſtantialis, quod Pater ingenitus epiſt. 184. 5. quod B. Virgo perpetua virgo hæreſ. 84. ad Quodvult Deum 6. quod hæretici non rebaptizandi l. 2. de bapt. cont. Donatiſtas c. 7. & l. 5. cap. 23. 7. quod paruuli baptizandi l. 10. de Geneſi ad literam. c. 23. 8. quod inde Symbolum Apoſtolorum l. de fide & ſymb. c. 1. 9. quod Euchariſtia à ieiunis ſumatur ep. 118. ad Ianuar. 10. Deniq; l. 4. contra Donatiſtas de bapt. c. 24.* Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Cōcilijs inſtitutum ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.

Demum Spiritus ſanctus veteres Scripturas, & vaticinia, quæ de Chriſto eiuſq; Eccleſia erant, interpretatus eſt, & verum & legitimum eorum ſenſum expoſuit, vt videre eſt paſsim in Euangelio, & Apoſtolorum epiſtolis.

CAPVT XXI.

SPIRITVS SANCTVS VERAM diuinorum eloquiorum intelligentiam Eccleſiæ tribuit.

SEd & modo Eccleſiam ſuam Spiritus ſanctus germanum ac verum ſcripturarum ſenſum, & quæcunque ad ſanā fidem, & bonos mores, ac rectam ipſius gubernationem pertinent, & neceſſaria ſunt, docet; ita vt neq; in fidei decretis, neque in morum diſciplina, neque in ipſa rectione vel deficiat, vel aberret. Siquidem ipſi, à Chriſto ſponſo ſuo, promiſſum, & præſtitum Matth.16.v.18. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Et Matth.28.v.20.* Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi. *Ioan.14.v.16.* Paracletus Spiritus veritatis manebit vobiſcum in æternum. *Ioan.16.v.13.* Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. *Quapropter & ſub anathematis pœna obligamur Eccleſiæ & fidem & obedientiam in omnibus tribuere Matth.18.v.17.* Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

S. Aug. in Pſ.57. In ventre Eccleſiæ, veritas manet. Quiſquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, vt falſa loquatur. *Et concione ad Catechum. to.6.c.20.* Apud Catholicam fidem,

fidem, dilectiſsimi, noueritis tantum eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt. Si quis ab ea diſceſſerit, atque hæreticorum erroriſe tradiderit, vt fugitiuus ſeruus iudicabitur, non vt filius adoptionis; nec ad vitam æternam reſurget, ſed potius ad damnationem. *Et tractat. 32. in Ioann.* In hac Eccleſia, qui non eſt, nec modo accipit Spiritum Sanctum: Præſciſus enim & diuiſus eſt ab vnitate membrorum. Accepimus ergo & nos Spiritum ſanctum, ſi amamus Eccleſiam, ſi caritate cōpaginamur, ſi Catholico nomine & fide gaudemus. Credamus fratres, quātum quiſq; amat Eccleſiam Chriſti, tantum habet Spiritum ſanctum. Et profectò, ſi Eccleſia in errorem laberetur, is lapſus & error, Chriſto Domino à quo tanquam capite & ſponſo, & Spiritu Sancto, à quo velut anima regitur, ſecundum Apoſtolum Eph. 1. v. 22. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Et cap. 4. v. 4. Vnum corpus & vnus ſpiritus, eſſet tribuendus.

Idem B. Auguſtinus, & habetur diſt. 11. cap. 9. Palam eſt, quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſsimis Apoſtolorum ſedibus, vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet & Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione confirmatur.

* * *

Capvt XXII.

EX APOSTOLICO S. PETRI ET ſucceſſorum eius ſolio veritatem edocet Spiritus Sanctus.

IN hac Catholica Eccleſia docet Spiritus ſanctus, 1. per Apoſtolicas traditiones, de quibus paulo ante diximus. 2. docet ex Cathedra S. Petri, & ſucceſſorum eius. Siquidem Matth. 16. v. 18. pollicitus eſt Dominus Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. *Hic B. Petrus & petra, & Eccleſiæ fundamentum, & ſummus eius rector nuncupatur, & quilibet eius ſucceſſor, eſt ſimiliter petra, & Eccleſiæ fundamentum. Petra autem nominatur propter ſoliditatem, & in fide conſtantiam: quia non frangitur, non circumfertur omni vento doctrinæ: Fundamentum verò hoc, quia indiſſolubile ædificium ſuſtentat, hoc eſt Eccleſiam, ruere non poteſt, quin corrueret & Eccleſia. Iterum Luc. 22. v. 32. ait Dominus:* Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autẽ rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cõuerſus, confirma fratres tuos. *Impetrauit Saluator S. Petro, & cuiuis ſucceſſori eius, in fide perſeuerantiam, & in doctrina, vt neque ipſe fide deſtitueretur, nec quicquam contra fidem vnquam doceret.*

Hinc S. Lucius I. Pontifex & Martyr epiſt. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ: Eccleſia, *inquit*, Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarũ, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis, nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſecũdum ipſius Domini pollicitationẽ dicentis: Ego rogaui pro te Petre, &c.

Idem

Idem ſeruator noſter Ioan.21.v.17.mandauit Petro, & eius Succeſſori: Paſce oues meas. *Eſt ergo S.Pontifex paſtor & doctor totius Eccleſiæ, quocirca & tota Eccleſia illum audire & ſequi tenetur, ac proinde ſi ille errore duceretur, in eundem raperetur & Eccleſia.*

Et quid voluit Deus, in Rationali & SanctiPontificis ornamento ante eius pectus ſuſpenſo, inſcribi aureis literis, vt explicat S.*Auguſtin.q.*118.*in Exodum* : Doctrina & veritas, *vt Exodi* 28.*v.* 30.*S.Hieron.vertit, & 70.ſiue vt alij ex Hebræo*, illuminationes & perfectiones, *hoc eſt, magna doctrina, quâ alij illuminentur, & magna integritas, quâ cæteri ædificentur, quid inquam, Deus ſignificare voluit, quam in* S.*Sacerdotis pectore habitaturam doctrinam, & veritatem, neque eum erraturum cum populum docuerit? Quapropter & Deut.17.v.9.& 12.*Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. *Hinc S.Hieron.epiſt.*1.*ad Heliodorum c.* 7. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.

* * *

Cap.

Capvt XXIII.

IN APPROBATIS CONSILIIS veram tradit doctrinam Spiritus Sanctus.

Docet ergo & certam veritatem in S. Petri cathedra diuinus Spiritus, quam etiam tradit, & ſuggerit tam in prouincialibus, quàm generalibus Conciliis à ſede Apoſtolica confirmatis, vt paulò ante demonſtratum, cum Eccleſiam in fidei & morum decretis errare non poſſe docuimus. Sanè primum illud Apoſtolicum Concilium *Actuum 15. v. 28. ſua decreta non dubitauit affirmare, & S. Spiritus decreta:* Viſum eſt, *aiunt*, Spiritui ſancto & nobis. *Hinc & illa Côciliorum vox, v. g.* Sacroſancta Tridentina Synôdus in Spiritu Sancto legitimè congregata. *Matt. 18. v. 17. 18. 19. Saluator cum de inemendabili dixiſſet:* Dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. *Et ne quis antiſtitum ac prælatorum conuentum exiſtimaret deſpicatui habendum, continuò adiunxit:* Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: *hoc eſt, apud Deũ. Voluit Chriſtus Eccleſiæ tribunal vltimum eſſe, ad quod eſſent peccatores, cum aliud non eſſet emendationis remedium deferendi.*

Ideoque ſummam illi tribuit poteſtatem. Et ne quiſpiam ambigeret de Dei *præſentis auctoritate, cum Epiſcopi congregati aliquem abſoluunt, vel damnant, addit:* Iterum dicó vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis, à Patre meo, qui in cœlis eſt.

Vbi

Vbi enim ſunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Argumentatur Dominus à minori ad maius: Si quicquid duo petierint, Deus illis concedit, quanto magis Eccleſia iudicium ratum habebit. Et ſi duo, vel tres congregati, in nomine meo, quod communi conſenſu petierint, conſequuntur à Deo, nimirum lumen & ſapientiam, quæ ſufficiat ad ea cognoſcenda, quæ ipſis neceſſaria ſunt, quanto magis Epiſcopi, in nomine meo congregati, ſemper obtinebunt, quod iuſtè petunt, id eſt, ſapientiam & lumen, ad cognoſcenda ea, & diiudicanda ea, quæ ad totam dirigendam Eccleſiam pertinent.*

Quapropter & ad hæreſeon, & morum prauitatem corrigendam, eiuſmodi præſides Eccleſiæ conſtituti ſunt: quemadmodum docet Apoſtolus Epheſ. 4. verſ. 11. 12. 14. Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. *Quibus vt obtemperemus, mandauit Dominus Lucæ 10. verſ. 16.* Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Et Apoſtolus Hebræor. 13. verſ. 17.* Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.

* * *

CAP.

CAPVT XXIV.

CONSPIRANTE SS. PATRVM doctrina informat nos Spiritus Sanctus.

H*Vc pertinet conſentiens SS. Patrum doctrina, quâ & Eccleſiam erudit Spiritus ſanctus, quem Spiritum ſanctum in iis loquentem indicat S. Auguſt. lib. 1. contra Iulianum Pelag. c. 5.* Habes, *inquit*, in conſpectu non ſolum Occidentis, verumetiam Orientis Epiſcopos: *(quorum ſententias citauerat)* iſtos aſpice, iſtos erubeſce, iſtis parce, vel tibi potius, ne rector & habitator illorum tibi forte non parcat. Quod credunt, credo, quod tenent, teneo;, quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Iſtis crede, & me nõ cædes: Acquieſce iſtis, & quieſces à me. *Quin & lib. 2. contra eundem Iulianum cap. 9. quod ipſa in iis veritas loquatur, affirmat.* Hoc, *inquit*, probauimus Catholicorum auctoritate Sanctorum: Tales quippe ac tanti viri ſecundum Catholicã fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera eſſe confirmant, vt veſtra fragilis & quaſi argutula nouitas, ſola auctoritate conteratur illorũ, præterquam quod ea dicunt, vt ſe per eos loqui veritas ipſa teſtetur.

Et ibidem c. 10. de iiſdem S. Patribus loquens: Quãto tibi eſſent iſti iudices optabiliores, ſi teneres Catholicam fidem, tanto tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerũt, cuius lac & cibum, paruis magniſq; miniſtrauerunt, quã contra inimicos etiam tunc vos nondum natos,

vnde

vnde nūc reuelamini apertiſsimè ac fortiſsimè defenderunt. Talibus poſt Apoſtolos ſanctaEccleſia plātatoribus, rigatoribus, ędificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit. Ideo prophanas voces veſtrę nouitatis expauit & cauta, & ſobria, ex admonitione Apoſtolica, 2. Cor. 11. v. 3. ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens eius corrumperetur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto: Catholicæ fidei virginitati, inſidias veſtri dogmatis ſubrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcauit, obtriuit, abiecit. Aduerſus autem hanc miſerabilem, quam Deus à te auertat, inſaniam, ſic reſpondendum eſſe video libris tuis, vt fides quoque aduerſus te defendatur iſtorum, ſicut contra impios, & Chriſti profeſſos inimicos, etiam ipſum defenditur Euangelium.

Non hic omittendum præclarum Theodoſii Imperatoris facinus: Is, vt teſtatur Sozomenus lib. 7. hiſtor. capite 12. hac arte ſui temporis hæreticos compeſcuit. Iußit ſectarum principes conuenire, à quibus petiit, an exiſtimarent antiquos Patres, qui ante illud diſsidium Eccleſiam rexerant, rectè ſenſiſſe, & verè ſanctos, & Apoſtolicos fuiſſe, quod cùm illi conceßiſſent, ſubiunxit:

Examinemus ergo doctrinam veſtram ad illorum ſcripta, & ſi cum illis cōſenſerit, retineatur, ſin minus, abiiciatur.

Neque tamen ſimul, ac ſemel ſiue vna vice, & tempore, omnem Eccleſiæ patefacit, & veritatem aperit Spiritus Sanctus, ſed paulatim & ſucceßiuè, neque ipſi Apoſtoli in die Pentecoſtos omnia myſteria cognita, perſpectaque habuerunt, vnde & Actuum 15. de veteris legis obſeruatione diſquirentibus, & ſtudium etiam ſuum ac diligentiam adhibentibus reuelauit S. Spiritus antiquæ legis abrogationem. Et pro temporum, perſonarum, emergentium hæreſum, & errorum diuerſi-

diuerſitate, plurima dogmata Eccleſiæ diuinitus manifeſtata fuère, quæ ante diſtincta, aperta & manifeſta non erant.

Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ miſericors Deus: vt Spiritu Sancto congregata hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXV.

QVAM FELIX HOMO, QVEM & intus inſtinctu ſuo, & extra per Eccleſiam erudit Spiritus Sanctus.

NEmo dubitabit illam animam beatam prædicare, quæ talem frequentat ſcholam, vbi magiſter eſt Spiritus ſanctus, vbi Deus ipſe in cathedra ſedens cœleſtẽ profitetur philoſophiam, cum homo dicere poſſit: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus, *1.Reg.3.v.9.& Pſal.84.v.9.* Audiam, quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Anima mea liquefacta eſt, *ait Cant.5.verſ.6.ſponſa,* vt dilectus meus locutus eſt. *O quem non laborem ſuſcipere, & exanthlare deberent homines, vt huius Doctoris inſtitutione ſapientiam perdiſcere poſſint.*

Si enim clariſſimus ille Philoſophus Apollonius Thianæus (vt in eius vita teſtatur Philoſtratus, S. Hieron. epiſt. 103. ad Paulinum) totum penè mundum peragrauerit, & ad Caucaſum vſque montem, & Brachmanas profectus ſit, vt Iarcham Indorum Philoſophum in ſolio aureo apud paucos diſcipulos de ſphærarum cœleſtium motu diſputantem audiret, quid non moliri, quid non facere debent homines, vt Spiritũ ſanctum verum Deũ,

qui in

qui in cordis ipſorum throno reſidet, non quomodo moueantur cœli docentem, ſed quomodo illos conſequantur, homines erudientem?

Verè dixit S. Iobus: Neſcit homo huius diuinæ ſapientiæ pretium, *cap. 28. v. 13. Intellexit B. Dauid Pſal. 24. v. 12. 13.* Quis eſt, *ait*, homo, qui timet Dominum, legem ſtatuit ei in via, quam elegit anima eius in bonis demorabitur. *q. d. Quis vbiuis locorum homo, Deum reuerens, & colens, rarus is quidem, ſed feliciſſimus, is enim in pietatis & virtutis via, quam elegit, magiſtrum, Doctorem, ac ducem habebit ipſum Deum, erudientem, iugiter admonentem, ac commonſtrantem, quomodo à malo declinare, & bonum facere debeat, & ſic animus eius Deo morem gerens præſentibus ſpiritalibus, & ſempiternis bonis ſecurus perfruetur. Miratur ergo regius Vates hominem illum, cui Deus tantũ præſtat beneficium, vt ipſe magiſter eius ſit, & doceat eũ legem, iuxta quam viuere debeat. Qui rurſus Pſalm. 93. v. 12.* Beatus homo, *ait*, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Eſt autem hæc* Spiritus *ſancti doctrina admodum efficax, & frugifera, iuxta illud Iſai. 48. v. 17.* Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, quâ ambulas. *Hæc enim doctrina ad benè beateque viuendũ ſuaviter inducit, vt indicat Dauid Pſal. 118. v. 2.* Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Huius doctrinæ fertilitatem & fructum abundantem, c. 58. v. 11. explicat S. *Iſaias dicens:* Requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. *Qui ſunt ſplẽdores illi, quibus iuſtorum animas complet Spiritus ſanctus, niſi cognitiones rerum ad ſalutem pertinentium? Et de talib. omnib. docet S. Spiritus vnctio, 1. Io. 2. v. 27.*

In his ſplendoribus oſtendit Spiritus ſanctus, quanta ſit virtutis pulchritudo, quanta vitiorum fœditas, quãta mundi vanitas, quanta gratiæ cœleſtis dignitas, quãta ſempiternæ gloriæ magnitudo, quanta ſit diuinæ conſolationis ſuauitas, quanta Dei bonitas, quanta dæmonum malitia, quanta ſit huius vitæ breuitas & fragilitas, & quam ingens & intolerabilis ſit error hominum, in hac vita degentium, nec nouiſſima prouidentium.

Cum hac ſcientia, vt idem teſtatur Iſaias c. 33. *v.*17. *ſæpe homo ſuper omnium montium altitudinem leuatur, & regem in decore ſuo videt, & oculi eius terram è longinquo contemplantur.*

Completa cœleſti luce intelligentia, incredibili voluntatem caritatis ardore diuinus ſpiritus accendit, ac mirifica iucunditate perfundit, vt & efficaciter propter caritatem, & fortiter propter delectationem, velit ſalutifera, aſperneturque pernitioſa. Quod egregiè docet S. Auguſt. lib. de Spiritu & litera, cap. 3. Nos dicimus, *ait*, humanam voluntatem ſic diuinitùs adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt præter quod creatus eſt homo, cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, quâ ei præcipitur, quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum S. quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque ſummi illius, atque incommutabilis boni, quod Deus eſt, etiam nunc, cum adhuc per fidem ambulatur, nõdum per ſpeciem, vt hac velut arrha ſibi data gratuiti muneris inardeſcat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene ſit, à quo habet, vt ſit. Nam neq; liberum arbitrium quicquam niſi ad precandum valet, ſi lateat veritatis via: & cum id quod agendum; & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas

Dei

Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per arbitrium liberum, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, Rom. 5. v. 5. doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus, continenter recteque viuendi, litera eſt occidens, niſi adſit viuificans ſpiritus. Hic ergo ſpiritus efficit, vt iuſtis exoſa ſint omnia vitia, quæ prius amabant, amentq; virtutes, quas prius oderant, quod Dauid ſibi contigiſſe fatetur, Pſal. 118. v. 163. Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi. & v. 14. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Quid ita? Quia Spiritus Sanctus inſtillauerat in animum eius caducarum rerum abſynthium, & mel diuinorum mandatorum.

Appoſitè ſanè Origen. hom. 27. in Num. Omnia, *inquit*, animalia cognoſcunt proprios cibos, & appetunt illos. Sed & inter homines ætas, valetudo, & habitudo corporis diuerſa, alimenta appetit diuerſa, & conuenientia. Solus Chriſtianus animi cibos faſtidit, & nauſeat, niſi ſpiritu Dei & igne amoris diuini cor incenſum gerat.

Deus innocentiæ reſtitutor, & amator, dirige ad te tuorum corda ſeruorum, vt Spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniamur ſtabiles, & in opere efficaces. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT. XXVI.

DE NOMINE PARACLETI, quo S. Spiritus à Chriſto Domino appellatur.

SPiritus ſanctus à Chriſto Domino ſæpius vocatur Paracletus, Ioan. 14. v. 16. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. *Ibidem v. 26.* Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Et c. 15. v. 26.* Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.

Παράκλητος *ſignificat conſolatorem, exhortatorem, & aduocatum. Et quidem conſolatoris nomen toti conuenit Trinitati, Patri quidem 2. Cor. 1. v. 3.* Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos, in omni tribulatione noſtra. *Filio autem Ioann. 14.* Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis: hoc eſt, qualis ego ſum, *ait S. Chryſoſt. hom. 74. in Ioann. Et 2. Cor. 1. v. 5.* Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

Conſolator eſt & Spiritus ſanctus, Act. 9. v. 31. Eccleſia ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur.

S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 2. Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Luctus eſt triſtitia de amiſsione carorum: conuerſi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant, & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœſtitia ſauciantur. Cōſolabuntur ergo Spiritu Sancto, qui

maximè

maximè propterea paracletus nominatur, id eſt conſolator, vt temporalia amittentes, ęterna lętitia perfruantur. *Canit & Eccleſia:* Veni ſancte Spiritus conſolator optime, in fletu ſolatium.

Rectè itaque B. Baſil. lib. de Spiritu S. c. 19. Paracletus, *id eſt*, conſolator dicitur Spiritus, quemadmodum & Vnigenitus: ſicut ipſe dixit: Ego rogabo Patrem meum, & dabit vobis alium paracletum. *Hoc pacto communia ſunt nomina Patri, Filio, & Spiritui Sancto, quæ appellationes competunt illis iuxta naturæ conſortium. Similiter B. Hiero. epiſt.* 150. *ad Hedibiam q.* 9. Quando, *ait*, dicit Dominus, aliũ paracletum mittam vobis, & ſe oſtendit eſſe paracletum, qui appellatur conſolator. Vnde & Deus Pater hoc cenſetur nomine, Deus miſerationum, & totius conſolationis. Si autem & Pater conſolator, & Filius conſolator, & Spiritus Sanctus conſolator eſt, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quod intelligitur Deus, baptizantur credentes. Quorum vnum diuinitatis & conſolatoris eſt nomen, eorum & vna natura eſt. Quam amans noſtri ſanctiſsima Trinitas, quæ noſtrum dolorem, fletum & luctum abſtergit, & nos ſpiritali ac cœleſti conſolatione ſuſtentat ac permulcet.

Sed & hortator noſter eſt Deus, *quemadmodum docet Apoſtolus* 2. *Theſſ.* 2. *v.* 16. Deus, *inquit*, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur, & confirmet corda veſtra in omni opere, & ſermone bono. 2. *Cor.* 5. *v.* 20. Pro Chriſto legatione fungimur, tãquam Deo exhortante per nos.

Sicut ergo nomen Spiritus ſancti, vt ſupra declarauimus, toti Trinitati commune eſt, ita & nomen Paracleti, quatenus vel cõſolatorem, vel exhortatorem ſignificat, in totam conuenit Trinitatem, & tamen ſicut no-

men Spiritus ſancti, propriè tertiæ attribuitur diuinæ perſonæ, ita & nomen Paracleti, vt bene docet S. Athan. lib. de communi eſſentia Patris, & Filij & Spiritus S.

Vocatur autem Spiritus Sanctus conſolator & exhortator: quia in rebus arduis, triſtibus, & aduerſis, quas multipliciter toleraturi erant Apoſtoli, & fideles Chriſti, conſolatur, & exhilarat animos, & incitat, & exhortatur: vt mala illa non ſolum patienter, ſed & libenter perferant, & cæterarum virtutum labores nauiter, & conſtanter exanthlent. Hinc Apoſtoli accepto Spiritu S. caſti ibant à conſpectu Concilij: quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Actuum 5. v. 41. Hinc & illæ Apoſtolicæ voces:* Gloriamur in tribulationibus, *Ro. 5. v. 3.* Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis, *2. Cor. 1. v. 7. Et cap. 7. v. 4.* Repletus ſum cōſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. *Et cap. 8. v. 2.* In multo experimento tribulationis abundātia gaudij ipſorum fuit. *Et c. 12. v. 10.* Placeo mihi in infirmitatibus (*doloribus*) meis, in cōtumeliis, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis, *Iacob. 1. v. 2.* Cōmunicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. *1. Pet. 4. v. 13.*

Vt autem Paracletus aduocatū, patronum, & alienæ cauſæ defenſorem ſignificat, non conuenit Trinitati; neque n. Deus cauſam noſtram apud aliū tuetur, vt ſolent aduocati; ſed ipſe eſt ſupremus Dominus, & iudex; ſed Chriſto conuenit, vt homini, de quo S. Ioan. 1. ep. 2. v. 1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Quod ergo, *ait S. Bernar. ſer. 1. in Pent.* Spiritus S. aduocatus noſter ad Patrem, in cordibus noſtris, Dominus noſter in corde Patris: *ſenſum habet iſtū, quod*

Spiritus

Spiritus S. in nobis, vt inſtrumentis ſuis, faciat, vt cauſam noſtrã agamus, & oremus, apud Deum, cõmunicando, & impertiendo nobis ſpiritũ precum, Zach. 12. v. 10. gratiã & caritatẽ. Quomodo & intelligendus Apoſtolus Rom. 8. v. 26. Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Hinc loco citato* S. *Bern.* Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cũ ipſo Patre. Quod poſtulamus, idem ipſe donat, qui donat, vt poſtulemus, & ſic ut nos erigit pia quadam fiducia; ita Deum inclinat ad nos magis pia miſericordia ſua. *Nõ priuabo hic pium Lectorem optimi diuinarum literarum interpretis Cornelij noſtri à Lapide interpretamento: Is in Comment. ſuo epiſt. ad Rom. molliter & genuinè hunc locum exponens, elegantiſſimè oſtendit, qua ratione nomen Aduocati, Spiritui S. rectiſſimè cõueniat.* Spiritus S. *inquit*, poſtulat, *i.* deſideria amicorũ ſuorũ, eorumq; gemitus inenarrabiles in cõſiſtorio ſanctiſſ. Trinitatis, quaſi Paracletus, i. Aduocatus noſter, & quaſi libellor. noſtrorũ ſupplicũ apud Deum, præfectus & magiſter, & legatus noſter & internuncius, exponit magna inſtãtia, magno pondere, & magna auctoritate, eo ipſo quo illa vota per intellectionẽ diuinã cognoſcit, & proloquitur cum affectu, & amore, coram ſanctiſſ. Trinitate. Licet n. hæc intellectio & locutio eſſentialis ſit, & tribus perſonis communis, attribuitur tamen Filio, cum nuda, & ſola; vel cum iungitur amori, & ex eo promanat, Spiritui Sancto; vti hic ſit, caritas enim, amor & gratia attribuuntur Spiritui S. ſicut ſapientia Filio, & potentia Patri; *vt docet* D. *Thom.* 1. *P. q.* 37. *&* 38.

Reſpuat & aſpernetur anima noſtra, ô ſanctiſſ. Spiritus, mundana, fugacia, falſa, & noxia ſolatia, ſed in omni afflictione memores peccatorũ noſtrorũ & beneficiorum tuorum, amor tuus, & æternæ beatitudinis expectatio nos conſoletur. Per Chriſtũ D. N.

Caput XXVII.

Cur Paracletus in nova lege ſit vocatus Spiritus Sanctus.

Obſeruauit B. Athan. in Oratione cont. Arrianos quæ incipit: Ex Deo eſt Deus Verbum. Spiritum ſanctum in veteri Teſt. nunquam eſſe appellatum Paracletum, cuius rei iſta aſſignari poſſunt cauſæ. 1. vetus illa lex à Deo data, *& per Moyſen promulgata, ſine ſanguine, ſine perſecutione, ſine contradictione introducta eſt, & à Iudæis recepta. Neque Moyſes quicquam diri paſſus eſt, ne dum interfectus propter illius legis promulgationem, nec Iudæi propter acceptationem. At Euangelium multum diſſimili ratione eſt inuectum: nam eius auctor Chriſtus crudeliſſimè eſt occiſus. Apoſtoli etiam, diſcipuli, Euangelij* Doctores *& ſectatores ſæuiſſimas perſecutiones, afflictationes, cruciatus, & mortes ſuſtinuerunt. Nec ſine copioſiſſimo ſanguine, facta eſt Euangelij introductio, quemadmodũ & illis prædixerat Chriſtus Dominus Matth.* 10. *v.* 16. Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporũ. *v.* 17. Cauete autem ab hominibus: Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis, flagellabũt vos, & ad præſides, & ad reges ducemini, propter me in teſtimonium illis, & gentib. *v.* 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. *Ioã.* 16. *v.* 2. Abſq; Synagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequiũ ſe præſtare Deo. *Spiritus ergo S. qui in hoc beatiſſimo certamine quo de fortunis, de amicis, de honore, & fama, de vita agebatur,*

gebatur, ſolatiū allaturus erat, rectiſſimè dictus eſt cōſolator, cuius rei clariſſimū eſt exemplū Act.4.v.23.ad 32.

2. Cauſſa cur diuinus Spiritus in noua lege ſit Paracletus appellatus, eſt: quod vera illa & ſpiritalia bona quæ ſolidam conſolationem, & ſinceram pariunt lætitiam, in Euangelio reperiantur, ſed in lege non fuerint, ſi lex ipſa in ſe conſideretur, eo remoto, quod ex fide venturi Saluatoris dabatur, quod non ad legem, ſed ad Euangelicam gratiam præceptam, & anticipatam pertinebat. quorum primum eſt peccatorum condonatio, & iuſtitiæ collatio Act.13.v.38.39. Per hūc (Chriſtum) vobis remiſſio peccatorum annunciatur, ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. In hoc omnis qui credit, iuſtificatur. Rom.3.v.20.21.22. Gal.2.v.21. Si per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Et cap.3.v.11. Quoniam autem ex lege nemo iuſtificatur, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit. *2. Eſt patefactus cœli introitus, qui etiam interclusus iis erat, qui fide in venturum Chriſtum iuſtificabantur, tunc enim non erat* propalata ſanctorum via Hebr. 9.v.8. & cap.10.v.19. Habentes itaque fratres fiduciam, in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti: quam initiauit nobis viam nouam, & viuētem per velamen, id eſt, per carnem ſuam. *Ipſe enim Dominus cœleſtium manſionum loca præparauit nobis Ioan.14.v.2.3. 3. eſt ſtatus filiorum Dei, in lege enim ſtatus ſeruorum. Rom.8.verſ.15.* Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Gal.4.v.6. Quoniam eſtis filij, miſit Deus Spiritum filij ſui, clamantem in corda veſtra, Abba Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quod ſi filius & hæres per Deum. *Et v.31.* Itaque fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus donauit. *Et c.5.v.*

12. Vos in libertatem vocati eſtis, fratres tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per caritatem Spiritus ſeruite inuicem. 4. *eſt Gratia fidei vniuerſis ſine exceptione gentibus propoſita Marci* 16. *verſ.* 15. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Rom. 3. verſ. 22. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio. *Quæ gratia fidei olim anguſtis fermè Paleſtinæ finibus incluſa videbatur Pſalm.* 75. *verſ.* 2. Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius. Pſal. 75. 147. v. 19. 20. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrahel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis Matth. 10. verſ. 5. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed ite potius ad oues quæ perierunt domus Iſrahel. 5. *eſt ſpiritalium munerum, virtutum, gratiarum, bonorum abundãtia cum omnibus & ſingulis hominibus ea acceptare volentibus communicata Ioannis* 7. *verſ.* 37. 38. 39. IESVS clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.

Nemini claudit, omnibus ſuæ gratiæ fontes aperit, & ad eos inuitat vt & Matth. 11. *verſ.* 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Et Iſaiæ* 55. *verſ.* 1. Omnes ſitientes venite ad aquas. *Quaſi dicat. Si quis ſitit, & ingenti ſalutaris doctrinæ, gratiæ, ac ſummi boni deſiderio tenetur, accedat fide, & pia voluntate ad me, & hauriat aquas ſalutis, de fontibus Saluatoris Iſa.* 12. *verſ.* 3.

ego

ego enim ſum fons patens Zach.13.verſ.1.*Et dum ſi-de vita ardentique deſiderio bibit*, fiet in eo fons a-quæ ſalientis in vitam æternam *Ioannis* 4. *verſ*.14. *ita vt ex hoc fonte, in eius corde, anima, conſcientia, voluntate ſcaturiente, flumina erumpant aquarum vi-uentium, quæ non modo illum compleant, ſed & in a-lios copioſe & affatim redundent. Hic fons Spiritus ſanctus eſt, à quo innumera chariſmata & perfectiſſi-mæ dotes, & virtutes velut perennis fluuij promanant, & in inferiores potentias; in corpus, & eius ſenſus, in omnes actus, & cogitationes, in proximos ipſos deri-uantur. Hæc autem Spiritus ſancti donorumque ipſius vbertas, & copia non eſt in homines effuſa, niſi cum morte, in qua terribilia ſiue potentiæ argumenta decla-rauit, & potius reſurrectione, ac potiſſimum in cœlos aſcenſione, Ieſus Dominus noſter eſt glorificatus. Cum ergo hæc talia, tantaque, ac ſolatij & gaudij pleniſſi-ma dona, non niſi Chriſti liberatoris aduentu, & me-ritis nobis comparata ſint, & Spiritus ſancti benignitate tributa, rectiſſimè non niſi in lege gra-tiæ diuinum illud numen Paracletus eſt nuncupa-tum.*

3. *Cauſſa eſt quæ nonnullam cum prima habet con-uenientiam, quod non pauca in Euangelio ſine Spiritus ſancti ſolatijs moleſta, ardua, & difficilia præcipian-tur. Paucis multa perſtringam.*

1. *Non ſolum ſuper omnia, & in omnibus, ſed etiam omni mentis conatu, & impetu ſemper amandus Deus Matth.*22.*v*.37. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo *&c*.2. *Metuendus Deus tanquam vitæ, necisq; tam temporalis, & ſpiritalis, quam æternæ ſupremus Dominus. Lucæ* 12.*v*.5. Oſtendã vobis quẽ timeatis; timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam: Ita dico vobis hunc timete. 3. *Aſſiduus Deo cultus*

adhi-

adhibendus Lucæ 18.*v*.1. Oportet ſemper orare & nunquam deficere.4. *Diuina virtus & perfectio æmulanda.* Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Matth.5.v.48.

Quo ad homines. Non ſuccenſendum proximis Matt. 5.*v*.23. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. 2.*Non intuenda cum praua cupiditate fœmina Matth.*5.*v*.29. Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcēdam eam, iam mœchatus eſt eam, in corde ſuo. 3. *Propinqui in cauſſa Dei non curandi Matth.*10.*v*.37. Qui amat patrem, aut matrem, pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam, ſuper me: non eſt me dignus. Lucæ 14.v.26. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuā, non poteſt meus eſſe diſcipulus. 4. *Amandus quilibet homo, ac nos ipſi amamus, & benè cupimus Matth.* 22.*v*.39. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. 5.*Quin & charus habendus ac beneuolentia hoſtis complectendus. Matth.*5.*v*.44. Ego dico vbis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. 6.*Facultates liberaliter in egenos conferendæ. Lucæ* 12.*v*.33.34. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neq; tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. 7.*Omnibus fax ad virtutem præferenda Matth.*5.*v*.17. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. *Et proximi offenſa ſummopere cauenda:* nam væ mundo à ſcandalis Matth.18.v.7.

Quod ſpectat ad propriam cuiuſque perſonam 1.*iniuria*

iuria patienter toleranda Matth.5.v.39. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram &c.2. *A cibi potuſque ingurgitatione & mundana ſollicitudine continendum Lucæ 21.verſ.34.* Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra, in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.3. *Debet quiſque ſe ſibi negare, & quaſi alienum habere, ſuis cupiditatibus prorſus renunciare, eaſque odio proſequi, & internecione delere. Matth.16.v.24.* Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.4. *Opes contemnendæ Matth. 6. v. 19.20. 24.* Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.5. *Innocentum puerulorum inſtar faſtus deponendus, & ſubmiſſio ac modeſtia colenda. Matth.18.v.3.* Amen amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 6. *Vitandum inutile, & ſuperfluum verbum Matth.12.v.36.37.* Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. *Et Matth. 5. v. 23.* Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. 7. *Semper bonis operibus inuigilandum, nec vnquam à virtutis ſtudio ceſſandum. Matth.25.v.13.* Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. *Et v.30.* Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores. Illic erit fletus, & ſtridor dentium. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in

ignem

ignem mittetur *Matth. 7. verſ. 19.* 8. *Perpetuum mundi odium ſuſtinendum Matth. 10. verſ. 22.* Eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum. 9. *Contendendum, vt intremus per anguſtam portam. Matth. 7. v. 13. Lucæ 13. v. 24. Magno conatu ſtudio, & impetu, cœleſte regnum occupandum. Matth. 11. v. 12.* Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

In hac tam accurata vitiorum deuitatione, in hac tam ſedula virtutum contentione, in ea ſæcularium voluptatum abdicatione, & malorum perpeſſione quis non intelligit quantopere neceſſaria ſit ſancti Spiritus conſolatio, vt fiat quod ait Apoſtolus, Rom. 14. verſ. 17. Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto? *Tunc enim nobis facilia & iucunda Dei efficiuntur mandata, cum caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, de quo optimè S. Auguſt. l. de natura & gratia c. 69.* Valdè, *inquit*, bona ſunt præcepta, ſi legitimè his vtamur. Eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur Deum iuſtum, & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt, aut ea vna eſt ſarcina ipſa, quæ leuis eſt Matth. 11. verſ. 30. Secundum hoc dictum eſt: Et præcepta eius grauia non ſunt 1. Ioannis 5. verſ. 3. vt cui grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, grauia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt, & petat quo deſtituitur, vt impleat quod iubetur. Quomodo enim graue cum ſit dilectionis mandatum? Aut enim quiſquam non diligit, & ideo graue eſt, aut diligit & graue eſſe non poteſt. Quomodo

modo ergo dicitur Pſalm. 16. verſ.4. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras : niſi quia vtrumque verum eſt ? Duræ ſunt timori, leues amori.

Quam in ſententiam,& ita diſſerit S.Bern.ſerm.43. in Cant. explanans illud c. 1. verſ. 12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res , *ait* , dura & aſpera tribulationum ſignificat. Ea ſibi dilecti cauſſa imminere perſpiciens , gratulabunda id loquitur confidens ſe omnia viriliter ſubituram. Act.5. verſ.41. Propterea non faſcem ſed faſciculum dicit , quod leue præ amore ipſius ducat , quicquid doloris immineat & laboris ; Benè faſciculus , quia paruulus natus eſt nobis . Iſa. 9. verſ. 6. Benè faſciculus , quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam , quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. verſ. 18. Id enim, inquit, 2.Cor.4.verſ.17.quod in preſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ , qui modo eſt faſciculus myrrhæ. Annon faſciculus, cuius iugum ſuaue eſt,& onus leue ? Non quia leue in ſe(nec enim leuis paſſionis aſperitas, mortis amaritudo)ſed leue tamen amanti. Et ideo non ait tantum faſciculus myrrhæ dilectus meus , ſed mihi,inquit, quæ diligo, faſciculus eſt. Vnde & dilectum nominat monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam.

Præcepta itaque diuina , & facilia & iucunda nobis ſunt quando Spiritus ſanctus adiuuat infirmitatem noſtrã Rom.8. v.26.& corroborat nos in interiore homine. Eph. 3. v.16. Omnia, *inqt Apoſtolus Philip.*

Philip.4.verſ.14. Poſſum in eo,qui me confortat, *2. quando Spiritus ſanctus diuinum nobis impertit amorem:*Plenitudo enim legis eſt dilectio *Rom.* 13. *v.*10. 3.*Quando nobis ſpiritalium rerum cupiditatem & iucunditatem ingenerat,vt iudicia & mandata Dei ſint nobis* deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum,& dulciora ſuper mel & fauum *Pſal.*18.*v.*11.4.*quando ope & gratia ſua nos præuenit,comitatur,& ſequitur, quando illuminat oculos cordis noſtri, vt ſciamus quæ ſit ſpes vocationis diuinæ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis Eph.*1.*v.*18.*cum pro exiguis temporalibusque laboribus immenſa & ſempiterna largietur præmia. Videatur S.Aug.ſer.* 9.*de verbis Domini & B.Greg.in* 1.*Reg.cap.*12. *V.Beda ſer.*18.*de Sanctis.*

Omnipotens ſempiterne Deus,da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum, & vt mereamur aſſequi, quod promittis;fac nos amare quod præcipis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXVIII.

QVIBVS QVANTISQVE SOLATIIS & gaudiis Spiritus Sanctus pios perfundat & demulceat.

IN iucundam prorſus, imo duram & aſperam vitam trahere iuſtos quidam mundani exiſtimant, ſed tota errant via, ſiquidem neſcij & inexperti ſunt ſpiritalis gaudij & ſolatij, quo iuſti perfruuntur. Vincenti,*inquit Spiritus Apoc.*2.*v.*17.dabo manna abſconditum. *Manna cibus eſt de cœlo datus filiis Iſrahel, omnium ciborum ſapores.*

Digitized by Google

pores, & oblectamenta continens Sap. 16. verſ. 20. quem videntes admirati ſunt, atque dixerunt Man-hu, id eſt, quid hoc? *Exod. 16. verſ. 15. Significat autem internam conſolationem & dulcitudinem, qua Spiritus ſanctus mirabiliter paſcit electos, & omni ſuauitate replet, vt nec ipſam, nec ſe capiant, ſed admirabundi exclament, quid eſt hoc?*

O quam bonus & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus. Sap. 12. verſ. 1. Pſalm. 34. verſ. 9. 10. Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? *Omnes animæ corporiſque vires, & facultates exclamabunt*, O Domine *quis tibi par, quis ſimilis, quis comparabilis, in perfectione, in bonitate, in ſanctitate, in iucunditate? quæ voluptates ſicut tuæ, hanc tuam pacem, hanc lætitiam non poſſunt vel tenuiter adumbrare creaturæ ſimul vniuerſæ.*

Hæ enim cœleſtes delitiæ, quibus animæ piæ recreantur & quaſi ſaginantur, rerum omnium terrenarum iucunditatem non modò ſuperant; ſed etiam in ſeipſis eminenter, ac cumulatè continent, ſicut manna omnium ciborum & condimentorum ſaporem, ex quo fit, vt quemadmodum optimi vini copia exhauſta, omnis ſtatim vel aquæ, vel cereuiſiæ, vel leuiorum vinorum ſitis extinguitur, ſic diuini viri hoc cœleſti pabulo ita ſatientur, vt iam nihil vltra ſit, quod cupiant, illudque in ſeipſis experiantur, quod de ſe Propheta dicebat. Qui replet in bonis deſiderium tuum. *Pſ. 102.*

Eſt autem hoc manna abſconditum: quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. verſ. 14. *nec datur hoc manna, niſi ijs, qui AEgyptum reliquerint, quorum ingens paucitas. & ſolis electis datur & ſamulis Dei Pſalm.*

 30. v.

30. *verſ.* 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.

Neque enim Deus, hoc ſanctum voluit dare canibus, aut ſpargere margaritas ante porcos Matth. 7. verſ. 6. tantum ſiquidem diſcrimen eſt, inter ſæculares, & diuinas vitas, & delectationes; quoniam eſt inter angelos modulatè canentes, & porcos in ſuo cœno inconditè grunientes, *vt ait S. Chryſoſtom. homil.* 69. *in Matth.*

Sapienter Eccleſiaſticus cap. 30. *verſ.* 16. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium, *quo gaudio non niſi iuſti afficiuntur.* Non nouit impius *ait S. Auguſt. in Pſal.* 137. gaudium iuſti. Non eſt gaudere impijs dicit Dominus *Iſa.* 48. *verſ.* 22. *& cap.* 57. *verſ.* 21. Gaudet impius in popina, gaudet martyr in catena. Quomodo gaudebat ſancta iſta Criſpina, cuius hodie ſolennitas celebratur. Gaudebat cum tenebatur, cum ad iudicem ducebatur, cum in carcerem mittebatur, cum ligata producebatur, cum in cataſta leuabatur, cum audiebatur, cum damnabatur. In his omnibus gaudebat, & eam miſeri miſeram putabant, quæ coram angelis gaudebat. *Et rurſum idem S. Auguſt. in Pſalm.* 96. Eſto, *ait*, rectus corde, & ſemper eſt tibi de Domino iucunditas. Non enim iucunditas, quæ eſt ſecundum ſæculum, vera iucunditas eſt. Audi Prophetam Iſaiam, Non eſt gaudere impijs, dicit Dominus. Non dicit homo: Dominus dicit. Ex veritate Dominus dicit, non eſt gaudere impijs, vtique videbat Iſaias, homines in potatione in luxuria, in theatris, & in ſpectaculis, totum mundum lu-

xuriari varijs nugis, & tum clamabat: Non eſt gaudere impijs, dicit Dominus. Si hoc non eſt gaudere, quale gaudium in cuius comparatione hoc non erat gaudium? Tanquam ſi tu noſſes ſolem, & alicui laudanti lucernam dares. Non eſt iſta lux. Aut ſi quis ſimiam miraretur, tu qui noueras aliam pulchritudinem, negares iſtam, & diceres: Non eſt iſta pulchritudo.

Hæc ſolatia, hæc iuſtorum gaudia, ſæpe in diuinis monumentis dilaudat Spiritus ſanctus, & ad ea exhortatur Tobiæ 13.*verſ*.9.10. Ego & anima mea in Deo lætabimur. Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi *Pſal.* 31. *v*.11. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde *Pſal*.32.*v*.1. Exultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio, Recti corde dicuntur, *ait S. Hier. in Pſal*.31. quibus omnia iudicia Dei placent, & ſe accuſant de ſuis peccatis, & Deum ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis ſemper laudant *Pſal*.67.*v*.4. Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Grandis fiducia eſt, *ait ibidem S. Hier.* exultare in conſpectu Domini, ſicut diſpenſator creditam ſibi à Domino ſubſtantiam ſi malè tractauerit, & perdiderit, timet Domini præſentiam: ita & qui benè diſpenſauerit, exultat in Domini præſentia *Iſa* 9.*verſ*.3. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut victores capta præda quando diuidunt ſpolia *Philip*. 4.*v*.4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.

Vbi S. Chryſ. hom.14. Qui, *ait*, in Deo eſt, ſemper gaudet, ſiue affligatur, ſiue aliquid patiatur, ſemper gaudet, qui talis eſt. *Et* 1. *Theſſ*.5. *verſ*.16.17. 18. Semper gaudete ſine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite. At quomodo qs ſemper

gaudere poſſit, innumeris malis nos inopinè obſidentibus, quæ vel grauem & permoleſtum animo inferant mœrorem? *Reſpondet S. Baſil. hom. 4. quæ eſt de gratiarum actione.* Animæ quæ ſemel ſe modis omnibus deſiderio aſtrinxit ſui Conditoris, iamque inſueuit oblectare ſe tantæ illius pulchritudinis contemplatione: prorſus non ſinit vehemens illud gaudium animique ſui iucundiſſimam diffuſionem intercipi, aut immutari per multiplicem, & ſuccedaneam carnalium affectionum mutationem, quin ea potius quæ alijs mœrorem afferunt, & triſtitiam, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ, cuiuſmodi erat Apoſtolus, dum ſibi probè admodum complacet in infirmitatibus, in tribulationibus, in perſecutionibus, in neceſſitatibus, egeſtatem ſuam in gloriam & exultationem permutans. In fame ait & ſiti, in frigore & nuditate in perſecutionibus & anguſtijs. Ob quæ alij ægerrimè ſeipſos ferunt, vitamque deſpondent ſuam, horum gratia Paulus ſibi quam optimè placet & gaudio diffunditur.

Neque deſunt exempla Sanctorum mirabiliter in Domino exultantium. 1. *De Sancto ſanctorum,* quem vnxit Deus oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Pſalm. 44. verſ. 8. & Hebr. 1. verſ. 9. ita S. Lucas cap. 10. verſ. 21. In ipſa hora exultauit IESVS, in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ. 2. *Quibus non cœleſtibus lætitiis inceſſebat Deipara, cum diceret Lucæ 1. verſ. 47.* Magnificat anima mea Dominum, Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. &c. 3. *Infantulus Ioannes repletus Spiritu ſancto, gaudio exultauit in vtero matris, ad Saluatoris præſentiam.*

tiam. Luca 1. *v.* 42. *&* 44. *Sed longè maiorem faciebat illi lætitiam, Chriſti Domini conſpectus, & profectus, vnde & de illo, vt Eccleſiæ ſponſo, & de ſe tanquam intimo tanti ſponſi amico loquitur, Ioannis* 3. *verſ.* 29. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit, cum gaudio, gaudet, propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere me autem minui. 4. *Et de ſe Apoſtolus* 2. *Cor. verſ.* 4. Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio, in omni tribulatione noſtra. 5. *Et quod de ſe Dauid Pſalm.* 83. *verſ.* 3. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 6. *Quid Iſaias c.* 61. *verſ.* 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. 7. *Quid Abacuc cap.* 3. *verſ.* 18. Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Ieſu meo. 8. *Apollo vt eſt apud Palladium Henopoleos Epiſcopum l. de hiſtoria SS. Patrum cap.* 52. *cum ad quingentos haberet diſcipulos, quos ſic inſtituere conſueuit, vt eſſent ſemper alacres & læti, ita planè, vt nullam ſimilem in terris lætitiam atque exultationem videre liceret, cuiuſmodi inter illos perpetuo erat. Sic enim aiebat.* Non decere eos eſſe triſtes, qui tam certam ſpem habeant felicitatis æternæ, futuri hæredes regni cœlorum, Gentilibus Iudæis, atque improbis Chriſtianis luctum eſſe relinquendum, iuſtum ac verum, at vero Dei famulis ſemper eſſe lætandum. Quod ſi qui terrena animo agitant, gaudent in rebus terrenis, Religioſi qui tãta bona & præſentia tenent, & futura tam certò ſperant, cur non in perpetua nuant lætitia?

Lugeamus ſanctiſſ. Spiritus exilium & peccata noſtra, vt ſpiritali, & cœleſti conſolatione digni efficiamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXIX.

PLVRA DE DIVINORVM SOlatiorum & gaudiorum tam magnitudine quam multitudine.

ISta ſolatia, *iſta gaudia de quibus egimus, & porro acturi ſumus, Sanctiſſimi dona ſunt Spiritus.* Regnum enim Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto *Rom. 14. verſ. 17.* Et fructus Spiritus eſt caritas, gaudium, pax *Gal. 5. v. 22. quod & ſignificat Apoſtolus. 1. Theſſ. 1. verſ. 6.* Vos, *ait,* imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti, *qua ratione & precatur Eccleſia, vt det nobis Deus de Spiritus ſancti conſolatione ſemper gaudere. Docet & S. Thomas 22. q. 28. art. 1. gaudium in nobis à Spiritu ſancto produci.*

Neque hæc ſolatia, & gaudia parcè & tenuiter, ſed largiſſimè & plena manu in iuſtos effundit Spiritus ſanctus. Et quis horum magnitudinem & præſtantiam explicabit? Exclamat quidem Dauid Pſalm. 30. verſ. 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te? Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu hominum. *Quaſi dicat: O benigniſſimè, quanta eſt & quam ingens tuæ bonitatis, beneficentiæ, & iucunditatis abundantia.*

dantia, quæ pro cultoribus & famulis tuis, tanquam occultus theſaurus apud te reconditа eſt, quam omni etiam tempore, & palam in conſpectu & cum admiratione hominum in te ſperantibus exhibes. Sed dic ſancte vates quanta ſit hæc ſpiritalium conſolationum affluentia? Illam admirari poſſum, ſentire poſſum, explicare non poſſum. Hoc dico: Beatus populus, qui ſcit iubilationem *Pſalm.* 88. *verſ.* 16. *Id eſt, non beatus qui audit, ſed qui experientia diſcit, quid ſit gaudere & iubilare in Domino.*

Iubilatio *teſte S. Greg. l.* 28. *Mor. c.* 14. eſt immenſum Spiritus gaudium, quod nec verbis explicari poteſt, nec vllis exterioribus ſignis demonſtrari. Quid eſt iubilatio, *ait S. Auguſt. in Pſalm.* 46. niſi admiratio gaudij, quæ verbis explicari non poteſt? *Et in Pſal.* 80. Abundantia gaudiorum, cui verba ſufficere non poſſunt, in iubilationem ſolet erumpere. *Quid, quod & ipſa* pax Dei ſuperet omnem ſenſum *Philip.* 4. *v.* 7.

Hanc cæleſtium ſolatiorum magnitudinem, & aliis verbis explicare conatus eſt regius vates, conatus eſt, dixi, quis enim explicabit? Pſal. 35. *verſ.* 8. 9. 10. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *id eſt, Homines immenſam tuam bonitatem, & ſuauitatem agnoſcentes, ſe maxima tuæ tutelæ & protectioni fiducia committent, & ſub tua prouidentia, & paterna cura, tãquam pulli ſub alis matris latitabunt, & confouebuntur. Ibi inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, id eſt, à pinguedine gratiæ Spiritus ſancti, vt oblitis vitiis, virtutibus copulentur, ait hic S. Hier.*

At S. Auguſt. in hunc Pſalm. Magnum quid promittit, & non cupimus. Sicut homines qui vini immo-

immoderatè accipiunt;mentem perdunt, ita cũ acceptæ fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens & fit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei, Vnde & Pſalm. 22.verſ.5.dicitur. Et calix meus inebrians quam præclarus eſt? *Hoc iam calice inebriati erant martyres, quando ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant. Quid tam ebrium, quam non agnoſcere vxorem flentem, non filios, non parentes? Ebrietatem ergo vocat hanc ſpiritalium ſolatiorum, & delitiarum copiam, quia qui talibus ſaturati ſunt, non ſolum omnem caducarum rerum ſitim affatim exſtinxerunt; ſed etiam nihil in terra vident aut curant, ex iis, quæ ante oculos ſunt, intus vero feruent ſpiritali æſtu, qui feruor illos ad multa impellit, quæ mundo vel inepta, vel etiam ſtulta reputantur.* Et torrente voluptatis potabis eos, Torrens voluptatis Dei, *inquit S.Hieronymus.* Spiritus ſanctus eſt, qui irrigat omnem animam ſpiritalibus fluentis, vt fructum exhibeat ſanctitatis. Torrens inquit S.Auguſt. dicitur aqua veniens cum impetu. Voluptas illa quaſi torrens inebrians ſitientes. Torrentem appellat propter copiam, & quoniam hoc aquarum genus non è terra naſcitur, ſed de cœlo, & largè dimittitur, *neque mirum: Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Tu es, & apud te eſt origo omnium bonorum. *ait S.Hier.* Et in lumine tuo videbimus lumen. In Chriſto Patris lumine, lumen Spiritum ſanctum videbimus.

Iſtam diuinorum ſolatiorum affluentiam experiebatur Ioannes Abbas, quem accepimus tanta perfundi ſolitum interiore dulcedine, vt ne quidem recordaretur an pridie comediſſet, ſic enim ipſe apud Caſſ. coll. 19. c. 4. loquitur: Pro Domini noſtri munere memini me in huiuſmodi raptum frequen-

quenter exceſſum, vt obliuiſcerer me ſarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemq; meã, ita omnes exteriores ſenſus ſubito reſpuiſſe, & à cunctis naturalibus rebus omnimodis exulaſſe, vt neque oculi, neq; aures meæ, proprio fungerentur officio, & ita diuinis meditationibus, ac ſpiritalib. theoriis animus replebatur, vt ſæpe ad veſperam cibum me percepiſſe neſcirem, ac ſequenti die, de heſterna abſolutione ieiunij penitus dubitarem. *De S. Ephrem fertur, quod cùm penè eius præcordia cœleſti lætitia rumperentur, clamare ſit ſolitus:* Recede à me Domine parumper, quoniam vaſis huius infirmitas ferre non poteſt. *Cui ſimile eſt, quod de B. Franciſco Xauerio, Societatis Ieſu decemuiro, & Indiarum Apoſtolo memoria proditum, eum cum ſolus eſſet, ſæpiſſimè manu pectori admota, & oculis in cœlum erectis, dixiſſe:* Sufficit Domine, ſufficit: *quod diuinarum conſolationum abundantiam ferre non poſſet. Quin etiam cùm iter faceret, quod ille ſemper pedibus faciebat, adeo mentem ſuſpenſam, & in Deum abſorptam gerebat, vt ſæpe de via deflectens, in vepres, & dumeta, & lapides impingeret, nec aduertens, quam ſanè ob cauſam ſemper ei planta, ac tibiæ, ſanguine, & tabo fluebant, cum tamen ille ne ſentiret quidem. S. Bernard. quoque iiſdem gaudiis ita abſorbebatur, vt totâ die lacum obequitans nunquam eum viderit.*

Iſtis delitiis fruebatur illa ſancta anima, quæ ait, Cant. 5. v. 8. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo. *Qui languor, vt Sancti affirmant, ex eo naſcitur, quod impediatur homo, vt non poſsit immenſum cordis ſui deſiderium, ad optatum finem, & effectum perducere. Veriſsimè ergo dixit Deus Eccl. 24. v.* 17. Spiritus meus, ſuper mel dulcis, & hæreditas mea, ſuper mel & fauum, *id eſt, ſuperat & excedit*

omnes ſæculi delectationes. *Cuius rei rationem pulcherrimam & veriſſimam reddit S. Tho. 1. 2. q. 31. art. 5.* Ad delectationem tria requiruntur, primum aliquod bonum, quod coniungitur, deinde id cui coniungitur, tertio ipſa coniunctio, quæ omnia quo maiora ſunt, eo maior cõſequitur delectatio. *At bonum quidem ſpiritale maius eſt quàm bonum corporis, idemque homini magis charum, & dilectum; quod ex eo apparet, quia nemo non oculorum lumine carere malit, quam lumine mentis, vt carent belluæ vel amentes. Præterea vim cognoſcendi acriorem ineſſe mẽti, & multo nobiliorem, quàm ſenſui: de quo dubitari non poteſt.*

Quod verò ad coniunctionem pertinet, hanc quoque eſſe tum interiorem, tum perfectiorem, tum etiam firmiorem. Interiorem quidem, quia ſenſus hæret in externis accidentibus, vt in ſapore, colore, aut reliquis, ratio peruadit, ac penetrat eſſentiam ipſam: perfectiorem autem, quia non poteſt ſenſus coniungi cum re obiecta, ſine motu quodam, qui eſt actus imperfectior, ex quo fit vt huiuſmodi delectationes non poſſint tota ſimul exiſtere, cùm neceſſariò ita fluant, vt parte vna labente, altera pars ſuperueniat. At mentis delectationes omnis motionis expertes ſunt, ſuntque totæ ſimul, vt res ipſæ omnes, quæ cogitando intelliguntur. Denique quod firmior ſit, ex eo fieri, quoniam quæ corpus permulcent, ſunt omnia corruptioni obnoxia, citoque deficiunt, vt cibi, vt reliqua, bona autem ſpiritalia ſemper manent, neque vnquam vel vſu vel vetuſtate deteruntur. Quanta ergo, & quàm inenarrabilis eſt illa iucunditas, cum ſummum bonum Deus, humanæ menti infiniti huius boni capaci, ita intimè coniungitur, vt cum eo vnus ſpiritus efficiatur. 1. Corinth. 6. v. 17. Quis ſic delectat, quam ille, qui fecit omnia, quæ delectant? *ait S. Auguſtinus in Pſalm. 32. Qui & commentans in Pſalm.* 84. v. 7. Plebs tua lætabitur in te. Malo ſuo, *inquit*

lætabitur in ſe, bono ſuo lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de ſe, inuenit plãctum in ſe: Nunc verò quia totum gaudium noſtrum Deus eſt, qui vult ſecurus gaudere, in illo gaudeat, qui non poteſt perire. Quid enim, fratres mei, gaudere vultis in argento? Aut argentum perit, aut tu, & nemo ſcit quid prius, veruntamen illud conſtat, quia vtrumque periturum eſt, quid prius incertum eſt. Nam nec homo poteſt hic manere ſemper, nec argentum poteſt hic manere ſemper: Sic aurum, ſic veſtis, ſic domus, ſic pecunia, ſic lata prædia, ſic poſtremo lux iſta. Noli ergo velle gaudere in iſtis, ſed gaude in illa luce, quæ non habet occaſum, gaude in illa luce, quam non præcedit dies heſternus, nec ſequitur craſtinus. Quid eſt iſta lux? Ego ſum, inquit Chriſtus, Ioannis 8. verſ. 12. lux mundi: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

CAPVT XXX.

DE PLVRIMIS IVSTORVM SOlatiis & gaudiis.

NVnc vt paucis de ſolatiorum & gaudiorum multitudine agamus, cùm verum ſit, quod ait Salomon, Prouer. 21. v. 15. Gaudium iuſto eſt facere iudiciũ. *hoc eſt, quod lætetur, cum aliquid boni facit, delectatus partim operis pulchritudine, partim cõſcientiæ teſtimonio, partim, quod præcipuum eſt, vnius Dei gloria, quis enumerando percenſebit illa gaudia, cum quotidie tam varia & multa ſint iuſti hominis cogitata*

cogitata, dicta, facta, ex quibus ſingulis ſingularia habet oblectamenta, & ſolatia? Si, Domine Deus meus, tam promptè, tam prolixè tua beneficia ad naturalem hanc vitam tuendam impertis, quotidianum Solem, tempeſtiuas pluuias frumenti, vini, olei, & reliquorum fructuum abundantiam, non ad neceſſitatis modo menſuram, ſed ad copiam, ſed ad delectationis quoque cumulum, & impertiris hæc etiam acerbiſſimis hoſtibus tuis, diaboli mancipiis, impiis, & ſceleratis, aut ſaltem maxima ex parte ingratis, qui hæc ipſa dona cùm à te acceperint, nihil de te magis quàm porci cogitant, ac potius, tanquam arietes, qui cornibus nutritores ſuos impetunt, peſſimam nutricationis mercedem perſoluentes muneribus tuis ad tuã iniuriam abutuntur, ſi tam prolixè beneficus es in tales, tot illis ſolatia ſuppeditas, quã copioſe, & affluenter cœleſtia bona, & gaudia, cum fideliſſimis famulis tuis, cum amantiſſimis filijs tuis communicas? Tu, inquam benigniſſimus & ſuauiſſimus Pater, qui promiſiſti Iſa 66. v. 12. 13. Ad hubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos. *Quid non excogitat, quid non facit mater, ad flentis filioli conſolationem, nunc pectori admouet, nunc amplectitur, nunc diſſuauiatur, nunc lacrymulas ſtrophiolo extergit, nunc blanditur, nunc cantillat, nunc portat, nunc ei lactis fontes aperit, nunc tinnitum facit, nunc iucunda oſtentat, denique in omnem ſe verſat partem, vt puerulum ſuum conſoletur, à lacrymatione cohibeat: ita Deus nihil prætermittit, quod ad ſpiritalem & veram ſuorum filiorum conſolationem faciat.*

Itaque nunc exhibet ſe, ſicut Rex, qui propinquos, & principes ſuos magnificentiſſimo epulo, & omni lectiſſimorum ciborum copia referto excipit, in quo illi ſatietate mirabili, & lætitia, quam nemo verbis æquare poſſit, exultant. Hæc ſunt illa nuptialia conuiuia, Mat. 22. v. 2. &

v. 2. & cap. 25. verſ. 10. hæc illa opipara cœna, Luc. 14. ver. 16.

Alio tempore ſe amantiſſimum præſtat ſponſum, in cuius diuinis amplexibus ſancta anima dulciſſimè conquieſcit, & quaſi cœleſti voluptate liqueſcit, Cant. 2. v. 3. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. *verſ.* 5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. *ver.* 6. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Cantic.* 5. *v.* 6. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. *Matth.* 9. *v.* 15. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quãdiu cum illis eſt ſponſus? 2. *Corinth.* 11. *ver.* 2. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

Subinde præbet ſe indulgentiſſimum Patrem, obſequentiſſimis filiis. Hierem. 3. *v.* 19. Ego autem dixi, quo modo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium? Et dixi, Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis. 2. *Cor.* 6. 18. Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.

Aliquando agit tanquam beneuolentiſſimus Dominus cum fideliſſimis ſeruis, quorum induſtriam, & dilaudat, & remunerat. Matth. 25. *v.* 21. Euge, *ait*, ſerue bone, & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Quandoque ſe paſtorem vigilantiſſimum exhibet, ſub cuius cuſtodia, & vberrimis paſcuis fruantur, & à luporum rabie tuta ſint, & ſecuriſſimè quieſcant ouiculæ. Iſa. 40. *v.* 11. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo cougregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtus ipſe portabit.

Alias tanquam Imperator belli cœleſtib. armis tectos, & ipſius

& ipſius gratia & virtute animatos & intrepidos contra hoſtes, dæmonem, carnem, mundum, in aciem producit, in quibus ipſe pariter, & pugnat, & vincit, & triumphat. Pſal. 107. *v.* 14. In Deo faciemus virtutē, & ipſe ad nihilū deducet inimicos noſtros. 1. *Corinth.* 15. *v.* 37. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Et* 2. *Cor.* 2. *v.* 14. Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu.

Interdum ſpiritali proximorum ardore ita facit eos inardeſcere, vt ſi fieri poſſet, omnes homines in ſua viſcera, nullo bonorum, malorumque diſcrimine, condere cupiant, qualis erat Apoſtolus, 1. *Cor.* 6. *v.* 11. Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatū eſt. Non anguſtiamini in nobis; anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. *Et ad Gal.* 4. *v.* 19. Filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. *Cùm verò aliquem Chriſto adiunxerint, quale, quantumque in iis exoritur gaudium? Lætantur de Dei honore, & bonitate, de proximi ſalute, quem perinde ac ſe ipſi diligunt, de opella ſua ſalutariter adhibita, vultis in hoc animarum lucro gaudio triumphātem videre Paulum,* 2. *Cor.* 1. *v.* 14. Vos gloria noſtra in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Philip.* 4. *v.* 1. Itaque fratres mei cariſsimi, & deſideratiſsimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino cariſsimi. *Et* 1. *Theſſ.* 2. *v.* 19. 20. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudiū, aut corona gloriæ? Nonne vos, ante Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis, in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.

Alio tempore introducit illos Rex in cellam vinariā. Cant. 2. *v.* 4. *vt optimo diuinorum myſteriorum vino largius potato, nihil de humana vita ſentiant. Quomodo de Apoſtolis Spiritu Sancto repletis, & cœleſti gaudio delibutis dicebāt, Act.* 2. *v.* 13. Quia muſto pleni ſunt

iſti:

iſti: *De hac ſobria mentis ebrietate, Cant.*5.*v.*1. Comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſsimi, *Pſalm.*35.*v.*9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, *Eccli.*32.*v.*17. Benedicito Deum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis.

*Sæpè in ſummo quodam ſilentio pia anima conquieſcit, tranquilliſſimaque pace exſuperante omnem ſenſum perfruitur, qua & incredibilem in modum oblectatur, Cant.*2.*v.*7. *& cap.*3.*v.*5. Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. *Hanc ſpiritalem & quietem & ebrietatem deſiderabat S. Aug. lib.*1. *Confeſſ. cap.*5. Quis mihi dabit acquieſcere in te? Quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & verum bonum meum amplectar te?

*Frequenter iuſtorum animi Spiritus Sancti lumine ita inclareſcunt, vt eas res temporis momento cognoſcāt, quæ nullius oratio explicare poſſit. Iſa.*58.*v.*11. Implebit ſplendoribus animam tuam.

*Quandoque quaſi quidam Angeli corporis expertes, eam leuitatem, ac ſimplicitatem acquirunt, vt non magis corporis pondere grauentur, ac ſi eo carerent: quomodo Apoſtolus raptus eſt in paradiſum, & in tertium cælum, 2. Corin.*12.*v.*2. *ac crebro viſi ſancti è terra ſublati hærere in ſublimi aere.*

Deus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da nobis id amare, quod præcipis, id deſiderare, quod promittis, vt inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

Capvt XXXI.

QVAE GAVDENDI MATERIA iuſto?

P*Raeclarè hoc explanat S. Auguſt. li. 10. Confeſſ. cap. 22.* Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi, abſit, vt quocunque gaudio gaudeam, beatũ me putem. Eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed iis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt, & non eſt altera. Qui autem aliã putant eſſe, aliud ſectantur gaudium, neque ipſum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum non auertitur. *Ergo magnum, ſolidumque gaudium in vno Deo bonorum omnium fonte.*

De quo S. *Bernardus epiſt.* 114. Verum, *inquit,* & perfectum gaudium non eſt de terra, ſed de cœlo, id eſt, non de hac conualle plorationis, Pſal. 83. v. 7. ſed de illa quam fluminis impetus lætificat, ciuitate Dei. Pſalm. 45. v. 5. Et reuera illud verum, & ſolum eſt gaudium, quod nõ de creatura, ſed de creatore concipitur: & quod cum poſſederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror eſt: omnis ſuauitas dolor eſt: omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum: omne poſtremo quodcunque delectare poſsit, moleſtum. Nunquid non hoc ipſum clamat in corde tuo Spiritus Sanctus?

Quocirca & Scriptura, cùm ſæpiſsimè exhortetur iuſtos ad lætitiam, ſemper addit, vt gaudeant, & exultent in Domino, *vt ſuperiori Cap.* 23. *oſtenſum eſt.* S. *Auguſt. in Pſal.* 96. *v.* 12. Lætamini iuſti in Domino:

Iam

Iam forte fideles,*inquit*, audiētes, iucundamini conuiuia meditantur, calices præparant, roſarum tempus exſpectant. Vide,quid ſequitur: In Domino. *Ita & B.Chryſoſt.hom.18.ad Antioch.* Nō ſimpliciter dixit Apoſtolus: Gaudete ſemper, ſed addidit continuæ voluptatis cauſam, cùm dixerit: Gaudete in Domino ſemper. In Domino gaudens, ex accidente nullo, voluptate hac excidere poteſt. *Et quid opus eſt,vt riuulos ſectentur imo,vt eſt apud Prophetam,Hier.cap.2.v.* 13. Sibi diſſipatas ciſternas fodiant: *quibus ex ipſo aquæ viuæ atque adeo omnium bonorum fonte,& perenni cæleſtiū gaudiorum ſcaturigine vberrimè licet haurire, atque cunctam cupiditatis ſitim ſaturare, & depellere?* Ipſe enim in bonis replet deſiderium illorum.*Pſalm.* 102.*v.*5.Ipſe illis omnia in omnibus.1.*Corin.*15.*v.* 28. *Hinc illa Sanctorum voces:* Quid mihi eſt in cœlo,& à te quid volui ſuper terram? *Pſal. 72. v.25. Cui ſimile dictum B. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris:* Quid ego extra te velim Domine? *Heſter. cap.14. v.*18. Tu ſcis,*inquit*,Domine,quod nunquam lętata ſit ancilla tua,ex quo huc(*ad regiam*)translata ſum,vſque in præſentem diem, niſi in te Domine,Deus Abraham. *Et illa Beati Franciſci oratio concubia nocte identidem repetentis:* Deus meus & omnia.

2. *Aliis etiam ex rebus oblectamenta capiunt iuſti, ſed quæ & ex Deo proueniunt, & propter Deum ſuſcipiuntur, & in* Deo *ipſo concluduntur. Auctor eſt doctus pariter,& ſanctus Bonauentura: hic in Beati Franciſci vita, narrat illum ex creaturis ipſis incredibilem delectationem cepiſſe, & in ipſis exultare ſolitum, cum omnia tanquam* Dei *opera contuens, ſummam illam bonitatem,in rebus ſingulis,tanquam in riuulis fontem hauriret, earumque naturas,& vires, & effectus a Deo ipſis tributa,tanto ordine cōnexa, tantaque pulchritu-*

*dine ornata conſiderans,tanquam cœleſti quodam concentu recrearetur,atque in ipſis pulchris Deum pulcherrimum agnoſceret, & amaret. Hoc faciebat S. Franciſcus,faciebat & B.Dauid Pſalm.*91.*v.*5.6. Delectaſti me Domine,in factura tua (*elegantiſſima hac mũdi machina*) & in operibus manuum tuarum exultabo(*in eis tuam potentiam, tuam ſapientiam, tuã bonitatem contemplans.*) Quam magnificata (*magni facienda, admiranda, & ſuſpicienda*) ſunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ(*valde abſtruſa & inſcrutabilia ſunt cõſilia tua, quibus vniuerſa procreaſti, & procreata moderaris*) Vir inſipiens non cognoſcit,& ſtultus nõ intelligit hæc. *Ioannes Petrus Maffæus libr.* 3.*de vita & moribus B. Ignatij Loiolæ cap.* 1. Cum, *ait*, à contagione corporis ſe abſtraxiſſet, tantam cõtemplandi facultatem adeptus eſt, non modo vt è cœli ſiderumque aſpectu, quo maxime capiebatur: ſed etiam ex intuitu floris,aut herbæ,aut leuiſsimæ cuiuslibet rei confeſtim in Dei cogitationem,amoremq; ſuauiſsimè raperetur. Idque noſtris hominibus cupiebat eſſe familiariſſimum, vt in ſingulis creatis rebus, quoad eius fieri poſſet,creatoris potentiam, ſapiẽtiam, bonitatem agnoſcerent.

3.*Accipiunt & ſinceram iuſti ex proborum hominũ, in quibus vt in viua imagine Deum agnoſcunt, & obſeruant, conſuetudine, & familiaritate voluptatem.* Ecce,*ait Dauid Pſal.* 131.*v.*1. quam bonum & quã iucundum habitare fratres in vnum. *Prou.*27.*v.*9.Vnguento & variis odoribus delectatur cor & bonis amici conſiliis anima dulcoratur. *Eccli.*6.*v.*16. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum,inueniunt illum. *Hinc S.Leo ſer.*1.*de ſua aſſum.* Quod propriè, *inquit*, ad affectum animi mei pertinet, conſi-

confiteor me plurimũ de omniũ veſtrũ deuotione gaudere. Cumq; hanc venerabiliũ conſacerdotũ meorũ ſplendidiſsimã frequentiã video, angelicum nobis in tot ſanctis ſentio interesse conuentum. Nec dubito nos abundantiore hodie diuinæ præſentię gratia viſitari, quãdo ſimul adſunt, & vno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot mẽbra excellẽtiſsima corporis Chriſti. *Mirificè etiam afficit iuſtos, & conſolatur pia & ſacra lectio, in qua Deum quaſi ſibi familiariter, & amantiſſimè loquentem audiunt*, 1. *Mach.* 12. *v.* 9. Nos cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, maluimus mittere ad vos, &c. *Tempore calamitoſiſſimi belli diuina illis monumenta maximo fuère ſolatio*: Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam, *vt ait Apoſtolus Rom.* 15. *v.* 4. ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. *Et merito S. Aug. ſacram Scripturam* delitias ac diuitias ſpiritus noſtri *appellat, in Pſal.* 145. *& li.* 9. *Conf. c.* 4. *eaſdem diuinas literas vocat*, de cœli melle melleas, & de Dei lumine luminoſas. *Nec aliter ſenſit, qui dixit Pſ.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. *Vera eſt & illa Hugonis lib. de Anima, ſententia:* Nihil in hac vita dulcius ſentitur, nihil auidius ſumitur, nihil ita mẽtem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animum contra tentationes roborat, nihil ſic hominem excitat, & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, ac ſtudium ſacræ Scripturæ.

Quam plena etiam tam conſolationis quam lætitiæ Sanctorum Patrum lectio? Sancti Patres homines Dei ea dicunt, *vt inquit Sanctus Auguſtinus libr.* 2. *contra Iul. Pelag. verſus finem, vt ſe* per eos loqui veritas ipſa teſtetur.

4. *Et ſicut lectione Deum ſecum ſuauiſſimè ſermocinantem audiunt, ita & oratione viciſſim cum illo dulciſſimè colloquuntur, & ſingularem gaudij fructum percipiunt. Sic enim promiſit Deus Iſai.* 56. *v.* 7. Lætificabo eos in domo orationis meę. *B. Bern. ſerm.* 18. *in Cant.* Orando, *inquit*, bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. Humectat interiora areſcentis cōſcientiæ: eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animę membra, fidem roborans, ſpem cōfortans, vegetans, ordinanſq; caritatem, & impinguans mores. *Illud memorabile S. Franciſci documentum. Lætitiam ſpiritalem naſci tanquam ex fonte, ex animæ puritate, acquiri bonis operibus, maximè verò oratione. Quo pertinet & illud Pſal.* 36. *v.* 4. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5. *Ingentem præterea lætitiam iuſtis facit conſcientiæ puritas. Hinc illa S. Bernardi ſententiæ:* Quid ditius? quid in corde dulcius? quid in terra quietius eſt & ſecurius bona conſcientia? Conſcientia bona lætificat animam, eamq; exhibet Deo gratam, & Angelis, & hominibus reuerendam, & ſibiipſi quietam & pacatam. Futuræ beatitudinis nullū certius teſtimonium bona conſcientia. Bona eſt conſcientia, ſi habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem. Conſcientia iuſti paradiſus eſt. S. *Chryſ. hom.* 63. *ad Antioch.* Si iugiter, *inquit*, gaudere velimus, multas habemus occaſiones. Nam ſi virtutem arripuerimus, nil iam erit, quod nos cōtriſtet: hæc enim ſi poſſidentibus bonas prætendit exſpectationes: & Deo gratos, & apud homines reddit probabiles, & ineffabilem affert voluptatem. Licet n. in exercitatione aliquid virtus laboris habeat, multa

tamen

tamen conſcientiam implet delectatione, & tãtam intrinſecus exhibet voluptatem, quantam ſermo nullus exprimere poſſet. Quid enim tibi de præſentibus iucundum videtur? Nonne lauta menſa, & corporis ſanitas, & diuitiæ? Sed hæc ſuauia, ſi illi comparentur voluptati, amara videntur. Nihil n. ſuauius bona conſcientia, & bona ſpe. Et ſi vultis hoc diſcere, hinc migraturum interrogemus, vel ſenio confectum, & commonefacientes eum lautæ menſæ, quâ quondã oblectabatur, & honoris, & gloriæ, & bonorum operum, quæ vnquam fecit, rogemus, in quibus magis exultet. Et in illis quidem videbimus erubeſcentem, & ſe celantem, in his verò geſtiẽtem & exultantem. Sic & Ezechias cum ægrotauit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit menſæ, ſed iuſtitiæ: ait enim Iſ. 38. v. 3. Memento Domine, quomodo ambulauerim in cõſpectu tuo, in via recta,

6. *Præcipuam etiam iucunditatem iuſtis præſtat non dubia ſpes, & firma æternæ felicitatis exſpectatio*: Spe, *inquit Apoſt. Rom.* 12. *v.* 12. gaudentes. *Pſal.* 5. *v.* 12. Lætentur omnes, qui ſperant in te Domine. *Eccl.* 2. *v.* 9. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationẽ veniet vobis miſericordia. *Mat.* 5. *v.* 12. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Luc.* 10. *v.* 20. Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis. *Rom.* 5. *v.* 2. Stamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Quæ ſpes omnem huius vitæ abſterget moleſtiam, S. *Baſil. hom.* 4. *quæ eſt de gratiarum actione*: Ita demũ, *inquit*, aſſequeris tu, vt ſemper gaudeas, ſi vitæ quidem tuæ inſtitutum ratio've omnis Deũ collimet ac ſpectet, ſpes verò retributionis, quæ permoleſta ſunt vitæ iſtius, & triſtia, leuiora efficiat.

ficiat. Affecit te aliquis ignominia? Quin tu ad eam ſuſpice gloriam, quæ repoſita in cœlis eſt, tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adiiſti? Imò oculos imprime fixius illis cœleſtibus diuitiis, & theſauro incomparabili, quem tibiipſi pretio bonorũ operum ſepoſuiſti. Patrione ſolo excluſus es? At patriã habes cœleſtem illam Ieruſalem. Periit tibi filius? ſed angelos habes, quibuſcum in circuitu diuini illius Throni tripudies, lætitia ſempiterna exhilarãdus. Ad eum modum ſi iis, quæ præſentem tibi ſuggerunt moleſtiam, oppoſueris, quæ affutura ſperantur bona, animam vtique tuam ſeruabis ab omni anxietate, & intemperie turbationis longiſsimè ſubmotam, ad quod nos inuitat ſanctio legis Apoſtolicæ: ſemper gaudete. Nulla quamlibet ſplendida, ac luculenta rerum humanarum conditio animæ tuæ ingerat gaudiũ, quod immoderatum ſit, nullæ res afflictiuæ aut triſtes illam deiiciant de gradu ſuæ celſitudinis, & naturæ grauitatis mœrore, aut calamitate cõtractam. Quod fiet ſanè, ſi carnis quidem tumultuantem, & obſtreperam intemperiem auerſere, animæ verò addiſcas lætitiam, & iucunditatem, ſe nihil indignam: ſi præſentis & momentaneæ voluptatis ſenſum tranſgreſſus, mentis tuæ conceptum protenderis ad ſpem vſque indubiam bonorum, quę ęternum duratura ſunt, quorum vel ſola imaginatio abundè ſufficiat ad animam continenti iucunditate explendam, & proinde in cordibus noſtris gaudium perpes, & exultatio angelicorum ſpirituum ſibi deliget domicilium: In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & imperium in ſæcula. Amen.

Ne prolixior ſim, pluribus lætitiæ ſpiritalis cauſis cõmemorandis ſuperſedebo, vt quod ad ſolam ſanctiſſimæ Trinita-

Trinitatis, aut Domini *Ieſu vel cœleſtis beatitudinis vel diuinæ benignitatis recordationem, vel nominationem ſenſibus abalienati, & diuinæ iucunditatis abyſſo abſorpti fuerint. Finem faciam Eccleſiaſtici & Chryſoſtomi ſententia: Eccleſiaſticus quidem cap. 1. v. 11. 12. reuerentiam, cultumque Dei homini eſſe honorem, & mirificum gaudium.* Timor Domini, *ait*, gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. *Chryſoſtomus verò hom. 18. ad Antioch.* Dei, *inquit*, timor ſtabilis eſt, immotuſque, & tantam ſubminiſtrat lætitiam; vt nullus nos aliorum malorum ſenſus capiat. Deum enim ſicut oportet, timens, & in ipſo cōfidens, voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem.

Deus, qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti: infunde cordibus noſtris, tui amoris affectum: vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXVII.

QVOD SPIRITVS SANCTVS ſit in diuinis amor, ſiue charitas.

SAnctus *Auguſtinus libro 6. de Trinitate cum extrema capitis 4. parte dixiſſet:* In omnibus æqualis eſt Patri Filius, & eſt vnius eiuſdemque ſubſtantiæ: *mox ſubiungit capite 5.* Quapropter etiam Spiritus Sanctus in eadem vnitate ſubſtantiæ, & æqualitate conſiſtit, ſiue enim ſit vnitas amborum, ſiue ſanctitas, ſiue charitas, ſiue ideo vnitas, quia charitas;

& ideo charitas, quia ſanctitas; manifeſtum eſt, quod non aliquis duorum eſt, quo vterq; coniungitur, quo genitus à gignẽte diligatur, generatoremq; ſuum diligat, ſintq; non participatione, ſed eſſentia ſua, neq; dono ſuperioris alicuius, ſed ſuo proprio ſeruantes vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, Epheſ. 4. v. 1. Quod imitari per gratiam, & ad Deum, & ad noſipſos iubemur. In quibus duob. præceptis tota lex pendet, & Prophetæ, Matth. 22. v. 40. Ita ſunt illa tria Deus vnus, ſolus, magnus, ſapiens, ſanctus, beatus. Nos autem ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo beati: quia ipſius munere inter nos vnum, cum illo autem vnus ſpiritus, 1. Corinth. 6. v. 17. quia adglutinatur anima noſtra poſt eum. Et nobis hærere Deo bonum eſt: quia perdet omnem, qui fornicatur ab eo, Pſalm. 72. ver. 28. Spiritus ergo Sanctus commune aliquid eſt Patris, & Filij, quicquid illud eſt: at ipſa communio conſubſtantialis, & coæterna. Quæ ſi amicitia conuenienter dici poteſt, dicatur, ſed aptius dicitur caritas. Et hæc quoque ſubſtantia: quia Deus ſubſtantia, & Deus caritas, ſicut ſcriptum eſt 1. Ioann. 4. v. 16. Sicut autem ſubſtantia ſimul cum Patre, & Filio, ita ſimul magna, & ſimul bona, & ſimul ſancta, & quicquid aliud ad ſe dicitur, quoniam non aliud eſt Deo eſſe, & aliud eſſe magnum, vel bonum eſſe vt cætera, ſicut ſupra oſtendimus. Si enim minus magna eſt ibi caritas quam ſapientia, minus, quàm eſt, diligitur ſapientia. Aequalis eſt igitur, vt quanta eſt ſapientia, tantum diligatur. Eſt autem ſapientia ęqualis Patri, ſicut ſupra diſputauimus: æqualis eſt igitur etiam Spiritus ſanctus, & ſi æqualis in omnibus, æqualis propter ſummam ſimplicitatem, quæ eſt in illa ſubſtantia. Et ideo non amplius quàm tria ſunt,

vnus diligens eum, qui de illo eſt, & vnus diligens eum de quo eſt, & ipſa dilectio. Quæ ſi nihil eſt, quomodo Deus dilectio eſt? 1. Ioan. 4. Si non eſt ſubſtantia quomodo Deus eſt ſubſtantia?

Hæc S. Auguſtin. cuius ſententia Spiritus ſanctus eſt, Patris & Filij vnitas, caritas, communio, non accidens, ſed ſubſtantia, Patri, ac Filio æqualis, & cum iiſdem vnus idemque Deus.

Et l. 15. de Trinit. c. 17. idem B. Aug. Spiritus, *inquit*, Sanctus ſecundum ſcripturas, ſanctus, nec Patris ſolius eſt, nec Filij ſolius, ſed amborum, & ideo communem, qua inuicem ſe diligunt Pater & Filius, nobis inſinuat caritatem. Et quidem ita dictum eſt Deus caritas eſt. 1. Ioan. 4. v. 16. Sicut dictum eſt, Deus Spiritus eſt. Ioan. 4. v. 24. Si tamen propriè aliquid horum trium Caritas nuncupanda eſt, quid apertius, quam vt hoc ſit Spiritus ſanctus? Vt ſcilicet in illa Trinitatis ſimplici ſummaque natura, non ſit aliud ſubſtantia, & aliud caritas, ſed ſubſtantia ipſa ſit caritas, & caritas ipſa ſit ſubſtantia, ſiue in Patre, ſiue in Filio, ſiue in Spiritu ſancto, & tamen propriè Spiritus ſanctus caritas nuncupetur: Sicut vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine Sapientiæ, cum ſit vniuerſaliter & Spiritus ſanctus, & Pater ipſe ſapientia, ita Spiritus ſanctus propriè nuncupatur vocabulo caritatis, cum ſit vniuerſaliter caritas, & Pater, & Filius. Spiritus autem ſanctus vbi dictus ſit caritas inuenimus, ſi diligenter Ioannis Apoſtoli ſcrutemur eloquium 1. ep. 4. Qui cum dixiſſet: Dilectiſſimi diligamus inuicē: quia dilectio ex Deo eſt, ſecutus adiunxit. Et omnis qui diligit ex Deo natus eſt. Qui non diligit, non cognouit Deum, quia Deus dilectio eſt. Hic manifeſtauit eam ſe dixiſſe dilectionem Deum, quæ ex Deo eſt. Et ſtatim volens de hac re

aliquid apertius eloqui. In hoc, inquit, cognoſcimus, quia in eo manemus & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis. Spiritus itaque ſanctus de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipſum in nobis, hoc autem facit dilectio, Ipſe eſt igitur Deus dilectio.

S. Hier. initio ſtatim ſui Commentarij in Pſalm. 17. Pater *dicitur*, ait, eo quod habet filium, & filius dicitur, eo quod habeat Patrem. Spiritus ſanctus nec Pater eſt, nec Filius, ſed dilectio, quam habet pater in filio, & filius in patre.

B. Greg. hom. 30. *in Euang.* Dum diſcipuli, *inquit*, in ignis viſione ſuſceperunt, per amorem ſuauiter arſerunt. Ipſe namque Spiritus ſanctus amor eſt. *Vnde & Ioannes dicit* 1. *ep.* 4. Deus caritas eſt.

S. Bern. de amore Dei cap. 7. Amas te, ô amabilis Domine, in teipſo, cum à Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus, amor Patris ad filium, & filij ad Patrem, & tantus eſt amor vt ſit vnitas. *Et ſer.* 3. *in Pentecoſte.* Spiritus ſanctus firmiſſimum & indiſſolubile vinculum Trinitatis. *Et ſerm.* 8. *in Cant. explanans illud Cant.* 1. *v.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Pater, *inquit*, diligit filium, & ſingulari dilectione amplectitur: ſummus æqualem: æternus coæternum: vnus vnicum; ſed enim non minori ipſe à filio affectione aſtringitur, quippe pro cuius amore, & moritur ipſo atteſtante, cum ait, *Ioannis* 14. *verſ.* 31. Vt ſciant omnes, quia diligo Patrem, ſurgite eamus hinc: haud dubium, quin ad paſſionem. Illa itaque gignentis, genitiq; cognitio pariter, & dilectio, quid niſi oſculum eſt ſuauiſſimum, ſed ſecretiſſimum? Et ſi rectè pater oſculans, filius oſculatus accipitur, non erit abs re oſculũ S. ſanctum intelligi, vtpote qui Patris, Filijq; imperturba-

turba-

turbabilis pax ſit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuiſibilis vnitas. De ipſo igitur audet ſponſa, ipſumque infundi ſibi fidenter ſub oſculi nomine petit.

Guitmundus in confeßione de S. *Trinitate tom.* 6. *Bibliotheca* SS. *PP.* A Patre, *ait*, procedit amor ad Filium, & à Filio ad Patrem, & hic amor eſt Spiritus ſanctus, qui ab vtroque procedit. *Ita & docet* S. *Tho.* 1. *P. q.* 37. *ar.* 1. Nomen, *inquit*, amoris in diuinis ſumi poteſt eſſentialiter, & perſonaliter. Et ſecundum quod perſonaliter ſumitur, eſt proprium nomen Spiritus ſancti non ſolum eſſentialis nominis attributione, ſed vi etiam ipſius proceſſionis, & vocis amoris: nam vt Dei filius ſua proceſſione ea omnia recipit, quæ formaliter pertinent ad intellectum, vt eſſe verbũ ſapientiam; ita & Spiritus ſanctus ſua proceſſione ea omnia accipit, quæ pertinent ad voluntatem, vt eſſe caritatem. Deinde vox Amor non tantum ſignificat actionem amandi, ſed multo magis terminum hac actione productum, beneuolum ſcil. affectum, qui nos amantes efficit & voluntatem inclinat, impellitq; in rem adamatam. Pater vero & filius amando ſuam diuinitatem, ſe inter ſe, & ipſum S. ſanctum, atque ipſam etiam ſpirandi actionem producunt Spiritum ſanctum. Qui S. ſanctus non procedit ex amore creaturarum in ſeipſis, ſed ſecundum eminentiam, quam habent in Deo.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, vt quos vno pane cœleſti ſatias, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

Capvt XXXIII.

LAVS CARITATIS ET QVOD Spiritus ſanctus ſit Patris & Filii donum.

S*Icut Spiritus ſanctus caritas eſt; ita & præcipuum beneficium quo hominem vel angelum ornat, caritas eſt.* Nullum eſt iſto Dei dono excellentius, *ait S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 18.* Solum eſt, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum ſanctum munera, ſed ſine caritate nihil proſunt: Niſi ergo tantum impertiatur cuiqne Spiritus ſanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem à ſiniſtra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem, quam qui non habuerit ſi linguis hominum loquatur & angelorum ſonans æramentum eſt, & cymbalum tinniens. Et ſi habuerit prophetiam, & ſciuerit omnia Sacramenta, & omnem ſcientiam, & ſi habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, nihil eſt. Et ſi diſtribuerit omnem ſubſtantiã ſuam, & ſi tradiderit corpus ſuum, vt ardeat, nihil ei prodeſt 1. Cor. 13. v. 1. & ſeq. Quantum ergo bonum eſt, ſine quo ad ęternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipſa vero dilectio ſiue caritas; nam vnius rei eſt vtrumque nomen. Si habeat eam, qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia ſcit ſacramenta, & omnem ſcientiam, nec diſtribuit omnia ſua pauperibus, vel non habendo quod diſtribuit,

vel

vel aliqua neceſſitate prohibitus, nec tradit corpus ſuum, vt ardeat, ſi talis paſſionis nulla tentatio eſt, perducit ad regnum, ita vt ipſam fidem non faciat vtilem niſi caritas: ſine caritate quippe fides quidem poteſt eſſe, ſed non & prodeſſe. Propter quod & Apoſtolus Paulus ad Gal. 5. v. 6. In Chriſto, inquit, Ieſu, neque circumciſio, neq; præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Sic eam diſcernens ab ea fide, qua & dæmones credunt, & contremiſcunt. Iacobi 2. v. 19. Dilectio igitur quæ ex Deo eſt, & Deus eſt, propriè Spiritus ſanctus eſt, per quem diffunditur in cordibus noſtris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.

Quocirca rectiſſimè Spiritus ſanctus cum ſit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè quid niſi caritas intelligenda eſt, quæ perducit ad Deum, & ſine qua quodlibet aliud donum Dei, non perducit ad Deum? An & hoc probandum eſt, *ait S. Aug. cap. 19. eiuſdem libri*. Dei donum dictum eſſe in ſacris literis Spiritũ ſanctum? Si & hoc exſpectatur, habemus in Euangelio ſecundũ Ioannem Domini Ieſu Chriſti verba dicentis c. 7. v. 37. Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: Flumina de ventre eius fluent, aquæ viuæ. Porro Euangeliſta ſecutus adiunxit: Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Vnde etiam dicit Paulus Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 4. Et omnes vnum Spiritum potauimus. Et ſicut hic inuenimus hanc aquam Spiritum ſanctum eſſe, ita & inuenimus hanc aquam donum Dei appellatam cum Dominus dixit Samaritanæ Ioannis 4. v. 10. Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Paulus

lus quoque Apoſtolus Eph.4.v.7. Vnicuiq;, inquit, noſtrum datur gratia, ſecundũ menſuram donationis Chriſti. Atq; vt donationẽ Chriſti S. ſanctum oſtenderet, ſecutus adiunxit, Propter quod dicit Pſ.67.v.19. Aſcendit in altũ, captiuauit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Notiſſimum a. eſt Dñm Ieſum, cum poſt reſurrectionẽ à mortuis aſcendiſſet in cœlum, dediſſe S. ſanctum. Nec moueat quod ait, dona, non donum: quia per donum quod eſt S. ſanctus, in cõmune omnibus mẽbris Chriſti, multa dona quæ ſunt quibuſq; propria, diuiduntur. Non enim ſinguli quiq; habent omnia, ſed hi illa, & alij alia: quamuis ipſum donum, à quo cuiq; propria diuiduntur omnes habeant, id eſt, Spiritum ſanctum. Nã & alibi 1.Cor.12.v.11. cum multa dona commemoraſſet. Omnia, inqt, hæc operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens propria vnicuiq;, prout vult. Et ad Hebr.2.v.4. Atteſtante Deo ſignis, & oſtentis, & varijs virtutibus, & S. ſancti diſtributionibus. Et ad Eph.4.v.8. & 1.Cor.12.v.29. Petrus Apoſtolus Act.2.v.37. commotis corde Iudæis dixit: Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum & accipietis donum S. ſancti. Itemq; in eodẽ libro c.8. v.20. legitur Simonem magum Apoſtolis dare voluiſſe pecuniam, vt ab eis acciperet poteſtatẽ, qua per impoſitionem manus eius, daretur S. ſanctus. Cui Petrus idem: Pecunia, inquit, tua tecum ſit in perditionem: quia donum Dei æſtimaſti te per pecunias poſſidere. Et ibidem c.10. v.44. cum Petrus Cornelio, & eis qui cum eo fuerunt prædicaret Chriſtum, cecidit S. ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt qui ex circumciſione fideles ſimul cũ

Petro

Petro venerant: quia & in nationes donũ S.ſan-
cti effuſum eſt: Audiebant enim illos loquentes
linguis, & magnificantes Deum. De quo facto
ſuo, quod incircũciſos baptizauerat, quia priuſ-
quam baptizarentur, vt nodum huius quæſtio-
nis auferret, in eos venerat S.ſanctus, cũ Petrus
poſtea redderet rationem ait. c.11.v.15. Cũ cœ-
piſſem loqui ad illos, cecidit S. ſanctus in illos,
ſicut & in nos in initio. Si igitur æquale donum
dedit illis, ſicut & nobis, qui credimus in Do-
minum Ieſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſ-
ſem prohibere Deum, non dare illis S.ſanctum?
Et multa alia ſunt teſtimonia ſcripturarum, quę
concorditer atteſtantur donum Dei eſſe Spiri-
tum ſanctum, in quantum datur eis, qui per eum
diligunt Deum.

Apud ſe autem Deus eſt, etſi nemini detur:
quia Deus erat Patri & Filio coæternus, antequã
cuiquam daretur. Nec quia illi dant, ipſe datur,
ideo minor eſt illis. Ita n. datur, ſicut donũ Dei,
vt etiam ſeipſum det, ſicut Deus. Non enim di-
ci poteſt, non eſſe ſuæ poteſtatis, de quo dictum
eſt Ioann.3.v.8. Spiritus vbi vult, ſpirat. Et illud
Apoſtolicum 1.Cor.12.v.11. Omnia hæc opera-
tur vnus atq; idem Spiritus, diuidens propria v-
nicuiq; prout vult. Non eſt illic conditio dati, &
dominatio dantium, ſed concordia dati, & dã-
tium. Quapropter ſi ſancta ſcriptura proclamat.
Ioan.4.v.16. Deus caritas eſt, illa quæ ex Deo eſt
& in nobis agit, vt in Deo maneamus, & ipſe
in nobis, & hoc inde cognoſcimus: quia de Spi-
ritu ſuo dedit nobis, ipſe Spiritus eius eſt, Deus
caritas: deinde ſi in donis Dei nihil maius eſt
caritate, & nullum eſt maius donum Dei,
quam Spiritus ſanctus, quid conſequentius,
quam vt ipſe ſit caritas, qui dicitur & Deus, &

ex

ex Deo ? Et ſi caritas,qua Pater diligit filium,& Patrem diligit filius, ineffabiliter communionem demonſtrat amborum, quid conuenientius,quam vt ille dicatur caritas propriè, qui Spiritus eſt communis ambobus?

*Hæc S.Aug.quæ partim ex ipſo partim aliundè declarabimus. Nomen doni tria comprehendit, rem donabilem,& comparationem cum ad eum à quo donatur, tũ ad eum cui donatur. Donatio ipſa gratuita, liberalis, nec vllam ſpectans remunerationem eſſe debet vt 4. Top. c.4.docet Philoſophus. Quæ omnia maxime Deo conueniunt.Nam & liberaliſsimus eſt, cum nulla ſui emolumenti exſpectatione largiatur:*bonorum *enim noſtrorum* non indiget.*Pſal.*15.*v.*1.*Eſt etiam Deus maxime communicabilis, quia ſummè bonus & ad donandũ aptiſsimus.Sicut multis modis ſed maxime per gratiam ſe nobis nunc Pater & Filius & Spiritus ſanctus impertiuerunt, donatim ſeipſos & perfectiſſimè per gloriam. Dat autem ſe Deus homini iuſto : quia in eo eſſe incipit peculiari modo,tanquam in templo & amico ſuo,vt obiectum intimæ cognitionis, & amoris, quod nullã habet coniunctam imperfectionem, ac proindè propriè conuenit Deo.Eſt autẽ Deus ex omni æternitate reſpectu creaturarum intelligentia præditarum donum. nõ quia datus,ſed quia donabilis.Porro quia radix, & prima cauſſa liberaliter donandi eſt amor, quanto magis quid huius amoris rationem habet,tanto magis habet & rationem doni. Itaque non ſolum Spiritui ſancto ratione eſſentiæ,quod illi cum Patre, & Filio commune eſt, ſed ẽt vi proceſſionis, qua procedit vt amor, illi conuenit eſſe donum.Hinc S.Aug.l.*4.*de Trinit.c.*20. Spiritui ſancto donum eſſe, eſt à Patre & Filio procedere. Exit autem,vt ait ibidem l.5.c.14. non quomodo natus,ſed quomodo datus.*Et cap.*15.An ſemper procedit Spiritus ſanctus, & nõ ex tempore, ſed ab æternitate procedit ? Sed quia ſic procedebat,

debat, vt eſſet donabile, iam donum erat, & antequam eſſet, cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum poteſt eſſe & antequam detur, donatum autem niſi datum fuerit nullo modo dici poteſt. *Et cap. 16.* Nec moueat, quod Spiritus ſanctus, cum ſit coæternus Patri, & Filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipſum, quod donatum diximus. Nam ſempiterne Spiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam etſi Dominus non dicitur, niſi cum iam habere incipit ſeruum, etiam iſta appellatio relatiua ex tempore eſt Deo, Non enim ſempiterna creatura eſt, cuius ille Dominus eſt.

Denique l. 5. de Trinit. cap. 11. idem S. Aug. Spiritus ſanctus relatiuè dicitur, cum & ad Patrem, & ad filium refertur; quia Spiritus ſanctus, & Patris, & filij Spiritus eſt. Sed ipſa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cum dicitur donum Dei. Donum eſt enim Patris, & Filij, quia & à Patre procedit, & à Filio. Donum ergo donatoris, & donator doni, cum dicimus relatiuè vtrumque ad inuicem dicimus.

Dona nobis, Domine Deus noſter, Spiritum ſanctum tuum, per quem caritas, qua te ſuper omnia & proximos ſicut nos ipſos diligamus, diffundatur in corda noſtra. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

CAPVT XXXIV.

DE 7. DONIS SANCTI Spiritus.

Vandoquidem Spiritus ſanctus caritas eſt, & donum, vt oſtendimus, opportune nunc de donis, quæ ſingulari amore nobiſcum communicat tractabimus. Et quidem Euangelicus Propheta c.11. v.1. & ex eo S.Patres ſeptem eiuſmodi numerant ſancti Spiritus dona, quæ præcipuè in Chriſto Domino reſident, & ex illo fonte in nos riuulos deriuantur & proficiſcuntur. Ex plenitudine enim illius omnes accepimus gratiam pro gratia *Ioan.1.v.16. Hunc vero in modum habet Iſaias:* Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. *Ex his quatuor dona ad mentem pertinent, intellectus, ſapientia, ſcientia, conſilium, tria ad voluntatem fortitudo, pietas, & timor Domini.*

Iſta dicuntur ſancti Spiritus dona quatenus caritate informantur, quæ ſine non manent: nam earum radix & fundamentum ſunt tres virtutes Theologicæ. Sunt autem dona firmæ conſtanteſque in animo perfectiones, quibus homo idoneus aptusque efficitur, ad promptè ſequendum ductum motumque ſancti Spiritus Pſal.142.verſ.10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam *Rom.8.verſ.14.* Qui Spiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei. *Vocantur autem à Propheta, Spiritus, quod a ſancti Spiritus inſpiratione progignantur & ad eius impulſum & inſtinctum ſectandum*

ſtandum concedantur, Quibuscum ſemper in homine manet Spiritus ſanctus, & illis peccato mortifero pereuntibus diſcedit.

De his S.Greg. hom.19.in Ezech. Septem *ait* gradibus ad portam aſcenditur: quia per ſancti Spiritus ſeptiformem gratiam, aditus nobis regni cœleſtis aperitur. Hi ſeptem oculi in lapide vno. *Zach.3.v.9.* non quod diuerſus ſit Spiritus iuxta differentiam nominum *ait S. Hier. in c.11.Iſa.* ſed vnus atque idem cunctarum virtutum fons ſit atque principium. *Et S. Aug. epiſt.102. ad Euodium.* Legitur quidem, *ait*, & Spiritus ſapientiæ multiplex *Sap.7.verſ.22.* ſed rectè etiam dicitur ſimplex. Multiplex enim, quoniam multa ſunt, quæ habet: ſimplex autem: quia non aliud; quam quod habet, eſt. Sicut dictus eſt filius habere vitã in ſemetipſo *Ioan.5.v.26.* & eadẽ vita ipſe eſt.

Præclara ſeptenarij numeri laus eſt apud S. Greg. Naz. orat. in S. Pentecoſt. & S. Cypr. ſerm. de Spiritu ſancto. Sed de 7. Spiritus ſancti donis nobis agendum. De prioribus donis S. Tho. 22.q.8.art.6. Omnia, *inquit*, hæc quatuor dona, ad ſupernaturalem cognitionem, quæ in nobis per fidem fundatur. Fides autem, primo quidem, & principaliter ſe habet ad veritatem primam, ſecundario ad quædam circa creaturas conſideranda, & vlterius extẽdit ſe etiam ad directionem humanorum operum, ſecundum quod per dilectionem operatur. Sic ergo circa ea, quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte noſtra. Primo quidẽ, vt intellectu penetrentur, vel capiantur, & hoc pertinet ad donum intellectus. Secũdo autem oportet, vt de eis homo habeat iudicium rectum, vt æſtimet his inhærendum, & ab eorum oppoſitis recedendum. Hoc ergo iudicium quantum ad res diuinas, pertinet ad donũ

ſapientiæ,quantum vero ad res creatas,pertinet ad donum ſcientiæ, quantũ vero ad applicationẽ ad ſingularia opera, pertinet ad donũ cõſilij.

Eſt ergo donum intellectus cœleſte lumen à S. ſancto animo inditum,quo ſupernaturalia dogmata, & myſteria ſanè capit, & mente peruadit. Et quamuis hoc donum intellectus, vel maxime verſetur circa res fidei contemplandas, porrigit tamen & ſe ad omnia quæ ad fidem ordinantur qualia ſunt bona opera. Fides enim per dilectionem operatur, *vt ait Apoſtolus, Gal.5. verſ.6.*& intellectus bonus omnibus facientibus eum Pſal.110.*Hoc eſt, intelligentia mandatorum Dei eſt vtilis illis,& ſalutaris,qui ea opere exequuntur, & eiuſmodi homo, perpetuam apud Deum, & homines laudem conſequitur.*

Donum ſapientiæ inter S.Spiritus dona nobiliſſimũ eſt ſtabilis perfectio, quam ſuperior ratio ad S.Spiritus ductum in diuinarum rerum cognitione ſe applicat, & per ſupremam cauſſam Deum, de iis iudicat.

Donum ſcientiæ eſt,quo ad S.Spiritus præſcriptum ſe dirigens homo certo iudicio diſcernit credenda à nõ credendis, agenda à non agendis per cauſſas ſecundas. de qua Sap.10.v.10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas,& dedit illi ſcientiam ſanctorum. *De ſapientia & ſcientia hunc in modum S.Auguſt.l.12.de Trinit.c.14.* Diſtat ab æternorum cõtẽplatione actio,qua benè vtimur temporalibus rebus, & illa ſapientiæ, hæc ſcientiæ deputatur. *Apoſtolus vbi dicit 1.Cor.12.v.8.* Alij quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem Spiritum, hæc vtiq; duo diſtinguit. Et ſcripturarum ſanctarum multiplicẽ copiam ſectatus inueni ſcriptũ eſſe in libro Iob c.28.v.28. Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia & recedere à malo intelligentia, *vt habet noſter textus,S.Aug.habet.* Ecce pietas eſt ſapientia, abſtinere

nere a.à malis eſt ſcientia. In hac differentia intelligendũ eſt ad contemplationẽ ſapientiã, ad actionẽ ſcientiã pertinere. Pietatẽ qppe hoc loco poſuit Dei cultũ. Et qd eſt in æternis excellẽtius q̃ Deus cuius ſolius immutabilis eſt natura? Et qd cultus eius niſi amor eius, quo nunc deſideramus eum videre, credimuſq; & ſperamus eum nos eſſe viſuros? Et qm̃ ꝓficimus, videmus nunc per ſpeculũ in ænigmate, tunc a. in manifeſtatione. Hoc n. eſt quod ait Apoſtolus Paulus facie ad faciẽ 1. Cor 13. v. 12. Hoc ẽt q. Ioannes 1. ep. 3. v. 2. Dilectiſſimi nunc filij Dei ſumus, & nõdum apparuit qd erimus: ſcimus quia cum apparuerit ſimiles ei erimus, qm̃ videbimus eum ſicuti eſt. De his atq; huiuſmodi ſermo mihi ipſe videtur eſſe ſermo ſapientiæ. Abſtinere autem à malis, quam Iob ſententiã dixit eſſe, rerũ ꝓcul dubio temporalium eſt. Qm̃ ſecundum tempus in malis ſumus, à quibus abſtinere debemus, vt ad illa bona æterna veniamus. Quamobrem quicquid prudenter, fortiter, temperanter & iuſtè agimus, ad eam pertinet ſcientiam ſiue diſciplinam, qua in euitandis malis boniſq; appetẽdis actio noſtra verſatur, & quicquid propter exempla vel cauenda, vel imitanda & propter quarumcunq; rerum, quæ noſtris accommodata ſunt vſibus neceſſaria documenta.

Donum conſilij eſt quo homo à Spiritu ſancto id bene, prudenterq; de rebus agendis ſingillatim, & in vitæ æternæ finem dirigendis conſiliandum mouetur, ſiue in neceſſariis vt præceptis, ſiue in non neceſſariis ſed vtilioribus, vt conſiliis & indifferentibus.

Donum fortitudinis eſt, quod Spiritus ſancti afflatu homini præbet fiduciam, quælibet euadendi pericula, & ad boni operis finem, ſempiternamque perueniendi felicitatem.

Pietatis donum eſt, quo quis à Spiritu ſancto filij affectu in Deum, vt Patrem excitatur, & mouetur.

Donum timoris eſt, quo homo à Spiritu ſancto inducitur, vt Deum ſponte, ac libenter, tanquam bonus filius optimum parentem reuereatur, & ab eo ſe abiungère omnibus modis refugiat.

In hac ergo ſeptiformi Spiritus ſancti gratia maneamus, in qua vocati ſumus, repleti dono Spiritus ſancti, *vt nos hortatur S. Aug. ſerm. 209. de Tempore. His enim donis inſtructi fidem, ſpem, caritatē, prudentiā, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam expedite & conſtanter exercebimus, & verè ſpiritales effecti in via mandatorum Dei indefeſſe procurremus.*

Septiformem nobis Spiritus ſancti gratiam, clementiſsime Deus, concede, vt his, & dignè Maieſtati tuæ ſeruiamus, & cæleſtia bona conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXXV.

DE SANCTI SPIRITVS fructibus.

S*Vnt & alia S. Spiritus munera, & quaſi lætiſsima germina, quæ ipſe cum homine pariter operante producit, de quibus Apoſtolus ad Gal. 5. v. 22. Vocat autem fructus tanquam actus habituum, & virtutum a ſancto Spiritu tributarum effectus, vt quos ille, & adiuuante ſua gratia præfert. Fructus autem inquit Spiritus eſt.* 1. Caritas *diligens Deum propter ipſum ſuper omnia, & proximum ſicut ſe propter Deum. Caritas primo ponitur loco, vt nobiliſsimus fructus, & reliquorum procreatrix.* 2. Gaudiū *ex conſcientia à peccatis, vitiis & animi perturbationibus expurgata, ac proinde tranquilla, ſerena, & ſancta*

ortum

ortum ac ſeruiens Domino in lætitia. 3. Pax *ſuperans omnem ſenſum nullis perturbationibus concitata, Dei fruens amicitia ac in huius mundi perturbationibus animi æquitatem, & tranquillitatem conſeruans.* 4. Patientia *& longanimitas, ac lenitas, & faſtidioſos aliorum mores prudenter, & placatè ferens ac moderatè aduerſa tolerans.* 5. Longanimitas *excelſo animo futura bona præſtolans.* 6. Bonitas *nulli obeſſe, ſed omnibus prodeſſe deſiderans.* 7. Benignitas *animo, ſermone, moribus ſuauis.* 8. Manſuetudo *omnes iræ motus comprimens.* 9. Fides *ſiue fidelitas & veracitas pacta promiſſaque proximo præſtans.* 10. Modeſtia *moderans omnes exteriores actiones, veſtitum, inceſſum, ſermonem, riſum, luſum, & faſtus & arrogantiæ ſuſpicionem excludens.* 11. Continentia *ab omni intemperantia & nequitia abſtinens.* 12. Caſtitas *in caſto caſtam conſeruans corpore mentem.*

Et addit Apoſtolus. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. *Aduerſus huiuſmodi fructus, & eos fructus producentes homines, nulla lex eſt, eos condemnans, vel arguens.* Quid enim, *ait S. Chryſoſt. in huius loci commentario*, aliquis præcipiat illi, qui omnia in ſe habeat, etiam perfectam philoſophiæ magiſtrã caritatem. Quemadmodum enim equi freno morigeri, omniaque ex ſeſe facientes, non opus habent ſcutica, ſic & anima quæ impulſu Spiritus recta facit, non eget admonitrice lege.

Et S. Aug. in expoſitione Galaticæ Epiſtolæ. In quibus, *ait.* hæc regnant (*opera, ſiue fructus Spiritus*) ipſi lege legitimè vtuntur: quia non eſt illis lex, ad coercendum poſita. Maior enim & præpollentior eorum delectatio iuſtitia eſt. 1. *Tim. 1. verſ. 8.* Regnant ergo ſpiritales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta bona, ſi tantũ delectant, vt ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſio-

nem ruat. Quod enim amplius delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt, vt verbi gratia, occurrit forma ſpecioſæ fœminæ & mouet ad delectationem fornicationis, ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima & ſyncera caſtitatis, per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti, ſecundũ hanc viuimus & ſecundum hanc operamur, vt non regnante in nobis peccato ad obediendum deſiderijs eius, ſed regnante iuſtitia per caritatem, cum magna delectatione faciamus quicquid in ea Deo placere cognoſcimus. Quod autem de caſtitate & de fornicatione dixi hoc de cæteris intelligi volui: *nimirum de ſuperbia & humilitate, de auaritia & liberalitate, de intemperantia & temperantia, de iracundia & lenitate, de acedia, & ſedula pietate &c. trahit ſua quemque voluptas.* Et quia omnis arbor bona bonos fructus facit *Matth. 7. verſ. 17. vtique qui hos producit fructus optima arbor eſt in cœleſtem aliquando paradiſum tranſplantanda, ſi autẽ non profert hos ſuauiſſimos & ſaluberrimos diuini Spiritus fructus valde pertimeſcat & ſterilitatem ſuam deteſtatus vitam corrigat*: Quia omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur *Matth. 7. v. 19. Hæc opera appellat Apoſtolus fructus lucis Eph. 5. v. 9.*

Duo hic ex S. Aug. Galaticæ epiſtolæ expoſitione notanda ſunt, alterum quod ſicut Apoſtolus non enumerauit omnia carnis vitia, ita nec omnes fructus Spiritus; alterum, quomodo hæ virtutes, & fructus, carnis vitiis aduerſentur. Sic autem habet S. Aug. Cum commemoratis multis operibus carnis, addidit & his ſimilia, ſatis oſtendit ſe non iſta examinatiore numero collocaſſe, ſed liberiore ſermone poſuiſſe. Hoc etiam de ſpiritalibus fructibus fecit. Non enim ait, aduerſus hæc non eſt lex, ſed aduerſus huiuſmodi: *hoc eſt*, ſiue iſta, ſiue etiam

cætera

cætera huiuſmodi. Sed tamen diligenter conſiderantibus non hic omnimodo carnalium ſpiritaliumq; operum oppoſitio inordinata atque confuſa eſt. Ob hoc autem latet, quia pauciora ſunt, vel ſingula quibuſdam pluribus opponũtur. Nam ex eo quod carnaliũ vitiorũ in capite poſuit fornicationes, in capite autẽ virtutũ ſpiritalium charitatem, quem non diuinarum literarum ſtudioſum faciat intentũ ad perſcrutanda cætera? Si enim fornicatio eſt amor à legitimo connubio ſolutus, & vagus explendæ libidinis conſectando licentiam: quid tam legitimè ad ſpiritalem fœcunditatem cõiungitur, quam anima Deo? Cui quanto fixius hæſerit, tanto eſt incorruptior. Inhæret autem charitate. Rectè igitur fornicationi opponitur charitas, in qua ſola eſt cuſtodia caſtitatis. Immunditiæ autem ſunt perturbationes de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem ſeruitus vltima fornicatio eſt animæ, propter quam etiã bellũ aduerſus Euãgelium cum reconciliatis Deo furioſiſsimũ geſtum eſt, cuius reliquiæ, quamuis tritæ diu, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria eſt, qua reconciliamur Deo, eademque pace etiam cum hominibus cuſtodita, veneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animoſitatum, diſſenſionumque vitia ſanantur in nobis. Vt autẽ ea in aliis, inter quos viuimus, iuſta moderatione tractentur, & ad ſuſtinendum longanimitas, & ad curandum benignitas, & ad ignoſcendum bonitas militat. Iam verò hæreſibus fides, inuidiæ manſuetudo, ebrietatibus & comeſſationibus continentia reluctatur. Ne quis ſanè arbitretur hoc eſſe inuidiam, quod eſt æmulatio: vicina etiam ſunt, & propter

ipſam vicinitatem plerumque vtrumlibet horum pro altero, vel æmulatio pro inuidia, vel inuidia pro ęmulatione ponitur. Sed quia vtrũque hic locis ſuis dictum eſt, vtique diſtinctioné à nobis flagitant. Nam æmulatio eſt dolor animi, cum alius peruenit ad rem, quam duo vel tres appetebant, & niſi ab vno haberi non poteſt. Iſtam ſanat pax, quâ id appetimus, quod omnes ſibi appetunt, ſi aſſequantur, vnum in eo fiant. Inuidia verò dolor animi eſt, cũ indignus videtur aliquis aſſequi, etiam quod tu nõ appetebas. Hanc ſanat manſuetudo, cum quiſque ad iudicium Dei reuocans non reſiſtit voluntati eius, & magis ei credit rectè factum eſſe, quam ſibi, quod putabat indignum.

Et quidem S. Paulus non omnes hic fructus S. Spiritus commemorauit, ſed tantum illuſtriores, & magis conſpicuos: ſiquidem omnes omnino virtutes, & pia opera, ſunt fructus & ſpiritus, & gratiæ ipſius, cum homine efficaciter operantis.

Tribue nobis, quæſumus Domine, Sancti Spiritus fructus, ne tanquam infrugiferæ arbores hic excidamur, & in æternum ignem mittamur, ſed vt hinc in cœleſtem paradiſum tranſplantemur. Per vitæ arborem, Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

CAPVT XXXVI.

DE GRATIIS GRATIS datis.

QVoniam gratiæ munus eſt, vt hominem Deo adiungat, gratia quâ ipſe homo proximè Deo inhæret, eſt iuſtificãs, ſiue gratum efficiens; quâ verò proximum ad Dei inducit coniunctionem, & ſalutem, vocatur gratia gratis data: quia & ſupra naturæ facultatem, & citra perſonæ meritum diuinitus tribuitur.* *De hac Apoſtolus* 1. Cor. 12. v. 7. 8. 9. 10. 11. Vnicuique, *inquit*, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem (*Eccleſiæ.*) Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, *facultas explicandi ſapientiam, id eſt, altiſſima myſteria, vt Trinitatis, incarnationis, prædeſtinationis. Chryſoſt. hic ho.* 29. Quid ſignificat ſermo ſapientiæ, quem Paulus, quem Ioannes tonitrui filius habuit? *Quibus Theodoretus adiungit Petrum & Stephanum. Hieronymus & Anſelmus dicunt* eſſe facultatem, quâ quis poteſt ſapienter & aptè loqui, & de diuinis rebus diſſerere, vt increduli fidem admittant, & credentes in ea confirmentur.

Alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundẽ ſpiritum, *donum explanandi ea, quæ ad mores vitamque rectè inſtituendam pertinent: Sic enim ſapientiam à ſcientia diſtinguit* S. *Auguſt. lib.* 12. *de Trinit. cap.* 14. Quid ſermo ſcientiæ, *ait B. Chryſoſt.* quem multi credentium habuerunt, ſcientiam quidem habentes, ſed qui non ita docere poſsint, neque in alium facile conferre, quæ ignorant? *S. Tho.* 1. 2. *q.* 111. *art.* 4. *ad* 4. Sapientia, *ait*, & ſcientia numerantur inter dona S. Spiritus, quatenus iis mens promptè à Spiritu S. mouetur, ad ea cognoſcéda, quæ

da, quæ ſunt ſapientiæ, & ſcientiæ, reponuntur verò in numero gratiarum, gratis cōceſſarum, ſecundū quandā ſapientiæ & ſcientiæ abundantiam, vt homo nō ſolum in ſeipſo de diuinis rebus rectè ſentiat, ſed & alios inſtruat, & aduerſarios queat refutare. *Et idcirco inter gratias gratis datas primum ponitur ſermo ſapientiæ, & deinde ſciētiæ; quia vt S. Auguſt. ait lib. 14. de Trinit. cap.* 1. aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiſcēdam vitam beatam, aliud eſt ſcire, quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur. *S. Hier. exponit de ſermone, quo quis legis myſteria ſcit explicare. Anſel. affirmat ſapientiam conſiſtere in contemplatione æternorum, ſcientiam in actione temporalium.* Quanquam, *inquit*, illi etiam poſſunt intelligi habere donum ſapientiæ, qui intelligunt & exponunt, quæ ab aliis nō audiuerunt exponi. Illi verò donum ſcientiæ, qui audita per ſe nequeunt intelligere, ſed ea quæ in aliis legerunt, vel ab aliis audiuerunt exponi, retinent & ſcienter proferunt.

Alteri fides in eodem ſpiritu. *Fides hoc loco, non eſt dogmatum, ſed miraculorum, (quanquam & hæc Theologicam fidem includat, & inſignem fiduciam erga* Deum, *ad quiduis impetrandum & miracula operādum) de qua Chriſtus:* Si habueritis, *inquit Matt. 17. v. 20.* fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit. *Quam Apoſtoli petebant dicentes Luc. 17. v. 4.* adde nobis fidem. Ipſa enim mater ſignorum eſt. *Ita S. Chryſ. At S. Thom. 2. 2. q. 111. artic. 4. ad 2.* Fides hic, *inquit*, ſignificat quandam ſupereminentem certitudinem fidei, & magnam myſteriorum ipſius intelligentiam, ex qua homo fit idoneus ad inſtruendum alios in his, quæ ad fidem pertinent. *S. Anſelmus intelligit*

Egit fidei conſtantiam, quâ quis nullo pudore, vel metu, fidem ſuam profitetur, & prædicat. Ita & S. Ambroſius.

Alij gratia ſanitatum, in vno ſpiritu. *Hæc conſiſtit in curandis languoribus, & habet ſpecialem rationem, homines inducendi ad complectendam fidem.*

Alij operatio virtutum, *maiorum miraculorum, vt teſte S. Hier. mortuos excitare, transferre montes, dæmones eijcere. Ita Ambroſ. & Anſel. At S. Chryſ.* Operationes virtutum & donum ſanandi poſsidere non eſt idē. Qui n. habebat donū ſanandi, curabat ſolum, qui autē operationes virtutū etiam puniebat. Virtus enim eſt non ſanare tantū, ſed etiam punire, quemadmodum Paulus cæcauit Elymam, Act. 13. v. 11. & Petrus Ananiam perdidit, Act. 5. v. 5. *Ita & Theod.* Hoc, *inquit*, donum differt à priori, quod illo ſolo medemur, hoc etiam afferre malum poſſumus. *Spiritus S. digitus Dei appellatur: nam Luc. 11. v. 20.* Si in digito Dei eiicio dæmonia: *quod Matt. 12. v. 28. explanatur:* Si in Spiritu Dei eiicio dæmonia. *Dicitur autem maxime digitus Dei propter operationē miraculorū, vt hic videre eſt. Et Exod. 8. v. 19.* Digitus Dei eſt hic: *quæ admirandarū rerum patratio pars eſt donorum Spiritus S. ſicut digitus eſt pars membrorū corporis. Baſil. li. 5. cōtra Euno. c. 2. Quod Spiritus creator eſt. Greg. ho. 10. in Eze.*

Alij prophetia. *Hierony. & Theodo. donum futura prædicendi, cuius rei exempla ſunt plura in Apoſtolicis Actibus. S. Chryſoſtomus interpretatur* facultatem cognoſcendi, quis Propheta, & quis deceptor. Quod, *ait*, & Theſſalonicenſibus dicebat 1. ep. 5. v. 19. Prophetas nolite negligere. Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete. Etenim multa tunc falſorum Prophetarum differentia erat, quum diabolus cum veritate mendacium confundere niteretur.

Alij

Alij diſcretio ſpirituum. *Chryſoſt.* Quid hoc ſignificat, cognitionem, quiſnam ſpiritalis ſit, quis non, *Donum diiudicandi & internoſcendi cogitationes, cordis intentiones, & conſequenter ſermones, & actiones, an à Deo & Angelo, vel à dæmone, vel à natura proficiſcantur. Chryſ. Ambroſ. Anſelm.*

Alij genera linguarum.

Alij interpretatio ſermonum: *obſcuriorum, ſiue cum è Scripturis explicantur, ſiue cum in alia idiomata conuertuntur, ſiue cum alta myſteria S. Spiritus afflatu proponuntur. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. Vbiq; inquit Theodoretus, adiecit:* ſecundum eundẽ ſpiritum, docens varios quidem eſſe riuos, vnum autem fontem.

Qui alium de rebus diuinis erudire velit, neceſſe eſt, vt perfectam earundem habeat cognitionem, ad quam pertinet fides, ſapientiæ, & ſcientiæ ſermo. Deinde vt doctrinam ſuam confirmet, quæ cum hic tranſnaturalis ſit argumentis humanis, non ſit fides, ſed diuinis operib. ad quod pertinet gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, ac donum vt polleat ſua dogmata proponendi facultate, ad quam pertinet linguarum peritia, & ſermonum interpretatio. Videatur S. Tho. 1. 2. q. 111. ar. 1. & 4.

Quamuis autem horum nouem donorum ab Apoſtolo exempli loco enumeratorum, commoda ratio a Diuo Thoma aſſignata ſit, tamen eiuſmodi gratias gratis datas plures eſſe conſtat. Rom. 12. v. 7. 8. vbi Apoſtolus etiã commemorat gratias docendi, exhortandi, gubernandi, miniſtrandi, diſpenſandi, de quibus & 1. Cor. 12. v. 28. 29. Hæc gratuita dona iuſtis cõmunia ſunt cum impiis. Multi, *inquit Saluator Matth. 7. v. 22.* dicent mihi in illa die (*poſtrema iudicii*) Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus (*futura prænunciauimus*) & in nomine tuo dæmonia eiecimus,

iecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? (*ſæpe multiplicis generis miracula patrauimus*) *vt Balaam Num.* 24.v.17. *Saulum peruerſus*, 1.*Reg.*19.v. 24.*Cayphas, Iudas, & eiuſdem farinæ alij*. Et tunc cõfitebor illis: Quia nunquam noui vos (*non probaui vos, non pro meis habui*) Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. *Proinde cum Apoſtolus* 1.*Cor.* 12.*pertractaſſet hæc & ſimilia chariſmata, concludit*: Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro: *quam promiſſionem ſuam præſtat toto capite* 13. *vbi oſtendit omnibus donis gratuitis longè præſtantiorem eſſe caritatem; tum propter eius neceſſitatem, quia alia dona ſine illa non proſunt, tum propter vtilitatem; quia per eam omnia mala euitantur, & omnia bona perficiuntur, tum propter eius perpetuitatem, quia nũquam interit. De qua caritate, vt nobiliſſimo* S. *Spiritus dono, nunc vberius diſſerendum.*

Ex his nouem gratiis ab Apoſtolo commemoratis veriſimile eſt, quinque eſſe habitus permanentes, ſcil. ſapientiam, ſcientiam, fidem, genera linguarum, & interpretationem ſermonum, & aliquãdo ſpiritus dignoſcẽdi donum, reliquæ quatuor non ſunt habitus, ſed motiones tranſeuntes, ſcil. gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia & diſcretio ſpirituum. Cuius rei ratio eſt, quod qui habitum habet, eo pro ſuo arbitratu vtitur. Conſule noſtrum Robertum Bellarminum ampliſſimum & doctiſſimum Cardinalem lib. 1. *de gratia & lib. arbit. c.* 10.

Magna & admirãda ſunt hæc gratuita munera tua, ſanctiſſime Spiritus, ſumme Deus, ſed quia hæc etiam cum improbis & perditis communicare ſoles, illa potiſſimum dona tribuere digneris, quæ electis tuis concedis, vt te hic ſuper omnia amare, & tuis amatoribus promiſſa præmia aſſequi poſſimus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

Caput XXXVII.

De caritate maximo S. Spiritus dono.

Caritas eſt virtus, à Spiritu ſancto, cordibus noſtris infuſa Rom. 5. v. 5. qua Deus propter ſe, hoc eſt, ob infinitā ſuam perfectionem & bonitatem, qua ſummè amabilis eſt, diligitur, & proximus ſiue quilibet homo propter Deum & ſecundum eius ſanctiſſimam voluntatem amatur. Illi perfectè Deum diligunt, *ait, S. Proſper Regien. Epiſcopus l. 3. de vita contemplatiua c.* 15. qui volendo, quod vult Deus, & nolendo quod non vult, nec vllis peccatis quibus offenditur, acquieſcunt, & ſemper ſe ad virtutes, quas ipſe dignatur donare, diligendas & habendas extendunt. Hi ſunt, qui omnia bona quæ implere potuerint, ab illo ſe adiutos vt poſſint, veraciter credunt: quicquid mali commiſerint vitio ſuæ voluntatis aſcribunt: quicquid boni non potuerint implere, ab illo, vt poſſint, iugiter petunt: cum potuerint, illi gratias agunt. Bona eius quæ fuerint conſecuti, etiam alijs cōferri ſocialiter volunt, & vſque in ſuos inimicos dilectionis ſuæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt eſſe quod ipſi ſunt. Proximos vero ſicut ſeipſos diligunt, quia non vtilitatum ſuarum gratia, vel propter ſperata vel accepta beneficia, nec conſanguinitatis, aut affinitatis cauſſa, ſed quia humanæ naturæ participes ad hoc eos amant, vt Deum diligant eoque æternum fruantur, ſic enim ſe & non alio modo debent diligere. *S. Auguſt. libr. 2. de doctr. Chriſtiana cap.* 7. In ſcripturis diuinis hoc inuenimus, diligendum eſſe Deum propter Deum, & pro-

& proximum, propter Deum, & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere, proximum verò tanquam ſeipſum, id eſt, vt tota dilectio proximi, ſicut etiam noſtri referatur in Deum.

Hæc caritas expiat peccata, Prou. 10. *v.* 12. Vniuerſa delicta operit caritas. *Non relicta tegendo, ſed velut ignis ſtipulam exurendo, Luc.* 7. *v.* 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. & 1. *Pet.* 4. *v.* 8. Caritas operit multitudinem peccatorum.

Hæc caritas eſt vita animæ, 1. *Ioann.* 3. *ver.* 14. Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

Hæc caritas non quamcunque vitam animæ tribuit, ſed diuinam, 1. *Ioann.* 4. *v.* 7. Cariſsimi, diligamus nos inuicem, quia caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum; *ſpeculatiua ſcil. & practica fide; dono ſapientiæ, & notitia approbationis. Itaque caritate homo diuinæ fit cōſors naturæ,* 2. *Petr.* 1. *v.* 4. *vt filius Dei efficiatur, imo & quidam Deus*: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes, *Pſal.* 81. *v.* 6. *Elegantiſsimè prorſus hoc explanat S. Aug. tract.* 2. *in* 1. *S. Ioannis epiſt.* Tenete, *inquit*, dilectionem Dei, vt quomodo Deus eſt æternus, ſic & vos maneatis in æternū: quia talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? Quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Altiſsimi omnes. Si ergo vultis eſſe Dij, & filij Altiſsimi, nolite diligere mundum, nec ea, quæ ſunt in mundo. Et mūdus tranſit, & deſideria eius tranſeunt. Qui autē facit voluntatē Dei, manet in æternū, ſicut & Deus manet in æternum.

Hæc caritas non modo nos Dei facit filios & Deos: ſed & Deo, tanquam ſponſas ſponſo cœleſti connubio arctiſſimè & dulciſſimè copulat: Quod optimè docet S. *Bernardus ſerm.* 83. *in Cant.* Iam verò, *ait*, animæ reditus conuerſio eius ad verbum, reformandæ per ipſum, conformandæ ipſi. In quo? In caritate: Ait enim: Eſtote imitatores Dei, ſicut filij cariſsimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius caritate? quâ fit vt humano magiſterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo conſtanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, conſulteſque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax deſiderio. Verè ſpiritalis ſanctique connubij contractus eſt iſte. Parum dixi, contractus: complexus eſt, complexus plane, vbi idem velle, & nolle idem vnum facit ſpiritum de duobus. Magna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium, ſi ſuæ origini redditus, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat, vnde iugiter fluat. Solus eſt amor ex omnibus animæ motibus, ſenſibus atque affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpondere auctori, vel de ſimili mutuam rependere vicem. Felix anima cui tantæ ſuauitatis complexum experiri donatum eſt. Quod non eſt aliud, niſi amor ſanctus, & caſtus, amor ſuauis, & dulcis, amor tantæ ſerenitatis, quantæ & ſinceritatis, amor mutuus, intimus, validuſque, qui non in carne vna, ſed vno plane in ſpiritu duos iungat,

gat,

gat, duos faciat iam non duos, ſed vnum Paulo ita dicente 1. Corinthiacæ 6. verſu 17. Qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt. Et quo ſpiritali glutino adhæremus Deo, niſi caritate? Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, 1. Ioannis 4. verſu 16. *Ex quo & illud conſequens eſt, quod Sanctus Auguſtinus libro decimoquinto de Trinitate capite 18. affirmat:* Per caritatem nos tota inhabitat Trinitas.

Hæc caritas oleum eſt, à quo inſtructæ prudentes virgines ad diuini ſponſi nuptias læte fœliciterque peruenerunt. Sanctus Auguſtinus de verbis Domini ſermone 23. Virgines ferentes lampades, & tamen alias prudentes, alias ſtultas ait diſcerni oleo, quod & ipſum indicat Euangelium Matthæi 25. verſu 4. & vnde videatur oleum ſignificare, inquit, dicam vobis: Apoſtolus dicit 1. Corinthiacæ 12. ver. 31. Adhuc ſupereminentiorem vobis viam demonſtro. Ipſa ſupereminens via eſt caritas, vt mox capite 13. verſu 1. oſtendit, quæ meritò oleo ſignificatur, omnibus enim humoribus oleum ſupereminet. Mitte aquam, & ſuperfunde oleum, oleum ſupereminet. Mitte oleum, ſuperfunde aquam, oleum ſupereminet. Si ordinem ſeruaueris, vincit, ſi ordinem mutaueris, vincit. Caritas nunquam cadit, 1. Corin. 13. v. 8. Sapientum lampades ardebant de oleo æterno, de conſcientiæ ſecuritate, de interiori gloria, de intima caritate. Hoc ſibi procuret caritatis oleum quiſquis nuptiale cœli conuiuiũ adire deſiderauerit. Caritas enim perducit ad Deum, *ait S. Aug. lib. 15. de Trin. c. 18.* ſine qua quodlibet aliud donum Dei, non perducit ad Deum.

Hæc caritas caros acceptoſque nos Deo reddit, Prou. 8. v. 17. Ego, *ait*, diligentes me diligo. *Et Ioã. 14. v. 21.*

Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. *Et quidni* Dominus, qui diligit iuſtos, *Pſal.* 145. *v.* 8. *ſe amantes amet, cum amor Dei, hominis ſit iuſtitia?* Caritas inchoata, *ait Theologorum Antiſtes D. Auguſt. lib. de natura & gratia cap.* 70. inchoata iuſtitia eſt; caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; caritas magna, magna iuſtitia eſt; caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt; ſed caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. *Et hoc eodem lib. cap.* 42. Ipſa Dei caritas eſt veriſsima, pleniſsima, perfectiſsimaque iuſtitia. *Conc. Trident. Seſſ.* 6. *cap.* 7. Iuſtificatio, *inquit*, non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, *&c. Deinceps ait:* Quanquam nemo poſsit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti cõmunicantur: id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſsimæ Paſsionis merito, per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret, *&c. Sed & peccatorum condonatio, & diuinorum munerum adeptio contingit virtute caritatis, quemadmodum tradit Apoſtolus Epheſ.* 1. *v.* 4. Elegit nos Deus, in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti (*virtutibus*) & immaculati (*à peccatis*) in conſpectu eius in caritate, *hoc eſt per caritatem, quâ & ipſe Deus dilexit nos, & nos eum viciſsim diligimus.*

Hæc caritas opera etiam ipſa diligentis Deo gratiſsima reddit: qui non tam attendit, quid, quantumque fiat, ſed ex quanto amore fiat. Hinc Sanctus Leo ſerm. 4. *de collectis & eleemoſyna:* Nõ ſit, *inquit*, vilis homini homo, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum conditor ſuam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Chriſtus

ſibi

ſibi profitetur impendi? Matth. 25. v. 40. Iuuatur conſeruus, & gratiam refert dicens: Cibus egeni, regni cœleſtis eſt pretium: & largitor téporalium hæres efficitur æternorum. Vnde autem exigua iſta impendia tanta æſtimari taxatione meruerunt: niſi quia pondera operum caritatis lance penſantur, & quum amatur ab homine, quod Deus diligit, meritò in eius aſcenditur regnum, in cuius tranſitur affectum? *Et Beatus Gregorius homilia 5. in Euang.* Exteriora, *inquit*, noſtra Domino quamlibet parua ſufficiũt: Cor namq; & non ſubſtantiam penſat. Nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quantò proferatur. Ante Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere: ſi fuerit arca cordis repleta, bona voluntate. Nihil offertur Deo ditius voluntate bona: voluntas autem bona eſt, ſic aduerſa alterius, ſicut noſtra pertimeſcere, ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari. Aliena damna noſtra credere, aliena lucra noſtra putare. Amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere: Inimicum etiam amando tolerare. Nulli quod pati non vis, facere: nulli quod tibi iuſtè impendi deſideras, denegare. Neceſsitati proximi non ſolum iuxta vires ſuccurrere, ſed prodeſſe etiam vltra vires velle. *Quæ omnia S. Gregorius vnico dicere potuiſſet verbo. Voluntas bona eſt caritatis, ſed nimirum per ſuas proprietates latius caritatem explicare voluit.*

Hæc caritas hominis eſt bonitas tantoque quiſque melior eſt, quanto Dei proximique amantior. S. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurent. cap. 117. Caritas, *inquit*, quam fide, ac ſpe maiorem dixit Apoſtolus 1. Cor. 13. v. 13. quanto in quocunque maior eſt, tanto melior eſt, in quocunq; eſt. Cum enim

quæritur, vtrum quiſquā ſit homo bonus, non quæritur, quid credat, aut ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & ſperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſunt vera, quæ credit. Inaniter ſperat, etiāſi ad veram felicitatē doceantur pertinere, quæ ſperat, niſi & hoc credat, & ſperet, quod ſibi petenti donari poſsit, vt amet.

Hæc caritas non ſolum eſt interna, & vt Theologi loquuntur, habitualis iuſtitia, & gratia ſanctificans, vt ſatis clarè demonſtratum eſt, quicquid enim illi gratiæ aſsignant, hoc caritati Scriptura *tribuit, vt quæ & eſſe diuinum, & operationem diuinam communicat, quæ caritas & eius actio etſi proximè inſint in voluntate, anima denominari poteſt habens eſſe diuinum. Sed etiam in caritatis actibus operoſa conſiſtit iuſtitia, de qua* Salu*ator ait Matth. 6. v.1.* Attendite ne iuſtitiam veſtrā faciatis coram hominib. vt videamini ab illis. *Monet Dominus, ne idcirco rectè in hominū conſpectu agamus, vt nos laudemur, ſed laudetur Deus, cuius gratia bene viuimus. Quam ac̃tuoſam iuſtitiā* Dominus *in eleemoſyna, precatione & ieiunio conſtituit. In peccati deuitatione, & virtutis exercitatione tanquam in cardine omnis Chriſtiana iuſtitia vertitur. S. Hiero. epi. 14. ad Celantiam, aut potius B. Paulinus Nolanus Epiſc. c.1.* Duo ſunt, *ait*, genera mandatorum, in quibus clauditur tota iuſtitia, prohibendi vnum eſt, iubendi alterum. Vt n. mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otiū imperatur, hic ſtudiū: Ibi coercetur animus, hic incitatur: hic feciſſe, hic non feciſſe culpabile eſt. Vnde & Propheta dicit Pſ. 36. v. 27. Declina à malo, & fac bonū. Et Apoſt. Rom. 12. v. 9. Odientes malū, adhærentes bono. Et Dominus Iſa. 1. v. 16. Quieſcite agere peruerſe, diſcite bene facere. Pſ. 96. v. 10. Qui diligitis Dominū, odite malū. Hamos 5. v. 15. Odite ma-

te malum, & diligite bonũ. Et nõne facit caritas, vt nequitiã deteſtemur, probitatemq; ſectemur? *Profecto ita docet* S. *Aug. præf. in Pſ.* 31. Dilectio, *inqt*, vacare non poteſt, niſi & mali nihil operetur, & quicquid boni poteſt, operetut. Quid n. facit dilectio? declina à malo, & fac bonũ. Pſ. 36. Nonne & hoc docet S. Paulus Rom. 13. v. 10. dilectio ꝓximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis dilectio. Nunquid caritas permittit aliquid mali facere ei, quẽ diligis? Nunquid caritas permittit te non præſtare, quicquid potes ei, quem diligis? Nõne & hoc ipſum docet Chriſtus Dominus, vt ex caritate nulli obſimus, proſimus omnibus. Nonne & ſui militis teſſerã, & ſui affectatoris notã eſſe voluit caritatem? Mandatũ ait Ioan. 13. v. 34. 35. nouũ do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicẽ. In hoc cognoſcent omnes: quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem?

Hæc caritas inter Dei, & cœleſtis regni, ac diaboli & gehennæ filios maxima eſt diſtantia, ac proinde præſentis gratiæ, & futuræ gloriæ argumentum. S. *Aug. lib.* 15. *de Trinit. c.* 18. Caritate, *ait*, nullum Dei donum excellentius. Solum eſt, quod diuidit inter filios regni, & filios perditionis æternæ. *Et tract.* 5. *in* 1. S. *Ioannis epiſtolam*: Dilectio ſola diſcernit, inter filios Dei, & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti: reſpondeãt omnes Amen: cantent omnes Alleluia: baptizentur omnes, intrent omnes Eccleſias, faciant parietes baſilicarum, non diſcernuntur filij Dei, à filiis diaboli niſi caritate.

Hæc caritas procreatrix eſt, & virtutũ omniũ cõſeruatrix, partim eliciendo, partim imperando: quẽadmodũ docet Apoſt. 1. *Cor.* 13. *v.* 4. 5. 6. 7. Caritas patiens eſt, benigna eſt: *Quæ verba explanaturus ho.* 33. *in* 1. *Cor.*

S. Chryſoſtomus: Formam, *inquit*, & decus caritatis inæſtimabile depingit, partibus virtutis velut coloribus quibuſdam huius imaginem illuſtrans, omnia inter ſe membra miro ſtudio cōponens. *Obſecro autem Lector, ne iſta prætereuehare legens, ſed ſingula excutias accuratè, vt & opes caritatis immenſas, & induſtriam pictoris admirandam cernas. Apoſtoli ſententiam ex S. Greg. lib.* 10. *Mor. cap.* 8. *breuiter explanemus.* 1. Patiens eſt caritas: quia illata mala æquanimiter tolerat. 2. Benigna verò eſt: quia pro malis bona largiter miniſtrat. 3. Non æmulatur, quia per hoc, quod in præſenti mundo nil appetit inuidere terrenis ſucceſsibus neſcit. 4. Non inflatur: quia cum præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. 5. Non agit perperam: quia quo ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. 6. Non eſt ambitioſa: quia quo ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. 7. Non quærit, quæ ſua ſunt: quia cuncta quæ hic tranſitoriè poſsidet, velut aliena negligit: cum nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit. 8. Non irritatur: quia & iniuriis laceſsita, ad nullos ſeultionis ſuæ motus excitat, cum pro magnis laboribus, maiora pòſt præmia exſpectet. 9. Non cogitat malum: quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dū omne odium radicitus eruit, verſare in animo, quod inquinet, neſcit. 10. Nō gaudet ſuper iniquitate: quia quo ſola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione aduerſantiū exultat. 11. Cōgaudet autē veritati, vt ſe cæteros diligens, per hoc quod rectū in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit. 12. Omnia ſuffert: Nihil recuſat pati aduerſitatis, ſpe cœ-

ſpe cœleſtis præmij. 13. Omnia credit. Non opinatur alium doloſè loqui. 14. Omnia ſperat, quod ſemper dilectum ad melius poſſit prouehere. 15. Omnia ſuſtinet, ſi fruſtretur ſpe eius quod ſperauit forti fert animo. 16. Caritas nunquam excidit cæteris deficientibus ipſa ſemper manet etiam in futura vita. *Hic vni Caritati Apoſtolus attribuit patientiam, benignitatem, beneuolentiam, prudentiam, peruerſitatis fugam, modeſtiam, honoris deſpicientiam, neglectis ſuis commodis, ſtudium proximi vtilitates procurandi, manſuetudinē, ſimplicitatem, ſinceritatem, de alienis malis commiſerationem, lætitiam de veritatis & ſanctitatis incremēto, fortitudinem, ſpem, tolerantiam, perpetuitatem. Hæc caritatis ſumma præſtantia, & vtilitas, quod per eam omnia virtutis opera impleantur. Quod rurſum demonſtrat Apoſtolus ad Gal.5.v.22. vbi inter Spiritus fructus primo ponit loco caritatem vtpote ex qua pullulent & germinent reliqui.* Fructus, *inquit*, Spiritus eſt caritas, gaudium, pax &c. *S. Auguſt. tract. 87. in Ioannem.* Poſuit nos Chriſtus, *ait*, vt fructum afferamus, hoc eſt, inuicem diligamus, quem fructum ſine illo afferre non poſſumus, ſicut palmites facere ſine vite nihil poſſunt. Caritas ergo eſt fructus noſter. Vnde & Apoſtolus Paulus cum contra opera carnis commendare fructū Spiritus vellet: Fructus, inquit Spiritus caritas eſt; ac deinde cætera, tanquam ex iſto capite exorta, & relegata contexuit: quæ ſunt gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas. 1. Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit, vnde gaudet? 2. Quis pacem veram niſi cum illo poteſt habere, quem veraciter diligit? 3. Quis eſt longanimis in bono opere perſeueranter manēdo, niſi ferueat diligendo? 4. Quis eſt benignus niſi

diligat, cui opitulatur? 5. Quis bonus niſi diligẽdo efficiatur? 6. Quis ſalubriter fidelis niſi ea fide quæ per dilectionẽ operatur? 7. Quis vtiliter manſuetus, cui nõ dilectio moderetur? 8. Quis ab eo continet vnde turpatur niſi diligat vnde honeſtatur? Merito itaque magiſter bonus dilectionem ſic ſæpe commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non poteſt haberi ſine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. *Et S. Hier. in cap. 5. Galaticæ epiſtolæ.* Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, niſi caritas? ſine qua virtutes cæteræ non reputantur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur vniuerſa, quæ bona ſunt? *Apta ſimilitudine idipſum explicat S. Greg. hom. 27. in Euang.* Vt multi, *inquit*, arboris rami, ex vna radice prodeunt: ſic multæ virtutes ex vna radice generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice caritatis. *Hanc caritatem omnium virtutum effectricem in ſanctis copioſe oſtendit idem B. Greg. l. 10. Mor. c. 7.*

Hæc Caritas eſt Chriſtiani hominis abſolutio & perfectio, & quanto ille caritate flagrantior, tanto & omnimoda virtute ornatior. Apoſtolus cum multas alias memoraſſet virtutes ad Coll. 3. v. 12. 13. *ſubiungit* v. 14. Super omnia hæc caritatẽ habete, quod eſt vinculum perfectionis. *S. Chryſ. hom. 8. in hanc epiſtolam & ſententiam interpretatur, quod caritas ſit vinculum perfectionis: quia colligat continetque in homine omnes virtutes, atque ita eum perfectum reddit. Verba illius ſunt.* Quod vero dicere vult Apoſtolus, hoc eſt, Nihil illa *(virtutes aliæ)* proderunt, peribunt enim omnia, niſi cum caritate coniuncta fuerint: iſta conſtringit, & complectitur omnia.

Quod-

Quodcunque bonum dixeris, niſi adſit caritas, nihil eſt, ſed plane diffluit. Et quemadmodum in naui etiamſi magna ſint inſtrumenta, niſi fuerint ſubligacula, nihil proderunt. Et in domo niſi ſint colligationes & contignationes, & in corpore etiamſi magna ſint oſſa, ſi non fuerint vincula & compagines, nihil proderunt. Ita quæcunque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, niſi ſit caritas. Non dixit quæ vertex eſt, ſed quod maius eſt, quæ vinculum eſt. Neceſſarium magis eſt hoc, quam illud. Nam vertex quidem perfectionis eſt auctio & intentio, vinculum vero conſeruatio eorum eſt, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix quædam. *Eſt & alia ratio cur Caritas ſit nexus quidam perfectionis, nimirum hæc: Perfectio cuiuſque rei eſt arctiſſima cum vltimo ſuo fine coniunctio; Finis autem hominis Deus eſt, quo cum illum intimè copulat, & innectit Caritas.* Nam Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4. v. 16. *In quã ſententiam S. Aug. tract. 8. in 1. ep. S. Ioannis.* Viciſſim ſe habitant, qui continet, & qui continetur. Habitas in Deo, ſed vt continearis, habitat in te Deus ſed vt te contineat, ne cadas. *Et ibidem.* Incipe diligere, perficieris, cœpiſti diligere, cœpit in te Deus habitare, ama eum, qui te cœpit habitare vt perfectius inhabitando faciat te perfectum. *Et tract. 9.* Interroga quantum in caritate perfeceris, & quid tibi reſpondeat cor tuum: vt noueris menſuram profectus tui. *Ergo ſententia S. Auguſtini: Inchoata caritas, inchoata perfectio eſt, prouecta caritas, prouecta perfectio eſt, abſoluta caritas, abſoluta perfectio eſt. Denique vt ait ſerm. 20. de verbis Apoſtoli l. 1.* Domus Dei (*quæ ſumus nos*) credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.

Hæc Caritas ingens eſt & indeficiens theſaurus, poſſeſſorem ſuum cunctarum virtutum, & bonorum affluentibus copiis ditans. Ad quam locupletem & locupletatricem caritatem, vnumquemque noſtrum exhortans Chriſtus Dominus, Apoc.3.v.18. Suadeo, *inquit*, tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias. *Caritas aurum eſt 1. quia vt aurum cæteris metallis, ita caritas omnibus præſtat virtutibus 2. vt aurum, lignum, lapides, ferrum, argentum dum deaurantur, ornat, ita omnia opera caritas. 3. vt pauperrimi ſi auro abundent, ditiſſimi fiunt; ita & qui caritatis abundantia præſtant ſpiritalium, & cœleſtium bonorum copiis circumfluunt, quæ tria ſatis ſuperque hoc ipſo capite demonſtrata ſunt. Eſt autem caritas aurum ignitum 1. quia vt ignis viua, actuoſa, efficax, & ſemper operans eſt. 2. cum igne eam comparauit Salomon Cant.8.v.6.7.* Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. 3. *Hic ignis quē Chriſtus Dominus* venit mittere in terram, *cumque voluit vehementer accendi Lucæ 12.v.49. Quæ de cauſſa & in linguis igneis apparuit Spiritus ſanctus Act.2.v.3. qui nos caritatis igne inflammat.*

Eſt & probatum ac puriſſimum aurum Caritas; vt nihil habeat admixtum terrenæ cupiditatis, nam ſi quis diligit mundum, non eſt caritas patris in eo. *1.Ioan.2.v.16.* Puram *ait S.Baſil.l.de vera virginitate* non vllius affectionis labe inquinatam oportet eſſe caritatem. *Siquidem teſte S.Auguſt.l.10. Conf.c.29.* Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. *Sic ergo amandus Deus vt præ ipſo contemnantur omnia. qualis erat amor Dauidis Pſal.72,v,25.* Quid, *ait*, mihi eſt

in

in cœlo,& à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Hoc aurum oportet emere à Chriſto. Quo numo? Terrenarum voluptatum diſpendio, pœnitentiæ labore, à iucundis ſenſui rebus abſtinentia. Quo ſenſu dixit Apoſtolus Eph.5.v.16.* Redimentes tempus, *id eſt, etiam cum rerum temporalium iactura curate, vt tempus vobis ſit ad benefaciendum. Hoc caritatis aurum ditat, locupletatque hominem, eſt enim gemma cuius pretium nullæ res creatæ exæquare poſſint.* Homo negotiator, *ait S. Auguſt. tract.5. in 1. S. Ioannis epiſtolam, deſcribitur in Euangelio Matth.13.v.46.* qui inuenit vnam margaritam vendidit omnia, quæ habebat, & emit eam. Hæc eſt margarita pretioſa caritas, ſine qua nihil tibi prodeſt quodcunque habueris, quam ſi ſolam habeas ſufficit tibi. *Idem B. Auguſt. ſerm.50. de verbis Domini c.2. & 3.* Adde caritatem, *ait*, proſunt omnia; detrahe caritatem, nihil proſunt cætera. Quale bonum eſt caritas iſta, fratres? Quid pretioſius, quid luminoſius? quid firmius? quid vtilius? quid ſecurius?

Hæc Caritas eſt inexpugnabilis thorax contra dæmonem, carnem, mundum 1.Theſſ.5.v.8. Nos qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei, & caritatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam nō poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *S. Chryſ. hom.9. in 1. ad Theſſ. explanans hæc verba,* Induti thoracem fidei, & caritatis, & loco galeæ ſpem ſalutis. Fidei, *inquit*, & caritatis. Vitam hic & doctrinam innuit. Declarauit quid ſit vigilare, & ſobrium eſſe. Nempe thoracem fidei, & dilectionis habere. Non autem quamlibet fidē dicit: ſed quemadmodum thoracem, non facilè quicquam penetrat, ſed eſt occultum pectoris

ris munimentum: ita & tu fidem, & caritatem animæ tuę applicato, & nullum ex ignitis diaboli iaculis infigi poterit. Vbi enim caritatis armis animæ virtus protecta, & præmunita fuerit, omnia fruſtra, & inaniter tentabunt inſidiatores. Neque enim verſutia, neque inimicitia, neque inuidentia, neque blanditiæ, neque hypocriſis, aut aliud quicquam ad talem animam pertingere poterunt. Non ſimpliciter caritatem dixit, ſed eam, quæ ſit inſtar firmi thoracis. *Inuictum eiuſdem Caritatis robur egregie explicat S. Auguſt. in Commentario Pſalm.* 47. *verſ.* 14. Ponite corda veſtra in virtute eius. 1. *Eccleſia.* Quæ eſt, *inquit*, virtus ciuitatis huius? Qui vult intelligere virtutem huius ciuitatis, intelligat vim caritatis. Ipſa eſt virtus, quam nemo vincit. Huius ignem nulli fluctus ſæculi, nulla flumina tentationis extinguunt. De hac dictum eſt Cant. 8. verſ. 6. Valida eſt ſicut mors dilectio. Quomodo enim mors quando venit, reſiſti ei non poteſt quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potes: quia mortalis natus es, ſic contra violentiam caritatis mundus nil poteſt. A contrario enim ſimilitudo data eſt de morte, quomodo enim mors ad auferendum violentiſſima eſt, ſic caritas violentiſſima eſt ad ſaluandum. Per caritatem enim multi mortui ſunt ſæculo, vt viuerent Deo. Hac caritate accenſi martyres non ſimulati, non vana gloria ventilati, non tales de quibus dictum eſt 1. Cor. 13. v. 3. Si tradidero corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habeam nihil mihi prodeſt, ſed tales quos verè Chriſti & veritatis caritas perduceret ad paſſionem. Quid eis fecerunt tenta-

tentationes ſæuientium? Maiorem violentiam habuerunt oculi flentium ſuorum, quam perſecutiones inſectantium. Quam multos enim tenebant filij ne paterentur? quam multorum genibus prouoluebantur vxores, ne viduæ relinquerentur? Quam multos parentes filij prohibebant mori ſicut nouimus & legimus in paſſione beatæ Perpetuæ. Facta ſunt iſta. Sed lachrymæ quantolibet impetu fluerent, quomodo ardorem caritatis extinguerent?

Hæc caritas iuſtis laborum, ſuſceptaque & exantlatæ virtutis merces. vt docet B. Auguſt. ſerm. 53. de Tempore. Cum, *ait*, fidem rectam, & ſpem firmam vobis, fratres, perſuademus, hoc maxime hortamur, vt caritatem in vobis habere, & opere oſtendere per omnia ſatagatis. Hæc omnium arx eſt virtutum, hæc promiſſio regni, hæc præmium ſummum eſt ſanctorum in cœlo: quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent ſancti perfecto amore Dei. Quem quia præſentem vident, ſuauius diligunt & dulcius fruuntur ipſo bono. *Ita & perpetuus B. Auguſtini ſectator S. Proſper Regienſis Epiſcopus lib. 3. de vita contemplatiua cap. 13.* Caritas, *inquit*, eſt recta voluntas, iuncta Deo inſeparabiliter, igne quodam Sancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem refertur incenſa, affectionum omnium potentiſſima diuinæ contemplationis auida, in omnibus ſemper inuicta, ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnātium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſſa meritorum bonorum præmium perfectorū. *Et ſanè cum vltimus finis ſiue ſummū bonū ſit obiectum voluntatis, cuius omne explet deſi-*

deſiderium, & amore nunc potiſſimum ad Deum tendamus, eique intimè copulemur, profectò aut æque potius, beatitudo in amore voluntatis, quam in viſione intellectus ponenda eſt, quamuis vtraque actio ad integram felicitatem ſit perneceſſaria. Ex amore autem naſcitur gaudium illud, quod ſæpe nobis commendat ſcriptura. Pſal. 15. *v.* 10. Delectationes in dextera tua, vſque in finem, Pſal. 35. v. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Pſal. 86. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Sicut lætantium omnium habitatio eſt, in te. Omnes lætantur in lætitia, & exultatione, omnes lætantur in Deo, cuius aſpectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis eſt ad videndum, ſuauis ad habendum, dulcis ad perfruendum. *ait S. Bern. in Medit. cap.* 4. *Iſa.* 35. *v.* 10. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. *Et cap.* 51. *v.* 3: *loquens de cœleſti Ieruſalem.* Gaudium, *inquit,* & lætitia, inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis: *& cap.* 65. *v.* 17. 18. *Matth.* 25. *v.* 21. *&* 23. Euge, ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Intra in gaudium ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam, vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum,* vbi erit, quicquid voles, & non erit quicquid noles, *ait S. Aug. in ſoliloq. c.* 21. *Ioannis.* 16. *verſ.* 22. Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum, nemo tollet à vobis. Ecce gaudium in fine, ſed ſine fine. Quis, *inquit S. Chryſ. epiſt.* 5. *ad Theodorum lapſum,* vel declinabit voluptatem, quæ ex conuictu Chriſti extabit, aut vtilitatem, aut gaudium? Etenim anima non ſolum læta, bonis præſentibus, ſed ſecura tutaque erit, quod tanta gaudiorum ſemina nequaquam

quam deſitura ſint. *V. Beda ſerm.* 18. *de Sanctis.* Quæ erit, fratres cariſſimi, *inquit*, illa iuſtorum gloria, quam magna ſanctorum lætitia, cum vnaquæque facies lucebit, vt ſol. *Matth.* 13. *verſ.* 43. cum ordinibus diſtinctis populum ſuum Dominus in regno Patris ſui cœperit recenſere, & meritis atque operibus ſingulorum præmia reſtituere, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare, adducere ſanctos in viſionem paternæ gloriæ, & facere in cœleſtibus conſedere, vt ſit Deus omnia in omnibus, æternitatemque ſuis amatoribus, & immortalitatem largiri, ad quam eos ſanguinis ſui viuificatione reparauit, denuo ad paradiſum reducere & regna cœlorum in fide, & veritate ſuæ pollicitationis aperire?

Vt te ſanctiſſime Spiritus, nihil melius; quia Deus es noſter, ita caritatis dono tuo nihil præſtantius qua dij quidam efficimur, da vt te vna cum Patre, & Filio, toto corde, tota anima, & tota fortitudine noſtra, nunc & æternum diligamus, & diuinitatis tuæ, pro modulo noſtro, conſortes efficiamur.

* * *

LI CAP.

Capvt XXXVIII.

ENCOMIA ET EFFE-ẞa S. Spiritus.

NOn poſſum committere, quin ex S. Ioanne Chryſ. hic laudes & beneficia S. Spiritus transſcribam, quæ ille ſerm. in Pẽtecoſte commemorat: & vel adamantinum pectus ad pietatẽ emollire poſſunt. Sed illum audiamus: Spiritus, *inquit*, ſanctus fuit ſemper, & eſt, & erit, neque incipit neque deſinet, ſed ſemper Patri *(& Filio)* conſubſtantialiter familiaris & connumeratus. Vita natura viuens, & viuentium viuificator, lux de luce, & lucis ſuppeditator, per ſe bonus., & fons bonitatis, per ſe Dominus, ſui iuris, Deus de Deo deificans, virtus omnipotens, etiam infirmis virtutem concedens, superſubſtantialis ex ſubſtantia ſuperſubſtantiali, etiam alijs quæ ſunt ſuam eſſentiam. donans. Spiritus ſanctus, Spiritus abſque natura, abſque rege, abſque ſenio, abſque ſucceſſore, indiſſolubilis, ſupra omnem captum & contemplationem, incõmutabilis, impollutus, Spiritus ſanctus quem nemo interpretari poteſt, imperueſtigabilis, imperſcrutabilis, impartibilis, incircumſcriptus abſque fluxu, abſque ſorde, abſque confuſione, non imaginabilis, incomprehenſibilis Spiritus ſanctus, non Spiritus ventorum, non Spiritus angelicus, non Spiritus corporalis, non Spiritus aëreus: ſed Spiritus opifex, Spiritus perſonam in deitate habens, Spiritus ſapientiæ, intellectus & exultationis, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & agnitionis, Spiritus timoris & exultationis. Spiritus ſanctus, Spiritus pacis

& fidei, Spiritus gratiæ & intelligentiæ, Spiritus libertatis & manſuetudinis, Spiritus ſalutis & illuſtrationis. Spiritus ſanctus ipſe noſtræ imaginis eſt reformatio, mentis perfectio, animæ inſtauratio. Spiritus ſanctus auctor eſt fidei in Deum, ſpiritalis mentalium oculorum noſtrorum ſol; interni hominis noſtri lumen, lucifer in pectoris cœlo. Spiritus ſanctus ipſe opulentia filiorum Dei, ipſe æternorum bonorum theſaurus, ipſe arrhabon & pignus æterni regni, ipſe ſignaculum gratiæ baptiſmi. Spiritus ſanctus ipſe fidem facit, quod nos à Deo in filios adoptati ſimus Rom. 8. v. 16. ipſe corda noſtra Chriſto cõglutinat. Spiritus ipſe cibus eſt diligentiũ Chriſtum, quo nunquam ſatiantur; ipſe potus eſt animarum filiorum Dei, ipſe caritas eorum, qui ſibi coniuncti ſunt. Spiritus ſanctus copula eſt vnionis noſtræ in Chriſto, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis, fons rorulentus. Spiritus ſanctus lugentium conſolatio, mœſtitudinis depoſitio, mentis requies, ſapientiæ communicatio, prudentiæ inuentio, præſcientiæ illuſtratio. Hoc Prophetæ illuſtrantur, hoc idiotæ ſapientia condiuntur. Spiritu ſancto reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, doctores declarantur, Eccleſiæ ſanctificantur, altaria fundantur, vnguentum conſecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur, morbi curantur. Hic Spiritus vocatur ſanctus, Dominus, viuificator, conſolator, & tam eſt, quam dicitur Deus. paraclet⁹: hoc eſt, inhortator. Inhortatur enim ſemper ad bonum corda fidelium, inhortatur animam, vt ſe Deo vniat, inhortatur mentem vt à malis deſiſtat. Mirum, inhortatur, & obſecrat Deus mortalem, obſecrat Deus lutum, obſecrat creator creaturam,

obſecrat Dominus ſeruum, idque intrinſecus in anima & alios quidē alloquitur amicè vt filios, alios vt fratres, alios vt amicos compellat, inſtigat, ad ſe attrahit, ineffabili & mentali caritate cor exhilarat, edulcat, calefacit, à terrenis transfert, & ad cœleſtia vocat, redire facit animam, & ad Deum tranſire, & volare, vrget mentem, diuino accendit deſiderio, docens vt bona quæ illic ſunt cogitemus, quæ illic ſunt, imaginemur, quæ illic ſunt, ſomniemus, quæ illic ſunt, inquiramus, animo verſemus exercitus, qui illic ſunt, gloriam quæ illic eſt, choreas quæ illiç ſunt, ſupernas manſiones & tabernacula, ciuitatem, quæ illic eſt, hæreditatis poſſeſſionem, inceſſabiles hymnorum concentus, fontes immortalitatis, quæ illic, dulcem & inacceſſam lucem, theſauros æternorum bonorum, feſta quæ illic ſunt, æterna ſolennium ſolennia, thalamos ſponſarum Dei, qui illic, inextinguibiles lampades, immarceſſibiles coronas, delitias citra faſtidium, gaudium perenne, vitam æternam, regionem vberrimam, ciuitatem virtutum, patriam abſque turbatione, portum abſq; tempeſtate, ad quem ſemper Spiritus aduocatus vocat, & obſecrat animam ad imaginem ſuam factam, & oſtendit ei intrinſecus quaſi in ſpeculo, cum ineffabili gaudio futurum æternum gaudiū, adhortaturq; eam, & dicit: veni ad patrem, veni ad ſupernam patriā, veni ad ſupernum regnum, veni ad incorruptibilem ſponſi thalamū. Si quis verè fidelis inter vos, agnouit omnino quæ dicta ſunt, ſi quis ex vobis Chriſtum diligit, & habet Spiritum ſanctum. Illæ enim & ſimiles ſunt admonitiones & exhortationes conſolatoris Spiritus ſancti, in cordibus fidelium, tales ſunt & his magis myſticæ,

cæ,quas ſolas ſciunt,qui illum inhabitatorẽ habent.Ita ſancti Spiritus conſolatione accenſi ſimul, & alati, corroboratiq; in populo Chriſti, viri,ac mulieres,ſaucijs diuino amore animabꝰ mortẽ contempſerunt,naturam carnis vicerũt, tyrannidem voluptatum conculcarunt, flãmas concupiſcentiarũ extinxerunt. Iſta S. ſancti exhortatione incitati,omnia quæ ſuper terrã quaſi ſomnia contempſerunt, pecunias,negotiationes,poſſeſſiones,veſtes,ædes,patres, matres, filios cognationes,generis nobilitatem. Perſuaſit n.eis S.ſancti operatio,cum dicit Hebr. 13.v.14. Non habemus hic manentẽ ciuitatem, ſed cœleſtem inquirimus Ieruſalem. Hoſpites & peregrini ſumus nos in hoc ſæculo Hebr.11.v.13.Nõ habemus ſuper terram Patrem.Matt.23.v.9.ſed ad cœleſtẽ imus Patrem, deſiderantes diſſolui, & eſſe cum eo.Philip.1.verſ.23.deſiderantes per mortem,ad immortalitatem tranſire, illum ſitientes,ſicut ceruus ad fontes aquarum Pſ. 41.v. 1.illum deſiderantes,illum concupiſcentes, qui nos dilexit,qui in noſtris animabus manſionem fecit.Ioan.14.v.23. qui dignatus eſt cum pauperibus & peregrinis, & peccatoribus cõmunionem habere,qui in infirma noſtra carne habitauit,qui S.ſanctum nobis dimiſit,& filios nos Dei & hæredes fecit.Demiſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem Abba Pater. Gal.4. v.6. Hoc donum eſt,quod nobis ſolis Deus dedit,qui in Chriſtum credimus. Hic eſt theſaurus noſter de quo Paulus dicit 2. Cor. 4. v.7. ꝙ habemus theſaurũ hũc abſconditũ in fictilibus vaſis,luteis noſtris corporibus.Hoc eſt granum ſinapis, quod Chriſtus in terra cordis noſtri ſeminauit & occultauit.Matth. 13.v.31. Hic S.Spiritus in nobis theſaurus eſt, & pretioſiſſimum

Margaritum.Matth.13.v.45. Hic eſt ignis ſanctiſſimus,de quo dicit Chriſtus Luc.12.v.49. Ignem veni mittere ſuper terrã, & volui videre ſi iam accenſus ſit.Hic in nobis S.Sanctus regnũ cœlorum eſt,de quo dicit Chriſtus,Luc.17.v.21. Regnum Dei intra vos eſt.Chriſtus intus,S.ſanctus intus, Pater intus: quæ oculus non vidit,& quæ aures non audierunt, etiam ipſa intus. Et quomodo conſequenter omnis Chriſtianorum munda mens, non comprobatur purum cœlũ, imo etiam ipſo cœlo pretioſior?

Deus,cui omne cor patet,& omnis volũtas loquitur, purifica per infuſionem ſancti Spiritus,cogitationes cordis noſtri,vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXXIX.

DE S. SPIRITVS, ET EIVS gratiæ neceſſitate.

NEceſſitas huius ſanctiſſimi Spiritus talis tantaque eſt,vt fruſtra nos Pater creauerit,fruſtra tot laboribus,ærumnis, & cruciatibus nos Dei filius redemerit, niſi diuinus iſte Spiritus nos ſanctificauerit, ſuaque gratia,& cœleſtibus donis inhabitauerit, vnico id verbo expreſſit Apoſtolus,cum ait Rom.8.verſ.9. Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.*Id eſt, cui illa Spiritus ſancti gratia diuinitus non eſt conceſſa,vt codẽ ac Chriſtus Liberator noſter ſtudio, ſimilique voluntate in humilitatem, obedientiam,caſtimoniam,caducarum rerum deſpicientiam, lenitatẽ, miſericordiam,pietatem &c. inflammatus ſit, hic viuum eius membrum non eſt,nec eius Spiritu vegetatur. Atque vt cum Chriſto Domino caritatis, & officiorũ illi modo non eſt communio;ita nec cum eo erit ipſis ſocietas*

gloriæ

gloria, & felicitatis ſempiternæ: ſine Spiritu ſiquidẽ adoptionis filiorum Dei, non eſt ſperanda hæreditas æterni Patris, hæc n. gratia nobis ius beatitudinis attribuit. nã ſeruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum *Ioan.* 8. *v.* 35.

S. Greg. hom. 24. *in Euang.* Cur, *inquit*, cum ſeptẽ diſcipulis vltimum conuiuium celebrat Dñs Ioan. 21. v. 2. & 12. niſi quod eos tantummodo, qui ſeptiformi gratia ſancti S. pleni ſunt, futuros ſecum in æterna refectione denunciat? Meméto te quid de eodem Spiritu Paulus dicat: Si quis Spiritũ Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Quaſi quidam titulus diuinæ poſſeſſionis eſt iſte Spiritus amoris. Nunquid nã Spiritũ Chriſti habet is, cuius mentẽ odia diſſipant, elatio inflat, ira vſq; ad diuiſionẽ mentis exaſperat, auaritia excæcat, luxuria eneruat. Pẽſate quis ſit Spiritus Chriſti. Profecto ille, qui facit amicos, & inimicos diligi, terrena deſpici, pro cœleſtibus æſtuari, carnẽ propter vitia conteri, mentem à concupiſcẽtijs frænari. Si ergo vultis vos cognoſcere poſſeſſiones Dei, perſonam perpendite poſſeſſoris veſtri. Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de diuinę claritatis ſpecie poſtmodũ non lætatur.

Duo ſunt vel maxime nobis ad ſalutem neceſſaria, recta intelligentia, & bona voluntas, ſiue vera fides & ſincera dilectio ſeu cœleſtium mandatorum obſeruatio ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo Heb. 11. v. 6. & qui non credit iam iudicatus eſt Ioann. 3. v. 18. ac ſi vis ait Dominus Matth. 19. ad vitam ingredi ſerua mandata, *in nobis autem ſunt duo ſalutis impedimenta maxima, nimirum horrenda quadam profunditas ignorantiæ, & vanæ cupiditatis abundantia de quibus B. Auuſtg. l.* 22. *de* Ciuit. *Dei c.* 22. Ex veritatis ignoratione omnis error exiſtit, ex

praua cupiditate omnia flagitia, & ſcelera proficiſcuntur. *Hinc Apoſtolus Epheſ.* 4. v. 17. 18. 19. Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ in illis eſt, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, tradiderunt ſemetipſos impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam, id eſt, cum auiditate, ſine vllo modo. *Ait ergo S. Paulus*: Obteſtor vos per Dominum, vt non viuatis quemadmodum gentes, quæ, quicquid illis peruerſa mens ſuggerit, faciunt. *Verſantur enim in denſiſſimis ignorantiæ tenebris, & alieni ſunt à vita, quæ ſecundum Dei præcepta eſt inſtituenda, id autem accidit, quia ignorant illum, qui huic malo mederi poſſit, quæ ignoratio ipſorum vel maximè accuſabilis eſt, idcirco quod ex affectu indurato, & obſtinata voluntate proficiſcatur, qui non credentes & deſperantes aliam vitam, & animæ immortalitatem ad omnes impuritates immoderatiſſimè ſuſcipiendas ſe proſtrauerunt. Vtrique morbo ignorantiæ, & cupiditatis medicinam facit Spiritus Sanctus. Inſcitiam pellit fide, ipſe enim eſt Spiritus fidei*, 2. Cor. 4. v. 13. *pellit & ſuis donis intellectu; ſapientia, ſcientia, conſilio. Libidines, cupiditateſque frænat, & coërcet Spiritus Sanctus caritate & fructibus ſpiritus, donis fortitudinis, pietatis, ac timoris* Domini. *Hanc ſuam ignorantiam cum probè cognoſceret ſapientiſſimus Salomon, hunc in modum* Deum *deprecabatur, Sap.* 9. v. 16. 17. Et difficile æſtimamus (*vix coniectura aſſequimur*) quæ ſunt in terra, & quæ in proſpectu ſunt (*inter manus verſantur*) inuenimus cum labore: quæ in cœlis ſunt autem, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum (*cõſilium, voluntatem*) quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuũ de altiſsimis?

Quod

Quod idem & aſſirmat Apoſtolus 2.*Cor*.2.*v*.10. Nobis reuelauit Deus per Spiritum ſuum. *& v*.12. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.

Hanc S. Spiritus eiuſque diuinæ opis, & gratiæ neceſſitatem optimè declarat S. Aug. epiſt. 105. *ad Sixtum*: Sicut nemo, *ait*, rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudiue præualet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum ſapientiæ, & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei: Iſai.11.v.2. nec habet quis virtutem veram, caritatem ſinceram, cõtinentiam religioſam, niſi per Spiritum virtutis, & caritatis, & continentiæ. 2.Tim.1.v.7. ita ſine ſpiritu fidei, 2. Cor.4.v.10. non eſt quiſpiam rectè crediturus, nec ſine ſpiritu orationis, Zachar.12.v.10. Rom.8. v. 26. ſalubriter oraturus. Non quia tot ſunt ſpiritus, ſed omnia hæc operatur vnus, atq; idem Spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult, 1.Cor.12.v. 11. quia ſpiritus vbi vult, ſpirat, Ioan.3.v. 8. Sic ergo ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram, Rom. 8.v.26. meritoque precatur Apoſtolus Epheſ.3.v.14. Huius, ait, rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriç ſuæ, virtute corroborari, per ſpiritum eius in interiori homine, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in caritate radicati, & fundati.

*Eiuſdem ſanctiſſimi Spiritus auxilia & beneficia magnificè prædicat B. Leo ſermon.*1.*de Pentecoſte*. Nec vnquam, *ait*, peruenit ad indulgentiæ remediũ, qui patrocinaturum ſibi, non habet aduocatum

Spiritum ſanctum. Ab ipſo enim eſt inuocatio Patris, ab ipſo ſunt lachrymę pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium. Exultemus in honorem ſancti Spiritus, per quē omnis Eccleſia Catholica ſanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inſpirator fidei, doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius eſt cauſa virtutis. Gaudeant fideliū mentes, quod in toto mundo vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, omnium confeſsione linguarum laudatur.

Melchiades Pontifex & Martyr epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos eandem Spiritus ſancti gratiæ neceſſitatem ob oculos proponit his verbis: Per Spiritum ſanctum illuminamur, ędificamur, erudimur, inſtruimur, conſummamur. De Spiritu ſancto accipimus, vt ſpiritales efficiamur; quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. De Spiritu ſancto accipimus, vt ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, iuſta diligere, iniuſta reſpuere, vt malitię ac ſuperbiæ repugnemus, vt luxuriæ & diuerſis illecebris, & fœdis indigniſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu ſancto accipimus vitæ amorem, & gloriæ ardorem, vt ſuccenſi diuinitùs erigere à terrenis mentem ad ſuperna & diuina valeamus.

Sicut ex corpore viuo & mortuo cognoſcitur, quantopere ſit corpori neceſſarius animus: ſiquidem anima præſente corpus viuit, mouetur, creſcit, audit, videt, guſtat, tangit, loquitur, natiuam retinet pulchritudinē, quæ omnia in cadauere ſunt contraria, in eo enim nulla eſt vita, nullus motus, nullus ſenſus, ſed magna deformitas, putredo, ſanies: ita ex homine carnali & ſpiritali, ex iuſto & impio perſpicitur, quam neceſſarius homini ſit

niſit Spiritus Sanctus, qui eſt vita animæ, ſic anima corporis vita.

Et qualis quæſo tandem eſt homo improbus? Quam hic infœlix ſit, inde cognoſcitur, quod quem deſerit Spiritus ſanctus, inuadat impurus ſpiritus, 1. Reg. 16. v. 14. Spiritus Domini receſsit à Saul, & exagitabat eũ ſpiritus nequam, à Domino: *Luc. 11. v. 25. Matt. 12. v. 44. in domum, Spiritus ſancti gratia vacantem, & deſtitutam, diabolus cum ſeptem ſe nequioribus ſpiritibus ingreditur. Omnis hominis anima, aut eſt ſancti Spiritus templum, aut ſpelũca impuriſsimi ſpiritus, qui tunc hominem in ſexcenta impellit flagitia. Quale cor impij?* Machinatur cogitationes peſsimas, *Prouer. 6. ver. 18. meditatur falſos honores, vſuram, vindictam, impuras voluptates, fraudes, iniurias, & id genus innumera ſcelera. Ezec. 8. v. 8. mandauit* Dominus in *viſione Prophetæ, vt foderet parietem, quem cum fodiſſet, apparuit oſtium, mandauitque Deus, vt ingrederetur, & videret ibi abominationes peſſimas.* Et ingreſſus, *ait,* vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete per circuitum. *Ita certè ſi in impio perfodere poſſemus corporis parietem, & intrare ianuam cordis ipſius, conſpiceremus ibi depictas turpiſſimas omnium ſcelerum imagines, feras, & beſtias, ambitionem, auaritiam, luxuriam, odium, &c. Dicuntur autem abominationes, cogitationes malæ, Prouerb. 15. v. 28.*

Lingua verò ipſius impij qualis eſt? Mendax, impudica, murmurans, obtrectans, ſeditioſa, procax, &c. Et vt ait S. Iacob. c. 3. v. 6. inflammata à gehenna, *i. à diabolo gehennam ſecum ſemper ferente.* Sepulchrum patens (*ex quo nil niſi fœtor exhalat*) eſt guttur eorum, *ait Dauid Pſ. 13.* linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorũ: *quod data occaſione euomunt, alios inficiunt & perdunt.*

Et qua-

Et qualia eorum facta, Iſa.59.v.7. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant; vt effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorũ, cogitationes inutiles, vaſtitas & contritio in viis eorum. *Et vnde hæc mala homini ſcelerato, niſi quia Spiritu Sancto, eiuſque gratia orbatus eſt?*

Econtrario, ſi eiuſmodi nefariis hominibus meditandum ſit, de æterna beatitudine, de vita, & cruciatibus Saluatoris, de Dei beneficiis, de virtutum pulchritudine, de peccatoris miſeriis, & ſimilibus piis rebus, cor eorum ita ſterile, aridum, & exſiccatum eſt, vt nec vnam queat ſalutiferam parere cogitationem. Si de iiſdem loquendum, piſce mutiores ſunt, & ad ſecundum verbum veluti ſalebras adhæreſcunt. Si opus bonum perficiendum mille moleſtias ſentiunt & difficultates. Et quid cauſa, cur ſanctas cogitationes non ſuſcipiunt impij? Quia eas non ſuggerit S. Spiritus, aut quando eas ſuggerit, ipſi Spiritui Sancto reſiſtunt. Non ſumus autem ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, *vt ait Apoſtolus 2.Cor.3.v.5. Ideo nihil boni loquuntur:* quia nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. *Idcirco bona non agunt: quia vt ait Apoſtolus Rom.8.ver.2.* lex ſpiritus vitæ non liberauit eos à lege peccati & mortis.

S. *Chryſoſt. hom.37. operis imperfecti*: Omnes, *inquit*, homines antequam peccemus, liberũ quidem habemus arbitrium, ſi volumus ſequi voluntatem diaboli, an non. Quod ſi ſemel peccãtes obligauerimus nos operibus eius, iam noſtra virtute euadere non poſſumus. Sed ſicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tẽpeſtas voluerit: ſic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito, agit, quod non vult, ſed quod diabolus vult. Et niſi Deus valida manu miſericordiæ ſuæ ſoluerit eum, vſque ad mortem in peccatorum

catorum ſuorum vinculis permanebit. Ergo noſtra quidem voluntate & negligentia alligamur, ſed per Dei miſericordiam abſoluimur. Sicut enim videmus in iſtis mundanis regnis, quomodo inprimis nemo poteſt ſeipſum creare regem, ſed populus creat ſibi regem, quem elegerit: cum rex ille fuerit factus & confirmatus in regno, iam habet poteſtatem in hominib. & non poteſt populus iugum eius de ceruice ſua depellere. Sic & homo priuſquam peccet, liberum habet arbitrium, vtrum ſub regno velit eſſe diaboli: cum autem peccando ſe tradiderit ſub regno ipſius, iam non poteſt de poteſtate ſua exire.

Hunc impotentem dæmonis dominatum ſentiunt, & perpetiuntur cum peccatores omnes, tum maximè Magi, & ſtryges, quos Tyrannus ille perditiſſimus, in quæcunque flagitia, & ſcelera vrget, & inducit. Reſipiſcant, *ait Apoſtolus* 2. *Timoth*. 2. *v*. 26. à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem.

Nunc paululum ad iuſtum mentis oculos conuertamus. Huius animus peccati timet vmbras, & ab omni ſpecie mala ſe abſtinet, 1. *Theſſ*. 5. *v*. 22. *religioſiſſimas parit cogitationes, ſanctis æſtuat deſideriis, eructat perpetuo memoriam bonitatis Dei, Pſal*. 144. *v*. 7. Quid ita? *quia ſpiritus igneus, & vehemens animæ iſtius,* totam repleuit domum, *Act*. 2. *v*. 2. *Sicut enim ignis in ferrum ingrediens facit illud lucidum, & feruens; ita Spiritus ſanctus in animam penetrans illam diuino lumine colluſtrat, cœleſti amore inflammat, & ardere facit.*

Ex ore iuſti nullus ſermo malus procedit, Epheſ. 4. *v*. 29. Sed quæcunque ſunt pudica, iuſta, ſancta, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc loquitur, *Philip*. 4. *v*. 8. *ita vt* os iuſti ſit vena vitæ, & omnis

ſermo

ſermo illius in amorem Dei, & caducarum rerum contemptum inflammet. *Vnde hoc? Quia ſpiritus veritatis, ſpiritus ſapientiæ & conſilij, in ore ipſius verſatur. Matt.* 10. *v.* 20. Non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Act.* 2. *v.* 4. Repleti ſunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. *Et quid dabat eloqui?* Audiuimus eos loquentes magnalia Dei. *Ibid. v.* 11.

Indefeſſo ſtudio & incredibili alacritate Dei mandatorum viam decurrit, Pſal. 118. *atque hic illi nullum ſcandalum, nullum offendiculum, nullum impedimentum eſt; ſed pax multa eaque ſuauiſſima & inexplicabilis iucunditas. Quæ huius rei ratio? Quia præſtat Deus quod promiſit. Ezech.* 36. *v.* 26. Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. *Sancta illa animalia Ezech.* 1. *v.* 12. illic gradiebantur, vbi erat impetus ſpiritus. *Iuſti ductum Spiritus ſancti, qui eos potenter mouet, ſequuntur:* Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei, *Rom.* 8. *v.* 14. *Sicut enim nauis paſſis velis, ventoque ſecundo, celerrimè per mare dilabitur, vt volare videatur, ita iuſti voluntatis ſinum pandentes, & ſancti Spiritus flatum excipientes, expeditiſſimè Dei voluntatem perficiunt. S. Ambr. lib.* 2. *in Lucam, explanans illud c.* 1. *v.* 36. Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione. Quo, *inquit*, iam Deo plena niſi ad ſuperiora cum feſtinatione cõtenderet? Neſcit tarda molimina, ſancti Spiritus gratia. *Et S. Greg. lib.* 1. *Expoſ. in* 1. *Reg. c.* 4. Spiritus ſanctus, *ait*, cum electorũ corda dignanter viſitat, ab omni peccatorum immunditia potenter purgat: quia vt ſe menti infuderit eam protinus in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat.

Tua

Tua nos, quæſumus, gratia, ſancte Spiritus ſemper præueniat, comitetur, & ſequatur, & bonis cogitationibus, ſermonibus & operibus iugiter præſtet eſſe intentos. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XL.

MAGNA OPVS PVRITATE, VT conſequamur Spiritum Sanctum.

PHiloſophorum dogma eſt iiſdem diſpoſitionibus & qualitatibus naturalē formam in materiam induci, & in eadem conſeruari. V.g. forma ignis per ſiccitatem, & calorem, forma aquæ per humiditatem, & frigus. Ita & gratia Spiritus ſancti iiſdem virtutibus comparatur, & in animo retinetur. Verùm antequam per ſibi conſentaneas & amicas qualitates forma introducatur, neceſſe, vt aduerſariæ & repugnātes expellantur, vt exempli gratia, frigus, & humiditas ex ligno, vt igneſcat, & flammam concipiat; ita & peccata, quæ ſola Spiritui ſancto contraria ſunt, ex animo eiicienda, vt gratiæ Spiritus ſancti capax fiat. Munditia conſcientiæ, & mentis opus puritate. Spiritus ſanctus diſciplinæ, ait Salomon Sap. 1. v. 5. effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Id eſt, Spiritus ſanctus, omnis honeſtatis, & virtutis doctor & auctor, declinat dolum, & hominem inſincerum, qui ſpeciem præ ſe fert pietatis, & virtutem eius abnegat, 2. Tim. 3. v. 5. qui duplici animo & corde eſt, Eccli. 2. v. 14. Iacob. 1. v. 8. & non ſolum ab impuris, arrogantibus, auaris, iracundis, ſed etiam ab imprudentibus & vanis ſe ſubducit cogitationibus, & propter iniquitatem quaſi improperio affectus diſcedet.

Vetuſtiſſimus & doctiſſimus auctor Origenes hom. 6. in lib.

in lib. Numerorum exponens illud cap. 11. *v.* 25. Cùm requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt. Requieſcere ſpiritum, *ait*, nòn in quibuſcunq; hominibus legimus, ſed in ſanctis, & beatis. Requieſcit enim Spiritus Dei in iis, qui mũdo ſunt corde, & in iis, qui purificant animas ſuas à peccato: ſicut ècontrario, non inhabitat in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1. v. 4. etiamſi habitauit aliquando in eo. Non enim poteſt Spiritus Sanctus conſortium pati, & ſocietatem ſpiritus mali. Certum eſt enim peccati tempore, adeſſe in corde vniuſcuiuſque ſpiritum malum, & agere partes ſuas. Cui vtique cum locus datur, & recipitur à nobis, per cogitationes malas, & concupiſcentias peſsimas contriſtatus, & (vt ita dicam) coanguſtatus fugatur de nobis Spiritus S. Propter quod & Apoſtolus ſciens hæc ita accidere monebat, dicens: Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis, in die redemptionis. Eph. 4. v. 30. Igitur peccantes contriſtamus Spiritum Sanctum, iuſtè verò agentes & ſanctè, requiem ei paramus, in nobis: Vnde & quod nunc ait de ſeptuaginta presbyteris, quia requieuit in eis Spiritus, laudem vitæ eorum, & virtutes expoſuit. Denique, quia pro puritate cordis eorum, & ſinceritate mentis, atque intelligentiæ capacitate requieuit in iis Spiritus Sanctus continuò, & operatur in eis, nec otium patitur, vbi operandi materia digna ſuppeditat. *Iſta præclarè Origenes.*

Quocirca & Dauid, cum corpus & animum S. *Spiritus habitaculum, flagitio polluiſſet, pertimeſcens, ne diuinus* Spiritus *eum derelinqueret, anxiè precabatur, Pſal.* 50. *v.* 15. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum, ne auferas à me. *Vt fumus apes, & fœtor columbas, ſic graueolens peccatum fugat*

Spiritum

Spiritum Sanctum, Ioann. 14. *v.* 17. *affirmat Liberator noſter Spiritus S. participem fieri non poſſe mundũ.* Rogabo, *inquit*, Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritũ veritatis, quem mundus nõ poteſt accipere. *Cauſa huius rei eſt, quia, vt ait S. Ioan.* 1. *ep.* 2. *v.* 15. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. *Et B. Aug. tract.* 74. *in Ioan.* Dilectio mundi contraria eſt dilectioni Dei. Quomodo mundus acciperet Spiritum Sanctum, qui totus in maligno poſitus eſt? 1. *Ioan.* 5. *v.* 19.

S. Baſil. interrogatione 204. Qua ratione aliquis dignus eſſe poſſit, vt particeps fiat Spiritus Sancti? Reſponſio: Dominus noſter Ieſus Chriſtus docuit, cum dixit Ioann. 14. v. 17. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiſcũ, Spiritum veritatis, quem mundus nõ poteſt accipere. Ex quo intelligitur, quamdiu mandata Domini non ſeruamus, neq; tales ſumus, vt de nobis ille teſtificans dicat: Vos de hoc mundo non eſtis. Ioan. 15. v. 19. nequaquam debere nos exſpectare, dum Spiritu S. digni efficiamur. *Et S. Gregor. in explanatione* 7. *Pſal. pœnit.* Nõ enim, *ait*, receptaculum Spiritus Dei quiſquam efficitur, niſi ſpiritu ſuo primitùs euacuetur.

Spiritus Sanctus maximoperè odit ea vitia, quæ in mundo ſunt, quæ S. Ioan. 1. *epiſt. c.* 2. *v.* 16. *docet eſſe* cõcupiſcentiam carnis, cõcupiſcentiam oculorũ, & ſuperbiam vitæ. *Non fert Spiritus S. carnis concupiſcentiam ſiue libidinem:* quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. *ac proinde cum tali ſua munera non communicat: quia fruſtra communicaret, Gen.* 8. *v.* 7. *coruus emiſſus ex arca non rediit, ſed hæſit in cadaueribus. Ita diabolus quouis coruo impurior, & nigrior adhæreſcit immundis,*

quos fugit Spiritus S. B. Theodoret. præfa. Comment. in Cant. Si diuini Spiritus, *ait*, fructus eſt continentia & caſtitas, vt inquit Paulus ad Gal. 5. diabolici profectò eſt incontinentia & impudicitia. *Ideo & Apoſtolus Epheſ. 4. v. 29. cum dixiſſet*: Omnis ſermo malus, ex ore veſtro non procedat: *ſubiunxit*: Nolite contriſtare Spiritum S. Dei. q. d. Ne vel vnius verbi impuritate velitis à vobis abigere Spiritum Sanctum, cui cum talibus nullum commercium, ſicut homines eos vitant, à quibus triſtitia afficiuntur.

Sed & concupiſcentia oculorum, ſiue immoderatum habendi deſiderium, & auaritia Spiritui ſancto inuiſa eſt. Ipſe enim eſt amor Dei, & benignitas. Quomodo igitur auaritiæ ſordes patiatur? Ipſe fons & ſcaturigo omnium diuinorum beneficiorum & inhumanitatem toleret? Arca teſtamenti 1. Reg. 5. v. 3. non ſuſtinebat ſecum Dagonis ſimulachrum, *nec diuinus Spiritus idolum auaritiæ.* Non poteſtis Deo ſeruire & mãmonæ, *Matth. 6. Saul Rex auaritiâ obcæcatus, contra Dei mandatum, optima quæque Amalechitarum conſeruauit, cum perdere debuiſſet, 1. Reg. 15. v. 9.* Quid igitur Spiritus Domini, *ait Scriptura 1. Reg. 16. v. 14.* receſsit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequã à Domino. *Magus ille & auarus Simon, Act. 8. v. 18. à quo Sacerdotiorum nũdinatio, ſimonia appellatur, cum magna pecuniæ vi, ius impertiendi Spiritum S. emere voluiſſet, tantum abeſt, vt homo auarus & perfidus* Spiritum S. *nummis cõparauerit, vt etiam à S. Petro audiuerit v. 20.* Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſsideri. *Quam verò auaritia iſta S. Spiritui ſit deteſtabilis, exemplo illuſtrandum, quod ex vndecimo ampliſſimi Cardinalis Cæſaris Baronij Annali, his ſuis verbis deſcripſit inſignis pietate & eruditione noſter Matthæus Raderus in ſua Aula ſancta c. 14. Victor Pontifex O. Max. ad la-*

ad lapſam Eccleſiæ diſciplinam inſtaurandam, & controuerſias minorum Pontificum componendas, legatum in Gallias vbi potiſſimum laborabat Eccleſia, miſit Hildebrandum Subdiaconum, *virum & prudentiæ, & pietatis fama celebrem, poſtea Pontifex Max. Is vbi Lugdunum peruenit, Epiſcoporum conuentum ex auctoritate Victoris indixit. Et iam compluribus Epiſcopis, præſulibus in* Concilio *conſidentibus, ſurrexêre, qui maiorem quendam antiſtitem* Simonia *peſte infamem, reũ peregerunt. Erat is cætera doctus, & diſertus. Dimiſſis in primum diem* Patribus, *Archiepiſcopus omnes accuſatores ſuos eadem nocte auro corrupit. Poſtera luce cum aliis in Concilium reuerſus ſurrexit, &: Vbi ſunt, inquit, qui me heri accuſatum venerunt, prodeant in medium, ſi reum faciant, aut damnatum cupiunt. Ibi tum cunctis argyrina, vt olim Demoſthenes laborantibus, & cunctantibus* Synodi Præſes *Hildebrandus afflatu numinis: Age, inquit, dic Archiepiſcope, credis* Spiritum S. *cum* Patre *&* Filio *vnam eſſe ſubſtantiam* Deitatis? *Et prompte affirmante Archiepiſcopo: Dic ergo, inquit Hildebrandus,* Gloria Patri, *&* Filio, *&* Spiritui Sancto. *Hic Archiepiſcopus cum Patrem & Filium exertè expediteque pronunciaſſet, hæſit in* Spiritu Sancto, *quem ſæpius conatus nulla ratione potuit exprimere. Perculſus illico cœleſti ſententia & animaduerſione, ſe ad Hildebrandi pedes ſupplex abiecit, faſſus ſe eum eſſe, quem pridie accuſatores dixiſſent. Exauctoratus à* Concilio, *nullo negotio* Spiritus *ſancti nomen edidit. Quare cæteri ſibi de eodem crimine conſcij attoniti, vltrò ſe abdicarunt, factumque vt Hierarchæ ſeu Epiſcopi quinque & quadraginta honore exuti in ordinem redigerentur. Præſules & Præpoſiti ſeptem ſupra viginti loco mouerentur.*

Denique odio vel maximo Spiritus *ille diuinus ſuperbiam proſequitur, vt quæ coram* Deo *& hominibus odibilis eſt, Eccli.* 10. *v.* 7. *Ideo S. Petrus* 1. *epiſt.* 5. *& B. Iacob. c.* 4. *v.* 6. *aiunt:* Deus ſuperbis reſiſtit, humi-

libus autem dat gratiam. *Sicut enim aqua ex montibus in valles delabitur, ita* Spiritus *ſancti gratia à ſuperbis recedens in humiles decidit. Spes igitur accipiendi* Spiritum *ſanctum mundanis hominibus, hoc eſt, honorum, diuitiarum, voluptatum ſectatoribus & mancipiis inciſa eſt.*

Ab hiſce ergo vitiis, & affectionibus perpurgandus eſt animus, vt cœleſtibus ſancti Spiritus *muneribus compleatur. Vnde & Apoſtolus 2. Cor. 6. v. 16. cùm allegaſſet illam* Domini *promiſſionem Leuit. 26. v. 12.* Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipſi erunt mihi populus. *ſtatim c. 7. v. 1. ſubiungit:* Has ergo habentes promiſsiones, emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem noſtram in timore Dei.

Vre igne ſancti Spiritus *renes noſtros, & cor noſtrũ,* Domine, *vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

CAPVT XLI.

QVIBVS VIRTVTIBVS CONCILIETUR & conſeruetur Spiritus S. gratia.

PRima *quidem gratiæ S. Spiritus cõciliatrix, & conſeruatrix eſt pœnitentia & compunctio. Hinc Act. 2. v. 38. S. Petrus:* Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrũ, in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorũ, & accipietis donum Spiritus S. *Ad hoc ſignificandum Gen. 1. v. 2. dicitur, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, i. ſuper lachrymas de peccatis dolentiũ, hos enim fouet & conſolatur: quia* cor contritum & humiliatum nõ deſpicit, *Pſ. 50. v. 19. quo nomine & paracletus appellatur Ioan. 14. v. 26. Eadẽ cõpunctio & pœnitentia, & præſentiæ Spiritus S. argumentũ, teſte Apoſt. Ro. 8. v. 26*

Spiri-

Spiritus poſtulat, (*id eſt, poſtulare facit*) pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Vnde & Matt. 17. v. 5. in nube apparuit, ex qua generatur pluuia, iuxta illud 3. Reg. 18. v. 44.* Ecce nubecula parua quaſi veſtigiũ hominis aſcendebat de terra, *&c.* Et facta eſt pluuia grandis. *Facit itaque Spiritus S. nos pro quotidianis vitiis & peccatis gemere & lachrymari.*

Valde ad nos allectat Spiritum S. humilitas & animi ſubmiſſio, Iſa. 66. v. 2. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum (70. *humilē*) & cōtritum ſpiritu, & trementē ſermones meos. *Quocirca & ſuper Chriſtum* Dominũ *mitem & humilem corde deſcendit Spiritus S. Ioan. 1. v. 32. & demiſſiſſima illa & ſanctiſſ. Virgo audiuit ab Angelo Luc. 1. v. 35.* Spiritus S. ſuperueniet in te, *&c. B. Aug. ſer. 9. de verb. Apoſt. c. 3.* Si venerit aqua, ſuper altitudinē decurrit, & defluit; ſi venerit aqua ad concauum & humilē locũ, & capitur, & ſtat. Sic Spiritus S. qui ſæpe in ſacris literis aquæ nomine deſignatur, Ioel. 2. v. 28. Ioan. 4. v. 13. & c. 7. v. 38. Act. 2. v. 17. deſerit ſuperbos, deſcendit ad humiles. S. *Greg. in li. 1. Reg.* Donorũ plenitudine ſuper humiles Spiritus S. requieſcit.

Admodum grata in homine eſt Spiritui S. *lenitas & manſuetudo, quod ſatis demonſtrauit, cum in ſpecie columbæ viſus eſt. Columba ſiquidem ſimplex, manſueta, domeſtica, ab omni raptu & pugna alieniſſima. Moſes vir mitiſſimus Nu. 12. v. 3. tantũ hoc ſpiritu abundauit, vt dicat Scriptura Nu. 11. v. 23.* Deſcendit Dominus per nubē, auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. *Requieuit & Spiritus* S. *maximè ſuper Chriſtum Dominũ, Iſa. 11. v. 2. quia & mitiſſimus fuit Mat. 11. v. 29. Quare & Apoſtolis vltionem expetentib. Luc. 9. v. 55. ait:* Neſcitis cuius ſpiritus eſtis; Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. *Columba poſt diluuiũ Gen. 8. v. 11. attulit ramũ oliuæ virentis, per quod intelligitur,* Spiritũ S.

afferre homini innocentiam manſuetudinis & gratiam vnctionis.

Eſt & acceptiſſima S. Spiritui virtus obedientia, vnde & Apoſtolus Chriſti Domini obedientiã vſq; ad mortem crucis, Phil. 2. v. 3. tribuit Spiritui S. Heb. 9. v. 14. Et Act. 5. v. 32. dicunt Apoſtoli: Nos ſumus teſtes horũ verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi. *Ad hanc obtemperandi voluntatem pertinet, quod qui ex Dei præſcripto ritè Sacramenta ſuſcipiunt, ſancti Spiritus participes efficiantur, vt Act. 8. v. 17.* Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctũ. *Et Act.* 19. v. 6. Et cùm illis impoſuiſſet manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. *Quo referri poteſt & illud 1. Reg. 16. v. 13.* Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & ductus eſt Spiritus Domini à die illa, in Dauid, & deinceps. *Spectat ad hanc obedientiam, cum aliqui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt, Luc. 11. v. 28. parati præſtare quicquid Deus mandauerit, Act. 10. v. 44.* Adhuc loquẽte Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum.

Etſi vehementer iſta virtutes Spiritui ſancto probentur, nulla tamen magis placet quàm caritas, quæ ab ipſo in corda noſtra diffunditur, Rom. 5. v. 5. & præcipuus ipſius fructus eſt Gal. 5. v. 22. S. Aug. lib. 2. contra Creſconium Grammat. c. 14. Hic Spiritus ſanctus, *ait*, veniẽs in eos tale ſignum primitus dedit, vt qui eũ acceperant, linguis omnium gentium loquerẽtur, Act. 2. quia portendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram, nec quenquam accepturum Spiritum ſanctum, niſi qui eius vnitati copularetur. *Et ſermo. 186. de Tempore idem B. Auguſt.* Si vultis habere Spiritum ſanctum, *ait*, intendite fratres mei, Spiritus noſter quo viuit omnis

homo

homo, anima vocatur, & videtis, quid anima faciat in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus ſimul adeſt membris, vt viuant, vitã dat omnibus, officia ſingulis. Quod autem eſt anima corporis hominis, hoc eſt Spiritus S. corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: hoc agit Spiritus S. in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis. Sed videte quid caueatis. Membrum quod cum in corpore eſſet, viuebat, præciſum amittit vitam. Sic & homo Chriſtianus Catholicus eſt, dũ in corpore viuit, præciſus, hæreticus factus eſt, membrum amputatum non ſequitur ſpiritus. Si ergo vultis viuere de Spititu S. tenete caritatem, amate veritatem, deſiderate vnitatem, vt perueniatis ad æternitatem. *Submiſſa, ardens, perſeuerans, & pia oratio, & Spiritum S. aduocat, & vt maneat, impetrat.* Spiritum S. tuum, *precabatur Dauid Pſ.* 50. ne auferas à me. *Pollicetur Deus Zach.* 12. *v.* 10. *quod ſuper Eccleſiæ moderatores & ſubditos largiſſimè effuſurus ſit ſpiritum gratiæ, quo ipſi ſemper ſint grati, & quæ illi grata ſunt, perficiant, & ſpiritum orationis, vt ſibi non confidant, ſed in minimis quibuſque rebus in Dei Patris ſui miſericordiam, & opem confugiant, vt ab eo gubernentur & dirigantur.* Effundam, *ait*, ſuper domũ Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem, ſpiritum gratiæ, & precum. Si vos. *ait Dominus Luc.* 11. *v.* 13. cũ ſitis mali, noſtis bona data, dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo, dabit ſpiritum bonũ petentibus ſe. *Spiritum bonum, hoc eſt, Spiritum S. vt lib.* 1. *de Spiritu S. c.* 5. *exponit D. Ambr. de quo & Dauid Pſ.* 142. *v.* 10. Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam. *Super diſcipulos Chriſti in oratione perſeuerãtis venit Spiritus ſanctus. Act.* 1.

v.14.& c.2.v.1.Hinc Eccleſia in hym. Dũ hora cunctis tertia. Repentè mundus intonat. Orantibus Apoſtolis, Deũ veniſſe nunciat. Impleta gaudent viſcera: Afflata S.Spiritu. Voces diuerſas intonant, fantur Dei magnalia. *Nec ſine cauſa S.Lucas c.3.v.21.& 22.Ieſu bapti Zato & orante*, apertum eſt cœlũ, & deſcendit Spiritus S. *corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* Baptizato Chriſto, *ait* D. *Tho.q.39.ar.5.c.* aperti ſunt cœli, vt oſtenderetur, quod baptizatis patet via in cœlũ. Poſt Baptiſmũ autẽ neceſſaria eſt homini iugis oratio, ad hoc, ꝙ cœlum introeat. Licet n.per Baptiſmũ remittũtur peccata, remanet tñ fomes peccati, nos impugnans interius, & mundus, & dæmones q impugnãt exterius. Vnde dicto, Ieſu baptizato, diſertè additur, & orante. Vel vt intelligamus, quod hoc ipſum, ꝙ per baptiſmũ cœlũ aperitur credẽtib. eſt ex virtute orationis Chriſti. Indicatur & iſtud, quod Spiritus S. in deprecãtes veniat, imo & cũ illis, atq; in illis ſit, iuxta Apoſtoli dictũ Ro. 8.v. 26. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitib. inenarrabilib. Poſtulat pro nobis Spiritus S. quia nos poſtulare facit: gemit, quia gementes nos facit, infundẽdo nobis caritatem Dei & proximi, ſicut legitur: Lætus dies, quia lætos homines facit, S. *Aug.tom.4.de Trin.& vnit.Dei c.3.ep.105.ad Sixt. li.2.cont.Maximin.c.19.& alibi.*

Acceptum iucundumque tuæ Maieſtatis habitaculũ eſt cor noſtrum, ſanctiſſime Spiritus, modo illud à vitiis expurgatum humilitate, mãſuetudine, obedientia, pietate, caſtitate, aliiſque virtutibus, ac præſertim eximia caritate niteat, tu qui totius es auctor virtutis, & omnis boni fons, largire eas nobis ſupplicibus tuis, vt te perpetuum inhabitatorem habere poſſimus.

LIBER

LIBER VI.

De Diuinarum Perſonarum Miſſione.

CAPVT I.

QVOD NON PATER SED FIlius, & Spiritus Sanctus miſsi dicantur.

IMpij Ariani dicebant, *vt ait S. Aug. l.2. de Trin. c.5.* maior eſt qui mittit quam qui mittitur, proinde maior eſt Pater filio: quia filius à Patre ſe miſſum aſsiduè commemorat. Maior eſt & Spiritu Sancto: quia de illo dixit Ieſus: Quem mittet Pater in nomine meo Ioan.14.v.26. Et Spiritus ſanctus vtroq; minor eſt: quia & Pater eum mittit, ſicut commemorauimus, & Filius, cum dicit Ioan.16. v.28. Si autem abiero mittam eum ad vos. Qua in quæſtione primum quæro vnde & quo modo miſſus ſit filius. Ego, *inquit, Ioan.16.v.28.* à Patre exiui & veni in mundum, ergo à Patre exire, & venire in hunc mundum, hoc eſt mitti. Quid igitur eſt quod de illo idem ipſe Euangeliſta dicit Ioan.1.v.10. In hoc mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit?

uit? Deinde coniungit. In ſua propria venit. Illuc ergo miſſus eſt, vbi erat. Et ſi Deus dicit Ierem. 23. v. 24. Cœlum & terram ego impleo vbi eſſe potuit Pater ſine verbo ſuo & ſine ſapientia ſua, quæ protendit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter Sap. 8. verſ. 1. Sed neque ſine Spiritu ſancto vſquam eſſe potuit. Itaque ſi vbique eſt Deus, vbique etiam eſt Spiritus eius. Illuc ergo & S. ſanctus miſſus eſt, vbi erat. Nam & ille qui non inuenit locum, quo iret à facie Dei, & dicit Pſ. 138. Si aſcendero in cœlũ tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades, vbique volens intelligi pręſentem Deum, prius nominauit Spiritum eius: Nam ſic ait: Quo abibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam.

Quocirca ſi & filius & S. ſanctus illuc mittitur vbi erat, quærendum eſt, quomodo intelligatur iſta miſſio ſiue filij, ſiue S. ſancti. Pater enim ſolus nuſquam legitur miſſus. Et de filio quidem ita ſcribit Apoſtolus Gal. 4. v. 4. Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, quo ſatis oſtēdit eo ipſo miſſum filium, quo factus eſt ex muliere. Quod ergo de Deo natus eſt in hoc mundo erat, quod autem de Maria natus eſt, in hunc mundum miſſus aduenit. Cum hoc itaq; à Patre & Filio factum eſſet, vt in carne filius appareret, congruenter dictus eſt miſſus ille, qui in ea carne apparuit, miſiſſe autem ille, qui in ea carne non apparuit. Quoniam illa quæ coram corporeis oculis foris geruntur, ab interiore apparatu naturæ ſpiritalis exiſtunt: propterea conuenienter miſſa dicitur.

Sic ergo miſſus dicitur in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura ſpiritali, oculis mortalium ſemper occultus eſt,

iam

iam in promptu eſt intelligere etiam de Spiritu ſancto cur miſſus & ipſe dicatur. Facta eſt enim quędam creaturę ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter oſtenderetur S. ſanctus: ſiue cum in ipſum Dominum corporali ſpecie velut colũba deſcendit. Matth. 3. v. 16. ſiue cum decem diebus peractis, poſt eius aſcenſionem die Pentecoſtes factus eſt ſubito de cœlo ſonus quaſi ferretur flatus vehemens & viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ tanquam ignis, qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum Act. 2. Hæc operatio viſibiliter expreſſa, & oculis oblata mortalibus, miſſio ſancti Spiritus dicta eſt: non ita vt appareret eius ipſa ſubſtantia, qua & ipſe inuiſibilis & incommutabilis eſt, ſicut Pater & Filius: ſed vt exterioribus viſis, hominum corda commota, à temporali manifeſtatione venientis ad occultam æternitatem, ſemper præſentis conuerterentur. *Iſta S. Aug. quæ latius ex eodem capite ſequenti explananda ſunt.*

Sancte Pater ſapientiam tibi coæternam dilectiſſimum Filium tuum, & Spiritum ſanctum tuum mitte à ſede magnitudinis tuæ vt nobiſcum ſint, & ſine labore nobiſcum laborent, vt ſciamus & faciamus quæ accepta ſunt apud te. Qui cum vtroque viuis & regnas in ſæcula Deus.

* * *

CAP.

CAPVT II.

QVID SIT DIVINÆ PERſonæ Miſsio.

MIſsio in diuinis eſt inuiſibilis Perſonæ ab alio procedentis viſibilis manifeſtatio: vel Miſsio eſt diuinæ perſonæ proceſsio, cum reſpectu & comparatione ad temporalem effectum, quemadmodum declarauit Dominus Ioan.16.v.28. Exiui à Patre (*per æternam generationem*) & veni in mundum (*per incarnationem.*) *Eſt enim metaphora ſumpta à ſenſibili miſsione, in qua & eſt actio principij mittentis, quæ in Deo eſt perſonæ productio, & ex parte termini miſsionis effectus ad quem miſſus eſt deſtinatus. vt Imperator mittit filium ad ſanciendum fœdus cum hoſte. Quantum ad primum attinet, quod miſsio ſit diuinæ perſonæ ab alio procedentis, oſtendit S. Aug. lib. 3. contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum c.14.* Quis, *inquit*, Chriſtianus ignorat, quod Pater miſerit, miſſuſque ſit filius? Non enim genitorem ab eo, quem genuit, ſed genitum à genitore mitti oportebat: verum hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: non quod alter prior eſſet altero, ſed quod alter eſſet ex altero. Oportebat ergo operari eum, qui miſſus eſt, opera eius à quo miſſus eſt. Et quæ ſunt opera Patris, quæ non ſunt & filij? cum dicat idem filius, quæcunque pater facit, hæc & filius ſimiliter facit Ioan.5.v.19. Opera tamen patris eſſe dicit, non enim obliuiſcitur à quo ſit; à Patre quippe illi eſt, vt operator talium operum ſit.

Et lib. 4. de Trinit. cap. 20. Si ſecundum hoc, *ait*, miſſus

miſſus à Patre filius dicitur : quia ille eſt Pater, ille filius, nullo modo impedit, vt credamus æqualem eſſe patri filium, & conſubſtantialem, & coæternum, & tamen à patre miſſum filiū : quia filius à patre eſt, non pater à filio: Verbum enim patris eſt filius, quod & ſapientia eius dicitur. Quid ergo mirum ſi mittitur? non quia inæqualis eſt patri, ſed quia eſt manatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſyncera? Sap. 7. v. 25. Ibi autem quod manat, & de quo manat, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ eſt. Neque enim ſicut aqua de foramine terræ, aut lapidis manat; ſed ſicut lux de luce: Nam quod dictum eſt Sap. 7. v. 26. Candor eſt enim lucis æternæ, quid aliud dictum eſt, quam lux eſt lucis æternæ? Candor quippe lucis, quid niſi lux eſt? Et ideo coæterna luci, de qua lux eſt; Maluit autem dicere, Candor lucis, quam lux lucis, ne obſcurior putaretur iſta quæ manat, quam de qua manat: Si enim hæc minor eſt, obſcuritas illius eſt, non candor illius. Neque hoc mouere debet, quia dicta eſt manatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera: tanquam ipſa non ſit omnipotens, ſed omnipotentis manatio. Mox enim de illa dicitur. Sap. 7. v. 27. Et cum ſit vna, omnia poteſt. Quis eſt autem omnipotens niſi qui omnia poteſt? Ab illo itaque mittitur à quo emanat. *Audi & S. Gregor. tom. 26. in Euang.* Eo ipſo, *ait*, filius à Patre mitti dicitur quo à Patre generatur. Et Spiritus ſancti miſſio, ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit & Filio. *Similibus id explanat S. Cyril. l. 4. in Ioannem c. 42.* Mittitur, *ait*, vt verbum ex mente & ſplendor ex ſole. *Et lib. 12. Theſauri c. 5.* Miſſum ſe Filius à Patre dicit, non mutatione locorum; ſed ſicut calorem ab igne, vel ſplendorem à lumine, Et miſſio ſignificat egreſſum quen-

quendam miſſi à mittente, qui in diuinis perſonis non eſt, niſi quatenus vna procedit ab alia.

Quantum etiam ad ſecundam miſſionis partem ſiue conditionem ſpectat; quod nimirum ſempiterna illa diuinæ perſonæ proceſſio, temporalem habeat effectum; inde clariſſimum, eſt quod dicit Apoſtolus Gal. 4. v. 4. Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. *& quod ait Dominus Act.* 1. v. 5. Vos baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. Non ergo eo ipſo ait *S. Aug. li.* 4. *de Trin. c.* 20. quo de Patre natus eſt, miſſus dicitur filius; ſed eo quod apparuit huic mundo, verbum caro factum: Vnde dicit Ioan. 16. v. 18. Exiui à Patre & veni in hunc mundum. Vel ex eo quod ex tempore cuiuſquam mente percipitur, ſicut dictum eſt Sap. 9. v. 10. Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. Quod ergo natum eſt ab æterno, æternum eſt. Candor eſt enim lucis æternæ Sap. 7. v. 26. Quod autem mittitur ex tempore, à quoquã cognoſcitur. Sed Pater cum ex tempore à quoquã cognoſcitur, non dicitur miſſus. Non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat. Sapientia quippe dicit Eccleſ. 24. v. 5. Ego ex ore altiſſimi prodiui. Et de Spiritu ſancto dicitur Ioannis 15. verſ. 26. à Patre procedit, Pater vero à nullo. Sicut ergo Pater genuit, filius genitus eſt, ita Pater miſit, filius miſſus eſt. Sed quemadmodum qui genuit & qui genitus eſt, ita & qui miſit, & qui miſſus eſt vnum ſunt: quia Pater & Filius vnum ſunt Ioan. 10. v. 30. ita etiam Spiritus ſanctus vnum cũ eis eſt quia hæc tria vnum ſunt 1. Ioan. 5. v. 7. ſicut enim natum eſſe, eſt filio à Patre eſſe, ita mitti, eſt filio cognoſci quod ab illo ſit: Et ſicut Spiritui

ritui ſancto donum eſſe, eſt à Patre & Filio procedere, ita mitti, eſt cognoſci quod ab vtroque procedat. *Vnde & euidens eſt miſſionem non indicare naturæ inæqualitatem, vt ſcelerati colligebant Ariani; ſed prorſus æqualitatem, vt colligit Chriſtus Dominus Ioannis* 5.*v*.23. Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat filium, non honorificat Patrem: qui miſit illum, *quemadmodum notauit & S. Hilarius lib.* 9. *de Trinitate.*

Fac nos Domine Deus noſter, ſedulos tuos amatores vt vna cum filio tuo, & Spiritu ſancto ad nos venias, & perpetuam manſionem inſtituas.

CAPVT III.

QVÆ PERSONA DIVINA, ET à qua, vna, vel duabus mittatur.

PAter ſolus non legitur miſſus, *ait*, S. Aug. l. 2. de Trinit. c. 5. quia miſſio ductam ab alio originem complectitur. Pater autem à nullo eſt, Filius mittitur, ſed à ſolo Patre, à quo gignitur. Ab ipſo ſum, *inquit, Ioan.* 7.*v*.29. & ipſe me miſit: Spiritus ſanctus ſicut à Patre & Filio procedit, ita & ab vtroq; mittitur, & vt filius Patrem non mittit, ita Spiritus ſanctus neq; Patrem mittit neque filium, niſi ſecundum humanam naturam quo ſenſu dixit Dominus *Iſa.* 48. *v*.16. Et nunc Dominus miſit me & Spiritus eius. Et *Iſa.* 61.*v*.1. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me. *Sicut & hoc loco iſtam miſſionem ſecundum humanam naturam optimè interpretatur S. Hieron.*

Vide-

Videtur & homo poſſe diuinas mittere perſonas, quia facit vt ad hominem perueniant, ſiue precatione, ſiue Sacramentorum adminiſtratione: vt cum Epiſcopus impertit Sacramentum Confirmationis, vel Sacramentum Ordinis, in quo dicit: Accipe Spiritum Sanctum. Cum videret Simon, *ait*, S. Lucas Act. 8.v.18. quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, *vel cum Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ à peccatis abſoluit, & verè gratiam confert. Verum cum homo non ſit principium Spiritus ſancti, nec princeps gratiæ cauſſa, propriè non mittit, vel donat Spiritum ſanctum, cum ea miſſio, vel donatio ſit auctoritatem habentis in perſonam miſſam, vel in rem donatam. Vnde & qui rogat non dicitur mittere, niſi roget cum auctoritate quæ par ſit imperio: vt cum rogat parens aut princeps. Et Sacerdos conficiendo & adminiſtrando Sacramentum, non mittit Deum in animam hominis, ſed potius à Deo mittitur, vt hoc medio ad Deum excipiendum præparet & diſponat hominem, qui Deus ad Sacramenti præſentiam vi ſuæ promiſſionis in animam illabitur.*

Inter vero miſſionem Filij ac Spiritus ſancti magnũ intercedit diſcrimen: quod miſſionem Filij qua homo factus eſt, nullius hominis meritum præceſſerit, nec præcedere potuerit: eramus enim omnes natura filij iræ Eph.2.v.3. *& propter hanc, vel futuram vel factã omnis gratia & meritum datum eſt. Eſt illa gratuita Dei beneuolentia, & ſumma beneuolentia.* Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret Ioa.3.v.16. *At Chriſtus gratis & ex amore homo factus, Spiritus ſancti miſſionem, qua in homines per dona, & virtutes deſcendit, ſua iuſtitia promeritus eſt. Hinc aliquando dicit quod mittere velit Spiritum ſanctum, aliquando rogare Patrem, vt mittat; illud vt Deus, hoc vt homo, cuius ea ſunt merita, vt exaudiri & S. ſancti aduentum obtinere valeat.*

Domine

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui filium tuum, & Spiritum ſanctũ aſpectabili forma miſiſti, concede propitius vt vna tecum inuiſibili nobiſcum gratia & caritate ſemper permaneant.

CAPVT IV.

BIPARTITA FILII, ET S. Spiritus Miſsio.

Duplex eſt diuinæ perſonæ Miſsio: altera inuiſibilis, quæ interno & ſpiritali fit modo, altera viſibilis, quæ vel ad viſibilem fit terminum, vt incarnatio filij Dei, vel ſenſibili ſigno manifeſtatur, vt columba, linguis igneis & id genus aliis.

Inuiſibilis filij Dei vel Spiritus ſancti miſsio, eſt cum donis ſuis ſanctificantibus animum ingrediuntur & inhabitant. De hac Sap. 7. v. 27. Sapientia cum ſit vna, omnia poteſt. & in ſe permanens omnia innouat & per nationes (*ſingulas generationes*) in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit. Neminem n. diligit Deus niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. *Huius diuinæ ſapientiæ miſsionem poſtulabat Salomon Sap. 9. v. 10.* Mitte illã de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te.

S. Aug. l. 4. de Trin. c. 20. Aliter, *inquit*, mittitur, vt ſit cum homine, aliter miſſa eſt, vt ipſa ſit homo: Tunc mittitur vnicuiq;, cum à quoquã cognoſcitur, atque percipitur quantum cognoſci & percipi põt, pro captu vel proficientis in Deũ, vel perfectæ in Deo animæ rationalis: Ioa. 14. v. 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit

& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. *Qui Patri eſt aduentus, filio eſt miſsio. De inuiſibili S. Spiritus miſsione loquitur Apoſtolus Rom. 5. v. 5.* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Et 1. Cor. 6. v. 19. Neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo & non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Vt gratum tuæ Maieſtati Deus templum efficiamur mentes noſtras & cæleſti ſapientia inſtrue, & diuino amore accende.

Capvt V.

FILIVS ET SPIRITVS SANctus propriè in animam non mittuntur niſi per ſanctificantem gratiam.

EX his allatis ſcripturæ teſtimoniis illud liquet, 1. quod Dei filius, aut Spiritus ſanctus in animum hominis nō mittantur ſine mutatione ipſius, quodq; hæc mutatio fiat per gratiam ſanctificantem, per caritatem, fidem, ac ſpem viuam: Dictum eſt enim, quod diuina ſapientia ſe trāſferat in animas ſanctas, quod Dei amicos efficiat, quod Pater & Filius ad amantem veniant, & in eo permaneant, quod Spiritus ſanctus detur cum Dei caritate, quod ſimus templum S. Spiritus, quod vtique à labe purum & virtute ornatum eſſe debet. quemadmodum in eadem 1. ep. Corinthiaca c. 3. v. 16. 17. docet Apoſtolus. Neſcitis, *inquit*, quia templū Dei eſtis & Spiritu Dei habitat in vobis? Si quis a. templū Dei vio-

lauerit-

lauerit, diſperdet illum Deus: Templum n. Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. *Inde cognoſcitur quod hinc propriè ad nos mitti dicatur S. ſanctus, quando ita datur, vt in nobis & nos inhabitet, & in nobis permaneat, & quaſi ſedem domiciliumque collocet.*

Rogabo Patrem, *ait Saluator Ioan. 14. v. 16.* & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. *at S. ſanctus non commoratur niſi in iuſtis, ſicut nec Dei ſapientia Chriſtus 1. Cor. 1. v. 21. Demonſtrāt id diuina eloquia Sap. 1. v. 3. 4. 5.* Peruerſæ, *ait Salomon*, cogitationes ſeparāt à Deo. Quoniam in maleuolam animā non introibit ſapiētia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus n. ſanctus diſciplinæ (*auctor*) effugiet fictum (*fraudes & perdita conſilia*) & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu B. Hier. in c. 63. Iſaiæ. Recedet à cogitationibus ſtultis. *Vnde & Dauid conſcientia peccatorum, ne S. ſanctum perderet, precabatur dicens*: Et S. ſanctum tuum ne auferas à me Pſ. 50. Et Dominus Ioā. 14. v. 17. affirmat: Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere; quia uon videt eum, nec ſcit eum. *Mali n. & vitiis dediti non habent purum & mundum cor quò videtur & percipitur Deus Matth. 5. v. 8. vt l. 9. in Ioannem c. 44. exponit S. Cyrill. Et S. Baſil. l. de Spiritu ſancto c. 22.* Carnalis, *inquit*, homo mentem habens ad contemplationem minus exercitatam aut in affectu carnis, velut in cœno defoſſam gerēs, nō pōt ad ſpiritale lumen veritatis attollere oculos Quapropter mūdus, h. e. carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculus imbecillis ſolis non ferēs radios, Spiritus gratiam non recipit. *Eadem dicit & Iſaias c. 42. v. 5.* Qui ſtabiliuit terrā & quæ in ea ſunt, deditq; Spiritum populo qui eſt ſuper illā & Spiritū calcantibus eam. Nam qui conculcāt terrena, iiſq; ſuperiores euaſerunt digni pdicati

ſicut dono ſancti Spiritus. Proinde de Spiritu, quem mundus capere nō poteſt, ſed à ſolis ſanctis per cordis puritatem videri poteſt, quid aliud iudicandum eſt, quam omnis generis honores illi competere. *Illa S. Baſ.*

Quocirca & ſapientiſſimus Magiſter monebat diſcipulos Ioannis 15. v. 3. Manete in me, & ego in vobis. *In id toto pectore incumbite, hoc vnum agite & connitimini, vt vos fide & dilectione in me permaneatis, & ego in vobis, gratia & Spiritu meo in vobis permaneam. Manent in Chriſto fideles peccatores per fidem, vt palmites infrugiferi, ſed in his Dominus non manet. Manent in Chriſto iuſti per fidem & dilectionem, vt palmites frugiferi & in his etiam manet Chriſtus.*

Ideo & minus rectè ſentiūt, aut loquuntur qui affirmant, etiam S. ſanctum dari per donū fidei informis vt Caiet. 1. P. q. 43. art. 3. aut per inſpirationes diuinas, quæ antecedunt gratiam ſanctificantem, vt S. Bonauēt. 1. d. 15. art. 2. q. 1. aut per dona gratis data, vt Alenſis 1. P. q. 73. in. 4. art. 2. & 3. Cum enim Chriſtus dixit Ioa. 20. v. 22. Accipite S. ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c. *dedit diſcipulis poteſtatem à peccatis abſoluendi, quæ per ſe non ſanctificat habentem, ſed eſt quaſi gratia gratis data. Et vt ait S. Leo ſerm. 2. de Pent.* Ipſi beati Apoſtoli ante paſſionem Domini S. ſancto non carebāt: nec potentia huius virtutis aberat ab operibus Saluatoris, & cum diſcipulis daret infirmitatum curationem, & eijciendorum dœmonum poteſtatem, eius vtique Spiritus largiebatur effectū, in quo ipſum immundis ſpiritibus imperantem, Iudæorū negabat impietas, & diuina beneficia diabolo deputabat. Vnde taliter blaſphemantes, merito illam Dn̄i excepere ſententiam qua ait Matt. 12. v. 31. Omne peccatū & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritus a. blaſphemia non remittetur hominibus.

Quæ omnia etſi ſuo modo dici poſſint, ſatius tamen concludemus cum S. Thoma 1.P.q.43.ar.3. Non mittitur diuina perſona inuiſibiliter niſi ſecundum ſolam gratiam gratum facientem, quę ſimul datur ac mittitur.

Ne vnquam à nobis recedas ſanctiſſima Trinitas, in tua nos gratia & caritate ſemper conſerues.

CAPVT VI.

VNA CVM SANCTIFICANTIbus donis & diuinæ donantur Perſonæ.

EX citatis S. Scripturæ teſtimoniis planum eſt, quod quando gratiæ ſanctificantis dona animæ infundit Deus, ſimul diuinæ dantur perſonæ felicem illam animam incolere incipiant: nã Ioa.14.v.23. & dilectionis donũ impertiunt, & ſimul tres diuinæ perſonæ apud dilectorem manſionem conſtituunt. Et Apoſtolus Rom.5.v.5. & caritatem in corda noſtra diffuſam, & pariter datum S. ſanctum affirmat: Cui ſimile eſt & illud S. Ioannis 1.ep. 4.v.16. Deus caritas eſt, & qui manet in caritate in Deo manet & Deus in eo. *Deus caritas eſt, quid ergo caritate melius? Et qui manet in caritate in Deo manet, quid ergo caritate ſecurius? & Deus in eo quid ergo caritate iucundius?*

Rurſum quod ait Apoſtolus 1.Cor.6. Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt S. ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo *luculentè oſtendit, quod verè in iuſtis inhabitet Deus: ſiquidem de ipſa S. Spiritus perſona hic mentio fit, & templum ſoli Deo dicatur non donis Dei. quare meritò S. Aug. l.4. de* Ciuit. Dei c. 20. 21. *& aliјs reprehendit Romanos* quod vi-

ctoriæ, quod fidei, quod virtuti quod felicitati templa atque aras erexerint: cum hæc vero Deo non Dei donis & muneribus ſint exædificanda.

Quin & hinc quod templa S. Spiritus ſumus, S. ſanctum Deum eſſe Patres colligunt, in quibus S. Aug. epiſtola 66. ad Max. medicum. Debetur, *inquit*, latria S. ſancto. Nam ſi templum ei facere ſicut Salomon fecit de lignis & lapidibus iuberemur 3. Reg. 6. & 7. vtique faciendo templum, latriã exhibere conuinceremur. Quanto magis latriam debemus cui non templũ facimus ſed ſumus? *Quo & pertinent illæ S. Patrum ſententiæ: Aug. l. 15. de Trinit. c. 18.* Per caritatem nos tota inhabitat Trinitas. *Et tract. 76. in Ioannem.* Ecce facit in ſanctis cum Patre & Filio ſanctus etiam Spiritus manſionem intus vtiq; tanquam Deus in templo ſuo. *Serm. 185. de Tempore Feria 2. Pentecoſt.* Spiritus, *inquit*, ſanctus in hac die, ad præparata Apoſtolorum ſuorum templa, velut imber ſanctificationis illapſus eſt. Non iã viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus. Nam ſicut de ſemetipſo Apoſtolis ſuis dixerat Matth. 28. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi: ita etiam de S. ſancto: Paracletum, inquit, dabit vobis Pater, qui vobiſcum ſit in æternum Ioann. 14. Affuit ergo in hac die fidelibus ſuis non iam per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipsã præſentiam maieſtatis: atque in vaſa iam non odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti: ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleretur, atque appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces atque participes. S. Leonis ſerm. 1. de Pent. Ipſe Spiritus veritatis facit domum gloriæ ſuæ luminis ſui nitore ful-

fulgere, & in templo ſuo nec tenebroſum aliquid vult eſſe, nec tepidum. S. Gregorij Nazian. in carmine de ſeipſo: Homo Dei magni templum eſt, quod quidem tum ædificat, cum pedem terra effert, perpetuoque motu ad cœlum fertur. *Hoc igitur templum ita cuſtodi, vt ſuauiſſimis actionibus ſermonibuſque perpetuo fragret, Deusque in eo ſemper habitet. S. Thomæ. 1. P. q. 43. art. 5.* Per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem.

Domine Deus noſter ne derelinquas nos, vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus.

CAPVT VI.

DE ILLAPSV DIVINArum Perſonarum in animam.

SEd non faciles videtur habere explicatus quo pacto ipſæ diuinæ perſonæ in hominis animum illabantur: nam ſua immenſitate Deus vbique eſt & in ipſa anima, & hac exiſtentia non poteſt augeri neque ex parte Dei qui immutabilis eſt, neque ex parte animæ quæ impartibilis eſt. Reſpondet S. Thomas 1. P. q. 8. art. 3. q. 43. art. 3. eſſe peculiarem modum, quo Deus in rationis participe creatura exiſtat, nimirum ſicut cognitum in cognoſcente, & ſicut amatum in amante. ita nimirum vt ſit mutua inhæſio & caritas quæ amicitia appellatur, & gratia ac donis ſanctificantib. contrahitur ac perſonalem præſentiã intimamq; coniunctionẽ exigit iuxta illud 1. Ioa. 4. v. 16. Deus caritas eſt & qui manet in caritate in Deo manet & Deus in eo. *Et Dionyſ. c. 4. de diuin. nominib. ait,* quod amor quilibet eſt virtus vnitiua.

Vnit autem amor duobus modis vt docet S. Tho.1.2.q.28.ar.1.& efficienter: quia impellit amantem ad deſiderandum & procurandum amati præſentiam quaſi ſibi conuenientis & ad ſe pertinentis, & vnit formaliter: quia ipſe amor eſt talis vnio vel nexus. Vnde & S. Aug. lib.8.de Trinit.cap.10. Amor, *inquit*, alicuius amantis eſt, & amore aliquid amatur. Ecce tria ſunt amans & quod amatur & amor. Quid eſt ergo amor niſi quædam vita duo aliqua copulãs vel copulare appetens, amantem ſcil. & quod amatur? *Quod enim dicit copulans, refertur ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor, quod vero dicit copulare appetens pertinet ad vnionem realem: nam vt refert Ariſtoteles 2.Polyt.c.2.* Ariſtophanes dixit: quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri vnum: ſed quia ex hoc accideret, aut ambos aut alterum corrumpi, quærunt vnionem quæ conuenit & decet: vt ſcilicet ſimul conuerſentur, & ſimul colloquantur, & in alijs huiuſmodi coniungantur.

Quia ergo Deus perfectiſſimè amat, quos ſanctificat, & quia quod vult, poteſt, ideo talis amoris vi & inductione vnitur animæ ſecundum præſentiam realem: ita vt ſi per impoſſibile Deus in anima iuſtificata præſens nõ eſſet, eo ipſo quod diuinis illis donis anima ornaretur, ſuam illi Deus perſonalem exhiberet præſentiam, eamque perpetuaret, quamdiu illa in gratia perſiſteret. Itaq; nouo hoc titulo in animã venire dicitur, licet vi ſuæ immenſitatis & potentiæ ibi fuerit vt eum peculiariter cuſtodiat & regat, & ab eo in cordis ſui templo colatur & adoretur.

Neque tantum ſanctificantis gratiæ principio, ſed etiam acceſſione illius & incremento, diuinæ perſonæ vel miſſio fit vel acceſſus. vt rectè ſentit Durandus 1.S.d.15.q.4. *quia ſicut iuſtus nouum gratiæ gradum conſe-*

conſequitur, ita diuina perſona nouo ibi modo & perfectiore eſſe incipit.

Et talis ad Apoſtolos facta eſt miſſio, de qua S. Leo ſer. 2. in Pent. Ipſi beati Apoſtoli, *inquit*, ante paſsionem Domini Spiritu ſancto non carebant, & omnes qui in Dominum Ieſum crediderant, infuſum ſibi habebant Spiritum ſanctum, & remittendorum peccatorum iam tunc Apoſtoli acceperunt poteſtatem, quando poſt reſurrectionem ſuam Dominus inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retinebuntur. Sed illi perfectioni, quæ erat diſcipulis conferenda, maior gratia & abundãtior inſpiratio ſeruabatur, per quam, & quæ nõdum acceperant, ſumerent, & excellentius poſſent habere, quæ ſumpſerant.

Cum ergo per gratiam ſanctificantem tota in nobis cõmmoretur ſanctiſſima Trinitas, quis non videt, quãto illa ſtudio cuſtodienda ſit? & cum propter vnum mortiferum peccatum eadem beatiſſima Trinitas nos derelinquat, quanta illud diligentia vitandum ſit, quis non intelligit?

S. Aug. lib. 2. de Symbolo ad Catech. c. 4. Demonſtrat Scriptura diuina, quod ſimul habitet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus in homine tanquam in templo ſuo. In Euangelio Ioannis 14. v. 21. Filius: Si quis, *inquit*, me diligit, diligetur à Patre meo, & veniemus ad eum, ego & Pater, & manſionem apud illum faciemus. Ecce Pater & Filius. Quid Spiritus ſanctus? Apoſtolum audi 1. Cor. 3. v. 16. Neſcitis, inquit, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Item demõſtratur, quod ſimul deſerat impios Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Salomon Propheta Sap.* 1. *inquit*, Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo. *Ecce Deus Pa-*

ter deſerens peruerſas cogitationes. Quid Deus Filius? *ſequitur:* Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia. Chriſtus eſt enim Dei virtus & Dei ſapientia, 1.Cor.1.v.24. Ecce Filius deſerit maleuolam animam, in qua ſunt peruerſæ cogitationes, quas deſeruit Pater. Reſtat de Spiritu ſancto: Audi poſt paululum quid ſequatur: Spiritus ſanctus diſciplinæ, *inquit*, effugiet fictũ, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Audi, ſine intellectu deſerere hominẽ Spiritum ſanctum: Ecce iam illa inſeparabilis Trinitas teſtimoniis diuinarum Scripturarum demõſtratur, quod ſimul habitet, ſimul regnet, ſimul poſsideat, ſimul deſerat.

Quia non deſeris hominem, niſi ab eo deſertus, cuſtodi nos Domine Deus noſter à mortifero peccato, quo vno à te ſeparamur, & ab omni felicitate abiungimur.

Capvt VII.

De missione visibili, quid illa ſit & quotuplex.

Hactenus de inuiſibili, & quæ ſub ſenſus non cadit, miſsione egimus, nunc de aſpectabili, & quæ in ſenſus incurrit, tractandum. Eſt autem viſibilis miſsio cum aliqua perſona procedens vt Filius, & Spiritus ſanctus noua quadam ratione, & ſenſili ſigno in rationali incipit eſſe creatura cum ordine & reſpectu ad illius ſanctificationem. Hæc viſibilis miſsio bipartita eſt, altera ad vnionem hypoſtaticam Filij Dei cum humana natura, altera ad ſignificationem & repræſentationem præſentis Spiritus Sancti, vel effectam, vel efficiendam ſanctificationem ſigno externo indicantis.

De

De miſſione Filij Dei ſenſibili hunc in modum Sanctus Ioannes capite 1. *verſu* 14. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. *Et epiſtolam ſuam primam ita exorditur Beatus Ioannes*: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, de Verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis.

Sanctus Leo Magnus ſermone 5. *in Natiuitate Domini, cum Filium, cum Patre tanquam ſplendorem ortum ex luce, qui luce poſterior non eſt, comparaſſet.* Huius, *inquit*, ſplendoris manifeſtatio miſsio dicitur, qua Chriſtus mundo apparuit, & cum omnia inuiſibili maieſtate ſua ſemper impleret, tamen quaſi de remotiſsimo altiſsimoque ſecreto, iis quibus erat ignotus, aduenit, cum cæcitatem ignorantiæ ſuſtulit, ſicut ſcriptum Iſaiæ nono verſu ſecundo: ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta eſt eis. Quamuis enim etiam prioribus ſęculis ad illuminationem Sanctorum Patrum & Prophetarum lumen veritatis emiſſum ſit, dicente Dauid Pſalmo 42. verſu 3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, & diuerſis modis multiſque ſignis opera præſentiæ ſuæ Deitas Filij declarauit, omnes tamen illæ ſignificationes, cunctaque miracula teſtimonia fuerunt iſtius miſsionis, de qua dicit Apoſtolus Galaticæ 4. verſu 4. Cum ergo venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege. Quid verò hoc eſt, niſi Verbum carnem fieri, conditorem mundi per vterum virginis naſci?

Domi-

Dominum maieſtatis humanis ſe coaptare primordiis?

Chriſte Fili Dei viui, qui foris aſpectabili forma nobis ſimilis apparuiſti, præſta, vt intus inuiſibili gratia tibi ſimiles efficiamur.

CAPVT VIII.

DE ASPECTABILI S. SPIRITVS columbæ ſpecie in Chriſtum acceſſu.

P*Rima ſancti Spiritus miſſio viſibilis fuit, quando ſpecie columbæ deſcēdit in Chriſtum Dominum, de qua Matt. 3. v. 16. Lucæ 3. v. 21.* Ieſu baptizato & orante apertum eſt cœlum: & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. *Et Ioann. 1. v. 32. ait S. Ioannes Baptiſta:* Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum *(de facie non erat mihi cognitus)* ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quē videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui: quia hic eſt Filius Dei.

Columba illa, in qua apparuit Spiritus ſanctus, non ad ipſius perſonam aſſumpta eſt, vt humana natura ad Verbum, ſiue Filium Dei, & proinde vt Dei *Filius verè & eſt & appellatur homo, ſic Spiritus ſanctus neq; eſt, neque dicitur columba, vt optimè docet S. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 6. qui & ait epiſt. 102. ad Euodium.* Illa columbæ ſpecies corporalis coaptata non eſt in vnitatem perſonæ Spiritus ſancti, quæ impleto ſignificationis officio mox eſſe deſinit. *Et ex eo* S. *Thom. 3. p. 39. art. 6. ad 2. & ante vtrumque* S. *Ioannes Chryſ.*

Chryſ. hom. 12. in Matth. Qua de re nulla eſt controuerſia, ſicut in dubitationem vocari poteſt, num illa columba verum, & viuum animal fuerit, an potius externa quædam ſpecies & figura, quæ Spiritum ſanctum præſentem declararet.

S. *Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap.* 22. Non dicimus, *inquit*, Dominum Ieſum Chriſtum ſolum verum corpus habuiſſe, Spiritum autem ſanctũ fallaciter apparuiſſe oculis hominum, ſed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, vt homines falleret Filius Dei, ſic non decebat, vt homines falleret Spiritus Sanctus: ſed omnipotenti Deo qui vniuerſam creaturam de nihilo fabricauit, nõ erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare, ſicut ei non fuit difficile verum corpus in vtero Mariæ ſine virili ſemine fabricare: cum natura corporea & in viſceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipſo mũdo ad formandam columbam imperio Domini voluntatique ſeruiret. *Eandem in ſententiam iuêre* S. *Tho.* 3. *P. q.* 39. *art.* 7. *Anſel. in cap.* 8. *S. Matth. & alij.*

Verum idem S. *Auguſt. lib.* 2. *de Trinit. cap.* 5. Facta eſt, *ait*, quædam creaturæ ſpecies ex tempore, in qua viſibiliter appareret Spiritus ſanctus, ſiue cum in ipſum Dominum corporali ſpecie velut columba deſcẽdit, ſiue cum decem diebus peractis poſt eius aſcenſionem, die Pentecoſtes factus eſt ſubito de cœlo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ tãquam ignis, qui & inſedit ſuper vnumquemque eorum. *Et epiſtola* 102. *ad Euodium idem beatiſsimus Auguſtinus*: Miror, *ait*, tibi videri ſonitum vocis illius, quâ dictum eſt Matth. 3. v. 17. Tu es Filius meus, non mediante anima, ſed diuino nutu, ſola cor-

la corporali natura ſic fieri potuiſſe: & non tibi videri eodem modo potuiſſe fieri animãtis cuiuslibet ſpeciem corporalem, motumque viuẽti ſimilem diuino nutu, nullo animali interpoſito ſpiritu. Si enim obtemperat Deo creatura corporea ſiue viuificantis animæ miniſterio, vt edantur ſoni quales edi ex corpore animato ſolent, vt forma locutionis articulatæ auribus inferatur, cur non obtemperet, vt ſine animæ viuificantis miniſterio figura motuſque volucris (columbæ) eadem potentia Creatoris ingeratur aſpectibus? Non igitur opus eſt quærere, quomodo apparuerit columbæ ſpecies corporalis, ſicut non quærimus, quomodo ſonuerint voces articulati corporis. Si enim potuit anima non eſſe media, vbi vox non quaſi vox dicitur facta, quanto magis potuit, vbi dicitur columba, hoc verbo ſignificata ſola ſpecie corporali oculis reddita, non natura viuentis animantis expreſſa?

His ergo locis S. Auguſtinus docet, & fortaſſe rectius, quàm prioribus columbam illam non veram ſed apparentem fuiſſe. Cui ſententiæ ſuffragari & fauere videtur ipſa Scriptura, quemadmodum indicant teſtimonia Matthæi, Lucæ, Ioannis initio huius capitis adducta, vbi dicitur, ſicut, *vel* quaſi columba, *vt eiuſmodi locutio non tantum referatur ad Spiritum Sanctum, qui nuncupari columba non poteſt, ſed ſimul ad ipſum & imaginem, ſiue figuram, in qua apparebat, ſicut Act. 2. ver. 3. dicitur,* apparuiſſe tanquam ignis, *quod non modo de Spiritu ſancto, ſed etiam de externa ſpecie intelligitur, alioquin eorum capita exuſſiſſet. Et ad quid creaſſet Deus columbam mox deſituram, cùm ad S. Spiritus repræſentationem columbæ imago ſufficeret.*

Sed & Angeli ſe hominibus ſæpe hominum forma videndos præbuerunt, cum homines non eſſent, Gen. 18. & 19. Neque

19. *Neque obtutus hominum fefellit Spiritus ſanctus: quia non columbæ, ſed ſuam voluit præſentiam declarare. Qua de re S. Auguſt. li. 2. qq. Euangelicarum c.* 51. *& S. Tho.* 3. *P. q.* 76. *art.* 8.

Porro de illa columba quæ dicta eſt corporali ſpecie deſcendiſſe, nullus vnquam dubitauit, quod oculus viſa ſit, *ait S. Auguſt. lib.* 2. *de Trinit. cap.* 6. Oculis viſa eſt non tantum S. Ioannis Baptiſtæ, ſed & omnium aſtantium, *vt bene docet S. Chryſoſt. hom.* 16. *in Ioan.* Vt cunctis declararetur eſſe Filius Dei, nec ad Ioannem putaretur pertinere illa Patris vox: Hic eſt Filius meus dilectus, *&c.* aut quod velut peccator quiſpiam ad baptiſmum Ioannis acceſſerit.

Spiritus verò ſanctus in ſua ſubſtantia non deſcendit, quia vbique eſt, ſed deſcendiſſe dictum eſt ratione ſigni, hoc eſt, columbæ ipſum ſignificantis. Qua ratione & viſus dicitur, ſicut olim à Prophetis viſus eſt ratione imaginum & figurarum, quæ Deum repræſentabant.

Deſcendit autem neque ante Baptiſmum, neque in ipſo Baptiſmo, ſed poſt Baptiſmum Spiritus ſanctus in Chriſtum, vt diſertè tradit S. *Matt. c.* 3. *v.* 13. *& B. Lucas c.* 3. *v.* 22. *Mar.* 1. *v.* 9.

Inſedit autem Saluatoris capiti, vnde Ioan. 1. *v.* 32. *&* 33. *bis inculcatur, quod* Spiritus S. ſuper eum manſerit.

Sanctiſſime Spiritus, qui cum Patre & Filio diuinitatis immenſitate vbique es, viſibili tamen ſpecie in Saluatorem noſtrum cœlo delapſus es, ad ſummã eius ſanctitatem, quam vt homo in ipſo ſuo conceptu acceperat teſtificandam, illabere & in animos noſtros ac iis veram ſanctitatem impertire, vt digna Maieſtati templa efficiantur, & æternum permaneant.

CAP.

CAPVT IX.

CVR COLVMBAE FORMA AD Saluatorem Spiritus Sanctus aduenerit.

DIuerſæ occurrunt cauſæ, ſiue Chriſtum Dominum, *ſiue* Spiritum *ſanctum, ſiue ipſum Baptiſmum ſpectare velimus, cur columbæ ſpecie in* Seruatorem *diuinus ſit illapſus*Spiritus.*Et quidem quod* 1.*ad noſtrum pertinet Liberatorem non ad eum venit Spiritus ſanctus, vt ſanctitatem impertiret, ſed vt eius integritatem, ſanctitudinem ac maieſtatem declararet. Hinc S. Gregorius Nazianzen. Orat. in* S.*lumina*: Spiritus, *ait*, diuinitatis teſtimonium affert, nimirum ad parem accurrens. Tum etiã corporeo modo in columbæ forma ſe cõſpiciendum præbẽs, nempe vt corpus honore afficiat: quod eius templum factum, *Ioan.* 2.*v.*9.*Col.*1.*v.*19.*Athanaſ.quidem Orat.*2.*contra Arrian.Hilar.lib.*11.*de Trinit.Hieron.in cap.*61. *Iſaiæ explanantes illum Pſalm.* 44. *ver.* 8. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ præ conſortibus tuis, *videntur opinari hanc vnctionem in Chriſto completam, dum in baptiſmo columbæ figura in eum dilapſus eſt Spiritus ſanctus, ſed intelligendi ſunt, quod tunc iſta vnctio facta ſit, id eſt, declarata, & ab eo tempore exerceri cœpta. Spiritus enim ſanctus ſuo aduentu declarauit vnctionem antiquam in ipſa incarnatione perfectam, & eo tempore exercendam per doctrinæ & miraculorum manifeſtationem. Nam verè* S.*Auguſt.lib.qq.veteris & noui Teſtamenti cap.*49.*B.Ioannes Damaſc.lib.*4.*de fide cap.*6. D.*Greg.lib.* 9.*epiſt.*61. *docent illam vnctionem, de qua* P*ſalmiſta loquitur, in incarnatione conſummatam,*

tunc

tunt enim humana Chriſti natura iuncta eſt diuinitati, & omni gratia doniſque Spiritus ſancti impleta eſt: quicquid enim virtutis aut gratiæ illi humanitati communicatum ex Verbi vnione emanauit, neque vlla poſt ad infuſam ſcientiam, vel gratiam acceſſio facta, quamuis cum ætate maiora vtriuſque indicia & argumenta præbuerit, Luc. 2. v. 52.

Et quid congruentius quàm vt columba veniret ad Agnum, Ioan. 1. v. 29. quod enim in animantibus agnus, hoc in auibus columba. S. Aug lib. 16. de Ciuit. Dei c. 24. Turtur & columba, *ait*, vtraque auis ſimplex & innoxia. Sicut & ouicula. *S. Ambr. ſer. 21.* Columbam ipſum Dominum dixerim, qui eſt alacer, mitis & ſimplex.

Vt cognoſceremus Spiritus ſancti gratiam nō niſi per Chriſtum, & propter Chriſtum in nos effundi, eiuſque baptiſmum non eſſe caremoniam tantum, vt Ioannis Baptiſtæ, ſed gratiæ inſtrumentum, & cæleſtium munerum vehiculum, Tit. 3. v. 5. Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitę æternæ.

Eſt & alia ratio, quam his verbis proponit V. Beda in c. 3. Matth. Ideò Spiritus ſanctus ſuper Saluatorem in ſpecie columbæ apparuit, quia non veniebat, vt per zelum peccata puniret, ſed vt per manſuetudinem toleraret. In igne verò ſuper ſimplices homines apparuit, vt eos ad punienda in ſe peccata ſpiritalis feruor accenderet, quæ Deus per manſuetudinem vindicari parceret.

Chriſte Deus, quia tua ſolius gratia poſſumus, quod poſſumus, effice nos ſimplices, ſicut columbas, vt nulli noceamus, & prudentes, ſicut ſerpentes, vt fallaciſſimorum dæmonis, mundi, ac carnis inſidias fraudeſq; caueamus.

Oo CAP.

Capvt X.

Cvr Spiritvs Sanctvs Columbæ ſpecie ſuam declararit præſentiam.

Si verò Spiritum ſanctum intueamur, in ſpecie columbæ ſe videndum præbuit, ad deſignandum, ait Angelicus Doctor S. Thomas 3.P.q.39.ar.6.ad 4. ſeptē dona ſua, quæ columba ſuis proprietatibus ſignificat. 1. Columba ſecus fluenta habitat, vt inde viſo accipitre mergat ſe & euadat; quod pertinet ad donum ſapientiæ, per quā Sancti ſecus diuinæ Scripturæ fluenta reſident, vt incurſum diaboli euadant. 2. Item columba meliora grana eligit, quod pertinet ad donum ſcientiæ, qua Sancti ſententias ſacras, quibus paſcuntur, eligunt. 3. Item columba alienos pullos nutrit, quod pertinet ad donum cōſilij, quo ſancti homines, qui fuerunt pulli, id eſt, imitatores diaboli, doctrina nutriunt & exemplo. 4. Itē columba non lacerat roſtro, quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas ſententias lacerando non peruertunt hæreticorum more. Item columba felle caret, quod pertinet ad donum pietatis, per quam ſancti ira irrationabili carent. 6. Item columba in cauernis petræ ædificat, quod pertinet ad donum fortitudinis, quâ Sancti in plagis mortis Chriſti, qui eſt petra firma, nidum ponunt, id eſt, ſuum refugium, & ſpem. 7. Item columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo ſancti deteſtantur in gemitu pro peccatis.

Iſta

Iſta S. Thom. quæ mutuatus eſt ex libro de modo benè viuendi S. Bernardi, ſi tamen illius eſt, ad ſororem, cuius hæc ſunt verba: Soror amantiſsima mihi in Chriſto: etiam columba ſeptem virtutes habet (vt legimus) in ſe, quas tu per gratiam ſancti Spiritus poteris habere in te. 1. Columba ſępe ſuper riuulos aquarum ſedet, vt viſo accipitre veniẽte, ſe in vndas immergat & euadat. 2. In tritico meliora grana eligit. 3. ſæpe alienos pullos nutrit: 4. roſtro non percutit, 5. non habet fel, 6. nidum facit in feneſtris murorum: 7. gemitum habet pro cantu. Deprecare ergo Deum, honeſta virgo, cum ſummo ſtudio, vt det tibi has virtutes columbæ, ſcilicęt, 1. vt ſuper riuulos ſcripturarum ſedeas, & admonitione earum incurſum diaboli euadas. 2. Ex ſacra Scriptura meliores eligas ſententias, ex quibus te reficias. 3. Nutri alienos pullos, id eſt, homines prius à Deo alienos, tuis verbis atque exemplis ad Deũ conuerte. 4. Roſtro non percutias, id eſt, proximo tuo malum non facias, nec malum dicas. 5. Non habeas fel, id eſt, non habeas in te iracundiam. 6. In feneſtris petrarum fac nidum tuum, id eſt, ſpem tuam: 7. Gemitum habe pro cantu, videlicet, vt ſicut homines ſæculares gaudent cantilenis ſæculi, ita tu gaudeas in gemitu, & triſtitia ſpiritali. *Iſta ibi. Quod vt præſtemus, fac ſanctiſsime Spiritus.*

* * *

CAPVT XI.

CVR BAPTISMI TEMPORE APparuerit ſpecie columbæ S. Spiritus quod noſtræ inſtitutionis cauſa factum.

SI denique Baptiſmi Sacramentum & nos ipſos conſiderare placuerit plures ſe cauſæ offerent, cur in columbæ ſpecie ſanctiſſ. Spiritus apparuerit, in Christi baptiſmo. 1. eſt S. Thomæ loco proximè notato, vt indicaretur neceſſaria baptizandi diſpoſitio, vt ſincerè illud Sacramentum expetat, neque fictus accedat: quia dicitur Sap. 1. v. 5. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. *Columba autem eſt animal ſimplex, aſtutia & dolo carens, vnde dicitur Matt. 10. v.* 16. Eſtote ſimplices ſicut columbæ.

2. *Eſt S. Greg. Nazian. Oratione in S. lumina:* Vt columba, *inquit*, olim ad arcam reuerſa, Gen. 8. v. 9. corporei diluuij ſedati, eodem modo Spiritus ſanctus apparẽs in columbæ ſpecie, repreſſum eſſe diluuium ſpiritale indicat. *Et S. Amb. ſer.* 21. Cùm Chriſtus Dñs initaret Eccleſiæ Sacramenta, cœlo ſuperuenit columba. Intelligo myſterium, agnoſco etiam Sacramentum. Columba enim ipſa eſt, quæ nunc ad Eccleſiam Chriſti in Baptiſmo venit, quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit, tunc illi ſecuritatem annuncians oliuæ ramo, modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio. Tunc ſignum pacis ore afferens, modo ipſa pacem Chriſtum ſui ſubſtantia ſuperfundens. *Et Tertull lib. contra Valent. c. 2.* Columba à principio diuinæ pacis eſt præco. *Et S. Hieron. dialogo aduerſus Lucif.* Emittitur,

tur, *inquit*, de arca coruus, & non redit, & poſtea pacem terræ columba nunciat. Ita & in Baptiſmate Eccleſiæ, teterrimo alite expulſo, id eſt diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritus ſancti nunciat. *Similia habent alij S. Patres, Chryſoſt. hom. 12. in Matth. Cyrill. Ieroſol. catech. 17. Hieron. epiſtola 83. ad Oceanum:* Quemadmodum columba non accedit ad hominem niſi cicur, domeſtica, & amica ſit, ita Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie deſcendens oſtendit ſe propter Chriſtum hominibus amicum, familiarem, ac beneuolũ effectum, quos vt lectiſsima & gratiſsima templa ſua inhabitat. 1. *Cor.* 3. *v.* 17. *& c.* 6. *v.* 19. *Feliciſſimi homines, in quibus beatiſſimus ille Spiritus ſedem fixerit.*

Idcirco in columbæ ſpecie ſe Spiritus ſanctus exhibuit, vt doceret vel innocentes eſſe, vel innoxios fieri à ſe, ad quos venit. Quod præclare explicat S. Auguſtinus. *Matth.* 10. *v.* 16. *l. qq.* Euangelic. ſecundum Matth. *q.* 8. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpẽtes. Ad cauendum malum, in capite cuſtodiendo, quod eſt Chriſtus. Nam ſerpens totum corpus pro capite obijcit perſequenti, vel quod per anguſtias ſe coarctans veteri tunica exutus innouetur. Quod imitantur quibus dictum eſt: Intrate per anguſtam portam, Matt. 7. v. 13. cum veteri homine exuuntur, Eph. 4. v. 22. Nam ſi cauendum malum ita moneret, vt violenter reſiſtendum eſſet malis, non ſupra dixiſſet: Mitto vos ſicut oues in medio luporum. Simplices autem ſicut columbas eſſe voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus auis nullum omnino animalium necat, non ſolum grandium, contra quæ vires non habet, ſed etiam minutiſsimorum, quibus etiã perparui paſſeres aluntur. Eſt autem omnibus irrationabilibus animantibus vna quædam in-

 ter ſe

ter ſe ſocietas, ſicut etiam rationalibus ſua, id eſt, hominibus nõ ſolum ſecum, ſed etiam cum Angelis. Diſcunt ergo ex ſimilitudine columbarum nulli prorſus nocere ad ſuam ſocietatem pertinenti participatione rationis.

Sed & ideo ſub columbæ ſpecie venit Spiritus ſanctus, vt mutuam nos pacem doceret & concordiam. Quod eleganter explicat Diuus Auguſtinus tractatu 6. in Ioannem: Sic ergo, *ait*, oportebat demonſtrari Spiritum ſanctum venientem ſuper Dominum, vt intelligat vnuſquiſque, ſi habeat Spiritum ſanctum, ſimplicem ſe eſſe debere ſicut columbam: habere cum fratribus veram pacem, quam ſignificant oſcula columbarum. Habent enim oſcula & corui, ſed in coruis falſa pax, in columbis vera pax, oſculantur corui, ſed laniant, à laniatu innocens eſt natura columbarum. Illi habent veram pacem, qui Eccleſiam non laniauerunt.

Diſertè & Beatus Cyprianus libro de vnitate Eccleſiæ: Idcirco, *ait*, in columba venit Spiritus ſanctus: quia in domo Dei in Eccleſia Chriſti vnanimes habitant, concordes & ſimplices perſeuerant. Columba ſimplex animal & lætum eſt, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum: hoſpitia humana diligere, vnius domus conſortium noſſe, cum generãt ſimul filios edere, cum commeant volatibus inuicem cohærere communi cõuerſatione vitam inuicem degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc caritas obtinẽda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt manſuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur. Quid facit in pectore Chriſtiano luporum feritas?

ritas? & canum rabies? & venenum lethale ſerpentum? & ſæuitia cruenta beſtiarum. Gratulandum eſt cum tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur.

Et Sanctus Auguſtinus epiſtola 50. *ad Bonifacium:* Non habent Spiritum Sanctum, qui ſunt extra Eccleſiam, non eſt particeps diuinę caritatis, qui hoſtis eſt vnitatis. *Et libro ſecundo contra Creſconiũ Grammaticum capite* 14. *idem Beatus Auguſtinus:* Nemo Spiritum ſanctum accipit, niſi qui Eccleſiæ vnitati copulatus eſt. *Et ſanctus Gregorius initio ſuæ explanationis in Pſalmum quintum pœnitentialem:* Sicut eſt vna anima, *ait*, quæ diuerſa corporis membra viuificat, ita totam ſimul Eccleſiam vnus Spiritus ſanctus vegetat & illuſtrat. Sicut namque Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ de Spiritu ſancto conceptus eſt, ſic ſancta Eccleſia, quę corpus eius eſt, eodem Spiritu ſancto repletur, vt viuat, eius virtute firmatur, vt in vnius fidei & caritatis compage ſubſiſtat. *Vnde dicit Apoſtolus Epheſ.* 4. *verſ.* 16. Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei. *Iſtud eſt corpus, extra quod non viuificat ſpiritus. Vnde dicit Beatus Auguſtinus tractatu* 27. *in Ioannem, & ſermone* 186. *de Tempore, & alibi:* Si vis viuere de Spiritu

Chriſti, eſto in corpore Chriſti. De hoc Spiritu non viuit hæreticus, non viuit ſchiſmaticus, nō viuit excommunicatus: non enim ſunt de corpore, Eccleſia autem Spiritum viuificantem habet, quia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter adhæret: ſcriptum eſt enim 1. Cor. 6. v. 17. Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo.

Quinta cauſa eſt: quia vt ait S. Ambroſ. ſermon. 70. Columba in ipſis auibus velocius volitat. *Quod & Iſaias inſinuat, cap. 60. v.* 8. Qui ſunt iſti, qui vt nubes volāt, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? *Et S. Gregor. Naz. Oratione ad ciues timore perculſos. Dauid Pſal.* 54. *v.* 7. Quis, *inquit*, mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Columbæ pennas expetit, vel quod leuiores ſint & perniciores (talis eſt enim quiſquis iuſtitiam colit) vel quod Spiritum adumbret, cuius vnius auxilio pericula fugimus, vt quam longiſsimè ſe remoueat, ab iis malis quæ, tum graſſabantur. Columba nulli animātium meditatur noxam, & præſidium aduerſus miluos non habet niſi in celeritate volādi. Nec iuſti certius & tutius tartareum accipitrem effugiunt, quam cum ſubuehente Spiritu ſancto mente & voluntate ad cœleſtia cogitanda & amanda celerrimè euolant.

Sexta: Columba eſt animal mundum & caſtum, ſcribit enim Aelianus, nec turtures nec columbas noſſe adulteria, inter etiam paſtum frequenter ſuſpicit cœlum, timidum eſt, nec ſuæ imbecillitatis ignarum. Ita quos inſederit Spiritus ſanctus à peccati impuritate abhorrentes, caſtos & pudicos, cœleſtis patriæ deſiderio flagrantes, Dei reuerentes, & ſui cognoſcentes facit: puriſſima columba erat, quæ dicebat: Mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia, *Tobiæ* 3. *v.* 16.

Vt habet S. Auguſt. tract. 6. in Ioannem (qui totus de hac natura lectu digniſsimus eſt) Deus per columbæ ſpeciem oſtendere voluit Spiritum ſanctum: quia gemitus columbæ eſt, Iſa. 59. v. 11. Spiritus autem ſanctus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8. v. 26. quia docet & facit nos gemere, inſinuat enim nobis: quia peregrinamur, & docet nos in patriam ſuſpirare & ipſo deſiderio gemimus &c. *Sunt & aliæ columbæ proprietates, vt quod ſit iniuriæ & ablatorum pullorum immemor, quod fœcunda ſit & ſingulis fere menſibus pariat, quod miro amore pullos foueat, quod in foraminibus petræ habitet Cant. 2. v. 14. quæ omnia ad S. Spiritus gratiam faciliter accommodantur. Denique Spiritus ſanctus ſanctam animam Sponſam in Canticis Canticorum, nomine columbæ compellat.*

Da diuiniſſime Spiritus vt innocentia, concordia, caritate, cœleſtium rerum deſiderio, bonorum operum fœcunditate ſimus columba & ſponſa tua.

CAPVT XII.

QVIBVS DE CAVSSIS IN DOmini Transfiguratione nubis ſpecie S. Spiritus apparuerit.

QVod Domino Liberatore noſtro transformato Matth. 17. v. 5. in nube lucida ſingularem ſuæ præſentiæ modum exhibuerit l. 2. c. 6. expoſuimus & S. Patrum auctoritate comprobauimus, nunc cauſſa afferendæ cur id factum. Cuius rei 1. cauſſa eſt, vt intelligamus qui nubis miniſterio Iſraheliticum populum per deſertum in Palæſti-

nam, ſiue promiſſionis terram deduxit, is idem ſit, qui ſua nos ope & gratia ad ſempiternam nos promoueat felicitatem. Moyſes Exodi 13. *verſ.* 21. 22. Dominus, inquit præcedebat eos, ad oſtendendam viam per diem, in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroq; tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. *Quod Dei beneficium cum alibi tum Exod.* 40. *v.*34. *vſque ad finem cap. & Num.*9.*v.* 15. *ad vſque ſimiliter cap. exitum Moyſes prædicat. Et quis itineris monſtrator? Iſaias c.* 63.*v.*14. *loquens de Iudaica gente* Spiritus *ait* Domini ductor eius fuit. *Et quis nos perducit ad cœlum niſi Spiritus ſanctus?* Spiritus tuus bonus *ait Dauid Pſal.*142.*v.*7. deducet me in viam rectam. *Et Spiritum ſanctum inuocans Eccleſia.* Rege, *ait* quod eſt deuium. *Et iterum:* Ductore ſic te præuio, vitemus omne noxium.

2. *Cauſſa eſt; quod ſicut olim inter Aegyptios & Hebræos nubem interpoſuit, hos vt defenderet, illos diſperderet Exod.*14.*v.*19.*& v.*24. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorũ, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundũ. Dixerunt ergo Aegyptij: fugiamus Iſrahelem: Dominus enim pugnat pro eo contra nos. *Num.* 14. *v.*14. Nubes tua protegat illos, *Ita & S. ſanctus in hoſtium noſtrorum medio ſe collocat illos vt fuget fundatque, & nos vt tueatur. Precatio Eccleſiæ eſt ad S. Spiritum:* Hoſtem repellas longius. *Et profecto ſicut S. ſanctus non fert mali Spiritus conſortium: ita nec malus Spiritus conſiſtere põt, vbi præſto eſt ſanctus Spiritus.*

Cauſſa eſt cur in nube Spiritus ſanctus ſuam præſentiam declararit, vt ea ratione ſuam maieſtatem eamque mortalibus incomprehenſibilem oſtenderet.

Hinc

Hinc *Arethas in c.*11.*Apoc.* Semper,*inquit*, nubes miniſtra eſt in diuinis rebus, illiſque familiaris eſt. Nam in nube eſt quædam obſcuritas cum aliquo ſplendore, quia refractione radij ſolaris perficitur, ideoque diuinis manifeſtationibus atteſtando comiſcetur illud deſignans: quod diuina neque omnino nobis incerta ſunt,neque omnino manifeſtè præbentur, ſed veluti puræ lucis illuſtratio per obſcuritatem manifeſtatur. Exodi 16.verſ.10. Ecce gloria Domini apparuit in nube. Et cap.19.verſ.9. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis. Cap. 24. verſ. 16. Operuit nubes montem & habitauit gloria Domini ſuper Sinai tegens illum nube ſex diebus Pſal.67.verſ.35. Magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Daniel.7.verſ.13. Matth.24.v.30. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maieſtate. Et c. 26.v.64. Act.1.v.9. Apoc.1.v.7.

Cauſſa eſt hæc: Sicut proxima materia nubium eſt vapor ex aqua Solis & reliquorum aſtrorum calore in mediam aëris regionem euocatus, & ibi frigore addenſatus, ita nubes (niſi forte ſicciores & euanidæ fuerint) proxima etiam ſunt pluuiæ materia, cùm nihil aliud pluuia ſit quam nubes in aquam ſoluta. Atque iſte vapor, nubes, & aqua non niſi qualitate diſtinguuntur. Iudicum 5. *verſ.*4. Nubes diſtillauerunt aquis. 2.Reg. 22. verſ. 12. Cribrans aquas de nubibus cœlorum. Iob. 26. verſ. 8. Qui ligat aquas in nubibus. Pſal.146. verſ. 8. Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam. Eccleſ.11.verſ.3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. *Quid igitur non in nube quæ eiuſdem cum aqua naturæ eſt appareat Spiritus ſanctus, qui tam ipſe quam ipſius gratia in diui-*

diuinis literis ſæpiſſimè cum aqua comparatur? Iſaiæ 44.v.3. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam Ezech.36.v.25. Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris v.26. Et dabo vobis cor nouum & Spiritum nouum ponam in medio veſtri. *Et v.* 27. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis &c. Ioelis 2.v.28.29. Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, ſuper ſeruos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. Ezech.39.v.29. Non abſcondam vltra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum ſuper omnem domum Iſrahel, ait Dominus Deus. Zach.12.v.10. Effundam ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum. *In quo effuſionis verbo duo animaduertenda ſunt: alterum quod ſemper ad aquam fiat alluſio, vt quæ effunditur Pſal.*21.v.15. Sicut aqua effuſus ſum. *alterum quod ingens copia & per magna donorum Spiritus ſancti affluentia ſignificetur quod dixit Apoſtolus* Tit.3.v.6. Spiritum ſanctum effudit abunde in nos Deus per Ieſum Chriſtũ Dominum. B.Hier. in c.2.Ioelis. Verbum, *inquit*, effuſionis oſtendit muneris largitatem, quod in omnes credentes in nomine Saluatoris Spiritus ſancti dona deſcenderent, nequaquam in hunc & in illum, ſed in omnem carnem. Et q. 9. ad Hedibiam epiſtola 150. Verbum, *ait*, effuſionis ſignificat gratiæ largitatem, & idipſum ſonat quod Dominus repromiſit Act.1.v.5. Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. In tantum enim Spiritu ſancto baptizati ſunt, vt repleretur tota domus, vbi erant

rant ſedentes, & ignis Spiritus ſancti ſtationem in eis inueniret optatam. *Vbi non oſcitanter prætereundum S. Hier. exponere baptizari Spiritu ſancto, pro repleri, & quaſi immergi in Spiritum ſanctum. Vnde & planum fit illud Matth.* 3. v. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venturus eſt fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. *Quaſi diceret: Sicut ego modo copioſè aquam ſuper vos effundo, ita ipſe affluenter effundet Spiritum ſanctum S. Chryſ. hom. 11. in Matth. hæc verba interpretans*: Dicendo, *ait*, Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto indulgentiam peccatorum, interitumque pœnarum, iuſtificationē, ſanctificationem, liberationem, filiorum adoptionem, fraternitatem, cohæreditatem, communionemque Chriſti & ſancti Spiritus dona largiſſima complexus eſt, ipſa translatione ſermonis exprimens gratiæ largitatem. Non enim dixit: Dabit vobis Spiritum ſanctum ſed baptizabit vos in Spiritu ſancto. *Et Theophylactus exponit*. Inundabit vos largiter Spiritus ſancti gratiis.

Sicut autem in vocabulo effuſionis ita multo magis in voce baptizationis eſt comparatio Spiritus ſancti & aquæ. Sed quid laboramus cum illud clariſſimè Saluator doceat? Ioan, 4. v. 14. Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalutis in vitam æternam. *Eſt hic fons & aqua fontis. Fons eſt principium & eſt Spiritus ſanctus, aqua manans, gratia & dona ipſius ſunt. Hæc autem aqua tantum aſcendit, quanta eſt principij à quo emanat altitudo, hoc autē, vt diximus, principium eſt Spiritus ſanctus ipſiſſima vita æterna, eo ergo ſalit & habentem perducit. Ita benè exponit S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto c. 20. Et Ioann.* 7. v. 37. 38. 39. In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis

tis ſtabat Ieſus & clamabat dicens: Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu ſancto quem accepturi erant credentes in eum. *Datur Spiritus ſanctus in corde credentis, qui fons viuus eſt, à quo innumera & perfectiſſima dona & virtutes, velut flumina multa procedunt & in ipſas potentias, in corpus, in actiones, in proximos deriuantur, nulli non proſunt iuſti.* Spiritus enim gratia, *ait* S. Ioannes Chryſoſt. homil. 50. in Ioannem, cum menti illapſa eſt, eamque irrigarit, omni fonte vberius ſcaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam ſtat. Simul autem & indeficientem copiam, & incredibilem operationem & fontem & fluuios appellauit

Magna autem eſt ſimilitudo Spiritus ſancti & aqua non tamen ſine magna diſſimilitudine. 1. *Corporum maculas eluit aqua, ſed non niſi vt naturalis munditia recuperetur, & conſumat vt videre eſt in lotis veſtibus, & à toto corpore diffluat. At Spiritus ſanctus extergit peccatorum ſordes Iſa.* 4. *verſ.* 4. *naturali munditia & pulchritudini nouam & multo præſtantiorem addat Pſal.* 50. *v.* 9. Lauabis me & ſuper niuem dealbabor, (*quid niue candidius? Et diuinæ conſors fiat naturæ* 2. *Pet.* 1. *v.* 4. *& eius pulchritudinem Deus concupiſcat Pſal.* 44. *verſ.* 12. *Confirmetque Philip.* 4. *v.* 13. *maneatque mirabili modo in homine Ioannis* 14. *verſ.* 16. 2. *Aqua fœcundam frugiferamque efficit terram vt multiplices varioſque fructus proferat, ſed emortuis arboribus frugibuſque vitam non reſtituit, neque vt ſupra naturæ ſuæ vires agant, tribuit. Fructus Spiritus ſancti & nobiliſſimos & diuerſiſſimos enumerat Iſa. cap.* 11. *verſ.* 2. *Apoſtolus.* 1. *Cor.* 12. *v.* 8. *Gal.* 5. *v.* 22. *qui & ſpiritalem ac diuinam nobis vitam reſtituit.*

Cre-

Credimus enim ex Symb. Nicano in Spiritum ſanctum viuificantem, *& vt ait Dominus Ioannis 6. v.* 63. Spiritus eſt, qui viuificat *& vt ſupra naturæ facultatem, credamus, ſperemus, diligamus, operemur, perficit. 3. Aqua extinguit ſitim. Sed Spiritus ſanctus præſtat vt non ſitiamus in æternum: nam decurſo breuiſsimo huius vitæ curriculo iuſti virtute S. Spiritus Roman. 8. v. 11. reſurgent impatibiles nec vllarum miſeriarum capaces & gloria Domini perfectiſsimè ſatiabuntur Pſal. 16. v. 25. Matth. 5. v. 6. 4. Sicut nubes interpoſitu ſuo & pluuia ſolis ardorem temperat & mitigat: Pſal.* 104. *v.* 39. Expandit nubem in protectionem eorum. *ita Spiritus ſanctus caritate diffuſa in corda noſtra minuit & reſtinguit cupiditatum noſtrarum æſtum: eſt enim Spiritus ſanctus, vt canit Eccleſia*: Conſolator optimus, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. *Præclarè S. Auguſt. l. 83. QQ. q. 36.* Caritatis *ait* venenum eſt ſpes adipiſcendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentũ eius eſt imminutio cupiditatis. Perfectio nulla cupiditas. *Quiſquis igitur eam nutrire vult, inſtet minuendis cupiditatibus.*

Sunt & aliæ ſimilitudines. vt quod nubes, licet ex aqua & terrena materia colligatur, calore tamen ſolis extenuatur, rareſcit, & in altum tollitur, ac faciliter mouetur. Ita cum terrenum hominem Spiritus ſanctus inſederit, facit illum ſpiritalem, mente ad cœleſtia ſubleuat, & ſuis donis ad omne bonum flexibilem, ſequacem, ac mobilem efficit, vt vbi eſt impetus Spiritus illuc iuſti gradiantur Ezech. 1. verſ. 12. *qui & illos in ſublime ſuſtollit, hinc toties repetit illud idem Propheta*: Spiritus eleuauit me cap. 3. 14. cap. 8. verſu 3. cap. 11. verſ. 1. & 24. cap. 43. verſ. 5. *Eleuat eos Spiritus ſanctus vt*

eorum

eorum conuerſatio in cœlis ſit Philip.3.verſ.20. Mouet illos vt eant de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion Pſal.83.v.8. *iuxta illam promiſſionem diuinam* Ezech. 36. v. 27. Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei Rom. 8.v.14.

Licet nubis materia ſit amara, & ſalſa maris aqua ipſam tamen in dulcem pluuiam & aquam conuertit, ita Spiritus ſanctus huius ſæculi afflictiones iuſtis in gaudium conuertit.Hinc illæ Sanctorum voces: Gloriamur in tribulationibus Rom.5.v.3. Gloriabor in infirmitatibus meis 2.Cor.12.v.9. Ibant gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati Act.5.v.41.

*Fuit autem in transfiguratione Domini lucida nubes Matth.*17.*v.*5.tum quia Deus lux eſt 1.*Ioannis* 1. *& Spiritus ſanctus ſe ibi repræſentans verus eſt Deus: tum quia diuinam Christi maieſtatem voluit manifeſtare: tum quia facies Christi reſplenduit ſicut ſol veſtimentaque eius candida & fulgentia erant ſicut nix vel lux,inter quæ conueniebat,vt eſſet conformitas.*

Largire ſanctiſſime Spiritus vt te duce te rectore ſic pertranſeamus bona temporalia vt conſequamur æterna.

* * *

CAPVT XIII.

MISSIO SIVE DONATIO SANcti Spiritus in afflatu ſiue vento.

*D*Emonſtratus eſt Spiritus ſanctus ſæpius flatu & vento: nam vt ait D. Ioannes c. 20. verſ. 22. ipſo ſuæ Reſurrectionis die Dominus Ieſus per clauſas ingreſſus ianuas & pacem Apoſtolis precatus*, inſufflauit in eos & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. Neque enim flatus ille corporeus, *ait* S. Auguſt. lib. 13. de Ciuit Dei cap. 24. de carnis ore procedens ſubſtantia erat Spiritus ſancti atque natura, ſed potius ſignificatio, qua intelligeremus Spiritum ſanctum Patri eſſe filioque communem, & ab vtroque pariter procedere. *Et de die Pentecoſtes S. Lucas Act. 2. v. 2.* Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis. S. Cyprianus habet, Factus eſt ſubito de cœlo ſonus quaſi ferretur flatus vehemens. *Ipſe etiam Dominus Ioan. 3. verſ. 8. cum vento Spiritum ſanctum comparat dicens:* Spiritus vbi vult, ſperat. Et Dominus in ſibilo auræ tenuis Eliæ apparuit *3. Reg. 19. v. 12.*

Quin & Maieſtatem ſuam Deus ſæpe ventorum vel productione vel excitatione vel cohibitione demonſtrauit. Hamos quarto verſ. decimo tertio. Ecce formans montes, & creans ventum, faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ, Dominus Deus exercituum nomen eius. *Dicitur & quaſi inequitare & inſidere ventis vt Pſalm. 17. verſ. 9.* Aſcendit ſuper Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. *Adhæc Dauid Pſal. 134. verſ. 7. & Hieremias cap. 10. verſ. 13. non ſine diuina potentia admiratione dicunt:* Qui producit

ventos de theſauris ſuis, *id eſt, ex abditis locis cum illi collibitum fuerit. Et Matth. 8. verſ. 26.* Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt, dicentes, qualis eſt hic; quia venti & mare obediunt ei. *Cum ergo veritas diuinæ maieſtatis & poteſtatis index ſit ab ipſo Sancto Spiritu ſuæ apparitioni eſt adhibitus.*

Verum & alias proferamus huius rei cauſſas & rationes. 1. Quadrat Spiritus nomē tertiæ ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ, vt à ſpirādo & flando dicitur: quia proceſſio eius eſt veluti exſpiratio quædam & reflatio quaſi ex intimo præcordiorum calore, & amore Patris & Filij.

2. Quemadmodū ventus rem vnam impellit in aliā, ita amor impellit amantis voluntatem in amatum, Spiritus vero ſanctus eſt perſonalis amor ex Patris & Filij amore procedens, quo diuino amore ipſe angelos & homines iuſtos pariter inflammat. Rom. 5. v. 5.

3. Similiter ac ventus cū naturali ſuo impetu rapitur, ſine impedimento fertur, ita Spiritus ſanctus ſuis in operationibus liberrimus eſt, nihil illi obſtaculum opponit, vbi vult ſpirat Ioannis 3. verſ. 8. Sua dona cuique diuidit prout vult. 1. Cor. 12. verſ. 11. Eadem libertate donat & ſuos: quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas 2. Cor. 3. verſ. 17. Non premuntur dæmonis, carnis, vel mundi ſeruitute, legem implent, tentationes ſuperant, peccata deuitant, diabolum fugant, & vincunt, carnem Spiritui ſubiugant, mundum conculcant, quælibet bona perficiunt, nulla eos res à caritate Dei ſeparat Rom. 8. v. 35.

4. Sicuti ventus eſt inuiſibilis, & tamen eius ſonus auditur, ita Spiritus ſancti natura ſub aſpectum non cadit, operationes tamen eius oculis & ſenſibus vſurpantur. Auditur eius vox in ſanctis loquentis Matth.

10.ỽ.20. Non vos eſtis qui loquimini ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. *Actor.* 6. *verſ.* 10. Non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui qui loquebatur. *Ipſe ignaros ſapientiſſimos, ipſe debiles fortiſſimos, ipſe infantes eloquentiſſimos, ipſe ſceleribus coopertos ſanctiſſimos efficit. Exemplis id demonſtrat S. Gregor. Theologus Nazian. oratione in S. Pentecoſten:* Hic, *inquit*, Spiritus vtpote ſapientiſſimus atque hominum amantiſſimus, ſi paſtorem nactus fuerit, citharædum facit peruerſos Spiritus excantantem, atque Iſrahelis regem deſignat. 1. Reg. 16. verſ. 13. & 23. *Dauidem intelligit.* Si caprarium moros vellicantem. Prophetam efficit. Hamos 7. 14. 15. Si adoleſcentem elegantem acceperit, presbyterorum iudicem conſtituit, idque ſupra quam ætatis ratio ferre videatur (12. *ætatis annum agebat*) Teſtis eſt Daniel c. 6. 13. & 14. qui leones in lacu ſuperauit. Si piſcatores inuenerit è verriculo eos ad Chriſtum trahit, orbem vniuerſum ſermonis retibus complectentes. Exemplo tibi ſint Petrus & Andreas tonitruique filij, qui ſpiritalia intonuerunt Matth. 4. verſ. 18. 21. Marci 3. verſ. 17. Si publicanos, ad diſcipulatum elucratur, animarumque negotiatores efficit. Teſtis Matthæus c. 9. verſ. 9. heri publicanus, hodie Euangeliſta. Si feroces perſecutores, zelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit, nec minus pios reddit, quam impios offenderat. Actor. 9. 1. Corinth. 15. Galat. 1. 1. Timot. 1. *Hæc priuilegia & ſubitas mutationes Spiritui ſancto priuatim attribuit Theologus: quia Spiritus ſancti dona ſunt. Quæ eadem exempla cum produxiſſet.* S. Gregorius Magnus homil. 30. in Euang. *exclamat:* O qualis eſt artifex iſte Spiritus, nulla ad diſcendum mora agitur in

Pp 2 omne

omne quod voluerit: Mox enim vt tetigerit, mentem docet, ſolumque tetigiſſe docuiſſe eſt. Nam humanum animum ſubitò vt illuſtrat: immutat: abnegat hoc repente quod erat, exhibet repentè quod non erat. *Quod & repentina Petri & aliorum Apoſtolorum conuerſione comprobat. Nemo ergo experiens in ſe prauos habitus longa peccandi conſuetudine corroboratos, de emendatione deſperet, ſed potius S. ſancto ſubiectiſſimus & obedientiſſimus ſit, & omnia eueſtigio impedimenta auferentur.* Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum 1. Reg. 10. v. 6.

Sicut ortus & terminus venti ignorantur, ſic nemo conſilia, iudicia, vias ſancti Spiritus intelligit. Quis n. hominum poterit ſcire conſilium Dei: aut quis poterit cogitare qd velit Deus? Sap. 9. v. 13. Quis cognouit ſenſum Domini: aut quis conſiliarius eius fuit? *Rom. 11. v. 34. Iſa. 40. v. 13. Ita Apoſtoli pleni S. ſancto viſi ſunt increduli Iudæis muſto pleni Act. 2. Iuſti oculis inſipientium viſi ſunt ſtulti, cum eſſent ſapientiſſimi: iudicati ſunt ſcelerati, cum eſſent innocentiſſimi: exiſtimati ſunt ſine honore, cum eſſent filij Dei: reputati ſunt mortui, & è viuorum numero exterminati, cum eſſent in pace & beatitudine Sap. 3. v. 2. 3. c. 5. v. 4.* 5. Animalis enim non percipit quæ ſunt Spiritus Dei. 1. *Cor. 2.*

Quemadmodum ventus naues quantumuis magnas vehementer impellit, vt per mare & fluuios non tā currere, quam volare videantur, ita S. ſanctus iuſtorum animas ſua gratia ad omnem virtutem incitat, vt ſine offendiculo, maximà celeritate viam mandatorum Domini percurrant. Eſt enim aqua ſaliens in vitam æternam Ioan. 4. v. 14. Et vt ait S. Ambr. in c. 1. S. Lucæ. Neſcit tarda molimina S. ſancti gratia. *Et Apoſtolus Rom. 8. v. 14.* Qui Spiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei. *In quem locum S. Chryſoſt.* Non ſimpliciter dicit

cit: Quicunq; Spiritu Dei viuunt, ſed qui Spiritu Dei ducuntur, vt oſtendat quod Spiritus ipſe ita vitæ noſtræ velit eſſe Dominus, quemadmodum nauigij eſt nauclerus, & iugatorum equorum auriga, vt per omnem vitam illius ductu conuerſemur.

In flamine apparuit Spiritus ſanctus, vt demonſtraret nos magis egere ipſius auxilio, gratia, confirmatione, quam vento, aere, reſpiratione 1.*Cor*.15.*v*.10. Gratia Dei ſum id quod ſum. Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto 1. Cor. 12. v. 3. S.Auguſt.epiſtola 106.ad Paulinum. Niſi gratia, *inquit*, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adiuuet nos, nihil pietatis atq; iuſtitiæ, ſiue in opere, ſiue etiam in ipſa voluntate habere poſſumus: Deus quippe operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate *Philip*.2.*v*.13.

S.Aug.ſer.188.*de Tempore ait*: Flatus ille à carnali palea corda mundabat. *Cyrill. Ieroſ.catech*.16. Spiritum malignum exſufflat, vt contingit in exorcizatis. *Origenes hom*.5.*in Ioann.citans illud Ierem*.10.*v*.13. Educit ventum (70.*ventos*) de theſauris ſuis, Theſauri ventorum inquit, theſauri ſpirituum ſunt, Spiritus ſapientiæ &c. *Iſa*.11.*v*.1. 1.*Cor*. 12. *verſ*. 7. *Hi Theſauri ſedem habent in Chriſto Coll*.2.*v*.3.

Poſſunt & alia plurima adduci in quibus eſt aliqua venti & S.ſancti ſimilitudo & conuenientia : vt quod ventus mare perturbat & agitat, ſic S.ſanctus peccatorum cognitione & ſuppliciorum terrore improbam mẽtem commouet.*Iſa*.26.*v*.17. Sicut quæ concipit cũ appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis : ſic facti ſumus à facie tua Dñe concepimus & quaſi parturiuimus Spiritum.70. *habent*: Propter timorem tuum Dñe in vtero accepimus & parturiuimus & peperimus Spiritũ

 ſalu-

ſalutis. S. Hier. in Comment. Sicut ad partũ mulier appropinquans dolore cogitur exclamare, ſic nos in anguſtia requirimus te, & à facie formidinis tuæ concepimus, & parturiuimus & peperimus, non carnis liberos, ſed Spiritus, vt tota in te mente credamus, &c. quem per beneficia non ſenſimus per tormenta diſcamus.

Vt ventus aerem cogit in pluuias, ita S. ſanctus fletũ excitat in pœnitentibus, vt in Magdalena, Petro, & aliis: nam vt ait S. Leo Magnus ſerm. 1. de Pentecoſte. Ab ipſo enim eſt inuocatio Patris, ab ipſo ſunt lachrymæ pœnitentium, ab ipſo ſunt gemitus ſupplicantium.

Sicuti perſlant & diſturbant altiſſima venti, humilia illæſa relinquunt; ſic Spiritus ſanctus deponit potentes de ſede & exaltat humiles, ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam 1. Pet. 5. v. 3.

Quemadmodũ ventus aerem purgat & ſerenat, conſeruat agitatione ne putreſcat, & vtilis eſt producendis frugibus, ita S. ſanctus mundat animam, tuetur ab affectionum & vitiorum corruptela, & ad bonorum operũ fructus proferendos non modo vtiliſſimus eſt ſed omnino perneceſſarius. Tradit hoc Seneca lib. naturalium quæſtionum c. 18. Inter cætera, *inquit*, prouidentiæ opera, hoc quoq; aliquis, vt dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex vna cauſſa ventos aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primum, vt aera nõ ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde, vt imbres terræ ſubminiſtrarent, iidẽque nimios compeſcerent. Nam modo adducunt nubes, modo deducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi poſſent. Quid quod fruges percipi non poſſunt, niſi flatu, ſuperuacua & mixta ſeruandis, ventilarentur, niſi eſſet quod ſegetem excitaret, & latentem frugem ruptis

vela-

velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret? Quid, quod omnibus inter ſe populis commercium dedit, & gentes diſſipatas locis miſcuit? Ingens Dei beneficium, ſi illud in iniuriam ſuam non vertat hominum furor.

Sancte Spiritus afflatu tuo & cupiditatum noſtrarum ardorem refrigera & nos in virtutis ſtudium vehementer impelle.

CAPVT XIV.

DE APPARITIONE S. SPIRITUS in linguis igneis & primo cur in igne.

N*Otiſſima & longe celeberrima Sancti Spiritus miſſio Act. 2. v. 1. à B. Luca deſcribitur:* Cum, *inquit*, complerentur dies Pentecoſtes erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repente de cœlo ſonus tanquã aduenientis Spiritus vehementis & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, & apparuerũt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes S. ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout S. ſanctus dabat eloqui illis.

S. Greg. Naz. orat. in S. Pentecoſt. plures cauſas affert cur S. ſanctus & in igne & in linguis viſus fuerit. Iam vero in linguis, *inquit*, apparet propter cognationem eam quam cum verbo habet. Cur autem in linguis igneis. Vtrũ propter purgationẽ (Ignis n. purgantis ſcriptura meminit, quemadmodũ cuiuis volẽti diſcere promptũ eſt) an vero propter eſſentiam? Deus n. noſter ignis eſt, & quidem ignis improbitatem abſumens diſ-

crucieris rurſus licet, in eas anguſtias adductus, vt eum (Spiritum ſanctum) eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſſe tibi ſit confitendum. Atq; in diſpertitis quidem linguis apparet ob gratiarũ diuerſitatem: ſedentibus autem propter regiæ dignitatis excellentiã, eiuſq; ſuper ſanctos requietem: quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubinos habet. In cœnaculo vero (niſi fortè curioſius, quam par ſit, iſta perſequi videor) propter eorum, qui accepturi ſunt, aſcenſionem atque à terra ſubuectionem: nam & cœnacula quædam diuinis aquis, à quibus Dei quoque laudes celebrantur legi audiuimus. Atque ipſe Ieſus cum ſublimioribus myſterijs diſcipulos initiaret, Sacramentum ipſis in cœnaculo impertiit, vt illud oſtendatur partim Deum ad nos deſcendere, quemadmodũ olim in Moſe contigiſſe ſcimus, partim nos ad eum ſubuehi, ſicque inter Deum & homines conſortium iniri vtriuſque videlicet dignitate inter ſe commixta. *Iſta Theologus.*

Nos claritatis ergo primo cauſſas afferemus cur Spiritus ſanctus in igne; deinde cur in linguis apparuerit. Suam in igne præſentiam Spiritus ſanctus oſtendit, vt illum verum Deum agnoſceremus. S. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum num. 101. *ait* Spiritum ſanctum in igne frequenter apparuiſſe. *In Exodo c.* 19. Et mons Sina fumabat: quoniam deſcenderat Deus in eum in igne. *Item in Actibus Apoſtolorum c.* 2. Et viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ quaſi ignis, qui & inſedit in vnumquemque illorum & impleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Item in ſacrificijs quęcunque accepta habebat Deus deſcendebat ignis de cœlo, qui ſacrificata conſumeret (Geneſ. 4. de ſacrificio Abel iuxta veterum interpretationem & de ſacrificio Heliæ 3. Reg. 18.) In Exodo cap. 3.

In

In flamma ignis apparuit Angelus Domini de rubo. Ignis tranſiens per medium diſſectorum ab Abrahamo cadauerum ſignificabat Deum iuramento firmantem, quod illi appromiſerat, Gen.15.v.17.*Rupertus Tuitienſis ſuo in Danielem Cõment.cap.*7.*v.*13.Fluuius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius: Quid non dulce,quid non amabile procedit à facie eius? Ergo fluuium igneum dicimus ipſum eſſe Spiritum ſanctum, de quo Pſalm.45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et apud Iſaiam cap. 66. idem Spiritus Sanctus dicit: Ecce ego declino in eos, vt flumen pacis. Qui propterea dicitur egredi à facie Dei: quia ſubſtantialiter procedit ex Filio, qui eſt velut facies & imago Patris:Igneus & rapidus, quia mentes igneas reddit, & linguas diſertas,& viuidas facit,quod ipſo effectu probauit,ſuper diſcipulos deſcẽdens ſub ſpecie ignis, *&c.* S. *Cyrill.lib. in Ioannem in cap.* 3. Mandauit & Deus,ignis vt perennis ſua in ara arderet. *Leuit.* 6.*v.*12.Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies,*&c. Et v.*13. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. *Quod imitatus diabolus ad ſe, vt impiè* Dei *cultum transferret, igni in templo Veſtæ velut vitam perpetuam diligentiſsima ſubſtitutione lignorum non tam honoratæ quam damnatæ virgines donare conſueuerunt,ait* S.*Auguſt.li.*3. *de Ciuit.*Dei *cap.* 18. *qui & lib.* 8.*de* Ciuit.Dei *c.*5.*affirmat, quod Stoici ignem,id eſt corpus vnum ex his quatuor elementis,quibus viſibilis hic mundus conſtat, & viuentem & ſapientem, & ipſius mundi fabricatorem atque omnium quæ ſunt in eo, eumque omnino ignem Deum eſſe putauerunt.Et Perſæ ignem coluerunt quaſi Deum, & Chaldæi, Vr, id eſt, ignem adorauerunt. Et vt ait* S. *Dionyſ.cap.* 15. *de cœleſti Hierarchia*: Ignis diuinæ

 pro-

proprietatis, ſi dici liceat, in rebus viſibilibus plurimas ſeruat imagines, quas & ipſe ibi prolixè enumerat. *Ignis diuinitatē ſignificat, 1. quia eſt elementum ſubtiliſſimum, & Deus eſt puriſſimus & omnia penetrans ſpiritus. 2. quia ignis eſt lucidiſſimus, &* Deus lux eſt, & tenebræ non ſunt in illo vllæ, 1. Ioan. 1. v. 5. *Et vt ignis illuminat mentem, affectum delectat, dirigit ingreſſum. 3. quia ignis calidiſſimus eſt. Deus autem ſuo calore omnia viuificat, purgat, animat, imo & cum vult, iraſcitur, punit, adurit & deuaſtat Zelo iræ ſuæ. 4. quia ignis eſt leuiſſimus & ad ſuperiora fertur, Deus autem in altiſſimis habitat. 5. Ignis eſt immiſtus & ſimpliciſſimus, & Deus ab omni concretione alieniſſimus. 6. Ignis in actione ſua eſt efficaciſſimus, vt videre eſt in tormentorum exploſione, &* Deus operatur omnia in omnibus, 1. *Cor.* 12. *v.* 6. *& ſola voluntate operatur*: Omnia quæcunque Dominus voluit, fecit in cœlo & in terra. *Pſalm.* 113. *v.* 3. *Et* nemo eſt, qui reſiſtat voluntati eius. *Heſth.* 13 *v.* 9. *Rom.* 9. *v.* 19. 7. *Ignis ſemper mouetur, & Deus nunquam ab actione ceſſat:* Pater meus, *inquit Saluator,* vſque modo operatur, & ego operor, *Ioan.* 5. *v.* 17. *Videatur S. Thomas in* 10. *cap. Iſaiæ.* Itaque Patri & Filio coæternus Spiritus, *ait S. Greg. hom.* 30. *in Euang.* in igne monſtratur, quia incorporeus, ineffabilis, atque inuiſibilis ignis eſt Deus atteſtāte Paulo Heb. 12. v. 29. Deus noſter ignis conſumens eſt: Deus quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo conſumitur.

Vbi & ſecunda ratio à Beato Gregorio inſinuatur, quod idcirco in igne Spiritus ſanctus venerit: quia vt ignis aurum, argentum, æs & alia metalla purificat & emundat: ita Spiritus ſanctus animum à vitiis emaculat, Iſa. 4. *v.* 4. *Et Malac.* 3. *v.* 2. *dicitur, quod ſit quaſi ignis conflans, id eſt, metalla purificans, quæ mittuntur in i-*

in ignem, vt liqueſiant & excernantur ſcoriæ. Chriſtus enim Dominus *igne ſui Spiritus expurgat corda fidelium, quos proinde & baptizare in Spiritu ſancto & igne dicitur Matt. 3. v. 11. Quod & ſatis declarauit flatu ſuo eundem donans ſanctum Spiritum Ioan. 20. v. 22. ad remittendum & peccata condonandum. Et vt ait S. Gregorius lib. 1. Moralium cap. 22.* Bene Chriſtus Redemptor Apoſtolos ſanctificare dicitur: quia dum Spiritum ſanctum, qui à ſe procedit; diſcipulorum cordibus tribuit, quicquid eis culpæ ineſſe potuit, emundauit.

Tertia ratio: Quemadmodum ignis vicina illuſtrat loca, ita & Spiritus S. *ſibi coniunctas mentes mirificè illuminat. Eſt enim* Spiritus *veritatis docēs omnem veritatem, Ioann.* 14. Ipſe Spiritus veritatis, *ait S. Leo ſer. 1. in Pent.* facit domum gloriæ ſuæ luminis ſui fulgore nitere, & in templo ſuo nec tenebroſum aliquid vult eſſe nec tepidum. *Quare quicquid veri cogitamus, aut ex concione vel lectione percipimus, id totum ex ſancti Spiritus inſtitutione eſt & afflatu, atque illius gratiæ & beneficio tribuendum eſt. Quocirca & Beatus Gregorius hom. 30. in Euang.* Niſi, *ait*, Spiritus ſanctus adſit cordi audientis, otioſus eſt ſermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.

Ideo 1. Ioannis ſecundo verſu 27. dicitur: Vnctio eius docet vos de omnibus. Per vocem ergo nō inſtruitur, quando mens per Spiritum non vngitur. Sed cur iſta de doctrina hominum loquimur, quando & ipſe conditor non ad eruditionem hominis loquitur, ſi eidem homini per vnctionem ſpiritus nō loquatur? Certè Cain priuſquam fratricidium opere perpetraret, audiuit:

Pecca-

Peccaſti, quieſce (*ſecundum* 70. *Gen.* 4.) ſed quia culpis ſuis exigentibus, voce eſt admonitus non vnctione Spiritus, audire verba Dei potuit, ſed ſeruare contempſit. *Propterea concionatori & auditoribus ſemper implorandus Spiritus S. ne ſine fructu proferatur ſermo diuinus.*

Sicuti ignis non ſolum illuminat, ſed etiam accendit, ita Spiritus ſanctus non ſolum cœleſti lumine animos complet, ſed etiam amore ſuo vehementer inflammat, vt quæ facienda cognouerint, magna voluntate & ſtudio perficiant: nam vt ait S. *Leo ſerm.* 1. *de Pent.* Spiritus ſanctus totus eſt cauſa virtutis. *Præclarè hoc exponit S. Auguſt. tract.* 6. *in Ioannem*: Audiuimus, *ait*, columbam ſuper Dominum, & has linguas diuiſas ſuper diſcipulos congregatos: ibi ſimplicitas, hic feruor oſtenditur. Sunt enim qui dicuntur ſimplices, & pigri ſunt: Vocantur ſimplices, ſunt autem ſegnes. Non talis erat Stephanus, plenus Spiritu ſancto. Simplex erat, quia nemini nocebat: feruens erat, quia impios arguebat. Non enim tacuit Iudæis, cuius ſunt illa verba flammantia, Act. 7. v. 50. Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus, vos ſemper reſtitiſtis Spiritui ſancto. Magnus impetus, ſed columba ſine felle ſæuit. Nam vt noueritis, quia ſine felle ſæuiebat, illi auditis his verbis, qui corui erant ad lapides ſtatim aduerſus columbam cucurrerunt, cœpit Stephanus lapidari. Et qui paulò ante fremens, & feruens ſpiritu, tanquam in inimicos impetum fecerat, & tanquam violentus inuectus erat in verbis igneis, atque ita flammantibus, vt audiſtis: Dura ceruice, & non circumciſi corde & auribus: Vt qui ea verba audiret, putaret Stephanum, ſi ei liceret, ſtatim illos velle conſumi: venientibus in ſe lapidibus, ex manibus eorum genu flexo ait: Domine, ne

ſtatuas

ſtatuas illis hoc delictum. Inhæſerat vnitati columbæ. Prior enim illud fecerat magiſter, ſuper quem deſcendit columba: qui pendens in cruce ait Luc. 23. v. 34. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Ergo ne ſpiritu ſanctificati dolum habeant, in columba demõſtratum eſt: ne ſimplicitas frigida remaneat, in igne demonſtratum eſt. *Per hunc itaque ignem diuinum frigus, torpor, & frigiditas profligatur, & cœleſti deſiderio pectora inardeſcunt. De hoc igne (verba ſunt B. Gregor. hom. 30. in Euang.)* Veritas dicit Luc. 12. v. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? Terra enim vocata ſunt corda terrena, quæ dum ſemper infimas in ſe cogitationes congerunt, à malignis ſpiritibus conculcantur: Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu ſancti Spiritus corda carnalium incendit. Et terra ardet cum cor carnale in ſuis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiſcentias præſentis ſæculi, & incenditur ad amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit Spiritus: quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in deſiderium ſuæ æternitatis accendit.

Quinta ratio: Quemadmodum ignis fictilia & fragilia vaſa conſolidat, ita Spiritus ſanctus imbecilles animos confirmat & roborat. Ipſe enim eſt theſaurus, quem habemus in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. *Cor. 4. v, 7. Hoc eſt diuini Spiritus gratiã in fragilibus hiſce noſtris corporibus & infirmis continemus animis, vt appareat & cõſpicuum ſit, quod quicquid rectè gerimus, id nõ à noſtris viribus, ſed ex virtute & corroboratione Spiritus ſancti proficiſcatur. Illuſtri hanc veritatem exemplo ante mentis oculos adducit. S. Auguſt. ſerm. 185. de Spiritu:* Ante aduentum Spiritus ſancti, *inquit*, ſub ipſo Domi-

Dominicæ crucis tempore, alij ex diſcipulis effugantur, alij vnius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum ſuũ negare coguntur. Poſt illuſtrationem verò Spiritus ſancti, & confirmationem, cuſtodiis excruciati, verberibus afflicti, ibant gaudentes, quia digni eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati, Actuum 5. v. 41. Proprer eum in ſuppliciis gloriantur, & operante in ſe Spiritu ſancto, parum putant eſſe, quod pro Chriſti amore patiũtur. Et qui ante verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur, & Chriſtum Dominum iam non vocibus, ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem ſanguinis effuſione teſtantur. Et inter hæc calefacti & accenſi mero Dominicæ caritatis exclamant. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Romanorum 8. verſ. 18. Ab impia multitudine putabantur ebrij, & muſto pleni, Actuum 2. verſu 13. At nouo vino repleti erant, quia Spiritu ſancto iam fuerant innouati. Iſtud verò nouum vinum non putemus ſolos tunc Apoſtolos ſuſcepiſſe. Hoc muſto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium & animæ conuertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro deſiderio ſalutis ſuæ parentes & patriam ſuam fugiunt. Exiuit nullo compellente de terra & de cognatione ſua, Geneſ. 12. verſ. 4. & mortui huic mundo, alios ſpiritaliter animarum inquirunt parentes, & liberi ſub iugo veniunt, & paulo ante elati, atque ſublimes humilia affectant, ſuperba faſtidiunt, & cupiunt eſſe quod ante deſpexerant, & odiſſe incipiunt, quod fuerant.

Præſen-

Præſentium hoſpites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contempta temporalium falſitate ſuſpirant. Hoc itaque muſto ſpiritales animæ inebriatæ & penitus commutatæ, abſtinentiam delitiis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitiis anteponunt. Arduum cõtra vitium laborem, iucundiſsimam computant voluptatem. Dulceſcunt eis vilia, & quæ prius fuerant pretioſa vileſcunt. Diligunt inimicos ſuos, & benefaciunt his qui ſe oderunt: non conuincuntur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniuriis; prorſus horum nihil ſentiunt propter feruorem Spiritus Sancti, & propter æternam retributionem. Hoc ſpiritali mero calebant Martyres, quando abiicientes, & poſt ſe iactantes omnia ſæculi blandimenta, ibant ad paſsiones obliuiſcentes facultates & affectiones, patrimonia & matrimonia ſua, & vincentes armatam contra ſe paruulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas auulſis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij nõ videbant, nec cognoſcebant ſuos: quia infuſo præcordiis ſuis Spiritu ſancto ad dolores ad ſupplicia, tanquam ad conſolationes, & ad præmia feſtinabant. *Iſta B. Auguſtinus.*

Sexta ratio: Sicuti ignis ſuperna ſemper petit, imò deſerit, ita & corda diuino Spiritu accenſa perpetuo ad cæleſtia anhelant, terrena aſpernantur. Sanctus Auguſtinus libro decimotertio Confeſsionum capite nono ita DEVM *appellat:* De ſolo Spiritu Sancto dictum eſt, quod ſit donum tuum, & in dono tuo requieſcimus, ibi te fruemur, requies

requies noſtra, locus noſter. Amor illuc attollit nos, & Spiritus tuus bonus exaltat humilitatem noſtram de portis mortis. In bona voluntate pax nobis eſt. Corpus pōdere ſuo nititur ad locum ſuum. Pondus meum amor meus, eo feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur. Inardeſcimus & imus. Aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus canticum graduum. Igne tuo bono inardeſcimus & imus, quoniam ſurſum imus ad pacem Ieruſalem: quoniam iucundatus ſum in his quę dixerunt mihi in domum Domini ibimus.

Septima ratio: Sicut ignis ferrum, aut carbonem penetrat, eique ſe penitus vnit & copulat, & cum eo facultates & operationes ſuas communicat, ita vt ferrum candens ignis formam intrinſecus & extrinſecus concipiat, & vrat vt ignis ipſe. Ita & Spiritus ſanctus ſeſe in animos hominum inſinuat, eoſque vndique occupat, ac ſpiritales, ſanctos, diuinos, efficit, vt ipſorum cogitatio, ſermo, actio diuina prorſus ſit & cœleſtis. Ipſe enim eſt ſpiritus adoptionis, quo filij Dei, *Rom.* 8. *v.* 9. *Gal.* 4. *v.* 6. & diuinæ conſortes naturæ efficimur. 2. *Pet.* 1. *v.* 4. *& dij quidam Ioann.* 10. *v.* 35. *Pſal.* 81. *v.* 6.

Octaua ratio: Ignis inter omnia elementa maximè actuoſus & perfectus habetur, *vt ait Ariſtoteles li.* 2. *de Cœlo c.* 13. *& proxima quæque in pabulum & naturam ſuam conuertit, tamē materiæ combuſtibilis penuria, vel à contrario ſuo aqua, vel nimia ventilatione quâ ad minima diſſipatur, & diuellitur, & vltra quam ferre queat, ab aere frigeſcit, extinguitur. Similitr Spiritus ſanctus ſibi ſubditos actuoſos, viuaces, perfectos ac omni virtute abſolutos, & ſui ſimiles, vt alios reddant, efficit, & tamen, ſi non aſſiduo in vſu ſint piæ cogitationes, ſermones, actiones, ſi cupiditatibus velut aqua diffluamus, ſi terrenis curis & occupationibus agitemur, quaſi ſuffocatur vt iguis & extinguitur, hoc eſt, hominem*

nem derelinquit, 1. *Theſſ.* 5. *v.* 19. Spiritum nolite extinguere. *S.Chryſoſt. hom.* 11. *in* 1. *Theſſ.* Tradidit nobis Deus, *ait*, lampadem illuſtrem, incenſam Spiritus ſancti gratia in animabus noſtris. Sed hanc lucem, hi quidem qui eam amplexi ſunt, ſplendidiorem fecerunt, & claram, vtpote Paulus, Petrus, vt Sancti illi omnes: quidam vero extinxerunt etiam, vt quinque illæ virgines *Matth.* 25. vt qui circa fidem naufragium fecerunt, 1. Tim. 1. vt qui in Corintho fornicatus eſt 1. epiſt. 5. vt Galatæ immutati, c. 3. Propterea dicit Paulus: Spiritum ne extinguatis. Hoc eſt, donum ſpiritus. Extinguit autem ſpiritum vita impura. Nam quemadmodum, ſi quis lucis huius lychnæo & aquam inſpergeret & puluerem, & ſi nihil horum inſpergeret, ſed oleum duntaxat eximeret, lucem extingueret; ita habet & donũ Spiritus. Siue namque res terrenas & rerum fluxarum curas inſperſeris, extingues ſpiritum, ſiue etiamſi tu nihil tale feceris, aliunde tamen tentationis vehemens impulſus, inſtar cuiuſdã venti irruerit, & flamma valida non fuerit, aut parum olei habuerit, aut foramen non obturaueris, vel oſtiũ non occluſeris, omnia peribunt. Foramina ſunt oculi & aures, quæ timore Dei obturanda ſunt. Ianua os eſt, claude. Extinguitur etiam fax, cum oleum deficit, quando miſericordiam nõ facimus, extinguitur ſpiritus. Etenim ex miſericordia Dei venit ad te ſpiritus. Poſtea ſi viderit fructum hunc miſericordiæ nõ eſſe apud te, non manet apud animam immiſericordem. Extincto autẽ ſpiritu quid reliquum ſit, noſtis: quotquot in tenebricoſa nocte ambulatis. Si verò de terra in terram noctu ambulare difficile eſt & moleſtum, quomodo tutum erit eam viam, quæ ex terra in cœlum tenditur,

ſine hac luce ambulare? *Iſta Diuus Chryſoſtomus.*

Poßunt & alia ſimilia huic inſtituto accommodari, vt quod ait Ariſtoteles lib. 3. *de cœlo cap.* 8. Ignis quæ ſunt eiuſdem generis congregat, vt auri particulas, & ſegregat, quæ non ſunt eiuſdem naturę, vt aurum ab argento, ſcoriam à ferro: *i. quod ignis omnia in ſe conuertat, quod renouet, quod non tenetur, non miſcetur, quod ſit agilis, celer, ſublimis, efficax, potens, & id genus alia. Id tantum addo ex Ariſtotele lib.* 3. *Hiſt. Animal. cap.* 7. *quod leonis oſſa adeo dura ſint, vt eorum conflictu & concußione ignis elidatur.* Leo de tribu Iuda victor, *Apoc.* 5. *v.* 5. *eſt Chriſtus Dominus, ex cuius meritis & virtutibus in nos proficiſcitur diuinus ignis, qui eſt Spiritus ſanctus.*

Illo nos igne, quæſumus Domine, Spiritus ſanctus inflammet, quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.

CAPVT XV.

CVR IN LINGVIS APPARVERIT Spiritus Sanctus.

N*Vnc rationes afferendæ, cur in linguis potius quam aliis ſymbolis ſupra Apoſtolos viſus ſit Spiritus ſanctus.* 1. *Ratio eſt S. Greg. Naz. Orat. in S. Penteco.* In linquis, *inquit*, apparet propter cognationem eam, quam habet cum Verbo. *Sed quæ hæc cognatio? Nicetas ibidem hunc in modum exponit.* 1. Quia ſicut lingua proximum eſt ſermonis organum, ita Apoſtoli ad Euangelij verbum proprij & accommodi erant, *non ſecus atque organa ipſum reſonantes, & per linguas congruentia eorum & aptitudo ad Chriſtianæ doctrinæ promulgationem ſignificabatur.* 2. *Aut ſi hoc magis arridet. Per Verbum hoc loco Chriſtum intellige. Itaque cùm huiuſmodi Verbo Spi-*

bo Spiritus ſanctus perinde ac lingua quandam cognationem neceſſitudinemque habet. Tanta eſt enim Spiritus ſancti cum Chriſto coniunctio, vt Chriſti quoque Spiritus dicatur, Roman. 8. verſ. 9. 3. Et fortaſſis hanc cognationem & ſimilitudinem, & alia ratione explicare poſſumus, nimirum: Sicut conceptus animi ſiue Verbum mentis mouet linguam ad loquendum, & viciſſim lingua corporali ſono veſtit verbum interius, ita Dei Filius æternum Verbum producit cum Patre Spiritum ſanctum, & ſanctus Spiritus viciſſim carne Dei Verbum induit. Sanctus Gregorius hom. 30. in Euang. Verbum, *ait*, Patris eſt Filius. Et quia vna eſt Spiritus & Verbi ſubſtãtia, idem Spiritus monſtrari debuit in lingua.

Secunda ratio, ibidem S. Greg. Quia per linguam procedit Verbum, in lingua apparuit Spiritus: quia quiſquis Spiritu ſancto tangitur, Dei Verbum, id eſt, vnigenitum Dei Filium, confitetur, & negare Dei Verbum non valet: quia iam Spiritus ſancti linguam habet. *Quo ergo Spiritu tanguntur & agitantur niſi diabolico, qui non ſolum Dei Filium non confitentur, non laudant, ſed etiam ipſum, eius ſacratiſſimam paſſionem ac diuiniſſima Sacramenta conuitiis lacerant?*

Tertia ratio: Vel certe in linguis igneis, *ait ibid. B. Greg.* apparuit Spiritus, quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent: quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflãmant. Nam otioſus eſt ſermo Doctoris, ſi prębere nõ valet incendiũ amoris. Hoc doctrinæ incendiũ ab ipſo veritatis ore cõceperant, qui dicebant. Lu. 24. v. 32. Nõne cor noſtrũ ardẽs erat in nobis, cũ loqueretur in via, & aperuit nob. ſcripturas? *Itaq; in linguis igneis viſus eſt S. S. q̃a quos inſederit, inflãmat Dei amore, cui vilis eſt omnis creatura,*

præ deſiderio & dulcedine Creatoris, & loquentes facit cum Apoſtolis magnalia Dei eiuſque beneficia, munifica opera, potentiam, ſapientiam, bonitatem, maieſtatem, iuſtitiam, ſanctitatem, vt dilaudent. Neque enim poteſt fieri, vt os non loquatur de eo, quem amat animus: nam ex abundantia cordis os loquitur, *Matth.* 12. *v.* 34. *& certiſſimum argumentum eſt, eos dæmone & omni turpitudine plenos, qui de his aliiſque nefariis rebus libenter, vel audiunt vel ſermones miſcent. Et contra eos Spiritu ſancto & omni virtute imbutos, quorum ſermo ſpiritalis, ſanctus, pudicus, & honeſtus eſt; ideo Actuum* 2. *v.* 4. *ait S. Lucas:* Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperũt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.

Quarta ratio, vt pateſceret Spiritum ſanctum concionatorum ore ignita verba effundere, talia enim ſunt verba Dei, *Deut.* 33. *v.* 2. In dextera eius ignea lex, *Pſal.* 118. Ignitum eloquium tuum vehementer. *Ier.* 23. *v.* 29. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis?

Da ſanctiſſime Spiritus, vt lingua noſtra meditetur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam, Pſal. 34. *v.* 28.

CAPVT XVI.

CVR DISPERTITIS LINGVIS viſus ſit Spiritus Sanctus.

Apparuit denique diſpertitis & diuiſis linguis Spiritus ſanctus.

1. *Quia per Apoſtolos eorumque diſcipulos & ſucceſſores ſermonum varietate in fidei & Eccleſiæ vnitatem congregaturus erat omnes populos.*

2. S. *Gregor. Nazian.* In diſpertitis linguis apparet ob gratiarum diuerſitatem. 1. *Cor.* 12.

3. *S. Au-*

3. *S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. Gram. c.* 14. Hic, *inquit*, Spiritus ſanctus veniens in eos tale ſignũ primitùs dedit, vt qui eum acceperãt linguis omnium gentium loquerentur: quia portendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram, nec quenquam accepturum Spiritum ſanctum, niſi qui eius vnitatis copularetur.

Non diſſimilia ſunt, quæ habet S. Leo ſer. 1. de Pentecoſte, vbi ſublata ad Deum pariter mente & voce: O quam velox, *inquit*, eſt ſermo ſapientiæ, & vbi Deus magiſter eſt, quàm citò diſcitur, quod docetur? Non eſt adhibita interpretatio ad audiẽdum, non conſuetudo ad vſum, non tempus ad ſtudium, ſed ſpirante vbi voluit, Spiritu veritatis, propriæ ſingularum gentium voces, factæ ſunt in Eccleſia communes.

Da nobis Sancte Spiritus linguam eruditam, vt ſciamus quid, quando, cui, & quomodo, loquendum ſit, vt ſermo noſter ſit quaſi Dei ſermo, illius prædicans laudes, & cum ædificatione dans gratiam audientibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

LIBER VII.

De apparitionibus S. Trinitatis.

CAPVT I.

QVAE HACTENVS S. TRINItatis apparitiones ſint commemoratæ.

NOn paucas lib.2.diuiniſſimæ Trinitatis apparitiones attigimus, vt Abrahamo factam,tres videnti, & vnam adoranti,Geneſ.18.vt illam Iſa.6. Seraphinorum triſagiũ vni Trino Deo acclamantium,vt illam in Chriſti Seruatoris Baptiſmo Matt. 3. & in eius transformatione,Mat.17.In myſticis animãtibus Apoc.4. Quo pertinere poſſit fortaſſis & illa Exo. 3.Dei ſe Deum Abrahami,Iſaaci,& Iacobi Deum conteſtãtis,& illa Dan.7.vbi Deus Pater viſus, & antiquus dierum,& Filius Dei,vt filius hominis, & Spiritus ſanctus vt fluuius rapidus & igneus.Conſulatur ibid.Commentarius Ruperti Tuitienſis. Sed illæ apparitiones ad confirmãdam diuinarum Perſonarum Trinitatem adductæ ſunt,nunc & aliæ extra ſacras literas producẽdæ.

Viderunt maieſtatem tuam aliqui,ſanctiſſima Trinitas,& viderunt, quo modo & illi mortales homines videre potuerunt,& illis apparere dignata es,nos certiſſima fide à te manifeſtata cõtenti, illud tantum ſuppliciter rogamus,vt ea te viſione contemplemur,qua te videbunt mundi corde in cœleſti patria,Matt.5.v.8.

CAP.

CAPVT II.

SACROSANCTVM DIVINAE Trinitatis myſterium S. Gregorio Taumaturgo Neocaſarienſi Epiſcopo cœlitus patefactum.

H*Ic quinquennio integro cum fratre ſuo Athenodoro in Origenis non ſanum ſemper ſentientis ſchola verſatus, & in Ponto Epiſcopus electus*, non prius auſus eſt, *ait in eius vita D. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus Magni Baſilij frater*, ad verbi prędicationem accedere, quam per quandam viſionem ſibi fuiſſet reuelata veritas: Nam cum noctu aliquando de verbo fidei conſideraret, & omne genus cogitationes verſaret (erat enim tunc quoque quidam, qui probabilibus argumentis piam adulterabat doctrinam) ſępe etiam intelligentibus dubiam reddentes veritatem, pro qua tunc ei vigilanti & diligenter meditanti reuera apparet quidam tanquam in figura humana, honeſta veſte pontificia indutus, forma ſenili vultuſque dignitate, & honeſtate habitus, magnam virtutem præ ſe ferens. Is verò viſu ſtupefactus ſurrexit quidem è cubili, rogauitque, vt ſciret, quiſnam eſſet, & quanam de cauſa veniret. Cum autem ille voce quieta ſedaſſet eius animi perturbationem, & dixiſſet, ſe iuſſu diuino ei apparuiſſe, propter ea, de quibus dubitabat, vt ei reuelaretur piæ fidei veritas, illius verbis ei confirmatus eſt animus, illumque aſpexit cum quadam lætitia & admiratione. Deinde cum ille manum directè porrexiſſet,

& ei rectis digitis veluti oſtenderet id, quod ex obliquo apparebat, ipſe quoque cum porrecta illius manu ſuum vultum conuertit, & ex aduerſo eius quod viderat, aliud vidit ſpectaculum in muliebri figura, quæ formam ſuperabat hominis. Rurſus autem ſtupefactus in ſeipſum inclinauit, dubioque ac omnino perplexo fuit animo propter ſpectaculum, vt qui oculis non ferret viſionem. Etenim in hoc maximè conſiſtebat admirabilitas viſionis, quod cum eſſet nox profunda, ſimul cum iis, quæ viſa fuerant, lux reſplendebat, tanquam cuiuſdam lucidi conflagrantis thalami. Quoniam ergo non poterat oculis ferre viſionem, audiuit quendã dialogum eorum, qui à ſe viſi fuerant, explicantium inter ſe inuicem rationem eius, quod quærebatur: per quos non ſolum didicit veram fidei cognitionem, ſed etiã nominatim cognouit eos, qui apparuerant, cum vterq; ex his vocaret alterum ſuo nomine. Dicitur enim audiuiſſe ab ea, quæ in figura muliebri apparuerat, rogante Ioannem Euangeliſtam, vt manifeſtaret iuueni myſterium veritatis: illum autem dixiſſe ſe paratum eſſe matri Domini in hoc quoque gratificari, quoniam ei ita placeat. Et ita cũ dixiſſet breuem, & quæ facilè deſcribi poterat, orationem, ſe ab eius ſubduxiſſe oculis; eum autem diuinam illam myſtagogiam protinus mãdaſſe literis, cuius hæc ſunt verba:

Vnus Deus Pater Verbi viuentis, cõſiſtentis ſapientiæ, & virtutis & characteris æterni, perfectus perfecti genitor, Pater vnigeniti Filij, vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, character & imago diuinitatis, Verbum efficax, ſapientia, quæ eorum quę ſunt, cõtinet conſtitutionem, & virtus effectrix vniuerſæ creaturæ. Verus Filius

veri

veri Patris, inuiſibilis Patris filius inuiſibilis, & qui interire non poteſt, eius, in quem non cadit interitus, & qui mori non poteſt, immortalis, & æternus æterni. Vnus Spiritus ſanctus, qui ex Deo quod ſit, habet, & per Filium ſcilicet apparuit hominibus, imago filij perfecti perfecta. Vita, cauſſa viuentium, fons ſanctus, ſanctitas ſuppeditatrix ſanctificationis, in quo manifeſtatur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, & Deus filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur. Neque ergo creatum eſt aliquid, aut ſeruum in Trinitate, neque aduentitium, tanquam quod prius quid non eſſet, poſtea autem ſit ingreſſum. Neque enim filius vnquam defecit Patri, neque Filio Spiritus ſed immutabilis & inalterabilis ſemper eſt eadem Trinitas.

Subiungit autem S. Greg. Nyſſ. Quod ſi quis velit de hac re ſibi fidem fieri audiat Eccleſiam, in qua verbum prædicabat. Apud vos enim in hodiernum vſque diem ſeruantur beatæ illius manus characteres. *Quam de S.Trinitate fidem Orientalis & Occidentalis Eccleſia pariter cognitam approbauit, habeturque deſcripta in quinta Synodo Oecumenica.*

Dona nobis ſupereminentiſſima Trinitas, vt qui te ex fide cognouimus ad contemplandum tua Celſitudinis ſpecum caritate perducamur.

* * *

Capvt III.

Apparitio S. Annoni facta.

Commemoranda hic alia viſio S. Annoni Colonienſi Archiepiſcopo exhibita, vt eſt in eius vita apud Surium 4. Decemb. l. 2. c. 19. Erat B. Annoni Clericus Diaconus, qui in eam deuenerat conſuetudinem, vt in iis Canticis, quæ Patris & Filij & Spiritus ſancti laudem per diſcretas perſonarum appellationes celebrant, mediam ſemper, id eſt, Filij tranſiliret perſonam. Quam negligentiam: quia nemo attendebat, nemo corrigebat. Itaque S. Pontifex ſecretiſſimo cuiuſdam noctis ſilentio ſonum aure percipit negligenter ac corruptè percurrentis; Gloria Patri, & Spiritui ſancto, ac denuò repetētis idipſum, media per celeritatem intermiſſa dictione: *factusque repente tanquam in exſtaſi, quendam cuius claritas, & habitus humanum excedebat modum, in maieſtate, quæ Filium Dei decebat, contra ſe ſtantem aſpexit, qui radiantibus oculis in ore ſtupentis cernens & placidum ſe ingerens,* protenſis coram eo tribus ſiniſtræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice dicens: Ecce Pater, moxque ſecundum, ecce Filius, poſt hæc, & tertium, ecce Spiritus ſanctus, Ecce tres in vna deitate ſimiliter adorandæ perſonæ, quibus gloria par dicitur ab vuiuerſali ſemper Eccleſia, Mediam inter Patris, & Spiritus ſancti perſonam Filius habet, nec vllam recipit diuiſionem à duobus in vlla diminutione eiuſdem maieſtatis & gloriæ. *Vt quid ergo Clerici tui blaſphemias ſine correptione præteris? Eam quam cum Patre & S. ſancto cõmunem poſſideo*

ſideo gloriam mihi ſubtrahit, in duarum vocabulis perſonarum me, qui media Trinitatis perſona ſum, ad omnem gloriæ decantationem tranſiliens. Protinus excitato ſacerdote, imago quæ videbatur, euanuit.

Ille admirans, & vbi ad conſuetos hymnos ventum, diligentiſſimè obſeruans animaduertit Clericum ſuum in Trini Numinis glorificatione Filij perſonam omittere, nec moratus eum reprehendit, & de Dei offenſa admonuit, & ſic in diuino officio perrexerunt.

Concede beatiſſima Trinitas vt parem tibi Patri, Filio, ac Spiritui ſancto ſemper quem debemus honorem exhibeamus: quia nulla debet aut poteſt eſſe honoris diſparitas, vbi eſt natura & maieſtatis vnitas.

CAPVT IV.

VISIO S. TRINITATIS.

Comes Ariani S. Elzearius cum ſponſa ſua Delphina perpetuam colens caſtitatem, vt eſt in eius vita apud Surium 27. Septembr. tota nocte Sabbathi vſque ad Orientem Dominico die ſolem, in oratione & contemplatione permanſit, multaque præclara, & admiranda ſibi tunc diuinitus oſtenſa fuere; Vidit enim cum ineſtimabili gaudio quemadmodum Pater gignit Filium, & vt Spiritus ſanctus ab vtroq; procedit, qui eſt amor in diuinis perſonis, & vt tres perſonæ, non niſi vnꝰ ſint Deus. Nec tñ potuit huius generationis, & ſpirationis modum, vllis explicare verbis, ſed quoties aliqd ꝑ viribꝰ dicere tentabat, O quam male, inquit, & imperfecte loquor: non poſſum explicare quod vidi, nec efferre lingua, quod experi-

experimento didici, fatebaturque non ſine magno cruciatu ſe inde dicere, cum ſint inexplicabilia, ſeque in toto mundo nihil quicquam vel auditu, vel cogitatione percepiſſe, quo ſecundũ aliquam, vel ſimilitudinem vel proprietatem, aut congruentiam declarare poſſet ea, quæ tum viderat quantum homo mortalis videre poterat. *Oſtenſa ſunt illi & alia religionis noſtræ myſteria, & præſertim infinita Dei caritas in angelorum hominumque creatione, & humani generis liberatione.*

Acciderit illi quod S. Paulo. 2. Cor. 12. verſ. 2. & 4. qui raptus in tertium cœlum, & in paradiſum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, id eſt, ineffabilia vidit, & audiuit. Viderit S. Trinitatem Apoſtolus quoniam ab homine mortali videri poteſt, non in ſua natura, ſed ſpecie excellentiſſima, qua ratione & Moſes Exod. 34. v. 5. & Iſaias c. 6. v. 1. videre potuerunt. Viderit gloriam Chriſti Domini, à quo doctus eſt Euangeliũ Gal. 1. Viderit Angelorum naturas, dotes, gratiam, gloriam, ordines, paradiſi pulchritudinem, ſplendorem, gaudia. Viderit arcana Dei conſilia in prædeſtinatione, reprobatione, vocatione, & id genus alia. quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe 1. Cor. 2. v. 9.

Oſtendiſti te huic viro caſto & ſancto ô benedicta ſemper Trinitas, non pro maieſtate tua incomprehenſa, ſed pro captu & facultate ipſius da quæſumus vt mortali vita defuncti & lumine gratiæ tuæ illuſtrati, te facie ad faciem, & ſine vllo intermedio ſempiterne contemplemur, amemus, dilaudemus.

CAP.

CAPVT V.

STVPENDA SANCTISSIMÆ Trinitatis viſio pro vnius homunculi conuerſione.

PLurimis modis variiſque ſententiis teſtatiſſimum fecit S. Trinitas Deus noſter, ſe humanæ ſalutis cupientiſſimũ eſſe, ac proinde improbi hominis exilium deteſtari, præſtolari vero & correctionem promouere. Saluator noſter Deus ait Apoſtolus 1. Tim. 2. v. 4. vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Sed & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus dedit redemptionem ſemetipsũ pro omnibus, *vt ibidem legimus v. 6. Hoc Deus affirmat de ſe Ezech. 18. v. 23.* Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à vijs ſuis & viuat? *Et v. 30. 31. 32.* Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & Spiritum nouum, & quare moriemini domus Iſrahel: Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite. *Et cap. 33. v. 11.* Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat. *Et Liberator noſter Lucæ 19. v. 10.* Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.

Illuſtri id & pleno admirabilitatis; & conſolationis exemplo declarandum eſt, quod proponitur in magno illo

illo exemplorum ſpeculo.diſt.10.c.1. Duo adoleſcentes Lutetiam Pariſiorum tanquam ad optimarum diſciplinarum Emporium ſe contulerunt, erant vterini fratres ſed moribus diſsimillimi, quemadmodum Cain & Abel Adami proles, Iſmahel & Iſaac Abrahami ſoboles, Eſau & Iacob Iſaaci filij. Nam ætate grandior perditorũ adoleſcentum, vt fit, familiaritate corruptus: Qui tetigerit picem, ait Eccleſ.c.13.v.1.inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiam, *tempus ſtudiis tribuendum, luſibus, compotationibus, aſsiduis libidinibus & flagitiis impẽdit, & parentum pecuniam nequiſsime, tanquam alter filius prodigus Luc.15.dilapidauit, vt in vrbe omnib. vitiis, & omni dedecore infamis eſſet. At natu minor Deum ferens in oculis eiuſq; Numen reueritus, vt alter Tobias c.1.v.4.improborum conſortionem vt præſentiſsimam peſtem declinauit, diligentiſsimam pietati ac ſtudiis operam nauauit, non ignarus quod* adoleſcens iuxta viã ſuã, etiã cum ſenuerit, non recedet ab ea *Prou.22.v.6.*

Hic ergo ſceleratum ac luxurioſum fratrem ſæpe cohortatus eſt, vt diuini timore iudicij finem ſceleribus faceret, ſed quid? quod ait Salomon Prou.18.v.2.3. Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris, quę verſantur in corde eius. Impius cum in profundum venerit peccatorũ contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. *Qua occæcatio & obſtinatio maxime accidit hominibus impuris: nam vt ait Hoſeas c.4.v.11.* Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. Et c.5.v.4. Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Dominum: quia Spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. *Itaque ſalutaria fratris monita tanquam aſpis ſurda & obturans aurẽ ſuã, audire contempſit. Tunc pius adoleſcens illachrymans ſpernis, inquit, dulciſsime frater monita mea, & irrides, erit, erit breui illud tempus, quo te S. ſancto reſtitiſſe pœnitebit.*

bit. An non iuſtiſſimè hunc perditiſſimum adoleſcentem derelinquere & condemnare potuiſſet S.Trinitas? ſummo iure potuiſſet, ſed noluit quia benigna & miſericors eſt.

Ergo vt vexatio daret intellectum auditui Iſa. 28.v.19. *& mala hic eum prementia ad Deum ire compellerent, in morbũ incidit, & ſcelerum multitudine ac magnitudine penſitata fere in deſperationẽ delabitur.* Cum ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia *Sap.*17.*v.*10. *Et S.Aug.præfat. in Pſ.*31. Quomodo, *ait*, mala conſcientia tota eſt in deſperatione, ſic bona conſciẽtia in ſpe. *Et Seneca epiſt.*97. Tuta, *inquit*, ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt: ipſas nequitia tenebras timet, proprium eſt nocentium trepidare. *Aegro deinde diffidentiæ fluctibus iactato, & tantum non hauſto intempeſta nocte apparet vir canitie venerandus, aſpectu decorus, fulgenti indutus ſtola, qui toruum ac iratè illũ intuebatur. Infirmus pauidus & animo conſternatus, ac corpore tremens: quiſnam eſſet, & quid velit percunctatus eſt. Facile illum agnouiſſet ſi Danielis viſionis noticiam habuiſſet c.*7.*v.*9.*vbi ait*: Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda. *Reſpondit interroganti ſenior: Ego ſum Pater cœleſtis, qui te cum non eſſes, creaui, qui inanimatis membris tuis vitalem Spiritum, animumque immortalem ſuis inſtructũ facultatibus indidi, qui corpori ſuos ſenſus attribui, qui ſolem, lunam, ſtellas ad tuum obſequium condidi, qui maxima te caritate proſequens, vt à prauitate ad virtutem animam traduceres, pœnitentiam ageres, mores emendares, ſæpe multumque admonui. Sed quia ſalutaria mea Conſilia repudiaſti, & animum in ſcelere obſtinaſti, noueris te perpetuæ morti obnoxium eſſe, atq;*

ita

tu infelix homo his beneficiis ingratus fuiſti veni ad te æternæ mortis vt reum pronunciarem, & profluentem ex latere cruorem manu comprehendit, & in iuuenis faciem iniecit dicens: Sume ad ignominiam tuam pretioſum ſanguinem, qui aliis in peccatorum remiſſionem effuſus eſt, quibus dictis ſe illius è conſpectu abſtulit. Spargens autem ſanguinem ſuum in os faciemque iuuenis indicauit Saluator quam indignè ferat, illum noſtra culpa perire. Hinc illa quærelæ. Quæ vtilitas in ſanguine meo Pſalm.29.v.16. *Et.* In vacuum laboraui, ſine cauſſa & vane fortitudinem meam conſumpſi.Iſa.49.v.4.

Sicut autem Pater, ita & Filius, non peremptoriam, internecinam, & damnatoriam protulit ſententiam, ſed comminatoriam, & ſi quidem vterque tam Pater quam Filius abſolutum in eum pronunciaſſet iudicium, tamē cum hac conditione intelligendum fuiſſet: niſi te correxeris, quemadmodum ipſemet Deus declarat Ierem.18.verſ.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et cap.26.verſ.12.& 13. Dominus miſit me vt prophetarem ad domum iſtam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audiſtis. Nunc ergo bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduerſum vos. Ezech.33.v.14. Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo feceritque iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Ionas Propheta c.3. ex Domini ore clamauit: Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſq; ad minorem. Et vidit Deus opera eorum: quia conuerſi ſunt de

via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. *In quod c. 3. Ionæ ſic commentatur S. Hier.* Deus populis comminatur vt agant pœnitentiam, qui ſi conuerſi fuerint, ipſe quoq; vertet ſententiã ſuã: & populi conuerſione mutatur. Quod Hieremias & Ezechiel manifeſtius explicant, nec bona videlicet implere Dominũ quæ promiſerit, ſi boni vertantur ad vitia, nec mala quæ peſſimis comminatur, ſi illi reuerſi fuerint ad ſalutem. *Videatur & S. Chryſ. hom. 5. ad pop. & 22. q. 4. c. 9. Immutabilis Deus.*

Adoleſcens tamen denunciata ſibi hac à Chriſto ſententia totus expalluit, contremuit, vigorem corporis amiſit, animum pene deſpondit, & accerſito fratri triſtia triſtis euenta aperuit, qui illum conſolatus, & ad ſeriã pœnitentiam & ſinceram confeſſionem hortatus eſt, ſubijciens Spiritum ſanctum qui in ſacroſancta Triade benignitas eſt illius conuerſionem approbaturum. Aduocatur Sacerdos, æger totus in lachrymas reſolutus, tãto animi dolore de peccatis, quibus Deum offenderat, eſt confeſſus vt gemitus ſermonem interrumperent, & vix cogitata mentis præ contritionis magnitudine exprimere poſſet. Peracta exomologeſi ſacroſanctam Euchariſtiam, & extremam vnctionem religioſè percipit & ſic obitus ſui tempus præſtolatur.

Nocte inſequenti vir vultu ſplendentique habitu prioribus prorſus conſimilis, cuius dextro humero niuea inſidebat columba, apparuit, qui ſerena iucundaque facie, ac clementibus oculis adoleſcentem intuitus dixit: Ego ſum Spiritus ſanctus, qui à Patre filioque procedens vnius ſum cum ipſis potentia. Noueris autem tibi condonata eſſe peccata, & aditum ad cœleſtia regna patefactum, & eo te perducturi poſt triduum reuertemur, tu tantum in pœnitentia, & virtutis ſtudio perſeuera. & ſic abſceſſit. Adoleſcens autem fiducia plenus, & ſpiritali

ſi gaudio delibutus tertio die ob veram pœnitentiam fe-liciter in cœlum immigrauit.

Quis non hic ſanctiſſimæ Trinitatis obſtupeſcat bo-nitatem, nulla non diuina Perſona hunc perditum ado-leſcentem ad emendationem exſtimularunt: nam vt S. ſanctus diffunderet ſuam in eius cor caritatem & gratiã qua iuſtificaretur & in Dei filium adoptaretur, prius diuinus Pater & Filius, illum ſalutari metu perculerũt, Qui enim ſine timore eſt, non poterit iuſtificari Eccleſ.1.v.28.S.Aug.tract.9.in 1.epiſt. S.Ioannis. Incipiat timor: *ait*, quia initium ſapientiæ timor Domini Pſ.110.Prou.1.v.7. Timor quaſi locum præparat caritati, cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locũ. Quantum enim illa creſcit, ille decreſcit, & quã-tum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor, minor caritas, maior ti-mor. Si autem nullus timor, non eſt qua intrat caritas. Sicut videmus per ſetam introduci li-num, quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat non ſuccedit linum, ſic timor pri-mo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit vt introduceret cari-tatem.

Cum hoc, tum plurimis alis documentis & exemplis demonſtraſti ô altiſſima Trinitas quam verè dixeris E-zech.33.v.11. Viuo ego, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius & viuat. *Et quomodo velles mortem qui vnius perditiſſimi homunculi tot modis per te ipſam curas ſalutem. Tibi ob hanc erga nos miſerri-mos peccatores clementiam, miſericordiam & benigni-tatem ſit ab omnibus creaturis honor & gloria, quam vt & æternum laudemus fac bonitate tua.*

CAPVT VI.

SACROSANCTVM EMINENTIſſimæ Trinitatis arcanum B. Ignatio Loiolæ Societatis Ieſu Parenti cœlitus patefactum.

QVadam die dum indicta publica ſupplicatione Minoreſſæ religioſum agmen inſtituitur, & B. Ignatius interim horarias beatiſſimæ virgini preces recitat, inſiſtens gradibus templi PP. Dominicanorum ſubitò in Deum ita rapta mens eius eſt, quaſi per appoſita quadã, & maxime illuſtria ſymbola, Trinitatis ipſius numen auguſtiſsimum cerneret diſtinctum perſonis, vnum eſſentia. Qua viſione tanto gaudio eſt delibutus, vt neque in ipſo mox agmine lacrymis & ſingultibus temperare valuerit, neque vero totum eum diem, alia vlla de re niſi de Sanctiſsimo illo fidei Chriſtianæ myſterio diſputare: idque tanta ſimilium, & exemplorum varietate & copia, vt cuncti obſtupeſcerent. quinetiam per eos ipſos dies non dubitauit homo legendi ſcribendique tantũ ſciens librum de Trinitate conſcribere, quoque potuit ſtylo, vſque adeo cœleſtes typi, quos diximus, in eius memoria atque intelligentia diuinas illas rerum altiſsimarum notiones impreſſerant.

Ac licet antea quoque & Monadem in Triade, & in Monade Triadem ſanctiſsimè coleret, ſuasque & naturæ diuinæ communiter, & ſeparatim ſingulis perſonis preces hymnoſque quotidie perſolueret, ab hoc tamen raptu longe ſtudioſior & ardentior euaſit in eodem officio pietatis, eamque laudabilem conſuetudinem ad extremum

tremum vſque vitæ tenuit ſic, vt præcipuam caperet voluptatem, & proprio quodam ſenſu rerum cœleſtiũ afficeretur, quotieſcunque ſanctiſſimæ Trinitati ſacra perageret atque ad eam orationem funderet. Ita ſcribunt in vita B. Ignatij Petrus Ribadinira l.1.c.7. & Ioannes Petrus Maffeius ſimiliter l.1.c.7.

Magno documento eſt B. Ignatius cum Chriſtianis vniuerſis, tum maxime ſui inſtituti ſectatoribus, vt ſumma, qua poſſunt, ſanctiſſimam Trinitatem religione cultuque proſequantur, illam perpetuo in corde & oculis ferant, de illa piè, dulciter, & crebro loquantur, illi aſſiduas preces laudeſque adhibeant, in ea ſit vniuerſa eorum iucunditas, niſi enim ille hunc Spiritum, hunc affectum, hanc pietatem erga beatiſſ. Trinitatem habuiſſet, nunquam in tantum ſacri religioſique ordinis Patriarcham euaſiſſet.

Da auguſtiſſima Trinitas vt ſimili te religione veneremur & ab amore tuo & laude nunquam ceſſemus.

CAPVT VII.

S. TRINITATIS IMAGO S. Margaretæ oſtenſa.

ADumbratum & præcellentiſſimæ Trinitatis myſterium S. Margaretæ Virg. & Martyri, quæ vt eſt in eius vita apud Metaphraſtem & Surium 20. Iulij cum S. Trinitatis ope, ſigno crucis ac precibus diabolum draconis ſpecie apparentem fugaſſet, vidit magnam lucem refulſiſſe in cuſtodia. Crux autem à terra in cœlum vſque peruadens oſtendebatur tanquam fons illius luminis: ſupra crucem vero conſpecta fuit alba columba & tota pura, lucidos emittens ſplendores, Trini-

tatis,vt mihi videtur,myſterium apertè oſtendente viſione.Nam per lucem quidem erat oſtendi apertè paternam gloriam: per Crucem autem crucifixum vnigenitum ſignificari:per columbam vero conſpiciebatur ſancti Spiritus diuinitas.Ita Simeon Metaphraſtes.

Vtinam per filij Dei crucem ac paſsionem & Spiritus ſancti gratiam perueniamus ad Dei Patris gloriam.

Caput VIII.

CHRISTVS DOMINVS DE SANctiſſimæ Trinitatis myſterio ambigenti ſcrupulum eximit.

AVctor eſt S.Antoninus Florentinus Archiepiſcopus 3.P.Hiſt.tit.24.cap.9.§.6. quod cuidam Simoni de S.Trinitate dubitanti poſt varias anguſtias multamq; triſtitiam Chriſtus Saluator bis in ſomnis apparuerit, quem ille agnitum ſupplex adorauit. Cui Chriſtus: Nihil dubites de S. Trinitate,ſed crede ſicut Eccleſia Catholica te inſtruit. His dictis Liberator noſter diſparuit & Simonem ambiguitatis expertem lætumque dereliquit.

Fides beatiſsimæ Trinitatis, quam te Chriſte Seruator Doctore hauſimus,te adiutore conſtans ac deuota in nobis ſemper permaneat.

* * *

Cap.

CAPVT IX.

QVOD NEMO MORTALIVM niſi Chriſtus Dominus diuinam Trinitatem clarè viderit.

B*Eatæ mentes, quæ diuinam intuentur eſſentiam pariter tres diuinas perſonas clare aſpiciunt, vt definiuit Conc. Florẽtinum in literis vnionis, & declarat Scriptura* 1. Cor. 13. v. 12. Videmus nũc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad ſaciem. *Qua Apoſtolus ſententia indicat, perſpicuam Dei contemplationem reſponderi ac ſuccedere fidei. Quocirca ſicut fide nunc myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis diſtinctè credimus, ita tunc illud luculenter ac manifeſtè contuebimur.* Hæc eſt enim vita æterna (*cauſſa & via adipiſcendæ æternæ vitæ*) vt cognoſcãt te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, *ait Saluator Ioannis* 17. *v.* 3. *Cardo fidei in duobus potiſſimum dogmatibus vertitur diuinæ ſcilicet Trinitatis, & filij Dei incarnationis in quibus & euidenter perſpiciendis hominis conſiſtit felicitas. Vnde S. Ioannes loquens de cœleſti Ieruſalem* Apoc. 21. v. 23. Et ciuitas, *inquit*, non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus. *Quapropter ſi quis mortalium in hoc ſæculo clare vidit Deum, is etiam beatiſſimam Trinitatem perſpicuè contemplatus fuerit.*

Et quidem hoc poſſe fieri indicio & documento nobis eſt Chriſtus Dominus, cuius ſanctiſſima anima ab ipſo conceptionis puncto beatiſſimam Trinitatem clarè vidit, plen⁹ gratiæ & veritatis Ioa. 1. v. 7. Vnigenitus,

tus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit ibidem. v.18.c.3.v.11. Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur. *Quia enim Saluator nobis beatitudinis cauſſa fuit, docuit vt & ipſe eſſet beatiſſimus: nam id quod in potentia eſt, reducitur per id quod actu eſt, in actum: oportet enim calidum eſſe, quo alia calefiunt. Homo vero mortalis eſt in potentia ad æternam felicitatem, quæ eius finis, & cuius ipſe capax eſt, ad quam Chriſti humanitate perducitur, neceſſe itaque fuit eam excellentiſſime fuiſſe ſtatim in Chriſto. Eſt doctrina S. Shomæ 3.P.q.9.art.2.*

Num vero hoc priuilegium & aliis ſanctitate præſtantibus tributum ſit, in controuerſia eſt S. Greg. Magnus lib.2. Dialog. c. 35. Cum vir Dei Benedictus, *ait*, quieſcentibus adhuc fratribus inſtans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniſſet ad feneſtram ſtans, & omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valdè in hac ſpeculatione ſecuta eſt: quia ſicut poſt ipſe narrauit, omnis etiam mundus velut ſub vno ſolis radio collectus ante oculos eius adductus eſt. Quia animæ videnti creatorem, anguſta eſt omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce creatoris aſpexerit, breue fit ei omne quod creatum eſt: quia ipſa luce viſionis intimæ, mẽtis laxatur ſinus, tantumque expanditur in Deo, vt ſuperior exiſtat mundo, fit vero ipſa videntis anima etiam ſuper ſeipſam. Quod autem collectus mundus ante oculos eius dicitur, non cœlum & terra contracta eſt, ſed videntis animus eſt dilatatus, qui in Deo raptus videre ſine difficultate potuit omne quod infra Deum eſt.

eſt. *Iſta S. Greg. quibus inſinuare videtur, quod S. Benedictus Deum viderit ac ſanctiſſimam Trinitatem. Verum S.Tho. 2.2.q.180.art.5.ad 3. docet, & verè, quod ex verbis S. Gregorij non colligatur, quod B. Benedictus Deum per eſſentiam viderit, ſed quod inſignem illuſtrationem & reuelationem habuerit, qua in diuino lumine, quæcunque facile poſſint videri.*

Opinabitur quiſpiam S. *Iacobum Patriarcham perſpicue Deum contuitum eſſe, propterea quod ipſe dicat, Geneſ.*32.*v.*30. Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, *ſed viſio faciei Dei, eſt viſio diuinæ eſſentiæ. B. Thomas* 2.2.*q.*180.*art.* 1.*ad* 1. *Sanctus Dionyſius epiſt. ad Caium dicit:* Si aliquis videns Deum intellexit, quod vidit, non ipſum vidit, ſed aliquid eorum, quæ eius ſunt. *Et Gregorius dicit ſuper Ezechielem hom.* 14. quod nequaquam omnipotens Deus iam in ſua claritate conſpicitur, ſed quiddam ſub illa ſpeculatur anima. Vnde recte proficiat, & poſt ad viſionis eius gloriã pertingat. Per hoc ergo quod Iacob dixit: Vidi Deum facie ad faciem, non eſt intelligendum, quod Dei eſſentiam viderit, ſed quod formam, ſcilicet imaginariam vidit, in qua Deus locutus eſt ei: vel quia per faciem quemlibet cognoſcimus, cognitionem Dei faciem eius vocauit: ſicut Gloſſa Gregorij ibidem docet. *Senſus verò iſtius ſententiæ eſt: Vidi Angelum in ſpecie corporea, mihi Deum repræſentantem, quocum & depugnaui, nec modo omne incommodum effugi, ſed & metu fratris Eſau, ac omni alia ægritudine liberatus ſum.*

Maior difficultas eſt de Moſe Legislatore, & perfamiliariſſimo Dei amico, num diuinam eſſentiam viderit: Siquidem de eo Scriptura affirmat Exodi 33.*v.* 11. Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. *Et Numer.*12.*v.*6. Si quis fuerit inter vos Propheta Do-

mini inviſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſsimus eſt, ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum vidit. *B. Baſilius hom.* 1.*Hexæmeron*: Moſes, *inquit*, dignus habitus eſt, ſpectator vt eſſet, per æquè ac Angeli, faciei diuinæ. *Scimus autem Angelos clarè intueri diuinam eſſentiam, iuxta illud Matth.* 18. *v.*10. Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. *Et S. Ambr. lib.*1.*Hexæmeron c.* 2. Moyſes, *ait*, clara atque perſpicua præſentiæ diuinæ dignatione donatus. *S. Auguſt. epiſt.*112.*c.* 13.*cum citaſſet locum Num.* 12.*v.*6.*& pro eo, quod habemus nos*: Dominum vidit, *ipſe legiſſet* : Gloriam Domini vidit, *ſubiungit:* Quid eſt, quod cum ſic fecit exemplum, niſi forte, quia illa contemplatione dignum etiam tūc habuit populi ſui talem rectorem & miniſtrum in tota domo ſua fidelem, vt quemadmodum concupiuerat, videret Deum, ſicuti eſt, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur? *Quod idem tradit* S. *Auguſtinus lib.* 12. *ſuper Geneſin cap.*27.*&* 28. *vbi & de Moyſe legit*: Vidit claritatem Dei. *Eam Beati Auguſtini ſententiam complectitur D. Thom.* 2.2.*q.*174.*&*175.*Alex. Halen.* 1.*P.q.*2.*membr.*1.*ar.*5. *Durandus, Scotus, Richardus* 4. *S. diſt.* 49.

Multi exiſtimant & S. Paulum diuinam vidiſſe eſſentiam propter verba, quæ habet 2. *Cor.*12. *v.*1.2.3.4. Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniā autem ad viſiones & reuelationes Domini: Scio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi, vſque ad tertium cœlum. Et ſcio, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini

mini loqui, *id eſt: Noui hominem Chriſtianum, Chriſti ope ac beneficio, ſiue cum corpore, ſiue ſine corpore abreptum, non ſolum in aereum, ac ſydereum, ſed etiam in ipſum cœlum empyreum beatarum mentium domicilium, quod & paradiſus eſt cœleſtibus delitiis & gaudiis affluens, ibique audiuiſſe & vidiſſe verba & bona ineffabilia, quæ homo enarrare non poteſt. Et quidem Sanctus Auguſtinus epiſtola 112. capite 13. Clemens Alexandrinus libro 5. Stromaton. Anſelmus hoc loco, S. Thomas 2.2.q.175.artic.5.& alij, quos ſuperiori Paragrapho citauimus, autumant & ſanctum Paulum in hoc raptu diuinam vidiſſe eſſentiam. Vnde & S. Chryſoſtomus, Theophylact. Anſelm. dicunt, B. Paulum euocatum & ductum in paradiſum, quem latroni pœnitenti promiſit Chriſtus, Luc. 23. v. 43. quæ vtique fuit beatifica Dei viſio. Et profectò ſi vel Moyſi vel Paulo hoc priuilegium tributum, vtique Deiparæ Virgini non eſt denegatum.*

Et quidem quod de Dei genitrice, Paulo, ac Moſe dictum, probabile eſt, vero tamen ſimilius: neminem mortalium in ſua natura aut Deum vidiſſe, aut etiam per ſe videre poſſe: id enim ſignificat Scriptura Exodi 33. Moſi petenti v. 13. Oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te. *verſu* 18. Oſtende mihi gloriam tuã: reſpondit *v.* 20. Non poteris videre faciem meã: nõ enim videbit me homo, & viuet. *Et v.* 23. Videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. *Moyſi poſtulanti, vt Angelus Deum repræſentans, & vicem Dei obiens, vt nubem, qua tegebatur, & in qua cum ipſo loquebatur, explicaret, vt clarè eum videre, & facie ad faciem cum eo colloqui poſſet, id negatum eſt, propterea, quod facies illa ab Angelo aſſumpta radiantiſſima eſſet, & tam admirando lumine, ac maieſtate auguſta, vt Deum Deique gloriam quadantenus referret, & Solis ſplendorem vinceret, & eam cernens excæcaretur aut etiã interiret. Permiſſu tamen vt dor-*

vt dorſum Angeli aſpiceret, cuius lumen ita attemperauerat, vt Moyſes ferre poſſet: quo ille aſpectu mirifice recreatus eſt, tantoque lumine perfuſus, vt facies eius lucis radiis quaſi quibuſdam cornibus cornuta videretur, Exodi 34. cap. ver. 29. vſque ad capitis finem narratur, quod Angelus Moyſi ſuæ lucis radios tam fulgidos afflauerit, vt filij Iſrahel non valerent oculos in vultum eius ita ſplendidum figere, quemadmodum & Apoſtolus ſignificat 2. Cor. 3. v. 7. ita vt cum eis loquendum eſſet, velamine faciem obtegeret. Quod ſi Angeli coruſcantem vultum intueri non potuit Moyſes; quanto minus diuinam S. Trinitatis eſſentiam? Daniel. cap. 10. viſo in fulgore Angelo ita de ſe ſcribit: Non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquam virium, & iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et dixi: Domine mi in viſione tua diſſolutæ compages meæ, & nihil in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur. *Et S. Matthæus cap. 28. v. 3.* Erat aſpectus eius, ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Si homo mortalis non poteſt ferre apparentem Angelum, quãto minus Deum? *Et quidem Angelos Patribus locutos eſſe forma, quæ diuinam quandam maieſtatem repræſentaret, docet S. Stephanus Act. 7. v. 30.* Apparuit illi (*Moyſi*) in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. *Et v. 53.* Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. *Et Apoſtolus Gal. 3. v. 19.* Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris, *id eſt, lex eſt per Angelos conſtituta, & per Moyſen promulgata. Et Heb. 2. v. 2.* Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, *&c. Si vetus lex per Angelos dictata à Deo confirmata fuit. Quo pertinet & illud Ioann. 5. v. 37.* Et qui

miſit

miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: Neque vocem eius vnquam audiſtis, neque ſpeciem eius vidiſtis. *Deus enim cum corpus non habeat, nec corporis inſtrumenta, neque naturalem vel figuram, vel vocem habet. Ioan. 6. v. 46.* Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. *Opponit ſe tacitè Moyſi, quod is Deum nõ viderit, ipſe autem viderit: Quin & animum aduertẽti ex veteri contextu id clariſſimum eſt: ſiquidem in eodem capite nunc Deus aut Dominus, nunc Angelus dicitur locutus. Geneſ. 18. 19. 22. Exod. 3. Non vidit ergo Moyſes Deum, ſed illud de eo Num. 12. prædicatur, quod præſens cum præſente Angelo Dei perſonam gerente paſſim & familiariter colloqueretur, quem & in corporea ſpecie cerneret, præſertim cum eius gloriam oculis vſurpaſſet in Sina, Exodi 34. Cæteris verò Prophetis rarius loquebatur Deus, & non familiariter, neque per ſe, ſed per alias ſpecies & figuras, quas Prophetis obiiciebat.*

Quod ſi Moyſes Deum *non vidit, vt declaratum eſt, multo minus vidit S. Paulus, vt qui multo obſcurius & humilius de ſua viſione loquitur. Quid verò Sanctus Paulus in Extaſi ſua viderit, hic c. 4. inſinuatum eſt.*

Sed & alibi diuina Scriptura docet, Deum mortali homini inuiſibilem eſſe, vt Ioan. 1. v. 18. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. *1. Corinth. 13. v. 12.* Videmus nunc per ſpeculũ in ænigmate. *& v. 12.* Nunc cognoſco ex parte. *1. Tim. 6. v. 15. 16.* Quem *(aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti)* ſuis temporibus oſtendet, beatus & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominantium. Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſsibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor & imperium ſempiternum. Amen. *Nemo Deum videre poteſt vel oculo corporeo, vel natura ſua viribus: alioquin Deus poteſt & proximè*

proximè ſuam eſſentiam humano intellectui offerre, & ipſum intellectum lumine gloriæ eleuare & corroborare, vt aciem ſuam in Deum figere poßit, etiam in hac mortalitate.

Et hæc eſt præſtantißimorum Patrum ſententia, quacum & ſuam illam priorem commutaſſe videtur. S. Auguſtinus libr. 10. de Ciuitate Dei cap. 13. quod hunc in modum exorditur: Nec mouere nos debet, quod cum ſit inuiſibilis Deus, ſæpe viſibiliter Patribus apparuiſſe memoratur. Sicut enim ſonus, quo auditur, ſententia in ſilentio intelligentiæ conſtituta, non eſt hoc, quod ipſa, ita & ſpecies, qua viſus eſt Deus, in natura inuiſibili, conſtitutus non erat, quod ipſe. Veruntamen ipſe in eadem ſpecie corporali videbatur, ſicut illa ſententia ipſa in ſono vocis auditur, nec illi ignorabant, inuiſibilem Deum in ſpecie corporali, quod ipſe non erat ſe videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyſes, & ei tamen dicebat Exodi 33. Si inueni gratiam ante te, oſtende mihi temetipſum, ſcienter vt videam te. *Idem Sanctus Auguſtinus tractatu 3. in Ioannem explanans verba*, Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Ipſe venit, & narrauit, quidquid vidit. Quid vidit Moyſes? Moyſes vidit nubes, vidit Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura eſt, typum Domini ſui gerebat; non ipſius Domini præſentiam exhibebat. Namq; aperte habemus in lege: Et loquebatur Moyſes cum Domino, contra in contra: ſicut amicus cum amico ſuo. Sequeris ipſam Scripturam, & inuenis Moyſen dicentem: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum manifeſtè, vt videam. Et parũ eſt, quia dixit: reſponſum accepit: Non potes videre faciẽ meam. Loquebatur igitur cum Moyſe Angelus, portans

portans typum Domini: & illa omnia, quæ ibi per Angelum facta ſunt, futuram iſtam gratiam & veritatem promittebant. Illud autem ſciatis, quia omnia, quæ corporaliter viſa ſunt, non erant illa ſubſtantia Dei. Illa enim carneis oculis videmus. Dei ſubſtantia vnde videtur? Euangelium interroga: Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt. *Idem B. Auguſtinus in Pſal.* 138. *v.* 6. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Moyſes ſanctus, inquit, Dei erat famulus, cum quo loquebatur Deus per nubem, quia temporaliter loquens, vtique per aſſumptam creaturam loquebatur ſeruo ſuo, id eſt, non per ſubſtantiam ſuam, ſed per aſſumptam aliquam creaturam corporalē, per quam voces illę fierent, & humanis atq; mortalib. auribus perſonarent. Locutio illa, quæ fiebat ad Moyſen, ad hominē fiebat per ſyllabas, per tranſeuntes ſonos. Non autē fierēt iſta, niſi Deus aſſumeret talē creaturā, per quam huiuſmodi ſermonē, & voces emitteret. Moyſes S. nouerat iſtā locutionē Dei aſſumptis quibuſdā corporeis creaturis fieri: & ſic deſiderauit, & cōcupiuit videre ipſam ſpeciem Dei, & loquenti ſecum Deo dixit: Si inueni gratiā ante te, oſtende mihi temetipſum. Cum hoc vehementer cōcupiſceret, & hoc quadā, ſi dicendum eſt, amica familiaritate, qua ipſe dignatus eſt, extorquere vellet Deo, vt videret eius maieſtatē & faciem, quomodo dici poteſt facies Dei: ait illi: Non potes videre faciem meam. Nemo enim vidit faciem meam, & vixit. Loquebatur Dominus, vt dixi, per creaturam, quomodo vellet famulo ſuo. *Similia habet Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 16. & libr. 3. cap. 11. In eandem, vt indicaui, diſcedunt ſententiam alij S. Patres, Dion. de cæleſti Hierarc. c. 4. Irenæus lib. 4. c. 37. Tertullian. lib. contra Praxeam.*

Grego-

Gregorius Nazianzen. Oratione 2. de Theologia. Nyſſenus tractatu de fide, Chryſoſt. Cyrillus, Euthym. Theophylact. in cap. 1. Ioannis. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. Bern. ſer. 31. in Cant. &c.

Beatiſſima Trinitas, quæ nos ad te perfruendum cõdidiſti, æterno tuo decreto deſtinaſti, & gratia tua præparas, & in huius felicitatis pignus donas nobis Spiritũ Sanctum tuum, da, vt tanti boni expectatione quæuis ardua & difficilia agere & pati non dubitemus, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à te Domino Deo noſtro, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, & vt præſentia tua ac immenſa pulchritudine potiamur, optemus mortalitate exui, & tibi nunc & in æternitate placere contendamus: quemadmodum nos docuit Apoſtolus 2. Cor. 5. v. 5. ad 11.

CAPVT X.

SANCTISSIMA TRINITAS, quæ eſt Deus noſter per eſſentiam à Beatis videtur.

ITa clarè & perfectè Deum contemplantur felices ſpiritus, vt in ipſius notitia vlterius progredi nequeant, ſed omnia cognoſcant, quæ vel actu vel virtute diſtincta reperiuntur in ſummo illo ente, quod eſt Deus natura vnus, perſonis trinus. In qua viſione eorum conſiſtit ſempiterna beatitas.* Nam perfecta Trinitatis cognitio vita æterna eſt, *ait S. Bern. ſerm. 1. in feſto Pentecoſtes. Pſaml. 16. v. 15.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Non expletur autẽ mentis cupiditas, niſi infinito bono, quod Deus eſt, & cuius ipſa capax eſt, Matth. 5.* Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati mundo corde, *ait S. Hieron. hic in Comment.* quos non arguit cõſcientia

ſcientia vlla peccati. Mundus mundo corde cõſpicitur, templum Dei non poteſt eſſe pollutum. *Et S. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, c. 2.* Quemadmodum lumen hoc videri non poteſt, niſi oculis mundis, ita nec Deus videtur, niſi mundũ ſit illud, quod videre poteſt. *Et c. 4.* Mundis corde, *ait*, facultas eſt videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda ęterna gerentibus. *Iſta Sanctorum Patrum teſtimonia nunc idcirco à me non proferuntur, vt Scripturæ ſententia explanetur, ſed vt eorum dictis, quod Deus clarè à beatis videatur, confirmetur, & noſtra in illam viſionem mens ac volũtas excitetur. Qua de cauſa & S. Leonem Magnum ſermone in Feſto omnium Sanctorum audiamus:* Videre Deum, *inquit*, quanta ſit beatitudinis, quæ mens concipere, quæ lingua valeat explicare? Et tantum hoc cõſequitur, cum transformabitur humana natura, vt non iam per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciẽ, ipſam, quam nullus hominũ videre potuit, ſicut eſt, videat Deitatẽ, & ꝙ oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, per ineffabile gaudiũ ęternæ cõtẽplationis obtineat. Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati. Splendorem n. veri luminis ſordens acies videre non poterit, & quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis oculi tergãtur interiores, vt ſerenus intuitus tantum Dei viſione paſcatur.

Illud etiam quod eſt Matt. 18. v. 10. Angeli eorum vident faciem Patris: *ad claram Dei viſionem pertinet, ſicut & illud Ioannis* 14. *v.* 21. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Diligã, *ait ex perſona Chriſti S. Aug. tract. 75. in Ioan.* & manifeſtabo, id eſt, ad

Ss hoc

hoc diligam, vt manifeſtem. Nunc enim ad hoc dilexit, vt credamus, & mandatum fidei teneamus: tunc ad hoc diliget, vt videamus, & ipſa viſione mercedem fidei capiamus.

Hanc eandem claram S. Trinitatis ac diuinæ eſſentiæ viſionem beatis mentibus tribui docet Apoſt. 1. Cor. 13. v. 12. Videmus, nunc, *ait,* per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. *S. Aug. lib. 12. de Trinit. c. 14.* Apoſtolus, *ait,* vbi dicit: Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: quam ſcientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi. quod Sanctorum erit præmium ſummum. *Et paulò poſt id loci B. Aug.* Quid eſt in æternis excellentius, quam Deus, cuius ſolius immutabilis eſt natura? Et quis cultus eius, niſi amor eius, quo nunc deſideramus eum videre, credimuſque, & ſperamus eum nos eſſe viſuros? Et quantum proficimus, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autē in manifeſtatione. Hoc eſt n. quod ait Apoſt. Paulus, facie ad faciem. Hoc etiam quod Ioā. 1. ep. c. 3: v. 2. Dilectiſsimi nunc filij Dei ſumus, & nondū apparuit, quid erimus: ſcimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.

Verum prætermittenda non eſt huius ſententiæ expoſitio, eaque elegantiſſima quam habet idem S. Aug. tract. 4. in 1. S. Ioan. epiſt. Intelligat, *ait,* caritas veſtra. Magna res: ſcimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Ergo viſuri ſumus quandam viſionem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Viſionem quandam, viſionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum, atque camporum,

porum, pulchritudinem maris & aeris, pulchritupinem Solis & Lunæ, pulchritudinem ſtellarũ, pulchritudinẽ Angelorũ, omnia ſuperãtem, quia ex ipſa pulchra ſunt omnia. Quid ergo nos erimus, quãdo hoc videbimus? Quid nobis promiſſũ eſt? Similes ei erimus, quando videbimus eũ ſicuti eſt. Quomodo potuit, lingua ſonuit, cętera corde cogitentur. Quid n. vel ipſe Ioannes dixit ad cõparationem rei, quę eſt, vel à nobis dici poteſt, hominib. lõge imparib. meritis ipſius? Redeamus ergo ad illam vnctionem, quæ intus docet, quod loqui non poſſumus: & quia modo videre nõ poteſtis, officiũ veſtrũ in deſiderio ſit. Tota vita Chriſtiani boni ſanctũ deſiderium eſt. Quod autem deſideras, nõdum vides: ſed deſiderando capax efficeris, vt cum venerit, quod videas, implearis.

Ad eandem beatificam Dei viſionẽ ſpectat, q̃ habet S. Ioan. in ſua Apocal. c. 22. v. 3. & 4. Serui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & nomẽ eius in frõtib. eorũ. *Et quæ illorũ ſeruitus? Omni libertate felicior.* Beati qui habitãt in domo tua Domine, in ſęcula ſæculorũ laudabunt te, *Pſ. 83. v. 5. Et vnde ſemper laudabunt? Quia infinitam Dei pulchritudinem & contuebuntur, & amabunt, ſine intermiſſione, ab omni æternitate.* Ipſe Deus, *ait S. Aug. l. 22. de Ciu. Dei c. 30.* erit finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.

Hæc viſio Dei, ipſa eſt ſpecies, *ait S. Aug. l. 2. de Trinit. cap. 17.* cui contemplandę ſuſpirat omnis, qui affectat Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Ad quam contemplandã etiã proximũ, quantũ poteſt, ædificat, qui diligit & proximũ ſicut ſeipũ. Illa eſt ſpecies, quæ rapit omnem animam rationalem deſiderio

Ss 2 ſui,

ſui, tanto ardentiorem, quanto mundiorem, & tanto mundiorẽ: quanto ad ſpiritalia reſurgentem. Tanto autem ad ſpiritalia reſurgentem, quanto à carnalibus morientem.

Inter hos ſuſpirantes & ad S. Trinitatis conſpectum anhelantes erat S. Ignatius B. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, Epiſcopus & Martyr, qui epiſtolâ ad Romanos: Sinite, *inquit*, me puram lucem aſpicere (Deus lux eſt, 1. Ioann. 1. v. 5.) Miſerabilis ſum nunc, donec Deum merear adipiſci. *Annon & inter aſpirantes ad Dei viſionem numerandus eſt, qui ait Pſal.* 41. Quẽadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniã & apparebo ante faciem eius? *Talis ceruus diuini fontis ſitientiſſimus fuit* S. *Auguſt. & nos ſimiliter eſſe percupiebat in Comment. Pſal.* 41. *vbi ſic auditores ſuos alloquitur:* Eia fratres, auiditatem meam capite, deſiderium hoc mecum communicate: ſimul amemus, ſimul in hac ſiti exardeſcamus: deſideremus velut ceruus illũ fontem, de quo Scriptura alia dicit Pſ. 35. v. 10. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Apud Deum eſt fons vitæ & inſiccabilis fons: in illius luce lumen inobſcurabile. Lumen hoc deſidera, quendam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui, cui lumini videndi interior oculus præparatur, cui fonti hauriendo ſitis interior inardeſcit.

Ipſam denique Beatiſs. Trinitatem ac Deitatem, non æqualiter omnes intuentur, ſed magis minuſve pro meritorum diſſimilitudine. Qua de re S. Hieron. lib. 2. aduerſus Iouinian. c. 13. Loquitur Paulus Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 9. Ego ſum nouiſsimus Apoſtolorũ, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei: gratia autem Dei

ſum, id quod ſum: & gratia eius in me vacua nõ fuit, ſed amplius omnibus illis laboraui, non ego, ſed gratia Dei, quæ in me eſt. Veruntamen in eo quod ſe humiliat, oſtendit, poſſe Apoſtolos alios minores, alios eſſe maiores: & qui vtique vas electionis dicitur, & cunctis amplius laborauit: non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis eius, & diſpar meritum æquali mercede cõpenſet. 1. Cor. 15. v. 23. Vnuſquiſque viuificabitur in ſuo ordine. Quando vnuſquiſque reſurget in ſuo ordine, vtique diuiſa ſunt merita reſurgentium. 1. Cor. 14. v. 41. Alia eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim à ſtella differt in claritate. Sic erit & reſurrectio mortuorum. Vt iuſti in claritate Solis luceant, & qui in ſequenti gradu ſunt, Lunę ſplẽdore rutilent, vt alius Lucifer ſit, alius Arcturus, alius Orion, alius Mazuroth, & cætera ſtellarũ vocabula, quæ ſacratæ in Iob volumine continentur, cap. 9. Omnes enim, ait 2. Cor. 5. v. 10. manifeſtari nos oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque quæ geſsit per corpus, ſiue bonum, ſiue malum (*mali non tantum mala, ſed & peiores peiora; & boni non tantum bona, ſed & meliores meliora*) *ideo* in eadem epiſtola docet 2. Cor. 9. v. 6. Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Cum vnius ſementis genus ſit, tamen menſura & numero differunt. Et cap. 15. Certè inter natos mulierum nõ ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, Matt. 11. v. 11. Vbi autem maior dicitur, neceſſe eſt, vt cæteros habuerit minores. Et qui minimus in regno cœlorum, maior eſt illo. Vides ergo, quod in cœlo ſit maximus, & minimus, & inter Angelos quoque, & inter inuiſibiles creaturas ſit multiplex & infinita di-

uerſitas. In Hieremia quoque de futuro regno legimus cap. 31. v. 34. Ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum; & non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum. Perſpicue ex illius loci contextu, futurum Chriſti regnum Propheta deſcribit: & qua conſequentia erit ibi minimus & maximus, ſi omnes æquales futuri ſunt? Vtique ea qua & in Euangelio dicitur Mat. 5. v. 19. Qui fecerit & docuerit, hic maximus vocabitur in regno cœlorum, qui autem docuerit, & non fecerit, erit minimus. In conuiuio Saluator præcipit Luc. 14. v. 10. vt inferiorem occupemus locum: no cum maior veniret, de ſuperiore turpiter detrudamur. Dominus Ioann. 14. v. 2. In domo, inquit, Patris mei mãſiones multæ ſunt. Si quo minus, dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum. Manſiones in domo vtique ſunt Patris, id eſt, in regno cœlorum. Dicerem vobis, ſi non manſiones multæ eſſent apud Patrem, hoc eſt, ſi non vnuſquiſque manſionem ſibi, non ex largitate Dei, ſed ex propriis operibus præpararet, & ideo non eſt meum parare, ſed veſtrum; quia & Iudæ non profuit paratus locus, quem ſuo vitio perdidit. Iuxta quẽ ſenſum & illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedæi, quorum alter à ſiniſtris, alter cupiebat ſedere à dextris: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem à dextris meis, ſiue à ſiniſtris, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo, Matth. 20. Non eſt Filij dare, & quo modo eſt Patris præparare? Paratæ, inquit, ſunt in cœlo diuerſæ & plurimæ manſiones, plurimis diuerſiſque virtutibus, quas non perſonæ accipiunt, ſed opera. Fruſtra ergo à me

petitis,

petitis, quod in vobis ſitum eſt, quod Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem. *Iſta S.Hieron.*

Concede ſanctiſſima Trinitas, nobis gratiam tuam, vt in ea perſeuerantes ad beatiſſimum tuum conſpectũ perueniamus, & vt eandem gratiam tuam cœleſti ope & ſtudio noſtro augentes, luculentius & clarius te contueamur, ardentius amemus, & felicius iucundiuſque perfruamur.

LIBER VIII.

De honore, laude & inuocatione Sanctiſſ. Trinitatis, & eius cauſis.

CAPVT I.

BEATISSIMA TRIAS PRO MAieſtate ſua à nullis creaturis dignè & congruenter honorari & laudari poteſt.

P*Raeclarus naturæ rectæque rationis interpres Ariſtot. li. 1. Magnorum Moral. c. 2.* Virtus, *inquit,* eſt honorabile bonum. *Et lib. 4. Ethic. c. 3.* Si verũ iudicare volumus ſolis bonis honos debetur. Et perfectę virtutis honor pręmiũ eſt. *Et Tull. li. 1. de Oratore:* Vera, *ait*, laus vni virtuti debetur. *Optimè ea enim eſt omnium rectè ſentientium conſcientia. Ex quo conſequens eſt, vt quanto bonitas virtuſque excellentior, tanto maior ei honor iure tribuendus. Sanctiſſima autem Trinitas Deus noſter infinitum & ſummum bonum eſt, de qua B. Aug. ſer. 13. de verbis Apoſt. c. 6.* Deus, *ait*, ſummè bonus eſt, quia ſummè eſt, qui ait Exodi 3. verſ. 14. Ego ſum qui ſum. Cum autem audis, Deus ſummè bonus eſt, noli putare de Deo tantum Patre dictum, ſed de Patre, & Filio, & Spiritu S. Hæc n. Trinitas vnũ ſunt, & vnus eſt Deus, & ſummè bonus eſt. *Summus itaque & infinitus auguſtiſſimæ Trinitati honor & cultus exhibendus.*

Sed

Sed quis hunc dabit? Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius. *Pſal.* 105. *verſ.* 2. *Quaſi dicat: Quis ſufficiet diuinæ omnipotentiæ opera enarrare, & quis poterit percenſere laudes ex his operibus Deo debitas, vt ab aliis audiantur & cognoſcantur? Non valebit Petrus, non Paulus, non Ioannes Baptiſta, non Deipara Virgo, non totum humanum genus. Non Angeli, non Archangeli, non Cherubim non Seraphim, non ſimul omnes cœleſtes Spiritus, non tota creaturarum vniuerſitas: ſiquidem vt cuiuſque rei natura certis limitibus à Deo circumſcripta eſt, ita & actio. Itaque infinitum Deo debitum cultum & honorem impendere non poſſunt.*

Hoc eſt quod docet Sapiens Eccleſ. 43. *v.* 32. *ad* 36. *quod etiamſi omni ſtudio & toto pectore ad laudem, honoremque diuinum incumbamus, immenſæ tamen illius naturæ ac maieſtati parem perſoluere nequeamus.* Glorificantes, *inquit*, Dominum, quantumcumque potueritis ſuperualebit adhuc & admirabilis magnificentia eius (*noſtram ſuperabit glorificationem*) Benedicentes Domini exaltate illum quantum poteſtis, maior eſt enim omni laude. Exaltantes replemini virtute (*colligite omnes vires veſtras & in eo ſtrenui ſitis & aſſidui*) ne laboretis (*ne defatigemini*) non enim comprehendetis (*non perfectam & dignam Deo laudem aſſequemini*) Quis vidit eum & enarrabit? & quis magnificabit eũ ſicuti eſt ab initio? *Quis, inquit, mortalium vidit Deum in ſua ſubſtantia, vt explicare eius infinitudinem poſſit? Aut quis poteſt eum laudibus extollere & prædicare, ſicut in natura ſua ſubſiſtit, ab omni æternitate.*

S. Baſilij hom. de fide. Cunctis, *ait*, tam doctis, quam indoctis natura quidem inſitum eſt hominibus, vt Deum glorificare cupiant, enarrare autem ipſius magnitudinem nullus ſane in-

uenitur idoneus. *Quid ergo? Quia infinitæ beatiſſimæ Trinitatis maieſtati conuenientem debitumque honorem præſtare non poſſumus, nullum prorſus adhibebimus. Imo omnes animi corporiſque neruos intendamus,vt cum VniTrinum Deum noſtrum pro ſua dignitate honorare,laudare,amare non poſſimus, ſaltem pro natura omni facultate maximum illi honorem, laudem,amorem, ſemper & vbique tribuamus. Ad quod præſtandum nos cohortatur Spiritus ſanctus Eccleſ.* 39. *v.*41.Et nunc in omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini. *Quam ob rem commendatur Dauid Eccleſ.*47.*v.*9.10. In omni opere ſuo dedit confeſſionem(*laudis*)Sancto & Excelſo in verbo gloriæ.De omni corde ſuo laudauit Dominum,& dilexit Deum qui fecit illum.

Da nobis quæſumus benigniſſima Trinitas interminatam Maieſtatem tuam indefeſſa & continua religione venerari, vt cum digna mente eam non poſſimus & celebrare,pro virili ſaltem noſtra, humillimis frequentemus,& demereamur obſequiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT II.

QVATVOR MODIS HONORARI Sanctiſſimam Trinitatem.

VT autem intelligamus quem honorem,laudem,& amoremSanctiſſimæ Trinitati Domino Deo noſtro in ſæcula benedicto impendere vel queamus,vel teneamur,ex eo conſtabit dilucidumque erit ſi quod 4.modis Sanctiſſima Trinitas honorari,amari,laudari poſſit intelligamus, ac 1. *quidẽ quantum illa honorabilis, amabilis, & laudabilis eſt. Eſt autẽ infinita Maieſtas cui debetur infinitus, honor, infi-*

infinita bonitas qua meretur infinitum amorem, eſt infinita perfectio quam decet laus infinita. Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis *ait Dauid Pſal.*144.v.3. Magnus Dominus, *ſiue naturæ, ſiue potentiæ, ſiue ſanctitatis præſtantia, & quia hæc infinita, non ſolum dignus eſt, qui valde & omni ratione laudetur, ſed & vt illius laudationis nullus ſit modus, nullus ſit terminus. Atque hunc amorem, & honorem non niſi vna diuina perſona alteri impendere poteſt ſolus Pater Filio, ſolus Filius Patri, vterque ſolus Spiritui ſancto & vtrique viciſſim ſolus Spiritus ſanctus. Quod ab exordio libri decimi vſque ad 12.caput latius explicabitur.*

Alter modus ſacroſanctam Trinitatem amore, honoribus, ac laudibus proſequendi eſt, vt tantum illi impendatur, quantum Creatura impendere poteſt, ſiue humana, ſiue Angelica, vt nimirum omnes ſuas cogitationes & mentem ipſam, omnia ſua deſideria & voluntatem ſuam, perpetuo & ſine intermiſſione defixam habeat in Deo diligendo, honorando, dilaudando, colendo eoque omnem ſuam poſſibilem eperam conferat, atque hic honos à beatis ſpiritibus Deo tribuitur, quemadmodum canit Eccleſia de Sanctiſſima Trinit. in præfatione: Quam laudant Angeli atque Archangeli, Cherubin quoque ac Seraphin, qui non ceſſant clamare quotidie vna voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. *Pſ.*83.v̇.5. Beati qui habitant in domo tua Dñe in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *In quem Pſalmum & verſum S. Aug.* Si amor, *inquit*, ſempiternus erit: quia illa inſatiabilis pulchritudo erit, noli timere ne non poſſis ſemper laudare, quem ſemper poteris amare. *Et in Pſal.*85. Hæc, *ait*, erit actio noſtra laus Dei. Amas & laudas. Deſinis laudare, ſi deſinis amare. Non autem deſinis amare, quia

talis eſt, quem vides, qui nullo te offendat faſtidio. *Da beatiſſ. Trinitas Domine Deus noſter vt nunc in tempore & poſt te laudemus in æternitate.*

Tertius modus honorem cultũque præſtandi & ſanctiſſ. Trinitati adhibendi eſt, vt quis negotiis & ſæcularibus curis ſe expediat, & quantum humanæ vitæ neceſſitas in cibo, ſomno, opere patitur ſe totum vni Deo amando, honorando, laudando impendat, qualis vita Prophetarum, Chriſti Domini, Ioannis Baptiſtæ, Deiparæ, religioſorum ordinum quibus mundus crucifixus, & ipſi mundo *Gal. 6. v. 14.* quorum vita Chriſtus *Phil. 1. verſ. 21.* quorum conuerſatio in cœlis. *Philip. 3. v. 20. Quin imo & ſæculares ad hunc gradum aſcendere poſſunt, ſi nimirum & aſſiduam Dei memoriam habere conentur & omnia ſua inſtituta ad illius referant honorem & gloriam. Ea eſt mens & ſententia B. Baſilij in Pſal.* 33. Sanè cogitatio, *inquit*, quæ de Deo eſt ſemel impreſſa menti poteſt laus Dei rectè appellari ſemper in anima exiſtens. Poteſt item iuxta Apoſtolicã adhortationem 1. Corint. 10. v. 31. Coll. 3. v. 17. vir quiuis pietatis ſtudioſus cuncta facere ad Dei gloriam, ita vt facta dictaque ipſius omnia, omniſque ſpiritalis operatio vim laudis habeant. Siue enim bibat iuſtus ſiue edat, omnia ad gloriam Dei facit. Et S. Auguſt. in Pſal. 34. Suggero remedium, *inquit*, vnde tota die laudes Deum, ſi vis. Quicquid egeris benè age & laudaſti Deum. *Tribue præpotens Trinitas vt cultum tuum aliis poſthabentes præmium cultoribus tuis promiſſum feliciter aſſequamur.*

Quartus gradus omnibus communis & pernecessarius eſt, vt cohibeamus nos ne vllo mortifero peccato Sanctiſſimæ Trinitati ſimus dedecori. Nam vt nemo probus ab improbo laudari velit, ne ſceleris vel adiutor vel fautor eſſe videatur, ita multo minus Deus à ſceleratis ſuas deprædicari laudes ſuſtinet. Quo pertinet illud

Daui-

Dauidis *Pſal.49.verſ.16. Peccatori autem dixit Deus,* quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum ? Tu vero odiſti diſciplinam & proieciſti ſermones meos retrorſum *S.Chryſ.in Pſal.102.*Primum quidem,*inquit*, hæc laus à iuſtis requiritur, oportet enim vitam prius rectè inſtituentem hymnos Deo canere. Non eſt enim pulchra laus in ore peccatoris. *Eccleſ.15.v.9.Et S.Aug.in Pſal.146.v.1.* Deo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Quomodo, ait, erit Deo noſtro iucunda laus? Si bene viuendo laudetur. *Alio loco dicitur Eccleſ.15.v.9.* Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Si ergo in ore peccatoris ſpecioſa laus non eſt, iucunda non eſt. Hoc enim iucundum quod ſpecioſum. Vis ergo vt Deo tuo iucunda ſit laus? noli bonæ cātilenæ tuæ obſtrepere moribus malis. Deo noſtro iucunda ſit laus. Quid dixit ? Qui laudatis bene viuite. Laudatio impiorum offendit Deum, Plus ille attendit quid viuas, quam quid ſonas, cuius aures non ad os ſed ad cor, non ad linguam, ſed ad vitam laudatoris patent. *Mandaſti nobis Domine Pſal. 45.v.11.* Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. *Ecce Domine Deus meus.* Corpus hoc corruptibile aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem *Sap.9.v.15.Vt igitur attente contemplemur quod tu ſis ſolus Deus, & nulla quantumuis ſublimis creatura ſit Deus, quod tu ſolus ſis id quod eſt, & infinitū bonum, quod ſolus ſis ex quo per quem & in quo ſunt omnia, quo ſine nihil poſſumus & nihil ſumus, in quo ſolo omnia poſſumus & vere ſumus.*

Da vt quantum humana fragilitas patitur & neceſſitas, vt à rerum caducarū, diuitiarum, delitiarum, honorum cupiditate vacemus & omnes vires in tui contemplationem & amorem conferamus.

CAP.

CAPVT III.

QVO CONATV ET STVDIO AD Sanctiſsimæ Trinitatis honorem amplificandum contendere debeamus.

QVemadmodum vero ſummopere laborandum ne ex hoc vnquam gradu dilabamur, ita quantum poſſumus ad ſuperiores gradus enitendum vt nimirum etiam minutas & veniales culpas ſtudioſe deuitemus, ne illis Dei laus & honor intermittatur. Quis, *ait Dauid Pſal.* 23. v. 3. aſcendet in montem Domini (*ad precandum ſcilicet*) aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde, *id eſt opere purus & mente.*

Vt Deum honorare & diutius diligentius laudare poſsimus omnia ſuperflua ex familiari conſuetudine, confabulationibus, inambulationibus, ludis, negotiis recidamus. Pſal. 33. v. 1. Benedicã Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Ipſa neceſsitatis vt ſunt ſe veſtire, lauare, bibere, mãducare, dormire, proficiſci, laborare, vel expreſſe vel minimum virtute ad diuinum honorem dirigantur, & quidem à terrena fece noſtri commodi, gloriæ, voluptatis omnino purgata, ita vt nec ſpectetur quidem animi tranquillitas virtutis comes, nec pœnæ deuitatio, aut æternæ beatitudinis præmium, ſed ſolum Sanctiſsimæ Trinitatis honor & gloria, & is honor ei purè, caſtè, integrè tribuatur. Recte S. Bern. tract. de diligendo Deo. Non ſine præmio, *inquit*, diligitur Deus, etſi abſque præmij intuitu diligendus verus amor prę-

mium

mium habet, ſed id quod amatur Præmium non requirit, ſed meretur.

Neq; ſolum opera tanquam fructus, ſed et facultates ipſæ animi corporiſq; tanquã arbores Deo dicandæ ſunt. Nobis ipſis nullum munus gratius Deo Proue. 23.v.2.6. Præbe fili mi cor tuũ mihi. Non perpendit Dñs, *ait S.Greg.hom.5.in Euang.* quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Nihil offertur Deo ditius voluntate bona.

Ardentiſſime diſcupiamus vt ſanctiſſima Trinitas ab omnibus agnoſcatur, ametur, colatur, honoretur atq; ad id quotquot poſſumus verbo pariter & exemplo inuitemus dicentes cum Propheta Pſal.33.v.4. Magnificate Dñm mecũ & exaltemus nomen eius in id ipsũ, *i.e. vna & communiter. In quẽ Pſal. & verſum S. Aug.* Quiſqs eſt fratres, ait, in corpore Chriſti, ad hoc debet dare operam, vt magnificetur cũ illo Dñs. Excitate in vobis amorem fratres, & clamate vnicuique veſtrorum & dicite. Magnificate Dñm mecum, ſit in vobis iſte feruor. Si amatis Deum omnes rapite ad amorem Dei, qui vobis iungũtur & qui ſunt in domo veſtra. Rapite quot poteſtis, hortando, portando, rogando, diſputando, rationem reddendo cum manſuetudine, cum lenitate. Rapite ad amorem Dei.

Cum S.Dauide Pſ.148.& cũ tribus illis ſanctis pueris Daniel.3.vna nobiſcum perpetuum Deo honorem & laudem contribuant, vniuerſas imploremus creaturas.

De infinitis diuinæ Trinitatis bonis ſummopere delectemur & gratulemur, vt Dauid Pſ.34.v.9.10. Anima mea exultabit in Dño, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent: Dñe qs ſimilis tibi. *Et S.Aug.l.11.Conf.c.4.* Tu Dñe, inqt, feciſti omnia qui pulcher es, pulchra ſunt enim; qui bonus es, bona ſunt enim, qui es, ſunt enim. Nec ita pulchra ſunt, nec ita bona ſunt, nec ita ſunt ſicut

Sicut tu conditor eorum, cui comparata nec pulchra ſunt, nec bona ſunt, nec ſunt ſcimus hæc, gratias tibi.

Submiſſiſſime nos coram SS. Trinitate abijciamus, & ſancto rubore perfundamur, cum perſpiciamus nos im-mēſo interuallo abeſſe ab eo honore qui ipſi ſummo iure debetur. *Eccleſ.* 3.v.20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. *Ipſi Seraphini Angelorum principes Iſa.* 6.v.2. *ante Sanctiſſimam Trinitatem obuelant faciem ſuam, in ſignum verecundiæ & ſubiectionis* 1. *Cor.* 11.v.10. *quaſi indigni qui infinitam illam contemplentur maieſtatem, & obtegunt pedes ſuos, vt declarent naturæ ſuæ imbecillitatem & vilitatem, ſi cū diuina conferatur dignitate & excellentia Apoc.* 7. *v.* 11. Omnes angeli ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum. *Eundem prorſus ſubmiſſiſſimum honorem Sanctiſſimæ Trinitati exhibent beati homines Apoc.* 4.v.10. Procedebant viginti quatuor Seniores (*per quos veteris & noui Teſtamenti intelligunt Sancti*) ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum & mittebant coronas ſuas ante thronū, *palam ſcil. confitentes quicquid in ipſis gratiæ, gloriæ, & cuiuſuis boni ineſſet à Deo trino & vno profectum eſſe. Nonne & Chriſtus Dominus diuinam Maieſtatem reueritus ſupplicans cecidit in faciem ſuam. Matth.* 26. *v.*39.

Summa voluntate, ſtudio & conatu poſſibilem & nobis & creaturis omnibus honorem, cum diuino honore quo vna Sanctiſſimæ Trinitatis perſona aliam afficit tanquam guttulam cum Oceano coniungamus & ſic illam pariter honoremus, & potiſſimum hoc in Miſſæ ſacrificio quo præſtantius nihil à nobis Sanctiſſimæ Trinitati offerri poteſt, præſtemus, ac nos totos hoc vel ſimili modo

modo offeramus: Suſcipe Domine vniuerſã libertatem meam, accipe memoriam, intellectũ atq; voluntatem omnem. Quicquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es, id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & diues ſum ſatis, nec aliud vltra quicquam poſco. *Hæc eſt B.Ignatij precatio ſe ſuáque omnia diuino arbitratui permittentis.*

Capvt IV.

Qvod ob maiestatis præcellentiam nobis honoranda ſit diuiniſſima Trinitas.

Explicandæ nunc nobis cauſſæ ſunt propter quas perpetuis ſanctiſſimá Trinitas laudibus ſit celebranda inter quas prima & potiſſima cauſſa eſt infinita diuinæ naturæ præſtantia & dignitas, qua cum omnes creaturæ compoſitæ nihil ſunt. Quoniam tanquam momentum ſtateræ *inquit Salomon Sap.11.v.23.* eſt ante te orbis terrarum & tãquam gutta roris antelucani quæ deſcendit in terram. *Et Iſa.c.40.v.17.* Omnes gentes quaſi nõ ſint ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.

S.Aug.l.7.Conf.c.11.ſic alloquitur Deum ſuum: Et inſpexi cætera infra te, & vidi nec omnino eſſe, nec omnino non eſſe. Eſſe quidem quoniam abs te ſunt: non eſſe autem, quoniam id quod es nõ ſunt. Id n. vere eſt quod incommutabiliter manet. *S.Chryſ.in Pſ.144.v.3.* Magnus Dñs & laudabilis nimis & magnitudinis eius nõ eſt finis. Propter maieſtatem gloriæ; propter ſubſtantiam ab omni interitu alienã debetur Deo à nobis gloria

& benedictio & perpetua gratiarum actio, cult⁹ & miniſterium. Neq; Deus noſtris laudibus & benedictionibus eget. Qui autem ipſum laudant ipſi euadunt clariores.

Hinc in S. literis hæc leguntur 2. Machab. 1. v. 25. Solus es bonus rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus & omnipotens & æternus. *Lucæ 8. v. 19.* Nemo bonus niſi ſolus Deus. *Solus dicitur ſapiens Rom. 16. v. 27. & 1. Tim. 6. v. 15. 16.* Solus beatus, potens, immortalitatem habens. *Et Apoc. 15. v. 4.* ſolus pius. *Non quod alij non ſint boni, præſtantes, iuſti, ſapientes, beati, immortales, pij. Sed quod per eſſentiam & à ſeipſo iſta habeat Deus & qui cum Creatoris infinita bonitate, excellentia, iuſtitia, ſapientia, beatitudine, pietate, compoſiti nullum ſplendorem emittant & quaſi tenuiſſima quædam vmbra ſint.*

Hoc indicat Dauid nimirum ob hanc immenſam naturæ ſuæ excellentiam à nobis beatiſſ. Trinitatem eſſe honorandam, obſeruandam, colendam, & omnibus gloriæ inſignibus decorandam Pſal. 144. v. 3. Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non eſt finis. Vbi S. Aug. Noli ergo putare te eum, cuius magnitudinis finis non eſt, ſufficienter poſſe laudare. *Et Apoſtolus Rom. 16. v. 27.* Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Id eſt ſoli ſanctiſſimæ Trinitati ex ſe & natura ſua ſapienti per Chriſtum hominem (nam vt Deus vna cum Patre & Spiritu ſancto honoratur) ſit honor & gloria ſempiterna. Ita S. Aug. li. 3. contra Maximinum cap. 13. Similiter 1. Tim. 1. v. 17. Regi ſæculorum immortali inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen. *Soli Deo ſanctiſſimæ Trinitati honor & latria cultus deferendus quo illa agnoſcitur & prædicatur vt primum principium ac rerum vniuerſarum effector, moderator & infinitus bonorum cunctorum*

rum ſons & indeficiens theſaurus, alioqnin de Sanctis & Dauid dicebat Pſal.138.v.17. Mihi nimis honorati ſunt amici tui Deus. Et Saluator Ioan.12.v.26. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus qui eſt in cœlis.

Tuæ diuinæ Maieſtati Domine Deus meus nunc ſupremam ſeruiamus ſeruitutem, vt & ſupremum illum, quem tui amantibus famulis largiris honorem, in cœlis conſequamur.

CAPVT V.

CVNCTIS PRAECELLENTISSIma Trinitas à nobis eſt laudibus ornanda ob ſuam aduerſus nos beneficentiam.

QVanquam cultu latriæ Deum honorandi primaria cauſa ſit ipſius increata, & immenſa præſtantia: quia tamen ipſius in nos promerita & beneficia ſunt nobis huius diuinæ excellentiæ argumenta, & teſtimonia, inuitamenta etiam ad eum honorem alacrius & conſtantius impendendum, de his beneficiis breuiter agendum. Itaq; Altera honorãdi laudandiq; SS. Trinitatẽ eſt ꝓlixiſſima eius in nos beneficẽtia S. Dauid Pſ. 135.v.1.2.3. Deum laudandi materiã eſſe docet & ipſius naturæ ꝓſtantiam, & in nos benignitatẽ & clementiã. Cõfitemini, *ait*, Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius Confitemini Deo Deorũ, qm̃ in æternum miſericordia eius, Confitemini Dño Dñorum qm̃ in æternum miſericordia eius. *Benignè nobis facit: quia vt habet Eccleſia.* Caritas Pater eſt, gratia filius, cõmunicatio S. ſanctus ô B. Trinitas. *S. Ioan. Chryſ. in Pſ. 144.* Homo, *inqt*, cũ factus ſit à Deo, vt illi placeat, & regnum futurum conſequatur, per totam vitam offert Deo laudes. Deo enim multa debemus 1. quod creauerit 2. quod tales creaturas

fecerit 3. quod quotidie noſtri curam gerat. 4. ꝗ aſpectabilia ad noſtrum miniſteriũ præbeat. 5. quod animæ per miracula, leges ſupplicia & variam prouidentiam conſulat. 6. quod proprio filio propter nos non pepercit. 7. quod per baptiſmum & alia Sacramenta dona ſua conferat. 8. quod daturus regnum, reſurrectionem, hæreditatem omni beatitudine plenam. Si quis enim ſingula enumeret, incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitque quot nominibus ſit Deo obnoxius.

Quocirca S. Dauid Pſal. 148. cum dixiſſet. Laudate Dñm de cœlis, laudate eũ in excelſis, laudate eũ omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, laudate eũ ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen, laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. *Cauſſam laudationis ſubiungit creationem*: Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.

Et Apoſtolus cũ dixiſſet omnia à Deo procerata eſſe, & ab ipſo conſeruari & ad eum tanquam vltimum finem vergere, adiunxit continuo, ob hoc illi omnem honorem tribuendum: Apoſtoli verba ſunt. Rom. 11. v. 36. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Et vt operationem S. Trinitatis oſtenderet, ait: Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, *atque vt vnitatem eiuſdem Trinitatis intimaret protinus addidit.* Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

O Deus æterne, qui nos magnitudine & multitudine beneficiorum tuorum vndique cumulas & obruis, inter hæc, & illud beneficium tribue, vt ingentia illa dona tua ſemper & accurate perpendamus & pro iis omni nos obſequentia gratos præbere ſtudeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAP.

CAPVT VI.

OB GRATIAE ET GLORIAE præparationem celebrandæ nobis ſemper celſiſſimæ Triadis laudes.

NVnc ſingillatim & diſtinctè exponendum eſt propter quæ beneficia ſit nobis honoranda, & prædicanda S.Trinitas. Primum eſt, prædeſtinationis noſtræ ad gratiã & gloriam, cũ Deus Pater, propter vnigenitum ſuum, decreuit ab omni æternitate donare Spiritum ſanctum vt eius gratia& caritate, ope & ductu ad ſempiternam felicitatem perueniremus.

Quo nomine Deum honorat & laudibus effert Apoſtolus Eph.1.v.3.4. Benedictus Deus, *inquit*, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto: Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in caritate. *Senſus eſt: Laudandus nobis perpetuo Deus, quod propter vnigenitum filium ſuum Chriſtum Dominum noſtrum, cunctis S. Spiritus donis nos abundantiſſimè cumularit in hoc tempore, ſicut ab omni æternitate ob præuiſa Chriſti Domini merita nos elegit vt puritate à peccatis, vitæ ſanctimonia, ac perfecta caritate à Spiritu ſancto tributis æternam adiremus beatitudinem.*

Quod tua nobis benignitate largire ô clementiſſima Trinitas, Deus qui filios tuos ſic ad æterna felicitatis hæreditatem prædeſtinaſti, vt tamen qui per ætatem poſſent eandem ſanctitate & iuſtitia à te data promereantur, Concede propitius vt cum metu & tremore

ſalutem noſtram procuremus. Philip. 2. v. 12. & bonis operibus certam noſtram vocationem & electionem facere ſatagamus 2. Pet. 1. v. 10. *Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.*

CAPVT VII.

QVIA A SANCTISSIMA TRInitate conditi ſumus illi à nobis omnis debetur honor & gloria.

P*Ropter beneficium creationis tum noſtræ, tum rerum vniuerſarum, hæ enim & ad noſtram vtilitatem conditæ ſunt, honor omnis cultusque procreatrici Trinitati tribuendus.* Ecce Trinitas Deus meus, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus creator vniuerſæ creaturæ *ait* S. Aug. l. 13. Conf. c. 5. S. Aug. *l. de vera religione c.* 7. A Creatrice Trinitate Patre, Filio, Spiritu ſancto vno Deo habet omnis natura ſimul hæc tria vt & vnum aliquid ſit, & ſpecie propria diſcernatur à cæteris & rerum ordinem non excedat. S. Ambroſ. *de virginis inſtitutione c.* 10. Principium omnium Trinitas eſt, & Trinitatis primatus ſuper omnia eſt.

S. Fulgentius *Ruſpenſis Epiſcopus eximius meritiſſimæ Trinitatis ad plagas & exilium propugnator l. de fide ad Petrum c.* 3. Principaliter, *ait*, tene omnem naturam, quæ non eſt Trinitas Deus ab ipſa ſancta Trinitate, quæ ſolus Deus æternus & verus eſt creatam ex nihilo. Ac ſi vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, opus

opus atque creaturā eſſe ſanctæ Trinitatis: quæ eſt vnus Deus rerum omnium creator, & Dominus, æternus, omnipotens, iuſtus, & bonus, habens naturaliter vt ſemper ſit, & mutari aliquando non poſſit. Et hic Deus qui ſine initio ſemper eſt: quia ſummè eſt, dedit reb⁹ à ſe creatis, vt ſint: non tamen ſine initio: quia nulla creatura eiuſdem naturæ eſt, cuius Trinitas eſt vnus, verus & bonus Deus à quo creata ſunt omnia. Et quia ſummè bonus eſt, dedit omnibus naturis, quas fecit vt bonæ ſint: non tamen tantum bonæ, quantum creator omnium bonorū, &c.

Hac de cauſſa Deum honoribus & laudibus proſequuntur Sancti in cœlo. Apoc. 4. *v.* 10. Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedētem in throno & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum & mittebant coronas ſuas ante thronum dicētes: Dignus es Domine De⁹ noſter accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

Et Apoſtolus transſcribit gloriam Conditori Rom. 11. *v.* 36. *de quo ita S. Aug. tom.* 1. *l. de morib. Eccleſiæ Catech. c.* 14. Diligere, *inquit*, debemus trinam quādam vnitatem Patrem & Filium & S. ſanctum, quod nihil aliud dicam eſſe, quam idipſum eſſe. Eſt enim verè ſummeq; Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Hæc verba Pauli ſunt. Quid deinde ſubijcitur? Ipſi gloria. Syncerisſimè omnino. Neq; enim ait ipſis: Nam vnus eſt Deus. Quid eſt autem: Ipſi gloria, niſi ipſi optima & ſumma & late patens fama? Quanto enim melius atque diffuſius diffamatur, tanto diligitur & amatur ardentius. Quod cum fit nihil aliud ab humano genere, quam certo & conſtanti gradu in optimam vitam, & beatiſſimam

pergitur. Nam quid erit optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimũ: Id a. eſt ſolus Deus cui hærere certe non valemus niſi dilectione, amore, caritate. *Itaq; cum Apoſtolo S. Auguſt. præclare ſentit omnem præſtantiſſimæ Trinitati laudem, honorẽ ac gloriã impertiendam quod omnium rerum procreatrix, conſeruatrix, gubernatrix ac vltimus ſit finis.*

Et in hunc potiſſimum finem Angeli conditi ſunt & homines vt ampliſſimis honoribus & laudibus ſanctiſſimam ſemper Trinitatẽ afficiant. Eccleſ. 17. v. 10. Creauit Deus homines vt nomẽ ſanctificationis eius collaudent, & glorientur in mirabilibus illius (*quæ pro eorum ſalute operatus eſt*) & magnalia enarrent opera eius. *Iſa. 43. v. 7.* Et omnem qui inuocat nomen meũ, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. *Et Lactant. l. 4. Inſtit. c. 26.* Hac conditione gignimur, vt generanti nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur: hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & relegati ſumus.

Domine Deus noſter, qui quicquid ſumus à te accepimus & ea lege & conditione accepimus vt corpore & animo non niſi ad tuam gloriam, quæ finis noſter & ſalus eſt, vtamur obſecramus te per miſeriordiã tuam, vt corpora noſtra tuę *diuinæ Maieſtati* hoſtiam ſanctam, viuẽtem, ac beneplacentem exhibeamus, & nolimus conformari huic ſæculo, ſed reformemur in nouitate ſenſus noſtri vt probemus, quæ ſit voluntas tua bona, beneplacens & perfecta quemadmodum nos per Apoſtolum tuum Rom. 12. v. 1. *hortatus es.*

CAP.

CAPVT VIII.

AMPLISSIMIS BEATISS. TRINITAS laudibus efferenda, quia noſtra eſt conſeruatrix.

OB beneficium cõſeruationis, quo ſanctiſ. Trinitas nos vitamq; noſtram tuetur, illique omnia adiumenta liberaliſſimè ſuppeditat, meritiſſimè à nobis commẽdanda eſt. S. Aug. li. 9. de Trinit. cap. 1. Credamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe vnum Deum vniuerſæ creaturæ conditorem atque rectorem, *De hac potenti Dei bonitate omnia conſeruantur hunc in modum, lib. 1. de fide ad Petrum differit S. Fulgentius cap. 12.* Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites Trinitatem Deum immenſum eſſe virtute, non mole, & omnem creaturam ſpiritalem, atque corporalem virtute eius, & præſentia contineri: dicit enim Deus Pater, Hier. 23. v. 24. Cœlum & terram ego impleo. Dicitur etiam de ſapientia Dei, quæ filius eſt eius, Sap. 8. v. 1. Quia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. De Spiritu quoque ſancto legimus Sap. 1. v. 7. Quia Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et Dauid Propheta dicit Pſalm. 138. v. 7. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades.

S. Gregor. Nazian. in Oratione de cura pauperibus præſtanda. Non tam ſępè reſpirare oportet, quam Dei meminiſſe: Deus enim perpetuo & continenter nobis benefacit, in eſſe conſeruare, & neceſſaria miniſtrans. Nam ſi vel minimo momẽto oculos à nobis remoueret, in nihilum redigeremur,

geremur, ſicut imago noſtri in ſpeculo apparẽs in nihilum redigitur, quamprimum nos loco mouemus: & ſicut calor ab igne recedit, quoties ab igne vel Sole remouetur. Vt corpus animæ, rami arboris trunco, ſolares radij Soli vniti, vt ab illis virtutem ſuam trahant, ita mente ſemper Deo vniti eſſe debemus. Accedite ad eũ, *ait Propheta Pſal.* 33.*v.*6.& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Hanc eandem cauſam vt nos totos ſanctiſſ. Trinitatis honori & cultui impendamus, affert S. Bern. ſerm. de 4. *ei debito:* Ecce, *inquit*, in ianuis eſt, qui fecit cœlum & terrã, & creator tuus eſt, tu creatura, tu ſeruus, ille Dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi miniſtrat ſyderum curſus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuũ vbertatem. Huic reuera totis medullis, totis viribus ſeruiendum, ne forte indignationis oculo te reſpiciat & deſpiciat, & conterat in æternũ. Ipſe Deus, *ait Apoſtolus Act.*17.*ver.*25. dat vitam & inſpirationem & omnia. *Et v.*28. In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus.

Meritiſſime itaque non tantum ſingulis diebus, ſed & horis & momentis ſingulis ſanctiſſ. Trinitatem amare, & honorare debemus, cum nullo non puncto temporis ingentia ab illa beneficia accipiamus.

O ſanctiſſima Trinitas, quia ſine te, neque beatè, neque benè, neque omnino eſſe poſſumus, da, vt nũc ex voluntate tua viuamus, & te æternum perfruamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

CAP.

CAPVT IX.

QVOD OMNE POSSIBILE OBſequium noſtrum iure ſibi vendicet excellentiſſ. Trinitas propter liberationis beneficium.

Beneficium Redemptionis eſt, quo Deus *Pater* ſic dilexit mundum, vt Filiũ ſuum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, nõ pereat, ſed habeat vitam æternam, *Ioann. 3. v. 16. quo &* Dei Filius Chriſtus Dominus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, *Eph. 5. v. 2.* quo ſanguis Chriſti, qui per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti, *Heb. 9. v. 14.*

Ergo tota benigniſſima Trinitas noſtram redemptionem & ſalutem operata eſt, quod & his ſententiis declarat B. Aug. li. 13. de Tri. c. 11. Quid, *inquit*, ipſe Doctor gentium, Ro. 8. v. 32. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donauit. Nec Filius per Patrẽ ſibi non parcentẽ pro nobis velut inuitus traditus eſt: quia & de ipſo dictũ eſt, Galat. 2. v. 20. Qui me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me. Omnia ergo ſimul & Pater & Filius, & amborum Spiritus pariter & concorditer operantur, tamen iuſtificati ſumus in Chriſti ſanguine, & reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, Ro. 5. *Iſta ibi S. Aug. indicans, quod tota ſimul S. Trinitas actione noſtræ redemptionis opus perfecerit, Filius verò etiam perpeſſione.*

Ob hoc

Ob hoc verò tale tantumque beneficium perpetuum Deo noſtro deberi honorem declarat Apoſtolus Gal. 1. v. 3. 4. 5. Gratia vobis, *inquit*, & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt nos eriperet de pręſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri, cui eſt gloria in ſęcula ſæculorum. Amen. *Apoc. 5. v. 11. ad finem vſque Capitis, Chriſtum Agnum Dei pro liberationis humanæ beneficio honorant, laudant, & gratias agunt, non ſolum beati homines, ſed & ſancti Angeli, ac denique vniuerſa creatura. Verum & ipſa S. Scripturæ verba iuuabit audire:* Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.

Ergo tanquam ſerui emptitij omnem honorem & cultum debemus Chriſto Redemptori ac Domino noſtro. Pretio, *inquit Apoſtolus 1. Corint. 6. v. 20.* empti eſtis magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. *Et 2. Cor. 5. v. 15.* Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. *Totam etiam vitam idcirco Chriſti honoribus & laudibus inſumere tenemur. S. Leo ſer. 1. de Natiuit. Dom.*

Aga-

Agamus, *ait*, dilectiſsimi, gratias Deo Patri, per Filium eius in Spiritu S. quoniam propter multam caritatem ſuam, quâ dilexit nos, miſertus eſt noſtri, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, vt eſſemus in ipſo noua creatura, nouumque figmentum, *Epheſ. 2. v. 10.*

Domine Deus Pater omnipotens, largire nobis Spiritum ſanctum, vt eius gratia adiuti, totam vitam noſtrã quam Filio tuo vnigenito Redemptori noſtro debemus, ad illius voluntatem & exemplum conformemus.

Capvt X.

HONOREM CVLTVMQVE S. Trinitatis poſtulat iuſtificationis beneficium.

Beneficium iuſtificationis, & adoptationis in Dei filios eſt, quo Deus propter Filij ſui merita gratiam ſancti Spiritus largitur, & ex peccatore facit iuſtum, ex iniquo pium, ex diaboli mancipio Filium Dei. Hoc ſanctiſsimæ Trinitatis opus commendat Apoſtolus 1. *Cor.* 6. *v.* 11. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. *Ecce Deus Pater merito Filij ſui, & Spiritus ſancti gratia, nos expurgat à peccatis, ornat virtutibus; & ſic iuſtos efficit: quia iuſtificatio eſt translatio à peccati ſtatu in iuſtitiæ & ſanctitatis ſtatum. Et ad Galat.* 4. *v.* 6. Quoniam eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater.

Ob hoc tam illuſtre donum & bonum, maximi honores & gratiæ benedictæ ſemper Trinitati habendæ ſunt: quemadmodum oſtendit Apoſtolus 1. *Tim.* 1. *v.* 12. *ad* 17. *vbi poſt commemoratum ſibi & aliis remiſſionis peccato-*

peccatorum beneficium. verſ. 17. in laudem ſanctiſſimæ Trinitatis erumpit. vt Theodor. ibi, & Anſelm. explicant: Operæ erit pretium & ipſa S. Pauli verba adſcribere, vt & nos ſimiliter pro peccatorum condonatione miſericordiſſimæ Trinitati gratos ſemper præbeamus. Sic ergo ait v. 12. Gratias ago ei (*Deo*) qui me confortauit Chriſto Ieſu Domino noſtro (*addendo per ipſum Chriſtum mihi vires & animos, vt illum intrepide annunciem*) Quia fidelem (*fidum*) me exiſtimauit ponens in miniſterio (*Apoſtolatus & prædicandi Euangelij.*) v. 13. Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus (*violentus & iniurioſus*) ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu (*contra peccatū gratia, contra incredulitatem fides, contra proximi iniuriā eiuſdem dilectio, Chriſti merito mihi affatim ſuppeditata eſt.*) Fidelis ſermo (*verax, certus, & indubitatus*) & omni acceptione dignus (*omni ſtudio & gratiarum actione acceptandus*) quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Quid eſt primus, *ait S. Auguſtinus in Pſal.* 70. antecedens omnes, non tempore, ſed magnitudine. Nemo, *ait idem S. Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Apoſtoli,* acrior Paulo inter perſecutores, nemo ergo peior inter peccatores. *B. Paulus ex vera humilitate in ſuorum peccatorum grauitatem oculos mentis intendens, & aliena non valde conſiderans, vel excuſans, vel minimum ſe maximum peccatorem confeſſus eſt.*) Sed ideo miſericordiam cōſecutus ſum, vt in me primo (*præcipuo peccatore*) oſtenderet Dominus Ieſus omnē patientiam (*totam & perfectam lōganimitatem, quâ me contra ſe furentem ſuſtinuit*) ad informationem eorum (*viuum exemplar diuinæ clementiæ eorum*)

qui

qui credituri ſunt illi in vitam æternam (*cum ergo tibi aliiſque peccatoribus tot tantaque peccata donauerit clementiſſima Trinitas, quid agis Paule? Quid agam niſi gratias?*) Regi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Id eſt, ſanctiſſimæ Trinitati quæ ſola eſt verus Deus, æternus & omnium durationũ princeps & moderator, incorruptibilis & immutabilis, nec vi naturæ ſub oculorum vel mentis intuitum cadens, illi ſit honor latriæ & gloria ſempiterna.*

Ob hoc & celebrandam nobis ſanctiſſimam Trinitatem declarat Apoſtolorum Princeps 1.*Pet*.5.*v*.10. Deus omnis gratiæ, *inquit*, qui vocauit nos in æternã ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit ſolidabitq;. Ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

*S.Baſil.conc.*1.*in Pſalm.*28.*v*. 2. Afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio ſancto eius. Hanc gloriam, *ait*, requirit Dominus ab iis, qui in ſe credunt, & adoptionis gratia ſunt dignati. Filius enim, *inquit Malach*.1.*v*.6. glorificat Patrem. Et ſi Pater ſum ego, vbi eſt gloria mea?

Sancta Trinitas Deus ac Pater noſter, concede gratiam tuam, vt quos adoptaſti in filios, dignè tanto Patre viuamus. Per Chriſtum Domi- *num noſtrum.*

* * *

CAP.

Capvt XVI.

Veneranda nobis S. Trinitas idcirco, quod precibus votiſque noſtris benignè annuat.

*PErmagnum beneficium eſt, & obſequio noſtro dignum, exauditionis: nam o*culi *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſuper iuſtos, & eorundem aures ad preces eorum, *Pſalm.* 33. *v.* 16. vt faciant voluntatem ipſos timentium, *Pſal.* 145. *v.* 19. *Vt ſeruent eos à malo, ſeruent in bono.*

Et quidem de cæleſti Patre preces noſtras accipiente, Ioan. 16. *v.* 23. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Et ipſe Dei Filius, quod preces noſtras admittat, pollicetur Ioan.* 14. *v.* 13. Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. *De Spiritu ſancto preces in nobis excitante, & eas toti S. Trinitati exhibente ac repræſentante, Apoſtolus Rom.* 8. *v.* 27. Qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret ſpiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. *Et de tota S. Trinitate Luc.* 11. *v.* 13. Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. *Et* 1. *Ioan.* 5. *verſ.* 14. Quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. *Quæ S. Trinitatis noſtras preces excipiendi facilitas, quantum ſit beneficium abundè demonſtrat familiariſſimus Deo Moyſes, qui eo nomine, quod exorabilem habuerit Deum, Iſraheliticum populũ omnibus aliis gentibus anteponit, cum ait* Deut. 4. *v.* 7. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. *Saluator etiam noſter ob id beneficium diuino Patri habet gratias, Ioan.* 11. *v.* 41. Ieſus ſurſum eleuatis oculis dixit: Pater gratias

gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. *Eandem ob rem ſanctiſſimæ Trinitati omnis honor deferendus, vt docet S. Paulus Epheſ. 3. v. 20. 21.* Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis. Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Ieſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum Amen. *Id eſt ſanctiſſimæ Trinitati quæ valet eximiè melius & abundãtius præſtare cuncta, quam nos vel deſiderare, vel cognoſcere queamus, quod liquet ex potenti gratia & ſpiritu, quem largitur, & quo nos in heroica & ardua virtutum opera impellit, ſit in veſtra Eccleſia per Ieſum Chriſtum honor & gloria ſempiterna. Et quia, qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit, pro perſeuerantiæ dono, quo omnia Dei dona conſeruantur vel maximæ nobis agendæ ſunt gratiæ. Vnde & S. Iudas in epiſtola ſua cùm dixiſſet v. 24.* Ei autem qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adũentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. *ſubiungit v. 25.* Soli Deo Saluatori noſtro per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *Iſta & alia Dei beneficia nunquam ex animo noſtro excidant, vt bene monet S. Chryſoſt. hom. 72. ad Antioch.* Recogitanda quotidie beneficia Dei in nos communia & propria, perſpicua & latentia, hoc maximum eſt ſacrificium.

Da benigniſſima Trinitas, vt quæ nos ad noſtram exaudis clementer ſalutem, & nos viciſſim te morigerè audiamus ad voluntatem & gloriam tuam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Digitized by Google

Caput XII.

QVOD SVPER OMNIA BENEdicta Trinitatis beneficia & opera ſint indiſcreta & indiuiſibilia.

Haec & alia innumerabilia beneficia in nos contulit ſanctiſſima Trinitas, & ſingulis momentis confert, & quamuis nunc tres ſimul, nunc duæ ſeiunctim, aut vna etiã perſona nominetur, quicquid tamen in creaturis fit, ſimul & communiter omnes tres diuinæ perſonæ perficiunt. Hæc eſt veriſſima Catholicæ Eccleſiæ, ac S. Auguſt. ſententia & doctrina, qui in Enchirid. ſuo ad Laurent. cap. 38. Separabilia, *ait,* non ſunt opera Trinitatis, & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuerſa operari Trinitas intelligitur. *Et lib. 1. de Trinit. c. 4.* Pater, & Filius &, Spiritus ſanctus, ſicut inſeparabiles ſunt, ita inſeparabiliter operantur. *Nam Patris, Filij, & Spiritus ſancti vna eademque eſt natura, intelligentia, voluntas, potentia, ſapientia, bonitas. Ioannis 16. v. 15.* Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, *ait Dominus. Et Ioan. 5. v. 17.* Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. *& ver. 19.* Quæcunque Pater fecerit, & Filius ſimiliter facit. *& v. 21.* Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius quos vult, viuificat. *S. Aug. epiſt. 99. ad Euodium:* Sed quid facit Filius ſine Spiritu ſancto, vel ſine Patre, cùm inſeparabilia ſint omnia opera Trinitatis? *Vnde & conſequens eſt, vt qui vnam honorat diuinam perſonam, honoret & reliquas duas, & qui vnam contumelia & iniuria afficit, peccet & in cæteras, quemadmodum docet Saluator, Ioan. 5. v. 22. 23.* Pater, *inquit,* non iudicat quenquã, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent

rificent Filium, ſicut honorificant Patrem. (S. *Cyrill. Alex. li. 2. in Ioan. c.* 141. Si omnia ipſe eſt, quę Pater eſt, quantum ad Deitatis maieſtatem attinet: quomodo par non erit, æqualiter illũ Patri honorari, cui ad identitaté ſubſtãtiæ nihil prorſus deeſt?) Qui non honorificat Filiũ, nõ honorificat Patrẽ, q miſit illũ. *Et v.* 38. Verbũ eius non habetis in vobis: quia quẽ miſit ille, huic vos nõ creditis, *Ioan.* 12. *v.* 26. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis eſt. *Quid ita? Quia obſequium quod tribuitur Filio, impenditur Patri, Ioan.* 15. *v.* 23. Qui me odit, & Patrẽ meum odit, 1. *Ioan.* 2. *v.* 25. Omnis qui negat Filiũ nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet. *Quæ cauſa? Hæc, quod iniuria vni illata perſonæ in alias propter naturæ vnitatem redundat. S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Ioan. c.* 141. Omnia, *ait*, Filius naturaliter eſt, quæ Pater eſt: Deus verus ex Deo vero, omnipotẽs, Dominus, creator, bonus, adorabilis, & omnia ſecundum naturam. Ita enim ſolummodo verùm erit, non honorari Patrem ab eo, à quo Filius non honoratur.

Quocirca etſi Eccleſia peculiare feſtum diuino Patri non conſtituit, vt Filio, & Spiritui S. decreuit, in illis tamen & ipſe vel maximè honoratur: cum tribus ſit honor vnus. Et Eccleſia eo conſilio dies feſtos celebrat, vt & honores debiti, & gratiarum actiones Deo perſoluantur, & myſteria noſtræ religionis ac beneficia proponantur, quæ, vt ex Symbolo patet Apoſtolico, maximè declarãtur feſtiuitatibus Saluatoris noſtri Dei hominiſque Filij.

Innumera ſunt Domine Deus tua in nos dona & beneficia, tribue, quæſumus, vt illa & maiori mente recolamus, & grata lingua prædicemus, & pro modulo noſtro tibi amore & obſequio referamus. Ita te & hoc largiente fiat ô beatiſſima Trinitas.

CAPVT XIII.

DECLARATVR INDIVIDVA ATque inſeparabilis, tum in conferendis beneficiis, tum in omnib. creaturis ſanctiſſimæ Trinitatis operatio: & 1. quidem ex creatione.

H*Vius indiuiſæ actionis pulcherrima & conſideratione digniſſima nobis exempla monſtrant ſacræ Scripturæ. 1. Geneſ.* 1. Pater Verbo ſuo condidit vniuerſa, *nec deerat* Spiritus Domini, qui ferebatur ſuper aquas.

Hanc vniuerſitatis molitionem Apoſtolus tribuit Patri, Act. 17. *v.* 14. Deus, *ait*, qui fecit mundum & omnia, quæ in eo ſunt, ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro quem ſtatuit. (*ſcil. Chriſto*) *Et in Symbolo Apoſtolico confitetur quiſque Chriſtianus:* Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.

Eandem mundi effectionem S. Ioannes c. 1. *v.* 3. *aſſignat verbo ſeu Filio Dei*: Omnia, *inquit*, per ipſum facta ſunt. *Et Apoſtolus Coll.* 1. *v.* 16. In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra.

Hanc ipſam rerum productionem B. Iob Spiritui S. adſcribit c. 26. *v.* 13. Spiritus, *ait*, eius ornauit cœlos. *Et cap.* 33. *v.* 4. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. *In qua vna ſententia tota inſinuatur ſanctiſſima Trinitas Pater in Deo, in omnipotente Filius, in Dei ſpiritu, Spiritus ſanctus. Et Pſal.* 103. *v.* 30. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.

Rectiſſimè itaque idem regius Vates potentiſſimam

Trinitatem rerum omnium effectricem conſtituit, Pſal. 32. v. 6. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Et S. Athanaſ. contra Sabellij gregales:* Per Filium, *ait*, in Spiritu Sancto omnia Deus & conſtituit, & amplectendo conſeruat. *Et S. Auguſt. ſer. 30. de verbis Apoſtoli:* Solus, *inquit*, creator Pater, Filius, Spiritus ſanctus, trina Vnitas, & vna Trinitas, natura immutabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia.

Toto amoris impetu ad te feramur, ô ter benedicta Trinitas, feciſti enim nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.

Caput XIV.

Eadem individua S. Trinitatis actio in opere redemptionis.

A Creatione ad redemptionem progreſſum faciamus. Solus quidem Dei Filius humanam naturam aſſumpſit, & in ea paſſus eſt, eandem tamen pariter Pater Filius & Spiritus ſanctus procrearunt. Id de Patre affirmat Apoſtolus Rom. 8. v. 3. Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, *id eſt, peccatricis: quia natus eſt miſeriis & morti, quæ peccatoribus debebantur, obnoxius. Et ad Galat. 4. 4.* Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filiũ ſuũ factum ex muliere. *Quo, inquit S. Aug. li. 2. de Trinit. cap. 5.* ſatis oſtendit eo ipſo miſſum Filium, quo factus eſt ex muliere, vt incarnatum Verbum hominibus appareret. Quapropter Pater inuiſibilis vnà cum Filio ſecum inuiſibili, eundem Filium viſibilem faciendo miſiſſe eum dictus eſt.

Cum Patre ad humanam ſuam naturam longe nobiliſſi-

biliſsimam & ſanctiſsimam concurrit, & ipſe Dei Filius, qui, vt ait Apoſtolus Philip. 2. v. 6. cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens, *id eſt, cum in Dei natura eſſet ac proinde Deus, cum ſe ſentiret, diceret æqualem Deo Patri, non putauit eſſe rapinæ, ſed naturæ, tamen ſemetipſum exinaniuit, euacuauit, exhauſit ſumma illa & infinita maieſtate & gloria, & qui erat plenitudo entis quaſi ad nihilum ſe redegit, factus ſponte ſua ex Deo homo, ex creatore creatura, ex Domino ſeruus, dum naturam noſtram humanam, quæ ſicut omnis prorſus creatura diuino dominio ſubiecta eſt, aſſumpſit.*

Fuit & in huius naturæ formatione præſto Spiritus ſanctus, quemadmodum in Symbolo Apoſtolico confitemur: Qui conceptus eſt de Spiritu S. *quemadmodũ & S. Matthæus c. 1. v. 18. affirmat:* Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu S. *Et Angelus ibid. v. 20.* Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.

Quocirca in hoc Incarnationis Dominicæ opere totam ſanctiſsimam coniungens Trinitatem cœleſtis ille Spiritus Gabriel ait ad beatiſsimam ſemper Virginem Mariam, Luc. 1. v. 35. Spiritus S. ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ille Mariæ conceptus & partus, *ait S. Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 5.* operatio Trinitatis eſt, qua creante omnia creantur. *Et cap. 13. ſuarum Meditationum:* Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, ſcribit Apoſtolus Galat. 4. Cum dicit, miſit, ſatis oſtendit, quod in hunc mundum miſſus aduenit, cum de beata Maria ſemper Virgine natus verus & perfectus homo in carne apparuit. Quam videlicet miſsionem opus eſſe totius S. Trinitatis toto corde credo, & ore confiteor.

Vnus

Vnus es Deus beatiſſima Trinitas, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus à te conſtitutus, vt redemptionem daret ſemetipſum pro omnibus, quod opus à te inchoatum & perfectum eſt: quia vis omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Sit nomen tuum benedictum in ſæcula, 1.Tim.2.

CAPVT XV.

INDISCRETA S. TRINITATIS actio ex miraculorum patratione, ex Chriſti Domini paſſione & reſurrectione ac noſtra liberatione declaratur.

P*Atrat miracula Pater, Ioann.* 14. *v.*10. Verba quæ ego loquor, *inquit Saluator,* à meipſo non loquor, Pater autem in me manens, ipſe facit opera. *Verba mea & opera non ſunt puri & meri hominis, ſed ſunt diuinitatis, quæ pariter in me homine, & ego ipſe Dei Filius, & Pater, & Spiritus ſanctus perficimus. Patrat & eadem miracula Dei Filius, Ioan.*15.*v.*24. Si opera nō feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

*Patrat ſimiliter & Spiritus ſanctus Matt.*12.*v.*28. Si ego, *ait Dominus,* in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei. *Tres enim iſtæ perſonæ ſunt vnus idemque* Deus, *de quo Dauid Pſal.* 71.*v.*18. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus. *Et Pſ.*135. *v.* 4. Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in ęternum miſericordia eius.

Paſſionem Chriſti Domini operatus eſt Pater, Ioan. 3.*v.*16. Sic n. Deus dilexit mundum, vt Filiū ſuū vnigenitū daret, *exaltandum ſcil. in cruce, vt ex ſuperiori ver.*15. *euidenter colligitur. Romanorum* 8. *ver.*

31. & 32. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.

Quam paſsionem & ipſe operatus eſt Filius, Gal. 2. v. 20. In fide viuo Filij Dei qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, *Eph.* 5. *v.* 2. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, 1. *Ioan.* 3. *v.* 16. In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.

Eandem Chriſti paſsionem operatus eſt & Spiritus Sanctus, Heb. 9. *v.* 14. Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, *&c. Per Spiritum ſanctum hoc eſt, inſtigante atque impellente Chriſtum ad ſe ſponte ſua Patri offerendum.*

Reſurrectionem Chriſti perfecit Pater, Act. 3. *v.* 15. Auctorem vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis. *& cap.* 4. *v.* 10. *ac cap.* 5. *v.* 30. *Rom.* 4. *v.* 24. 2. *Cor.* 4. *v.* 14.

Perfecit & ipſe Dei Filius *Ioan.* 2. *v.* 19. 20. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui, *Ioan.* 10. *v.* 17. 18. Propterea diligit me Pater: quia ego pono animam meam, & iterum ſumo eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam memetipſo, & poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eã.

Neque Dominicæ reſurrectioni defuit Spiritus ſanctus Rom. 8. *v.* 11. Quod ſi Spiritus eius (*Patris*) qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, qui (*Deus Pater*) ſuſcitauit Ieſum Chriſtũ à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. *Eſt Spiritus S. in ſe vita omnia animans, vegetans & viuificans, ac proinde ſi per Spiritum caritatis & gratiæ nos inhabitauerit, ſicut Chriſti corpus viuificauit; ita & noſtrũ in reſurre-*

ſurrectione viuificabit vita immortali glorioſa & beata.

Liberauit nos Deus Pater 2.*Tim.*1.*verſ.*10. Deus liberauit nos & vocauit vocatione ſua ſancta. *Liberauit nos Filius Ioan.*8.*v.*36. Si vos filius liberauerit verè liberi eritis. *Liberauit nos Spiritus ſanctus.* 2. *Cor.* 3. *v.*17. Dominus autem Spiritus eſt. Vbi autem Spiritus Domini ibi libertas. *Spiritus ſanctus & Dominus eſt, & Spiritus Domini Dominus, quia Deus & Spiritus Domini quia à Domino Patre & à Domino filio procedit, qui tres ſunt vnus Dominus.*

*Pretio emiſti nos magno ter ſanctè Deus, glorificemus proinde te & portemus in corpore & Spiritu noſtro.*1. *Cor.*6.*verſ.*20.

Capvt XVI.

SANCTIFICATIONEM NOSTRAM indiſcriminatim S. Trinitas operatur.

V*Eniamus & ad opus ſanctificationis toti beatiſſimæ Trinitati commune. Donat nobis peccata Pater quem precamur.Matth.* 6.*v.*14. Dimitte nobis debita noſtra. *Quo pertinere poteſt & illud filij prodigi Lucæ* 15. *v.*21. Pater peccaui in cœlum & coram te. *Ei culpam fatetur à quo remiſſionem & liberationem ſperauit. Remittit & noxas Filio Matth.* 9.*v.*6. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *& v.*6. Vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. *Condonat & Spiritus ſanctus Ioannis* 20. *v.* 21. 22. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

Largitur Spiritum ſanctum eiuſque dona Pater Ioannis 14. v.16. Rogabo Patrem & alium paracle-

cum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis. Et v. 26. Paracletus autem S. ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia. *Eundem S. ſanctum atque eius munera impertit Filius Ioan. 15. v. 26.* Cum venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à Patre Spiritum veritatis c. 16. v. 7. Si non abiero Paracletus non veniet ad vos Act. 2. v. 33. Eph. 4. v. 8. *Tribuit & ſe ſuaq; dona ſanctus S. Rom. 5. v. 5.* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per S. ſanctum qui datus eſt nobis. *S. ſanctus peculiari inhabitationis & coniunctionis modo donatus nobis ſua increata caritate caritatem creatam & alia ſua beneficia diffundit in mentes noſtras. 1. Cor. 12. v. 4.* Diuiſiones gratiarum ſunt (*in Eccleſia*) idem autem Spiritus (*eas diſtribuens*) Et v. 11. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult. 2. Cor. 3. v. 5. 6. Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti non litera ſed Spiritu. *Largitur eadem bona Pater noſter cœleſtis Trinitas vnus Deus Luc. 11. v. 13.* Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris quanto magis Pater noſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?

Illuminat nos Pater, vt Pater luminum, Iacobi 1. v. 17. *Illuſtrat & Filius vtpote* lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Ioan. 1. v. 9. *Illuminat & S. ſanctus quem precatur Eccleſia.* Veni ſancte Spiritus, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium. Veni Pater pauperũ, veni dator munerum, veni lumen cordium. Accende lumen ſenſibus, infũde amorem cordibus. *Et vt ait Apoſtolus 1. Tim. 6. v. 16.* Deus lucem habitat inacceſſibilem. *Quæ lux nihil aliud eſt quã ſplendor & gloria maieſtatis diuinæ increata, immenſa & inenarrabilis, quæ eſt fons omnis luminis, claritatis*

& ine-

cognitionis & gloriæ, eſt vt verbo dicatur ipſe Deus, *de quo* 1. *Ioan*. 1. *v*. 5. Deus lux eſt & tenebræ non ſunt in eo vllæ.

Inhabitat nos Pater & Filius Ioannis 14. *v*. 23. Ego & Pater ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. *Et cum vtroque ſimul S. ſanctus*. 1. *Cor*. 3. *v*. 16. Neſcitis quia templum Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis. Et S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 18. Per caritatem Dei nos tota inhabitat Trinitas. *Et rurſum S. Aug. tract*. 76. *in Ioan*. Ne quis, *inquit*, exiſtimet Patrem tantum noſtro & Filium ſine S. ſancto apud dilectores ſuos facere manſionem, recolat quod ſuperius de Spiritu ſancto dictum eſt c. 14. v. 17. Quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in ſanctis cum Patre & Filio ſanctus et Spiritus manſionem intus vtiq; tanquam Deus in templo ſuo. Deus Trinitas Pater & Filius, & S. ſanctus veniunt ad nos dum venimus ad eos. Veniunt ſubueniendo, venimus obediẽdo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo: vt ſit nobis eorum non extraria viſio, ſed interna, & in nobis eorum non tranſitoria manſio, ſed æterna.

Maxima quæque beneficca dilargitur nobis Pater luminum à quo omne datum optimũ & omne donum perfectũ deſcendit *Iac*. 1. *v*. 17. *Matth*. 7. *v*. 11. Pater veſter qui in cœlis eſt dabit bona petentibus ſe. *Omnibus etiam bonis nos cumulat Dei filius*, de cuius plenitudine nos omnes accipimus gratiã pro gratia *Ioan*. 1. *verſ*. 16. *Qui & ait Ioan*. 14. *v*. 13. Quodcunque petieritis in nomine meo hoc faciam. *Dator etiam munerum eſt S. ſanctus* diuidens vnicuiq; prout vult 1. *Cor*. 12. *v*. 11.

Viuifi-

Viuificat Pater & Filius Ioannis 5. *verſ.* 21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. *Et de filio rurſum Hoſeæ* 6. *v.* 3. Viuificabit nos poſt duos dies (*paſſionis ſuæ*) in die tertia (*Reſurrectionis*) ſuſcitabit nos. *Viuificat & Spiritus ſanctus iuxta Symbolum Nicænum.* Credo & in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem. Ioannis 6. v. 63. Spiritus eſt qui viuificat. 2. Cor. 3. v. 6. Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Hinc l. 3. contra Eunomium S. Baſilius vita, *ait*, nobis à Deo per Chriſtum in ſancto Spiritu præbetur. Viuificat enim Deus vnde ait Paulus 1. Timoth. 6. v. 13. Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia. Vitam autem præſtat & Chriſtus: oues enim, inquit Ioannis 10. v. 27. meę vocem meam audiunt & ego vitam æternam do eis: viuificamur autem & per Spiritum, vt inquit Paulus Rom. 8. v. 11. Qui excitauit Chriſtum è mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ſanctum in vobis. *Docet & alloquitur nos Pater Pſ.* 84. *v.* 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Ioannis 6. v. 45. Omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me. *Pariter & Filius Lucæ* 21. *v.* 15. Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. 2. Cor. 13. v. 3. An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? *Simul & Spiritus ſanctus* 2. *Reg.* 23. *v.* 2. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Matth. 10. v. 19. Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis Act. 2. v. 4. 2. Petri 1. v. 20.

Implet omnia Pater Hierem. 23. v. 24. Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?

nus? *Implet & Filius qui etiam antequam homo factus eſſet, vt ait S.Ioannes c.1.v.10.* in mundo erat. *Implet & Spiritus ſanctus Sap.1.v.7.* Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. *Et hi tres vnus Deus qui ſe vbique eſſe oſtendens ait Iſa.66.v.1.* Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.

Plura his indiuiſæ actionis in S.Trinitate exempla inferius monſtrabuntur. Iſaiæ tamen cap. 6. v. 1. Viſio hic prætereunda non eſt quæ hunc in modum habet. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum plena eſt omnis terra gloria eius. *De qua viſione S.Baſil.l.5. contra Eunomium.* Propheta, *ait*, patris in quo Iudæi credebant perſonam inducit. Euangeliſta Filij Ioannes 12.v.41. Paulus Spiritus Act.28.v.27. Vnum Deum Sabaoth eum qui viſus fuit, communiter nominantes. Ita cum de vno Deo in ipſis indiſtincta maneat opinio, ratio ipſis de hypoſtaſi diſtincta eſt. *Similiter Seraphim agnouerunt ſanctiſſimam Trinitatem vnum Deum in eo viſo & ſpecie, vnde & ter Sanctum laudantes vnum Deum inclamant. Et qui videt vnam perſonam diuinam, videt & alias, quemadmodum ſignificat Dominus noſter. Ioannis 14.v.8.* Philippe, *ait*, qui videt me, videt & Patrem. *Et v.10.* Non creditis: quia ego in Patre & Pater in me eſt? *Annotauit hoc S.Athan.l. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Optime igitur S.Leo Magnus ſerm.1. de Pentecoſte.* Ideo, *inquit*, hanc beatam Trinitatem, vnum confitemur Deum: quia in his tribus perſonis, nec ſubſtantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis nec operationis eſt vlla diuerſitas. *Quod iiſdem pene verbis affirmat S.Thom.3.P.q.23.art.2.* Facere, *inquit*, quem-

quemcunque effectum in creaturis, eſt cōmune toti ſanctiſſimæ Trinitati propter vnitatem naturæ: quia vbi eſt vna natura, oportet quod ſit vna virtus & vna operatio. *Et S. Cyrill. Alex. in Apologetico ſuo Anathematiſmo* 9. Quod ſancta Trinitas, *inquit*, eiuſdem ſit ſubſtantiæ, eiuſdem roboris & operationis ex ſacris ſcripturis edocti ſumus.

O beatiſſima Trinitas, ſicut tua Patris, Filij, & Spiritus ſancti vna eſt mens, vna voluntas, vna operatio: quia vna trium natura, ita fac vt omnis noſtra cogitatio, omne deſiderium, omnis actio & à tua gratia proficiſcatur, & ad tuam tendat gloriam & perpetua tibi caritati inhæreat, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Capvt XVII.

CVR CVM SANCTISSIMAE Trinitatis opera conditis in rebus ſint communia, quædam tamen quaſi propria ſingulis diuinis perſonis attribuantur vt Patri creatio, Filio redemptio, Spiritui ſancto ſanctificatio adſignatur.

Vera *huius & compendiaria ratio eſt, quam dat B. Leo Pontifex Maximus ſermone 2. in Pentecoſte.* Huius, *ait*, beatæ Trinitatis & incommutabilis Deitatis vna eſt ſubſtantia, indiuiſa in opere, & concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria. De qua cum Scriptura Sancta loquitur, aut in factis

factis aut in verbis aliquid adſignet, quod ſingulis videatur conueniſſe perſonis, non perturbatur fides Catholica, ſed docetur, vt per proprietatem aut vocis aut operis inſinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quos diſtinguit auditus ob hoc enim quædam ſub Patris, ſiue ſub Filij, ſiue ſub Spiritus ſancti appellatione ponuntur, vt confeſſio in Trinitate non erret. Quæ cum ſit inſeparabilis, nunquam intelligeretur eſſe Trinitas, ſi ſemper inſeparabiliter diceretur. Saluberriter credimus, quod ſimul tota Trinitas vna virtus eſt, vna maieſtas, vna ſubſtantia, indiſcreta opere, inſeparabilis dilectione, indifferens poteſtate ſimul implens omnia, ſimul continens vniuerſa. Quod enim eſt Pater hoc eſt Filius, hoc eſt & Spiritus ſanctus: & vera Deitas in nullo eſſe aut minor aut maior poteſt: quæ ſic in tribus confitenda eſt perſonis, vt & ſolitudinem non recipiat Trinitas & vnitatem ſeruet æqualitas.

Iſta S. Leo, cui ſaluberrimæ ac veriſsimæ doctrinæ aſtipulatur & beatus Auguſtinus Doctorum princeps epiſtola 102. *ad Euodium.* In vnum, *inquit*, Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum firma pietate credamus, ita vt nec Filius eſſe credatur, qui Pater eſt, nec Pater qui Filius eſt, nec Pater, nec Filius qui vtriuſque Spiritus eſt. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisue diſtare, ſed hæc tria æqualia eſſe & coæterna, & omnino eſſe vna natura: non à Patre aliam, & à Filio aliam & à Spiritu ſancto aliam conditam eſſe creaturam, ſed omnia & ſingula, quæ creata ſunt vel

vel creantur Trinitate creante ſubſiſtere: nec quenquam liberari à Patre ſine Filio & Spiritu ſancto, aut à Filio ſine Patre & Spiritu ſancto, aut à Spiritu ſancto ſine Patre & Filio, ſed à Patre & Filio, & Spiritu ſancto, vno vero vereq; immortali, id eſt, omni modo incommutabili ſolo Deo. Multa autem etiam ſeparatim in ſcripturis de ſingulis dici, vt inſinuetur, quamuis inſeparabilis Trinitas: vt quemadmodum ſimul dici non poſſunt, cum ſonis corporalibus commemorantur, quamuis ſimul ſint inſeparabiliter: ita & quibuſdam ſcripturarum locis, & per quaſdam creaturas ſingillatim viciſſimque monſtrentur. Sicut Pater in voce qua ſonuit. Tu es filius meus Lucæ 3. v. 23. Et Filius in homine quem ſuſcepit ex virgine Lucæ 2. v. 7. Et Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie corporali Matth. 3. v. 16. Ioannis 1. v. 32. 33. Hæc ſeparatim quidem ſed nullo modo ſeparata tria illa demonſtrant. *Iſta ibi S. Aug. qui & l. 1. de Trinitate cap.* 9. Propter inſinuationem Trinitatis, *ait*, perſonis etiam ſingulis nominatis dicuntur quædam ſeparatim, non tamen alijs ſeparatis intelliguntur propter eiuſdem Trinitatis vnitatem, vnamque ſubſtantiam atque diuinitatem Patris & Filij, & Spiritus ſancti.

Notanda hæc S. Auguſtini regula ad plurima ſcripturæ loca rectè intelligenda. Et rurſus tract. 77. in Ioannem. Quoniam, *ait*, Trinitas eſt, oportebat eius ſingulas inſinuare perſonas, eaſq; nos diſtinctè audire, inſeparabiliter intelligere.

Tribue ô beatiſſima Trinitas vt nobis famulis tuis ſit vna fides mentium, & pietas actionum.

CAP.

CAPVT XVIII.

VT DIVINO PAREAMVS IMperiò ſummè colenda diuiniſſima Trinitas.

HOnoranda nobis Sanctiſſima Trinitas quia ita vult, ſic præcepit. Mandauit id Matth.4.v.10. Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Deut.6.v.13. & in Hebræo eſt Dominum Deum tuum timebis, & illi ſeruies. *Adoratio hic & timor Domini pro omni diuino cultu vſurpatur. vnde & homines religioſi caſteque Deum colentes, timentes Deum appellantur. vt Iob.1.v.1. Pſal.21.v.24.25.26.*

Ille autem ſuper omnia inuocandus, adorandus, colendus tanquam ſolus, vnus, verus, æternus, immenſus Deus, rerum omnium effector, moderator, Saluator gratiæ, gloriæ, ac omnis boni largitor, & talis cultus nulli homini, Angelo, aut cuicumque rei adhibendus. Apoc. 19.v.5. Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni.

Similia ſunt omnino Dei mandata de ſuo amore, metu, imitatione, obedientia &c. Deut.6.v.25. Matth. 22.v.36. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deut.13.v.4. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius: ipſi ſeruietis & ipſi adhærebitis.

Sicut præcepiſti nobis ô rerum dominatrix Trinitas timeamus te quia hæc eſt ſecuritas noſtra, ſeruiamus tibi quia hæc libertas & regnũ noſtrum, colamus te quia

hic eſt honor noſter, amemus te quia hæc eſt felicitas noſtra.

Caput XIX.

Quatvor potissimvm de cauſſis de ſuo cultu & veneratione mandata dedit Deus Trinitas.

Sed cur imperat Deus vt à nobis diligatur, honoretur, timeatur? 1. quia Sanctus eſt & impeccabilis, qui neque plus æquo ſibi tribuere, neque vana gloria efferri poteſt. 2. quia ſapiens & idcirco præcipit quod ſuæ Maieſtati & noſtræ naturæ conuenientiſſimum eſt. 3. quia iuſtus, qua iuſtitia ſicut cuique quod ſuum eſt tribui vult, ita & ſibi, ipſi autem infinitis nominibus omnis debetur cultus honor & gloria. 4. quia bonus eſt & ideo honorem & laudem ſuam vt rem nobis vtiliſſimam exigit.

S. Ioannes Chryſ. hom. 29. in Geneſ. Deus, *ait*, quia bonus & miſericors eſt, per nos vult glorificari, non quod ipſi aliquid ad ſuam gloriam accedat, nullius enim rei indigus eſt Pſal. 15. Sed vt occaſiones ipſi præbeamus maiorem nobis gratiam impertiendi. *Hinc & ipſe Deus ait 1. Reg. 2. verſ. 30.* Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. *Matth. 10. v. 32.* Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.

Præclarè S. Aug. epiſt. 49. ad Deo gratias, in reſp. ad 3. q. Nobis prodeſt colere Deum, non ipſi Deo cũ ergo inſpirat & docet, quomodo colendus ſit non

non ſolum nulla ſua indigentia facit, ſed noſtra maxima vtilitate.

Itaque hoc vult Deus non propter ſe ſed propter nos *vt ait S.Thom.22.q.132.art.1.ad 1. vt vox propter non finem, ſed vtilitatis ſignificet terminum, id eſt, non quod Deo vt id velit nos finis & ſcopus ſimus (quomodo enim præſtantiſſima illa natura immenſis bonis affluens, in nos tanquam in viliorem ſcopum collimet? quæ omnia propter ſemetipſam vt finem operatur. Prouerb.16.v.4.) ſed quod noſtræ ſalutis ac commodi rationem habeat. Veriſſime ab Ariſtotele dictum eſt lib.1. Eth.c.4. honorem in eo potius ſitum eſſe, qui eum defert, quam in eo cui defertur. Quænam igitur immenſæ illius felicitati acceſſio fiet, ſi nos terræ vermiculi benè de ipſo Deo noſtro exiſtimemus, ſemper & vbique loquamur, ſubmiſſione cordis & corporis ei ſupplicemus.*

Elegantiſſimè hoc explanat B. Auguſt. in Pſalm.39. verſ.4. Immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro. Et quid? Maior erit gloria Deo: quia glorificas eum? Aut addimus gloriam Deo, quando ei dicimus: Glorifico te Deus meus? Aut ſanctiorem eum facimus, quando dicimus: Benedico te Deus meus? Ipſe quando nos benedicit, facit nos ſanctiores, facit nos feliciores: quando glorificat nos, facit nos glorioſiores, facit nos honoratiores: quando eum glorificamus, nobis prodeſt, non illi. Quomodo enim eum glorificamus? Glorioſum dicendo, non faciendo. Proinde cum diceret Deus Pſal.49.verſ.23. Sacrificium laudis honorificabit me, quid ſecutus ait? Et ibi via eſt, inquit, vbi oſtendam illi ſalutare meum. Vides quia tibi proderit laudare Deum, non Deo?

Magnus es Domine Deus noſter ſancta Trinitas & laudabilis nimis & ſicut magnitudinis tuæ non

eſt finis, ſic neque laudis tuæ, repleatur cor noſtrū & os noſtrum laude tua, vt cantemus tota die gloriam tuam, hoc enim non tam tibi honorificum, quam nobis ſalutare eſt.

CAPVT XX.

QVAS SANCTISSIMAE TRInitatis inuocatio, & veneratio vtilitates nobis afferat.

E*Cclesia Catholica in officio Beatiſſimæ Trinitatis vno reſpondet verbo quod fides*, confeſſio & inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis muniat ab omnibus aduerſis & proficiat ad ſalutem animæ & corporis. Pietas ait Apoſtolus 1. Tim. 4. v. 8. ad omnia vtilis eſt, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt & futuræ. Pietas autem eſt cultus Dei vt ait S. Aug. l. 12. de Trinit. c. 14. & Iob 28. v. 28. Ecce pietas ipſa eſt ſapientia & recedere à malo intelligentia. *Quod LXX. dixerunt.* Ecce cultus Dei eſt ſapientia & abſtinere à malis intelligentia. *Itaque hic S. Trinitatis vnius Dei cultus præſentem affert & æternam ſalutem. Deus in formula benè precandi populo à Sacerdotibus vſurpanda & ternario Domini numero S. Trinitatem indicat, & eius imploratione omnem fauſtitatem pollicetur ſic enim Num. 6. v. 23. legimus*: Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filijs Iſrahel & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi & miſereatur tui, conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det

det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrahel, & ego benedicam eis. *Cuius benedictionis iſte eſt ſenſus. Det tibi Dominus omnium bonorum temporalium & ſpiritalium copiam, & protegat te, Dominus oſtendat ſiue illuminet faciem ſuam ſuper te, hoc eſt, hilarem, propitium benignum, munificum ſe tibi præbeat, & ſit tibi inſtar lucis rectam viam monſtrantis & greſſus tuos dirigentis, & eius miſericordia te præueniat, comitetur, ſequatur: Adiuuet te Deus & conſoletur ac veram pacem ac tranquillitatem largiatur.* In hac ſacerdotum benedictione, *ait,* Rabanus in Commentario, tripliciter formata, tertio inditum & repetitum eſt nomen Domini, vt SS. Trinitas ex qua, per quam, & in qua ſunt omnia bona, ſignificetur. *Vnde & iam apud Chriſtianos, Eccleſiaſtica benedictio per nomina perſonarum SS. Trinitatis confertur, dicendo,* Benedicat vos omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Deus ſit in corde & in ore tuo, vt ritè annuncies eius Euangelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos & maneat ſemper vobiſcum. *Quam vero efficax ſit & ſalutaris eiuſmodi cum diuini nominis & SS. Trinitatis imploratione illa ſacerdotalis benedictio, mox declarat Deus cum ait:* Innocabuntque nomen meũ ſuper filios Iſrahel & ego benedicam eis. *Cum Sacerdotes bene precantur, ego effectum benedictioni tribuam & benignè eis faciam. Quid ergo admirationis habet quod benedictio nouæ legis ſacerdotum tam ſalutifera ſit vt eam merito & principes expetant?*

S. Propheta Regius Pſal. 66. v. 8. perſuaſiſſimum habebat ſe inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis poſſe & omnem miſericordiam ac à cunctis malis liberationem, & ſimiliter omnem ſpiritalem ac cæleſtem benedictionem, atque cuiuſuis boni donationem impetrare

 Deus,

Deus, *inquit*, miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri. Benedicat nos Deus, Deus noſter. Benedicat nos Deus & metuant eum omnes fines terræ. *Deus, ait, miſereatur noſtri, Pater ſcilicet miſericordiarum & Deus totius conſolationis.* 2.Cor.1. v.3. *Et benedicat nobis Dei filius, in quo benedicendæ vniuerſæ cognationes terræ.* Gen.12.v.3.c.18.v.18.c.22. v.18. Gal.3.verſ.8. Illuminet vultum ſuum ſuper nos Spiritus ſanctus, *qui ſua illuſtratione docet corda fidelium.* Ioannis 14.verſ.26. *& ſic miſereatur noſtri tota Sanctiſſima Trinitas. Benedicat nos Deus [Pater] Deus noſter [Filius] noſter maxime ob incarnationis beneficium, benedicat nos Deus [Spiritus ſanctus,] & has tres perſonas vnum Deum metuant omnes fines terræ etiam qui extremas mundi partes habitant illum reuereantur & ſanctè pieque colant.*

S.Greg.l.29.Mor.cap.28. hoc interpretamentum eſt non meum inuentum, ſic enim ille loquitur. David vt auctorem omnium Deum in Trinitate oſtenderet, dixit. Benedicat nos Deus, Deꝰ noſter, benedicat nos Deus. Ac ne tertio Deum nominans tres Deos dixiſſe putaretur: illico vnitatem eiuſdem Trinitatis inſinuans addidit. Et metuant eum omnes fines terræ. Qui enim non eos, ſed eum ſubdidit, vnum, tria quæ dixerat intimauit.] *Et S.Athan. de communi eſſentia P.F.SS. ſimiliter de S.Trinitate exponit.*

In quem Pſal.66.v.1.S.Aug. Cum benedicit nos Deus, nos creſcimus, & cum nos benedicimus Deum creſcimus; vtrumque nobis prodeſt. Non augetur ille benedictione noſtra, nec minuitur maledictione noſtra. Qui maledicit Domino ipſe minuitur: qui benedicit Dominum, ipſe augetur.

Quam fidei rationem & in hac Trinitate vnitatem ſub-

ſubſtantia antiqua per Moſen benedictio pandit & cōprobat, qua benedicere populum Sacramento terra inuocationis iubetur: ait enim. Benedicat te Dominus &c. Quod hoc ipſum Propheta Dauid affirmat dicens: Benedicat nos Deus &c. Sic Patres Africani S. Trinitatis præclariſſimi teſtes in Confeſſione Catholicæ fidei Hunerico Regi oblata apud S. Victorem Vticenſem Epiſcopum l. 2. VVādalicæ perſecutionis. Impertit ergo benedictionem & ſalutem ſanctiſſimæ Trinitatis imploratio & veneratio, quod & docet S. Iuſtinus Philoſophus & martyr in expoſitione fidei de S. Trinitate. Neque enim, *inquit*, omnino gloria, quæ Patri ac Filio tribuitur nobis ſalutem affert: ſed vera integraque Trinitatis profeſſio facit, vt pij bonis, quæ eis reſeruantur, perfruantur, vnus eſt vere Deus omnium, iſque in Patre, Filio Spirituque ſancto cognoſcitur & intelligitur. *S. Ludouicus Rex Galliæ cum ſaluberrima moriturus Philippo filio primogenito documenta dediſſet, intelligens quantum valeret S. Trinitatis inuocatio, ad extremum ſubiunxit:* Quicquid boni poteſt bonus & pius parens precari filio ſuo, id ego precor tibi: Sacroſancta Trinitas & Sancti omnes ſeruent te ab omni malo *&c. vt eſt in eius vita Tom. 4. apud Surium. Sed de his ſpeciatim dicendum.*

Benedicamus te Dominum Deum noſtrum omni tempore ô ſancta Trinitas, vt copioſa benedictio tua ſuper nos veniat & ſemper permaneat.

* * *

CAPVT XXI.

HONORE ET CVLTV SANctiſſ. Trinitatis offenſa ipſius deuitatur & culpa

HOc ex diuinis monumentis liquidum eſt & manifeſtum: nam affirmat Deus. 1. Reg.2.v.30. Qui contemnunt me erunt ignobiles, & erubeſcentem ſe erubeſcet Luc.9.v.26. Malachiæ 2.v.2. Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, dicit Dominus exercituum mittam in vos egeſtatẽ. *S.Cypr.epiſt.73.ad Iulianum.* Niſi Patre Filio, & S. ſancto cognitis non eſt ſpes ſalutis, cum iubeat Chriſtus in hac plena & adunata Trinitate baptizari. S.Chryſoſt.ſerm. de S.Trinit. Vide, oro, *ait*, Sanctæ & conſubſtantialis Trinitatis teſtimonia, & venerare illam recte ne per eas.

Omnis etiam actio quæ ſecus fit, & re ipſa vel virtutẽ non refertur ad S. Trinitatis honorem peccatum eſt: cum enim omnes omnino res & actiones noſtræ natura ſua in Deũ tendant, ad q; inſtitutæ ſunt, ſi ab eo fine ad alium aliquem detorqueantur, iã vitioſæ ac malæ ſunt, neceſſe enim eſt vt tam finis operis, quam operantis culpa vacet.

Res illuſtranda exemplis Liber de Illuſtrib. Ordinis Ciſterciẽſis viris memoriæ prodidit, & habetur etiam in l.Exempl.diſt.9.c.142. Ciſterſienſi Religioſo ægrotanti, eiuſdẽ Ordinis defunctus monachus ſignificauit, Chriſto Domino valde diſplicere quod ſub glorificationis hymno. Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, *aliis ſe magna animi corporisq; ſubmiſſione in Sanctiſſ. Trinitatis honorem inclinantibus, alii vel cachinnos ederent, vel tacitè fabularentur, vel erecti cõſiſterent, vel ad initium ſe non inclinarent, vel ante finem corpus attollerent, vel demum quod ſine pietatis ſenſu hoc facerent.*

rent. Hoc Abbati indicandum & emendandum.Hinc infirmo ad templũ prorepẽti & ſuorum culpã deprecãti viſa Deipara,qua cum diceretur: Gloria Patri, & Filio,& Spiritui ſancto,*profundè ſe inflexit tranſpoſitis cãcellatisq; manibus,& ſic infirmo ſanitatẽ reſtituit.*

Maxima ſubmiſſione & pietate te laudemus, S. Trinitas,quam laudant Angeli,quam Cherubim & Seraphim Sanctus,Sanctus,Sanctus proclamant.

Caput XXII.

MAXIMIS SAEPE SVPPLICIIS S.Trias hoſtes ſuos perſecuta.

INgenti ſupplicio affecti,qui vel eam negarunt,vel ei contumeliam fecerunt. Arius diuinitatis Chriſti oppugnator, in publicis Conſtantinopoli latrinis ſubita ventris ſolutione occupatus, inteſtina omnia,& vitam cum impuriſſima anima effudit,vt tradunt S. Athanaſ. Orat. 1. *contra Arian. Ruffin. lib.*10. *hiſt.c.*13.*Epiph.hæreſ.* 68.*&* 69.

*Hanc de Ario hiſtoriam & verbo & ſimili exemplo confirmat S. Greg.Turon.lib.*9.*hiſt.Franc.c.*15.Eo tẽpore,*ait*,in Hiſpania Richardus Rex intelligens veritatem,credidit Ieſum Chriſtum Filium Dei æqualem Patri cum Spiritu ſancto regnantem in ſæcula ſæculorum, Amen. Miſit nuncios deinde ad Narbonenſem prouinciam,vt eandem de S. Trinitate fidem amplecteretur. Sed obſtitit Arianæ ſectæ Epiſcopus Athalocus falſis Scripturarum interpretationibus Eccleſias Dei, ita conturbans,vt putaretur ipſe eſſe Arius,qui exta in ſeceſſum proiecit.Hic commotus felle ingreſſus in cellulam ſuam inclinato ſuper lectulum capite nequam ſpiritum exhalauit,&ſic populus inſeparabilem Trinitatem confeſſus ab errore diſceſsit.

Impius Thallateus Archiepiſcopus Theſſalo. citatus ad familiarem ſellam ab aluo & ſecreta ingreſſus à malo dæmone ita inuertitur, vt verſis in cœlum veſtigiis execrabile os in latrinæ hiatum demergeret, atque ita à famulitio pro foribus præſtolante poſt alteram horam S. Trinitatis inficiator repertus eſt, vt ex Ioanne Moſcho citat noſter Matthæus Raderus in ſua aula ſancta, c. 14.

Olympius quidam in Africa S. Trinitatem in balneis blaſphemans ignito iaculo cœlitus veniente viſibilis cõbuſtus eſt, Sigebertus in Chro. An. 503. Idem habet Ado. in ſuo Chron. Vienen. Epiſc.

De Vandalorum Rege, Africæ tyranno & acerrimo S. Trinitatis hoſte, ac eam confitentium perſecutore, ita S. Victor Vticenſis Epiſcopus libr. 3. Vand. perſ. in fine: Tenuit ſceleratiſsimus Hunericus dominationem regni annis ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mortem conſummans. Nam putrefactum, & ebulliens vermibus, nõ corpus, ſed partes corporis eius videntur eſſe ſepultæ: Sed & ille Legisdator & tranſuerſor ex Donatianorum hęreſi ad eos veniens Nicaſius in breui ſimili morte periit. *Iſta B. Victor, paſſionum iſtarum particeps, iugi S. Trinitatis confeſſione clarus, & titulo ſanctitatis relatus in tabulas Eccleſiaſticas 23. Auguſti. Verum de execrabili Hunerici obitu tradit S. Gregor. Turon. lib. 2. hiſt. c. 3.* Hunericus verò poſt tantum facinus, arreptus à dæmone, qui diu de Sanctorum ſanguine paſtus fuerat, propriis ſe morſibus laniabat: in quo etiam cruciatu, vitam indignam, iuſta morte finiuit. *Iſidorus in Chronico Vandalorum addit: quod vt Arius interioribus cunctos effuſis vitam amiſerit. Quæ omnia ſimul contigiſſe grauiter iniuriam ſuam S. Trinitate vlciſcente, credibile eſt.*

Conſtantius Imperator ab Euſebia vxore Ariana ſeductus, S. Trinitatis, & orthodoxorum inimicus, multos

præſtan-

præſtantiſſimos Epiſcopos in exilium proiecit, ſpectris territus, in febrim lapſus, Mopſueſtiæ Ciliciæ, & ab Euzoio Ariano baptizatus, cum Iuliano de Imperio certaturus, diu cum morte colluctatus, in impietate vt vixerat, ita & expirauit, vt habet Cæſar Baronius ad Annũ Domini 361. De Valente Imperatore Ariano à Gothis cremato hic lib.9.c.32.agitur. Sera nonnunquam, ſeuera autem ſemper eſt S.Triados in ſuos maledicos conuitiatores vindicta.

Honoremus & veneremur te S.Trinitas, ne te iuſtiſſimè contra nos iraſcente pereamus de via iuſtitiæ & ſalutis.

Capvt XXIII.

CVLTVS SANCTISSIMAE TRInitatis Deo gratiſſimus.

Fide, confeſſione, veneratione S.Trinitatis potiſſimum nobis Deus conciliatur. Quanto enim Catholicum dogma à ſenſibus & intelligentia noſtra remotius eſt & obſcurius, tanto magis eius fide Deus, quem veraciſſimum agnoſcimus, honoratur. Rom.4.v.20. at ſacroſanctæ Trinitatis myſterium maximè nobis obſcurum & abditum eſt: & idcirco illius fides & confeſſio ſanctior & laudabilior. Cuius rei pulcherrimũ exemplum affert vir apprimè doctus Matthæus noſter Raderus in ſua Aula ſancta cap.14.ex codice Græco manuſcripto. Mauritio Imperante quidam Conſtantinopoli aduocatus, ſceleratiſſimus præſtigiator, magus, & veneficus hominem adoleſcentem ad ſpeciem in notarium conduxerat, vt cacodæmoni deuoueret. Oportuno die equos conſcendunt, & ſole in noctem declinante ad caſtrum perueniunt, & admittuntur. Viſunt intus magnificentiſſimũ auroq; illuſtre fanum, cernunt lampa-

Digitized by Google

lampadum ac luminum frequentes ignes, ſubſellia, & diſpoſitos ad officia vtroque latere miniſtros, omnes in deformem Aethiopum atrorem degenerantes, vnum reliquis proceriorem pari nigrore formidandum habitu Regis in ſublimi ſolio reſidentem, qui Cauſidicum officioſe ſalutauit, propterque ſuum tribunal iuſſit aſſidere, & reſpectans dæmonum imperator: Quamobrem, inquit, adduxiſti puerum hunc? Iuxta mecũ, inquit magus, hic tuus Domine famulus eſt. Et dæmon: Itane puer tuus meus famulus? Ego, *inquit adoleſcens*, ſum famulus Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnaque cum dicto è regio tribunali inferorum rex ritu fulminati effuſus concidit, corruere & circumſedentes proceres, ipſeque adeo aduocatus & lumina & arx euerſæ, ſimulque hauſti terra omnes, ſoluſq; cum equis relictus iuuenis, curriculo vrbem repetiit. *Rogatus vbi herum reliquiſſet: Abiit, abiit, inquit, in extremas Auerni tenebras, ſeriemque inuſitati facti per ordinem expoſuit.*

Nactus inde idem Ephebus meliorem Dominum hominem nobilem, virum religioſum in egentes effuſum, & virtutis cultorem ſingularem, cum eo veſpere quodã iam in crepuſculum vergente, egreſſus ad ædem Saluatoris, ad heri precantis ſiniſtram in templo conſtitit, cum ecce tibi imago Chriſti à Domino auerſa ad puerum cœpit reſpicere. Re Patritius animaduerſa, puerum ad dextram reuocauit, dubius an caſu imago ſiniſtrum latus ſpectaret, ſed effigies ſacra mox reflexo lumine adoleſcẽtulum eſt aſpectu ſecuta. Hic Dominus vehementiſſimè perturbatus in terram ſe eiulabundus abiicit, ac in preces & lamenta effuſus: Chriſte ſancte, *inquit*, quare auertis faciem tuam à me ſeruo tuo. Tu mihi teſtis es, me nunquam auertiſſe faciem meam, ab vllius miſeria petentis miſericordiam meam. *Hæc cum flens dolenſque ingeminaſſet, vocem ex icone Chriſti allapſam audit:* Tibi quidem habeo gratias

de fortunis tuis à me collatis mihi litanti. Sed huic plus debeo, in vltimo terrore non neganti, me palam, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum profitenti.

Ecce quam grata Deo ſanctiſſimæ Trinitatis fides, cõfeſſio, inuocatio, veneratio, quam & ille ſempiterna felicitate remunerat. Si quis ſe ad Chriſtum tenuerit, *ait S. Auguſt. ſerm. 178. de Tempore ſiue 5. de Aſcen. Domini,* & vnius ſubſtantiæ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confeſſus fuerit, cœli ianuas per ipſum ſecurus intrabit.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſanctiſſimæ Trinitatis gloriam omnibus in Chriſto gentibus reuelaſti, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, vt ſtabili fide in tui nominis confeſſione perſeueremus, & à tua caritate nunquam diſiungamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXIV.

QVAM EFFICAX CONTRA dæmonum machinationes ſit S. Trinitatis inuocatio & cultus.

Hoc ſuperiori capite præclaro exemplo eſt comprobatum, hic tamen aſtruenda & alia. Et quidem Cæſarius auctor eſt li. 5. cap. 13. quod dæmon per obſeſſam reſponderit, Luciferum apud inferos tribus illis verbis, quæ in ſacrificio incruento recitantur eſſe religatum. Sunt autẽ iſta: Per ipſum (*ſcilicet Chriſtum Dominum noſtrum*) & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria.

Hoc ſua epiſtola ad Regem Angliæ Edunum data oſtendit Bonifacius Pontifex, vt eſt lib. 2. hiſt. gentis Anglorum Venerabilis Bedæ: Credatis, *inquit,* in Deum Patrem omnipotentem, eiuſque Filium Ieſum Chri-

Chriſtum, & Spiritum ſanctum, vt credentes à diabolicæ captiuitatis nexibus, ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis cooperante potentia, abſoluti æternæ poſsitis vitæ eſſe participes.

Ioannes Moſchus in Limonario ſuo cap. 119. *narrat ex relatione Euſebii Cœnobiarchæ Raithuni malum dæmonem in monachi veſte latentem veniſſe ad venerandum ſenio & religione virum illius cœnobii & fores pulſaſſe, ſenemque aperto oſtio dixiſſe: Ora: & ſceleratum genium reſpondiſſe*: Et nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Religioſum verò mox iteraſſe idem: Ora. Et cacodæmonem eadem retuliſſe.* Et nunc, & ſemper, *&c. Tunc ſenior*: Pronuncia, *inquit*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Deinde ſubiunge tua: Nunc & ſemper. *Sed impius ſpiritus ſimul ac audiuit SS. Triadis hymnum, illico euanuit.*

Facile intelligis Lector illa verba, Nunc & ſemper, &c. ſeiuncta à prioribus etiam in hoſtem Dei tartareum draconem conuenire, cum & nunc & ſemper & in omnes omnium ſæculorum æternitates ſit improbus idemq; futurus. Sed & illud animaduertis priſcis temporibus vſitatum à SS. Trinitatis laude precationem inchoare, & diabolum non ſolum inuocationem BB. Trinitatis ferre non poſſe, ſed neque ſolam nominationem. Profecto S. *Greg. Naz. maximum ſibi præſidium in ſanctiſſ. Trinitatis confeſſione eſſe ſenſit collocatū aduerſus diabolum, cum hunc in modum teterrimum illum ſpiritū cōpellat:* Fuge à meo pectore, hoſtis verſute, fuge à meis membris, fuge à mea vita. Cede, ne te cruce, ad quam omnia cōtremiſcunt, feriam. Semperne me caliginoſis cogitationib. inficies, nec Dei numen, nec ſacrificia noſtra pertimeſcens? Non te mouet quod Trinitatis quoq; ipſius vocaliſsimus præco extiterim, nūcq; metam proſpiciam? Quocirca cœnoſe ſpiritus etiam atque

etiam

etiam caue,ne me inficias,vt purus, puris illis & clariſsimis Angelis occurram,cũ cœleſtis ſplendor vitæ meæ illuceſcere cœperit. En manus protendo,cœlites me ſuſcipite: Vale tu munde, vale ærumnarum ferax, remiſsiusque cum poſteris meis agas. *Hæc ille in oratione, quâ diabolum à ſe auertit, Chriſtique opem implorat. Martinus noſter Del-rio vir doctiſs. 3:Tom.ſuarum diſquiſitionum Mag. ſ.1000.ſcribit in Iaponia energumenũ An.1555. Sanctiſs.Trinitatis inuocatione liberatum.*

Eccleſiæ etiam exorciſmi, quid quantumq; omnipotentis Trinitatis imploratio contra diabolos valeat,teſtantur,quales ſunt: Exi ab eo Satana, & da honorem Deo viuo & vero.Exi immunde ſpiritus,& da honorem Ieſu Chriſto Filio eius, Domino noſtro. Fuge immunde ſpiritus, & da locũ Spiritui Sancto paracleto. *Et:* Exorcizo te immunde ſpiritus per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. *Efficax eſt & illa S. Ioannis Chryſoſtomi adiuratio & precatio*: Deus æterne, qui genus humanum redemiſti è captiuitate diaboli, libera & hunc famulum tuum, ab omni vi immundorum ſpirituum:impera malignis & immũdis ſpiritibus & dæmonibus,vt diſcedant ab anima,& corpore famuli huius,nec hæreant aut occultentur in ipſo: effugentur nomine tuo ſancto,& vnigeniti Filij tui,& viuifici Spiritus tui,à figmento manuum tuarum, vt expiatus ab omnibus inſidiis diabolicis, ſanctè,caſtè,& piè viuat, dignus habitus impollutis myſteriis vnigeniti Filij tui Dei noſtri, cum quo benedictus & glorificatus es cum ſanctiſsimo, bono,& viuifico Spiritu.

Hæc enim eſt illa ſanctiſsima Trinitas,cuius cum dæmon ſimilitudinem ſuperbè ambiret, eius ſententia tãquam fulgur è cœlo deturbatus eſt,Luc.10.v.18.

Signo

Signo S. Crucis percelli fugarique dæmones docent S. Ignatius epiſtola ad Philip. B. Athan. in vita S. Antonij Gregor. Naz. Oratione 1. in Iulian. Chryſoſt. hom. 55. in Matth. Cyrillus Hieroſol. Catech. 4. & 13. Illuminatorum, ſed tunc maxime cum formatur vt ab omni antiquitate efformari ſolet, cum SS. Trinitatis inuocatione: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Hinc S. Athanaſ. in vita B. Ant. Cum, *inquit*, inuocato nomine Ieſu vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſsiſſet in frontibus à dæmonibus venatorũ dæmones expulſi ſunt. *Simeon Metophraſtes in vita Sancti Ioannis Chriſoſtomi:* Sancto *ait* adhuc ſuauiſsimam contexente doctrinam ac DEO volente ipſum glorificare: vir quidam repente poſſeſſus à maligno Spiritu, ſeipſum intrudit in mediam Eccleſiam, ſpumam ore emittens, & linguam adeo, vt viſu eſſet tetrum, demittens. Omnibus rogantibus cum eum obſignaſſet & effatus eſſet nomen Sanctæ Trinitatis malignum dæmonem iubet egredi, & momentò temporis liberatus fuit.

Huc etiam facit quod narrat Cæſarius Heiſterbachius l. 8. c. 23. Hermannus miræ ſimplicitatis & raræ pietatis puer ac religionis ſacræ cãdidatus, ad hunc hymnum: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto *ſe inflectens, ſenſit in frontem Crucem ſibi imprimi, quod vtique ſignum eſt veri Chriſtiani, qui ſuam fidem maxime Auguſtiſsimæ Trinitatis demonſtrat confeſsione. Hortantur Apoſtolorũ Principes, vt fide tanquam impenetrabili clypeo dæmonũ impugnationes repellamus. S. Paul. Ad Eph. 6. v. 16.* In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. *S. Petrus vero 1. Epiſt. c. 5. v. 8.* Aduerſarius veſter Diabolus, *inquit*, tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.

Ampli-

Amplifica & confirma in nobis DEVS noſter viuam præpotentis Trinitatis fidem, qua & dæmonum impugnationibus & cunctis hoſtibus noſtris ſuperiores euadamus.

CAPVT XXV.

QVAM EFFICAX SIT S. TRInitatis inuocatio ad impetrandam veniam & impunitatem peccatorum.

ISTud elucet in Baptiſmo: vt cum ſalutari fonte tingimur, tanta in his verbis:* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *vis ineſt, vt per illa nobis omnium ſcelerum gratia fiat, & in cenſum ac numerum filiorum Dei referamur. Hinc Conc. Lateranen. magnum Can.* 1. Sacramentum Baptiſmi ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus S. conſecratur in aqua. *Et Concil. Florentinum:* Principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, eſt S. Trinitas.

Ita vt ſi vna perſona diuina prætermitteretur, nullũ ſalutarem haberet effectum baptiſmus, vt recte docet Didimus Alex. lib. 2. de Spiritu ſancto: cum ipſe auctor Græcus & peruetus, ex S. Hieronymi verſione ita Latinè loquitur: Quis non ex ipſa veritate cogetur ſuſcipere indifferentiam ſanctæ Trinitatis, dum vna ſit fides in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & lauacrum detur atque firmetur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Non arbitror quenquam tam væcordem atque inſanum futurum, vt perfectum baptiſma putet, quod datur in nomine Patris, & Filij, ſine aſſumptione Spiritus S.

aut rurſus in nomine Patris & Spiritus ſancti, Filij vocabulo prætermiſſo: aut certè in nomine Filij & Spiritus ſancti, non præpoſito vocabulo Patris. Licet enim quis poſsit ſaccei, vt ita dicam, cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius Legislator Chriſti, tamen ſine perfectione baptizabit, imò penitus à peccatis liberare nõ poterit, quos à ſe baptizatos exiſtimauerit. Ex his colligitur, quam indiuidua ſit ſubſtantia Trinitatis, & Patrẽ verè Filij eſſe Patrem, & Filium verè Patris Filium, & Spiritum ſanctum vere Patris & Dei eſſe Spiritum, & inſuper ſapientię & veritatis, id eſt, Filij Dei. Hæc eſt ſalus ergo credentium, & diſpenſatio Eccleſiaſticæ diſciplinæ quæ in hac Trinitate perficitur. *Iſta Didymus.*

Et Sanctus Ambroſius libro de iis, qui myſteriis initiantur, capite 4. Catechumenus niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, remiſsionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritalis gratiæ munus.

Quod duobus illuſtribus exemplis comprobandum eſt, in quorum altero, quia legitima forma defuit, & aqua ſe ſubduxit, in altero, quia neque forma, neque materia deſiderata fuit, Baptiſmus vim ſuam & gratiam obtinuit.

Nicephorus libro 16. *hiſtor. capite* 36. *refert, quod Deuterius Epiſcopus Arrianus hanc mutauerit formam & baptizauerit*: In nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto: *ſed miraculo aqua diſparuit. Nunc & alterum audiamus: Sanctus Gineſius Martyr ante mimus, cum coram Diocletiano Imperatore & Romano Populo ſacros Baptiſmi ritus, vt riſum commoueret, exhiberet, & de more à ſociis interrogatus, num in ſanctam Trinitatem crederet, conuerſus repente credidit,*

& dum

Digitized by Google

& dum aqua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti perfunditur, vidit Angelos ignea rutilantes facie ſibi aſſiſtere, & flagitia ſua omnia, quæ à primis ætatis annis ad illud vſque tempus commiſiſſet e libro delere, eoſque audiuit dicere: Noueris te ab omni culpa mundatum, vide nunc, vt perceptam gratiam conſerues. *Hæc, & Chriſtianam fidem confeſſus, hortatus eſt, vt crederent Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe verum Deum. Quod tamen, inquit, experiri non poteſtis, niſi vos vnda illa perfuderit, quam Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus nominis ſui inuocatione ſacrauerit. Ergo Diocletiani mandato fuſtibus caſus, eculeo ſuſpenſus, vngulis laceratus, lampadibus inflammatus, capite truncatus eſt. Hæc Surius vigeſimoquinto Auguſti in eius vita, & Ado in Martyrologio ſuo.*

Deus, qui diuerſitatem gentium in ſanctiſſimæ Trinitatis nomine & confeſſione adunaſti, da nobis, & velle, & poſſe, quæ præcipis, vt populo tuo ad æternitatem vocato; vna ſit fides mentium, & pietas actionum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Caput XXVI.

PROPTER SANCTISS. TRINITATIS IN BAPTIſMO INUOCATIONEM MULTIS CORPORIS ſANITATEM ETIAM DIUINITUS TRIBUTAM.

NIcephorus lib. 3. hiſt. cap. 37. & Baron. Anno Chriſti 181. narrant de quodam Iudæo Catechumeno, qui per deſerta & arida loca iter faciens cum Chriſtianis, cum in grauiſsimum incidiſſet morbũ, ita vt moriturus crederetur, cœpit à comitibus petere, vt ipſum baptizarent, priuſquam moreretur, hæſitantibuſque illis, quod aqua carerent, rurſum tanta eos inſtantia adiurauit, vt arena pro aqua vſi, ter ea illum cõſpergentes: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *baptizarint. Mox autem ſanitati reſtitutus, poſtquam vna cum aliis reliquum iter peregiſſet alacriter, re ad Dionyſium Alexandrinum Epiſc. delata, habitaque cõſultatione viſum eſt aqua illum Chriſtiano more abluere. Idipſum de aliis memoriæ proditum eſt.*

Conſtantinus ille Magnus primus Imperatorũ Chriſtianam religionem palam profitentium baptiſmatis virtute, quæ in Sanctiſsima Trinitatis inuocatione conſiſtit à corporis & animi pariter lepra perpurgatus eſt, quemadmodum ex S. Sylueſtri actis, quæ habẽtur 5. Tomo Aloyſii Lipp. & Tom. 6. Surij 31. Decemb. memorat Ampliſs. Cardinalis Cæſar. Baron. An. Dom. 324. Conſtantinus Imperator adhuc patrita ſectans, perſecutionem aduerſus Dei Eccleſiam concitauit, eamque vt Sylueſter euitaret, vnà cum aliquibus ſuis ſecreta montis Soractis petiit, ſed cum interim Conſtantinus ob admiſſa ſcelera diuinitùs lepra percuſſus, accepto ab Aruſpicibus reſponſo eam ſanguine infantium eſſe curandam,

quaſi-

quæſitiſq; ad hoc è vilioribus perſonis infantibus ad necem, idem infelicium matrum planctus aera vndique verberantis miſertus, à nece eorum abſtineri præcepiſſet, in eiuſmodi humanitatis remunerationem, cubanti illi in viſu apparuêre Apoſtoli Petrus & Paulus, ac mandarunt, vt Syluestrum è latebris euocaret, qui cum ſanaturus eſſet à lepra & animæ ſalutis conſequendæ rationem edoceret. Sylueſter autem mox quæſitus & ad Imperatorem perductus, eidem de Apoſtolis percunctãti depictas eorũ imagines oſtendit, quas cum Imperator ſimillimas eſſe cerneret viris iſtis, qui ei viſi fuerant, catecheſi inſtitutus, & ſanctiſſ. Trinitatis & incarnationis Filij Dei myſterium edoctus, & in nomine Patris, ac Filij & Spiritus ſancti baptizatus optatam animi corporiſque à lepra ſanitatem conſecutus eſt.

Alludit ad hanc hiſtoriam S.Greg.Turon. lib. 2. hiſt. Franc. c. 31. cum hunc in modum de Francorum Rege Chlodoueo & S. Remigio Remenſi Epiſcopo loquitur: Rex ergo prior popoſcit ſe à Pontifice baptizari: procedit nouus Conſtantinus deleturus veteris lepræ morbum, ſordenteſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus.

Lethalem Theodoſii Imperatoris morbum baptiſmus depulit, Hiſt. Trip. lib. 9. c. 6. Niceph. lib. 12. c. 6. Similiter paralyticus Iudæus, vt Socrates lib. 7. c. 4. Baron. An. Dom. 408. Nicep. lib. 14. c. 12. teſtantur, Conſtantinopoli per S. Baptiſmum ſanitatem adeptus eſt. Sed hæc illuſtriora adhuc fient infra, vbi de miraculis, virtute & inuocatione S. Trinitatis perpetratis agemus.

Proſit nobis ad animi pariter & corporis, ô colendiſſima Trinitas, tui Numinis imploratio, vt nunc commoda valetudine & poſt beata immortalitate tibi perpetuo ſeruiamus.

CAPVT XXVII.

S. VICTOR LIB. III. VVANDAlicæ perſecutionis rem geſtam hac narratione proſequitur.

HVnericus Rex per vniuerſas Africæ prouincias crudeliſsimos deſtinauit tortores, qui nulli parcerent ętati vel ſexui, niſi qui eorum ſuccumberent voluntati, S. Trinitatis fidem negantes. Hos fuſtibus, illos ſuſpendio, alios ignibus concremabant.

Mulieres & præcipuè nobiles contra iura naturę nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam noſtram Dionyſiam curſim ac breuiter nominabo. Cum viderent eam non ſolum audacem, ſed etiam matronis cæteris pulchriorem: ipſam primo niſi ſunt fuſtibus expoliatam aptare. Quæ cum peteret, diceretque de domino ſuo ſecura, qualiter licet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare. Amplius illi magis furentes, celſiori loco veſtimentis exutam conſtituunt, ſpeculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli ſanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa eſt laus mea.

Et quia erat diuinarum Scripturarum ſcien-

tia

tia plena, arctata pœnis, & ipſa iam Martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ ſancto ſuo exemplo vniuerſam patriam ſuam liberauit. Quæ cùm vnicum ſuum filium admodum teneræ adhuc ætatis & delicatum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera conſtituto ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Sanctiſsimæ Trinitatis in matre Catholica baptizati ſumus, non perdamus indumentum noſtræ ſalutis, ne veniens inuitator veſtem non inueniat nuptialem, & dicat miniſtris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor dentium, Matthæi vigeſimoſecundo. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur, Lucæ duodecimo, verſu quinto. Illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis, velociter Martyrem fecit.

Venerabilis verò adoleſcens, Maioricus nomine, in certamine confeſsionis ſpiritum reddens, curſum palmiferum conſummauit, amplexanſque illam hoſtiam ſuam, quantis potuit vocibus, Domino gratias agens, ad gaudium ſpei futuræ, in ſua domo maluit ſepelire, vt quoties ſuper ſepulchrum eius Sanctæ Trinitati preces effundit, alienam ſe à filio nunquam eſſe confidat. Quanti igitur per eam in illa Ciuitate, vt fati ſumus, acquiſiti ſunt DEO, longum eſt enarrare. *Hæc ibi.*

Ecce virilis, imo diuinus animus in fœmina, ecce pectus diuinæ Scripturæ armarium, ecce altera Machabæa, 2. Mach. 7. altera Sympheroſa, altera Felicitas filiorum ad ſubeundum martyrium hortatrices. Ecce mulier fortis non damna, non pœnas, non mortem, ſed gehennam extimeſcens, & ad cœleſtem patriam anhelans. Ecce mater in glorioſa filij nece exultans. Ecce religioſa ad martyris ſepulchrum ſupplicans. Ecce amore S. Trinitatis inflammata omnes ad eiuſdem cultum non modo inuitans, ſed feruoris actu ſecum rapiens, & exemplo confirmans.

Inſtaures contra nos teſtes tuos, ô ſacroſancta Trinitas, vt in clariſsima virtutis luce noſtrum cernentes torporem & inertiam, corrigamus & vitam, & pari religionis ac patientiæ ſtudio pares à te cœleſtis gloriæ auferamus coronas. Ita fiat Domine Deus noſter.

Capvt XXVIII.

QVOD ET IN POENITENTIAE Sacramento & hominis ad Deum conuerſione S. Trinitatis auctoritate & gratia nobis peccata donentur.

ID luculentè declarat Liberator noſter Ioannis 20. ver. 21. 22. 23. Vbi ipſe Dei Filius Apoſtolis pacem imprecatus ſuos legatos ad homines Deo reconciliandos & ſuos in condonandis peccatis vicarios conſtituit, & ſuam à Patre acceptam poteſtatem illis vt & Spiritum ſanctum ad hunc effectum & finem impertiuit: Sicut, *inquit,* miſit me Pater, & ego mitto vos. *Eadem ſc. auctoritate & poteſtate, qua nulla maior, quam remittendi peccata eſſe poteſt. Vnde & hæc cũ dixiſſet,*

dixiſſet inſufflauit & dixit eis. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis retenta ſunt. *Ergo Dei Patris & Filij, & Spiritus ſancti auctoritate nobis fit delictorum gratia.*

Quapropter etiamſi iſtis verbis: Ego te abſoluo, *peccata donare poßit ſacerdos, nullo tamen modo id facere debet, ſed vt communis Eccleſiæ vſus habet, dicere*: Ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti Amen. *vt pœnitens intelligat ſe virtute S.Trinitatis, cuius Sacerdos miniſter eſt peccatorum veniam conſequi.*

Dauid ſuorum peccatorum morbis ſalutare vt adhiberet remedium, ad Sanctiſſimam Trinitatem ſibi confugiendum exiſtimauit, & ſapientiſſime. Idcirco Pſal. 50. hunc in modum precatus eſt: Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui & Spiritu principali confirma me. *In cuius Pſalmi Comment. S.Hier.* Tu vero qui legis ſanctam ſcripturam, ſanctam hic Trinitatem, intellige Spiritum rectum, Filium, S. ſanctum, S. ſanctum, Spiritum principalē, Patrem. *Quod interpretamentum & in hunc Pſalmum adhibet S.Auguſt. & B.Greg. Turonicus initio li. 3. hiſt. Francorum.*

Mellifluus ille Doctor D.Bernardus hoc loco nobis prætermittendus non eſt. Felix, *inquit ſerm. 3. in Pentecoſte*: qui in hoc ſancti Spiritus thalamo commoratur, vt poſſit intelligere triplicem illum Spiritum de quo puer Domini ſuper ſeniores intelligens Pſ. 118. clamabat & decantabat: Pſal. 50. Ne proijcias me à facie tua & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innoua in viſce-

ribus meis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali cōfirma me. Spiritum ſanctum ipſum intellige proprio nomine deſignatum. Rogat ergo ne proijciatur à facie eius tanquam aliquid immundum: quia Spiritus iſte odit ſordes, nec habitare poterit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1. verſ. 4. Cui enim proprium eſt peccata repellere, ipſi & proprium eſt, peccata odiſſe: nec in vno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo ſancto Spiritu per ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum Hebr. 12. verſ. 14. audet quis ante faciem eius apparere tanquam lotus & mundus: vtpote qui continet ſe ab omni malo, & qui actiones etſi non cogitationes frænauerit. Sed quia peruerſæ & immundæ cogitationes ſeparant à Deo Sap. 1. verſ. 3. orandum eſt vt cor mundum creetur in nobis: quod vtique fiet ſi Spiritus rectus fuerit in noſtris viſceribus innouatus, Spiritum rectum quod ait Filio poteſt non inconuenienter aptari, qui nos veterem hominem exuens nouum induit: qui nos renouauit in Spiritu mentis noſtræ, tanquam in viſceribus noſtris: vt cogitemus quæ recta ſunt, & ambulemus in nouitate Spiritus & non in vetuſtate literæ. Formam enim rectitudinis de cœlis attulit, reliquit in terris: immiſcens ſanè & mittens dulcedinem rectitudinis in omnibus operibus ſuis, ſicut de eodem idem ipſe prædixerat Pſalm. 24. verſ. 8. Dulcis & rectus Dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Caſtigato ergo corpore per ſanctitudinem operum, mundato corde, vel potius innouato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia ſalutaris, vt iam in lumine vultus Dei ambules, & nomine eius

exultes

exultes tota die. Quid igitur reſtat niſi vt Spiritu principali confirmeris? Patrem intellige Spiritum principalem: non quod maior, ſed quod ſolus à nullo, cum ab eo ſit Filius: Spiritus ſanctus ab vtroque. In quo autem confirmatio hæc niſi in caritate? Aut quod donum aliud tam dignum Patre, quod munus aliud tam paternum? Quis nos, ait Apoſtolus Roman. 8. v.35. ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio an anguſtia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius? Certi ſitis neque mors neque vita, neque cætera alia, quæ Apoſtolus tam multipliciter, quam audacter enumerat, poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nunquid non hoc confirmationem ab omni huius ſententiæ parte demonſtrat? *Iſta S.Bern.& plura.*

Quis poteſt dimittere ſua auctoritate peccata niſi ſolus Deus? Et quis Deus noſter niſi tu ô clementiſſima Trinitas? tibi itaque demiſſiſſimè ſupplicamus vt animi noſtri maculas deleas, vt corde puro pariter & corpore tua Maieſtati famulemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

CAPVT XXIX.

AD IMPETRANDAM DIVINAM gratiam plurimum iuuat S. Trinitatis inuocatio.

QVod ad cœleſtis gratiæ conſecutionem efficaciſſima ſit S. Trinitatis imploratio ex ſuperioribus capitibus, quibus oſtenſum S. Trinitatis obteſtatione nobis peccata condonari quod nunquam ſit ſine gratiæ largitione & infuſione, ſole meridiano clarius eſt. Adiungenda tamen hic & alia. Sacramentum Chriſmatis *ait S. Aug. l. 2. contra literas Petiliani c.* 104. in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus.

Eſt tamen diſcrimen, nam vt inquit B. Petrus Damianus ſerm. 1. de dedicatione Eccleſiæ. In baptiſmate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam, ibi mundamur ab iniquitatibus hic virtutibus prę-munimur. Et Rabanus Archiepiſcopus Mogunt. l. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 30. Signatur baptizatus cum Chriſmate per Sacerdotem in capitis ſummitate, per Pontificem vero in fronte, vt priori vnctione ſignificetur Spiritus ſancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam, in ſecunda quoque vt eiuſdem Spiritus ſancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis in hominem venire declaretur. *Septiformẽ ſancti Spiritus gratiam Confirmationis Sacramento nobiſcum communicari docet & S. Cyprian. de vnctione Chriſmatis & aliis Sacramentis.* Ex huius *ait* vnctionis beneficio & ſapientia nobis & intelle-

ctus

ctus diuinitus datur, conſilium & fortitudo cœlitus illabitur, ſcientia & pietas & timor inſpirationibus ſuperius infunditur.

Quod & ab Apoſtolis ſe accepiſſe aſſeuerat S. Clemens Petri Paulique diſcipulus epiſtola 4. ad Iulium & Iulianum. Cum regeneratus, *ait*, quis fuerit per aquam, poſtmodum ſeptiformis Spiritus gratia ab Epiſcopo confirmetur; quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe non poterit. *Quod & indicatur Lucæ 24. v. 49. Act. 1. 8. c. 8. verſ. 15. 16. 17. c. 19. v. 5. 6. 2. Cor. 1. v. 21. Eph. 1. v. 13. 14.*

Et quo adueniente tam vberem & copioſam ſancti Spiritus gratiam in hoc Sacramento conſequimur? Sanctiſſimæ Trinitatis inuocatione, quam Pontifex conſecrato chriſmate Chriſtiani frontem liniens inuocat dicens: Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Hæc enim huius Sacramenti forma eſt, vt tradit Conc. Florent. in doctrina de Sacramentis cui formæ à quibuſdam additur: vt replearis eodem Spiritu ſancto & habeas vitam æternam. Quam formam bene explanat S. Tho. 3. P. q. 66. art. 4. c.* In hoc Sacramento, *inquit*, datur Spiritus ſanctus ad robur ſpiritalis pugnæ, & ideo in hoc Sacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta, quorum primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritalis, quæ eſt S. Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Secundum eſt ipſum robur ſpiritale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis ad ſalutem, quod quidem tangitur cum dicitur: Confirmo te Chriſmate ſalutis. Tertium eſt ſignum quod pugnatori datur, ſicut & in pugna corporali milites Ducum inſignijs inſigniuntur, & quantum ad hoc dicitur: Conſigno te ſigno Crucis, in quo

quo ſcil. rex noſter triumphat vt dicitur Coll. 2.v.14. Hæc S. Thomas.

Eſt autem iſta S. Trinitatis inuocatio tam neceſſaria in hoc Sacramento vt ſi prætermitteretur, nec Sacramentum eſſet, nec vllum ſalutarem effectum haberet. Eſt enim quædam Baptiſmi perfectio, & ideo expreſſa in vtroque S. Trinitatis debet fieri mentio. In hoc etiam Sacramento roboratur & armatur homo ad liberè confitendum fidem Catholicam, cuius præcipuus articulus eſt S. Trinitatis myſterium. Eſt & S. Trinitas principalis effectrix roboris ſpiritalis quod hic confertur, & finis, quia ideo tribuitur vt homo indiuiduo fidei caritatisque nexu Sanctiſsimæ Trinitati inhæreat. Etiam ipſum chriſma huius Sacramenti materia in Cœna Domini Sanctiſsimæ Trinitatis inuocatione conſecratur, ſicut & oleum Cathechumenorum & Infirmorum.

Et ſicut in Baptiſmo vel maxime propter S. Trinitatis inuocationem multa contigerunt miracula ita & in hoc Sacramento non defuerunt. S. Bernardus in vita S. Malachiæ Epiſcopi. Malchus, *inquit*, Epiſcopus Leſmor non modo vita & doctrina, ſed & miraculis claruit. Puerum mente captum inter hos quos lunaticos vocant, inter confirmandum ſacra vnctione ſanauit. Surdo auditum reſtituit, in quo idem mirabile quiddam confeſſus eſt, quod cum ſanctus vtrique auriculæ hinc inde digitos immiſiſſet, duos quaſi porcellos ex ipſis exire ſenſerit. *Atque hunc Malachias habuit præceptorem.*

Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donatiſtas *ait*, Ampullam quoque chriſmatis per feneſtrã, vt frangerent, Donatiſtæ iactauerunt. Et cum caſum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpiritali ſubuectione deduceret, proiecta caſum ſentire non potuit,

ruit, Deo muniente, illæſa inter ſaxa conſedit.

S.Rembertus 2.Bremenſis Archiepiſcopus, vt eſt in eius vita apud Surium 4. Febr. ſacro adhibito chriſmate cæcum confirmans illuminauit. Infans cæcus per S. Confirmationem viſum recipit, vt narrat Vincent. Belluacenſis l.24.c.18.

Quin & vſu Romano & Gallicano Sacramentum extremæ vnctionis cum S. Trinitatis inuocatione confertur. Ita enim Sacerdos ante Sacramenti adminiſtrationem precatur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, fit tibi hæc vnctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munitionem ac defenſionem contra ſæua iacula immundorum ſpirituum. *In ipſa autem Sacramenti adminiſtratione, hac vtitur forma*: Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum & illicitum ſermonem, per cogitationes, & affectus cordis, per tactum, per inceſſum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen.

Nec in contrahendo matrimonio vel deeſt, vel deeſſe debet S.*Trinitatis imploratio: nam vbi ſponſi ad Sacerdotis interrogationem reſponderint, ſe libera voluntate matrimonium ſuſcipere, ille facto ſigno crucis ait:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, inchoetur myſterium. *Et vbi conſueta forma ſibi mutuo fidem matrimonij addixerint in Dei & Eccleſiæ conſpectu, & ſe inuicem in coniuges acceperint.* Et ego, *inquit presbyter*, tanquam Dei miniſter vos in matrimonium coniungo: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Et præbens ſponſæ cõſecratum annulum*: Accipe, *ait*, annulum fidei matrimonialis,

monialis, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, vt illum portans, ſis armata virtute cœleſtis defẽſionis, & proficiat tibi ad ſalutem æternam. *Quin & alias ſuper eos ſanctiſſimam inuocat Trinitatem. In cuius auguſtiſſimæ Trinitatis cultu, ſi coniuges perſeuerarent, vt cum eo coniugium ineunt, vtique non tot illis ſæpe incommoda euenirent, nunc quia religionem aduerſus S. Trinitatem prætermittunt, mala ad ſeſe, vt Cæcias nubes, attrahunt, & malis mala ſuccedunt.*

Denique Pontifex conſecratis à ſe Presbyteris his bene precatur verbis: Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos: vt ſitis benedicti in ordine ſacerdotali: & offeratis placabiles hoſtias pro peccatis, atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Sancta Trinitas, quæ per diuini Numinis hic inuocationem Sacramenta efficis noſtræ ſalutis inſtrumenta, da, vt ea pura ſemper mente vſurpemus, & vberiorem à te gratiam & virtutem percipiamus.

* * *

CAP.

CAPVT XXX.

HIS VERBIS: IN NOMINE Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, omnia conſecrantur, aqua, panis, ceret, herbæ, Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifices, Principes, Reges, Imperatores.

IN *conſecratione piacularis aquæ dicitur:* Exorcizo te, creatura ſalis, per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctum &c. *Et* Exorcizo te, creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filij eius Domini noſtri, & in virtute ſancti Spiritus, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici &c. *Et.* Commiſtio ſalis & aquæ pariter fiat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen.

Dum Imperialem coronam Imperatoris capiti imponit S. Pontifex: Accipe, *inquit*, ſignum gloriæ, & diadema regni: coronam imperij: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagijs vitiorum omnium, ſic iuſtitiam, miſericordiam, & iudicium diligas, & ita iuſtè, piè, & miſericorditer viuas, vt ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto, in conſortio ſanctorum & æterni regni coronam accipias. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et in Coronatione Regis Metropolitanus ſiue Archiepiſcopus : Accingere gladio tuo:ſuper femur tuum potentiſſime Pſalm. 44.verſ.4.& attende quod ſancti non in gladio ſed per fidem vicerunt regna Hebr.11.verſ.33. Accipe coronam regni (quæ licet ab indignis) Epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. In nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti, quam ſanctitatis gloriam, & honorẽ & opus fortitudinis intelligas ſignificare, & per hanc te participem miniſterij noſtri non ignores. Ita vt ſicut nos in interioribus paſtores rectoreſque animarum intelligimur,ita & tu contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti,defenſor aſſiſtas, regnique tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis in vice Apoſtolorum, omniumque ſanctorum regimini tuo commiſſi, vtilis executor, perſpicuuſque regnator ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas, virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemque geſtare crederis,ſine fine glorieris. Qui viuit & imperat Deus, cum Patre & Spiritu ſancto,in ſecula ſeculorum. *Simili S.Trinitatis inuocatione & Imperatrix & Regina coronantur.*

Eiuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis imploratione creantur & noui milites. Hoc enim modo precatur S.Pontifex. Benedic Domiue ſancte, Pater omnipotens æterne Deus;per inuocationem ſancti nominis, & per aduentum Chriſti filij tui Domini noſtri, & per donum ſancti Spiritus paracleti:hunc enſem,vt hic famulus tuus, qui hodierna die:eo tua concedente pietati, præcingitur: inuiſibiles inimicos ſub pedibus conculcet victoriaque

ctoriaque per omnia potitus: ſemper maneat illæſus per Chriſtum Dominum noſtrum. Et *conſecratum illi porrigens enſem dicit*: Accipe gladium iſtum: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & vtaris eo: ad defenſionem tuam: ac ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad confuſionem inimicorum crucis Chriſti: ac fidei Chriſtianæ: & quantum humana fragilitas permiſerit: cum eo neminem iniuſte lædas: Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus: per omnia ſecula ſeculorum. *Iſtis & verbis dedicatur Eccleſia*: Sanctificetur, & conſecretur hoc templum: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in honorem Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ: & omnium Sanctorum, & in memoriam ſancti N. Pax tibi. *Et hæc quidem ne omnia perſequamur, ſufficiant.*

O infinita ſanctitudo Trinitas & omnis ſanctitatis fons & indeficiens origo quia vis miniſtros tuos eſſe ſanctos ſanctifica nos in veritate vt gratum tibi obſequium præſtare poſſimus.

* * *

Capvt XXXI.

INVOCATIO ET CVLTVS S, Trinitatis corporis pellit morbos.

S*Imeon Metaphr. in vita S. Auxibij Solenſis Archiepiſcopi, & S. Marci Euang. diſcipuli.* Ingreſſus, *ait*, Solenſem ciuitatem, & Eccleſiam inibi à ſe ædificatam humi proſtratus cum lachrymis ita precatus eſt: Domine omnipotens Deus, qui feciſti cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt, corrobora me famulum tuum, vt ſine metu prędicem verbum tuum, & eos illumina tua gratia, vt conuerſi ab errore diaboli, agnoſcant te ſolum verum Deũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum Ioan. 17. Mihi quoq; humili & abiecto aperi portam verbi per tuam clementiam, dum extendo manum meã ad ſigna & miracula, per vnigenitum tuum filiũ Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: cum quo tibi gloria, honor, & poteſtas, cum ſancto & immortali Spiritu tuo nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. Illo autem docente ac publicè prædicãte indies adijciebatur magna turba credens Domino, & baptizabantur ab Auxibio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ei peccata confitentes. Quicunque vero habebant ægrotos, afferebant eos ad beatum Auxibium. Qui cum eis manus impoſuiſſet, omnes curabantur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cum autem hæc didiciſſent agreſtes regionis, qui erant circumcirca, veniebant in ciuitatem, & afferebant ſuos ægrotos. Ille vero curabat omnes per inuocationem intemeratæ & viuificæ

uificæ Trinitatis,& credentes baptizabantur,& inter homines quoque quidam nomine Auxibius,quem cum ſanctus Chriſti Pontifex docuiſſet de Patre & Filio, & Spiritu ſancto,cum baptizauit in nomine ſanctæ, & quæ eiuſdem eſt eſſentiæ, Trinitatis. *Cernis hic Chriſtiane lector ſolenne atque vſitatum fuiſſe Apoſtolis Apoſtolicisque viris & ſanctiſſimæ Trinitatis opem implorare, & in eius nomine atque inuocatione morbos depellere, aliaq; miracula patrare, eius notitiam tanquam primum ac præcipuum noſtræ religionis dogma neophytis ac recenter conuerſis inculcare. Faxit ſanctiſſima Trinitas vt ſimili illam religione colamus & ſimilia ab illa beneficia impetremus.*

Niceph.l.11.hiſt.c.23. Protogenes (*Epiſcopus ob S. Trinitatis fidem apud Antinoum exulans*) ludum literarium aperuit. Quum autem ex pueris vnus morbo confectus, in expectatione mortis eſſet, in domum, vbi is iacebat, venit & manus contrectatione ægritudinem fugauit. Quod vbi aliorum parentes cognouerunt, in ſuas quiſque ædes ſenem adduxerunt: & vt inualidis eorum liberis opem ferret, rogarunt. Tum ille ſe auxilio eis non prius eſſe poſſe dixit, quam ægri diuinum ſubirent lauacrum. Et illi quod eos deſiderium recuperandæ ſuis valetudinis adurgeret, ſtatim dicto audientes fuerunt, atque ita per corporis morbum, animæ quoque ſalutem ſunt conſecuti, dum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizarentur.

S.Greg.Turon.Pontifex doctrina & virtute præſtans l.2.hiſt.Franc. c. 3. narrat B.Eugenium Africanũ Epiſcopum, ad Honoricum Regem ſæuiſſimum, perducendum ſcripſiſſe in hac verba ad ſuos. Ne oues Chriſti, non verus paſtor ſilentio relinquerem, neceſſarium duxi, has pro me vicarias veſtræ diri-

gere ſanctitati, in quibus non ſine lachrymis pecto, hortor, & moneo, & ſatis abundeque obteſtor per Dei Maieſtatem, & per tremendum iudicij diem, atque aduentus Chriſti terribilem claritatem, vt fixius teneatis Catholicam fidem, aſſerentes Filium eſſe Patri æqualem, & Spiritum ſanctum eandem habere cum Patre & Filio Deitatem. Seruate itaque vnici baptiſmi gratiam, cuſtodientes Chriſmatis vnctionem. Sufficit modo quod vobis non tacui, monui, inſtruxi quomodo potui, ideoque immunis ſum à ſanguine omnium pereuntium, & ſcio quia aduerſus eos legentur literæ iſtæ ante tribunal Chriſti, cum venerit reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Mementote eſſe ſcriptum in Euang. Lucæ 12. v. 4. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; timete, autem eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem, & animam & corpus perdere in gehennam Matth. 10. verſ. 28. Ductus autem S. Eugenius ad Regem, cum Cirola Arianorum Epiſcopo pro fide Catholica decertauit, cumque eum de SS. Trinitatis myſterio potentiſſimè deuiciſſet, & inſuper multas per eum virtutes Chriſtus oſtenderet, in maiorem inuidia inflammante inſaniam ſuccenditur. Erant tunc temporis cum S. Eugenio viri prudentiſſimi & ſanctiſſ. Vindemialis & Longinus Epiſcopi, pares gradu, & virtute non impares. Nam S. Vindemialis eo tempore ferebatur mortuum ſuſcitaſſe. Longinus autem multis infirmis ſalutem tribuit. Eugenius quoque non ſolum viſibilium oculorum cæcitatem, ſed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequã Arianorum Epiſcopus Cirola vocatum ad ſe quendam hominem, ab illo, quo ipſe viuebat,

errore

errore deceptum ait: Non patior quod hi Epiſcopi multa in populo ſigna depromant, illoſq; cuncti me neglecto ſequantur. Acquieſce nunc his quæ præcipio, & acceptis quinquaginta aureis, ſede in platea per quam nobis eſt tranſitus, & manus ſuper oculos clauſos ponens me prætereunte cum reliquis exclama magna virtute dicens: Te beatiſſ. Cirola noſtræ religionis antiſtes deprecor, vt reſpiciens manifeſtes gloriam & virtutem tuam, vt oculos meos aperiês merear lucem videre, q̃ perdidi. Quo iuſſa cõplente, & hæretico tranſeunte cum Sanctis Dei, & ad mentitũ cœcũ accedente, & manus ſuper oculos eius ponẽte ac dicente ſecundũ fidẽ noſtram qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui, mox tantus dolor oculos miſeri illius inuaſit, vt eos digitis vix comprimeret, ne creparent, & clamare cœpit: Væ mihi miſero, quia ſeductus ſum ab inimico legis diuinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, vt hoc facinus perpetrarem. Et ad Epiſcopum: Ecce aurũ tuum, redde mihi lumen meum, ꝙ dolo tuo perdidi. Voſq; rogo glorioſiſſimi Chriſtiani, ne deſpiciatis miſerũ, ſed velociter ſuccurrite pereunti. Vere n. cognoui: qa Deus non irridetur. Gal. 6. v. 7. Tũc Sancti Dei miſericordia moti. Si inquiũt, credis omnia poſſibilia ſunt credenti Marci 9. v. 23. At ille clamabat voce magna. Qui non crediderit Chriſtum filium Dei, & S. ſanctum æqualem habere ſubſtantiã & Deitatem cũ Deo Patre, hodie q̃ ego perfero, patiatur. Et adiecit: Credo Deum Patrẽ omnipotentẽ. Credo filiũ Dei Chriſtũ Ieſum æqualẽ Patri. Credo S. ſanctũ Patri & Filio conſubſtantialẽ atq; coæternũ. Hæc illi audiẽtes & ſe inuicẽ honore mutuo ꝑueniẽtes oritur inte

eos ſancta contentio, quis oculis eius ſignũ beatæ crucis imprimeret. Vindemialis vero ac Lõginus Eugenium, ille a. econtra eos exorat, vt manus imponerent cæco. Quod cũ feciſſent, & manus ſuas ſuper caput eius tenerent. S. Eugenius crucem ſuper oculos cæci faciens ait: In nomine Patris, & Filij, & S. ſancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate, atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et ſtatim ablato dolore ad priſtinam redijt ſanitatem. Sancti vero Dei alia ſigna in populo multa fecerunt, & erat vox vna populi dicentis: Verus Deus Pater, verus Deus Filius, verus Deus Spiritus ſanctus, vna fide colendus, vno timore metuendus, eodemque honore venerandus.

Quo pertinet & illud quod eſt in vita S. Epiphanij Conſtantiæ Epiſcopi literis mandata à Simeone Metaph. 12. Maij, quod cum Imperatorum ſororem ægram ter ſignaſſet, ilico leuata ſit doloribus.

In vita S. Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi 16. Nouemb. apud Surium c. 20. Quidam ex Clero quartana vexatus febre, eo die quo paroxyſmum exſpectabat, per aulã, vbi diſcumbebat Sanctus Epiſcopus, pertranſijt. Cernens eum vir pius ſciſcitabatur, cur non pranderet cum cæteris, ille vero ait, ſe febrim exſpectare. Tum Epiſcopus: Ego, *inquit*, ſignum crucis exprimam in morſellum murænæ huius, eumque in S. Trinitatis nomine ori tuo imponã. Quem ſi mox cõedere voles, ſanus eris. *Accipit ille morſellum de manu eius & cum ſociis ad menſam aſſidens, & manducans vultu hilari & iucundo curatus eſt.*

Sapientiſſ. Trinitas vera ſunt & iuſta iudicia tua, vt qui te fallere volunt, fallantur, & qui alijs fucum facere nituntur, prodantur: quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra te Dominum De*um noſtrum, cuius ſapientiæ non eſt numerus.*

CAP.

Caput XXXII.

MVLTIMODA SANITAS FIDE & imploratione SS. Trinitatis collata.

Sanctus Gregorius Turonicus li.1.de gloria Martyrum c.13.Sigebertus in Chronico Anno 453.Card.Baron.Ann. 451. commemorant, quod cum Vaſatenſis vrbs ab Hunnica clade magno Dei beneficio liberata eſſet, & Epiſcopus pro gratiarum actione Miſſam populo celebraret, viderit ſuper altare, quaſi de Camera templi cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis cryſtallo clariores, quæ ſimul defluentes in vnum coniunctæ, quaſi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt, quam cum in medio crucis aureæ poſuiſſet, aliæ gemmæ ceciderunt: ſeorſim verò poſita infirmis dabat ſanitatem, adorantibus autem imaginem S.Crucis augebat deuotionem: quia piis munda & clara, immũdis obſcura videbatur. Et aſſerit Sigebertus eam fuiſſe miraculi occaſionem, quod Arrianiſmo regio illa nonnihil ob Gothos illic verſantes infecta eſſet. Quod & diſertè affirmat S. Gregor.Turon. Patuit euidenter ratione, *inquit*, contra iniquam & Deo odibilem Arrianorum hæreſin, quæ eo tempore pullulabat, hæc acta, agnitumque eſt Sanctam Trinitatem in vna omnipotentiæ æqualitate cõnexam.

S. Bernardus vt eſt in ipſius vita lib. 3.cap.5.ad confutandos errores malè de SS.Trinitate ſentientium plurimos panes eleuata manu & ſigno crucis edito in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti benedixit. Et in hoc, *inquit*, ſcietis vera eſſe, quę à nobis, falſa quę ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem. *Et ingens*

multitudo languentium guſtato eodem pane conualuit.

Tutiſſimum itaque ægris ad S. Trinitatis opem perfugium, quod probè intellexit quidam ſeruus, qui cum à Principe ſuo in perdita valetudine inuiſeretur opem auxiliumque ſuum offerente: Pro omnibus meis obſequiis peto, vt vel vnius horæ ſpatio, hoc tam graui morbi cruciatu me liberet. Et cum reſpōſum à ſuo accepiſſet Principe: Hoc ſolum præſtare Deum poſſe. Huic ergo, *inquit,* ægrotus me ſoli ſeruiturum polliceor: Si me ſanauerit, morbique à S. Trinitate depellēdi fiducia ſumpta conualuit ac religioni ſe dicauit. *Ita Sanctus Antonius Parte tertia Hiſtor. citata 24. cap. 9.*

S. Gregorius Turonicus lib. 3. hiſt. Franc. cap. 31. cum narraſſet, Arrianos infuſo in calicem veneno, Reginam interfeciſſe, ſubiungit: Nos verò Trinitatem in vna æqualitate pariter & omnipotentia confitentes, etiamſi mortiferum bibamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, veri atque incorruptibilis Dei, nihil nobis nocebit.

Laus tibi præpotens Trinitas, quæ manum tuam ad ſigna & prodigia extendis, vt fidem de te, quam ratione capere non poſſumus, miraculis capiamus.

CAP.

Caput XXXIII.

Valet plurimum S. Trinitatis inuocatio contra tempeſtates, aeris iniurias & alia incommoda.

Auctor eſt V. Beda lib. 1. Eccleſ. hiſt. cap. 17. quod cum ſancti Germanus & Lupus in Britanniam contra Pelagianos nauigarent, dæmon ne poſſent appellere eos impedire conatus eſt, tantamque excitauit tempeſtatem, vt nautæ ſalute deſperata nauim ventis & fluctibus permitterent, ſed S. Lupus reliquis animoſior, aquam in nomine ſanctiſſ. Trinitatis benedictã in mare coniecit, hoſtem fugauit, tempeſtatem ſedauit. Sanctus etiam Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, vt eſt in eius vita à Conſtantio presbytero conſcripta, libr. 1. c. 22. apud Surium 31. Iulij. leui olei in nomine S. Trinitatis benedicti aſpergine, eaſdem pelagi procellas & turbines cõpeſcuit.

Nectam vno hic verbo quod de iiſdem duobus ſanctiſ. Epiſcopis Lupo & Germano V. Beda eod. lib. 1. ſuæ hiſt. c. 18. commemorat: nimirum quod cum filiam Tribuni inuocata S. Trinitate illuminaſſent, Pelagianos in Anglia conuerterint.

Cæſar Baron. ad An. Dom. 566. ex S. Radegundis vitæ Scriptore Band. lib. 2. c. 17. narrat, quod ipſius Legatis maris tempeſtate in extremum periculum adductis columba ter in nomine ſanctiſſ. Trinitatis, quam B. Radegundis ſuo ſemper habuit in pectore, circumuolarit, & eius tribus pennis in mare intinctis procellæ & turbines conquieuerint. Contra tempeſtates ſingulare præſidium eſt ſanctiſſimæ Trinitatis imploratio. Hinc & in Eccleſiæ Exorciſmo ita legimus: Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos DEVS noſter.

noſter. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Et conuerſus ad nubem Sacerdos dicit:* Circumdet te nubes Deus Pater, circumdet te Deus Filius, circumdet te Deus Spiritus ſanctus. Deſtruat te Deus Pater, deſtruat te Deus Filius, deſtruat te Deus Spiritus ſanctus. Comprimat te Deus Pater, comprimat te Deus Filius, comprimat te Deus Spiritus ſanctus, Amen. *Quin & in virtute ac nomine præpotentis Trinitatis imperat impuriſſimis dæmonibus procellas, ac tempeſtates diuino conceſſu concitantibus, vt eas nubes in deſerta loca diſiiciant.*

Omnipotens Trinitas, cuius fide & imploratione maris fluuiorumque tempeſtas ſedatur, tranquilla & animos noſtros à noxiis perturbationibus, vt in te Deo noſtro acquieſcentes, nullis huius ſæculi concutiamur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXXIV.

HONOR ET CVLTVS BEATISS. Trinitatis ſitibundis aquam impetrat.

P*Aſſio quinque Martyrum ex S. Franciſci ordine de illorum vno ita loquitur:* Redeuntes cum victoria Marochium Saraceni ſimul & Chriſtiani per triduũ aquam non reperiẽtes nimio ſitis ardore cruciabantur, at Bernardus ſanctæ Trinitatis cultor, tanto compatiens hominum labori oratione cum cæteris præuia, breui paxillo terram fodiens, aqua à Domino impetrata, iumentorum ſitim extinguit & hominum.

Illi quinque & eiuſdem Ordinis Religioſi, & pariter ſancti, & martyrij cupidi, quod adepti ſunt, nullus tamen ex illis iſtud patrauit miraculum, niſi eximius ſanctiſſi-

ctiſſimæ Trinitatis, quam vtique & alij piè honorabant, venerator B. Bernardus.

O Beata Trinitas, fons vitæ, nos tui ſitientes torrente voluptatis tuæ pota, & ab vbertate domus tuæ inebria, & ſitim ſæculi in nobis extingue.

CAPVT XXXV.

MIRACVLA AD TESTANDAM ſtabiliendamque S.Trinitatis fidem edita.

P*Lurima id genus ſuperioribus capitibus recenſita & commemorata ſunt, iis tamen & nunc alia ſunt ſubiungenda. Ex Seuero Sulpitio auctore pio & docto Romana canit Eccleſia de S. Martino Turonenſium Epiſcopo:* Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt, vt in virtute Trinitatis Deificę mereretur fieri triũ mortuorum ſuſcitator magnificus.

S.Gregor. lib. 3. dialog. cap. 29. narrat, quod ad Spolitanam vrbem Longebardorum Arrianus venerit Epiſcopus, & ab eius loci Epiſcopo petierit aſſignari ſibi Eccleſiam, vbi ſua ſacra perageret, quod cum minime impetraſſet, comminatus eſt, ſe poſtridie S. Pauli templum vi occupaturum. Quod eiuſdem Eccleſiæ cuſtos audiens, eam diligenter obſerauit, & exſtinctis luminibus ſe in ea abdidit. Sequentis diei crepuſculo, Arrianus Epiſcopus ſuæ factionis hominum multitudine ſtipatus approperat, occluſas templi fores effringere paratus. Sed repentè cunctæ ſimul portæ excuſſis longius ſeris apertæ ſunt, atque cum magno ſonitu omnia Eccleſiæ clauſtra patuerunt. Effuſo deſuper lumine, omnes quæ exſtinctæ fuerant lampades, accenſæ ſunt. Et Arrianus Epiſcopus

S.Tri-

S. Trinitatis hoſtis ſubita cæcitate percuſſus eſt, & alienis manibus ad ſuum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione poſiti omnes agnoſcerent: nequaquam vlterius præſumpſerunt Catholica loca temerare.

Et eiuſdem libri cap. inſequenti 30. memorat S. Gregorius, quod Romæ cum Arrianorum Eccleſia ad Catholicos vſus expiaretur, & luſtraretur, populi, qui eo frequens conuenerat, inter pedes diſcurrerit porcus, donec è templi oſtio effugeret. Quod idcirco diuina pietas oſtendit, vt cunctis pateſceret, quia de loco eodem (quem S. Trinitatis hoſtes tenuerant) immundus habitator exiret. Cuius rei & alia indicia dedit Deus: nam eadem nocte ingens ſtrepitus dæmonum quaſi per templi tecta diſcurrentium dæmonũ auditus, & ſequenti nocte tantus fragor excitatus, quaſi templum funditùs euerteretur, deinceps conquieuit, lampades etiam cœlitus ibi accenſæ fuêre.

Scribit Amphilochius in vita S. Baſilij, quod inita inter Catholicos & Arrianos de quodam templo controuerſia, hanc S. Baſilius conditionem propoſuerit, vt Eccleſia firmiſſimis repagulis clauderetur, & eorum eſſet, qui iuxta fidem ſuam orantes, ſolo verbo, nulla alia vi externa adhibita eam aperirent. Accepta conditione Arriani Filij Dei hoſtes, vt quem de diuinitatis ſolio deturbare fruſtra nitebantur, diu orantes iuxta fidem ſuam nihil efficere potuerunt. Deinde S. Baſilio cum Catholicis deprecante, tanta vi continuo fores Eccleſiæ apertæ ſunt, ac ſi verba illa tonitrua quædam fuiſſent.

Attexam lepidum quidem, ſed admirabile exemplũ, quod habetur in vita S. Goaris Presbyteri libr. 1. cap. 13. apud Surium 6. Iulij. Hic vir ſanctus aduerſariorum calumnijs vexatus, & ad eas refellendas iuſſus ab Epiſcopo Treuerenſi Ruſtico, efficeret, vt trium noctium infans ſuos ediceret parentes: Trinitas, inquit, ſancta, te inuoco, atque te infans in nomine S. Trinitatis adiuro,

adiuro, vt genitores tuos nominatim, & clarè deſignes. *Tunc infans protenta manu ad Epiſcopum:* Iſte eſt, *reſpondit*, pater meus Epiſcopus, & mater mea Flauia nominatur. *Mox Epiſcopus ad genua eius aduoluitur, & veniam deprecatur.*

Ab hoc non abhorret, quod ſanctus Gregorius Turonicus lib. 2. hiſt. c. 1. narrat de S. Brixio Epiſcopo Turonenſi B. Martini diſcipulo & ſucceſſore, cui cum partus lotricis lintheaminum ipſius, falſo tribueretur: Adferte, *inquit*, infantem ad me: Cumq; oblatus fuiſſet infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eũ Epiſcopus: Adiuro te per Ieſum Chriſtum Filium Dei omnipotentis, vt ſi ego te generaui, coram cunctis edicas. Et ille: Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus, vt quis eſſet pater, interrogaret, ait Sacerdos: Non eſt hoc meum. Quod ad me pertinet, ſollicitus fui. Vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos quærite. *Voluit ſuam tueri innocentiam, non alienam maculare famam.*

Mirabilis es ſancta Trinitas, & mirabilia pro gloria tua, & ſalute noſtra operans, fac vt iſta conſiderantes, quibus poſſumus modis, te laudemus.

* * *

CAP.

CAPVT XXXVI.

ALIA RECENSENTVR MIRAcula ad fidei dogma de S. Trinitate confirmandum.

IOannes Vaſæus in Annalibus Hiſpaniæ Anno 558. & S. Greg. Turonicus lib. 1. de gloria Mart. cap. 81. Poſterorum memoriæ prodiderũt: quod Arrianus quidam presbyter in Hiſpania cœperit diſputationem cum Diacono Catholico, multaque infanda & abſurda contra Dei Filium propoſuerit, & pariter aduerſus Spiritum ſanctũ. Cum autem videret Diaconus rationibus & argumentis nihil profici. Quid fruſtra, inquit, laboramus: veritatem hanc facta non verba diiudicent: Iniiciatur annulus in ahenum feruenti aqua plenum, vt qui illum illæſus inde exemerit, aqua de Deo ſenſiſſe iudicetur. Placuit conditio, vt ſequenti die ſummo mane cõuenirent. Sed Diaconus qui fide plenus hoc promiſerat, tentatione dæmonis agitatus timere cœpit, & brachium ſuum oleo perunxit. Circa horam diei tertiam magna hominum multitudo conuenit, ingens focus accenditur, annulus tenuis in aquam iniicitur. Petit Catholicus ab hæretico, vt primus annulum extrahat, reſpondet ille, cõditionem hanc ab eo, qui primus propoſuiſſet, ſubeundam. Cum itaque Diaconus Catholicus brachium denudaſſet, cernẽs hæreticus illud oleo delibutum, cœpit irridere, atque id præſtigiis ac magicis artibus aſſignare, adeo vt magna inter eos concertatio orretur. Sed hanc diremit alius Diaconus Rauenna eodem adueniens, qui intellecta diſceptationis cauſa, ſeipſum obtulit, nudatoque brachio annulum in aqua feruenti cœpit inquirere, qui cum admodum exiguus eſſet ab aqua bulliente, vt palea à vento abripiebatur.

Interea

Interea vehementius focus accenditur, ne Catholicus annulum poſſet comprehendere. Hora demum tranſacta annulum tandem ex aqua illæſus eduxit, cumque diceret, aquam in ſummo tepidam, in imo frigidam ſibi viſam eſſe, reſpondit Arrianus: Et mea fides idem efficiet, continuoque cum dexteram in ahenum inieciſſet, eandem ſubito retraxit, conſumpta ad ipſa vſq; oſſa carne. Et ſic lis tota cum Sanctiſſ. Trinitatis gloria & Catholicæ fidei laude dirempta eſt.

Conueniens & huic quod lib. de gloria Confeſſ. c. 14. conſignauit S. Gregorius Turonicus, Catholicum cum hæretico diſputantem, in fidei de Sanctiſſ. Trinitate teſtimonium, annulum candentem ex luculento igne ſine læſione extraxiſſe, his verbis: Immenſa Trinitas, ſi aliquid indignum te credo, oſtende: Certè ſi recta eſt fides mea, nihil mihi prçualebunt hæc incendia ſæua: *adeo vt hæreticum pudore afficeret, & Catholicos confirmaret.*

Huic conſentaneum eſt, quod ex Nicephoro lib. 15. hiſt. c. 23. refert Baron. An. 471. quod duo Epiſcopi, alter Arrianus dicendi ac diſputandi arte inſtructiſſimus, alter Catholicus, virtute ac fide ornatiſſ. cum de religione contenderent, proponente Catholico, vt verborum contentione relicta, veritatem igne probarent, ſed renuente Ariano, nihilominus Catholicus in ingentem ſe rogum immiſerit, atque inde cum hæretico omnino illæſus diſputarit, veſtibuſque etiam intactis.

Nec multum diſſimile, quod Saxo Grammaticus li. 2. c. 5. VVidechindus lib. 3. Krantius li. 3. Daniæ c. 2. & li. 4. c. 24. Ditmarus li. 2. Chro. de Danis ſcripsêre, inter quos de B. Popone S. illis Trinitatē prædicante, commemorant, quod cum orta eſſet diſputatio, Danis affirmātibus Deum Chriſtianorum eſſe adorandum, ſed tamen eo alios Deos eſſe maiores, Popone verò hoc pugnante & enitente, illum eſſe ſolum Deum, eſſentia vnum, perſonis trinum. Rex Heroaldus tunc Danis imperitans ei re-

ſtitit, ac etiam coegit, vt facto illud comprobaret. Itaque S. Popo nuda manu candens ferrum accepit, Regem Danoſque acceſſit, atque tam diu tenuit, donec Deum Chriſtianorum ſolum verum eſſe Deum faterentur, eumque ſolum derelictis idolis colere velle promitterent. Poponi datus in Dania Epiſcopatus.

Teſtimonia tua de te, ô Beata Trinitas credibilia facta ſunt nimis, nos ea, & mentis aſſenſione, & voluntatis pietate ſuſcipimus, & te vnum Deum noſtrum ſuppliciter adoramus.

Capvt XXXVII.

HAVSTVM IN S. TRINITATIS nomine venenum B. Iuliano nocumenti nihil affert.

I*Oannes Moſchus Anachoreta in ſuo ſpiritali prato c.*94. Pater noſter Gregorius Archimandrita, *inquit*, narrauit nobis de Abbate Iuliano Epiſcopo Boſtrenſe, quod cũ receſſiſſet de cœnobio, & factus eſſet Boſtrenſis Epiſcopus, quidam ex habitatoribus ipſius ciuitatis, odio nominis Chriſti voluerunt eum veneno occidere, corrumpenteſque pecuniis miniſtrum eius, qui ipſi porrigebat poculum, dederunt ei venenum, vt cum porrigeret Metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita vt dictum fuerat, fecit, deditque calicem veneno infectum S. Iuliano. Suſcepit verò illum ſanctus vir, ac diuinitus agnouit inſidias. Suſceptum ergo calicem ante ſe poſuit, nihil omnino dicens puero; mittenſque accerſiuit omnes primates ciuitatis, inter quos erant, & qui illi inſidias parauerant. Vir autem beatiſſimus

ſimus nolens eos publicare, qui hoc fecerant, voce mitiſsima omnibus dixit: Si arbitramini humilem Iulianum veneno occidere, ecce coram vobis peſtiferum calicem bibo: Signanſq; ter digito ſuo calicem,& dicens: In nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti bibo hunc calicem: bibit illum coram omnibus totum, atque illæſus perſtitit. Quod illi cum vidiſſent, proſtrati veniam petierunt.

Da beatiſſima Trinitas, vt nobis, qui te colimus,& inuocamus, nullum vel animæ, venenum peccati, vel corpori tabeficum venenum noceat, vt mente integra, & corpore ſano Maieſtati tuæ ſeruiamus.

CAPVT XXXVIII.

MALBODIENSIS RELIGIOSA S. Trinitatis inuocatione ab incendio liberatur.

IN vita S. Aldegundis Abbatiſſæ apud Surium 13. Nouembr. cap. 15. ita legimus: Quodam tempore ſorores monaſterij focum accenderant,& ad abluenda veſtimenta, & caldariam cum aqua ſuper eum ſuſpenderant, vtroq; autem æſtuante, ecce ſerpens antiquus inuidens humili famularum Chriſti officio, ſanctimonialem propius aſtantem igni, coniecit in focum,& aquam feruentem ſuper ipſam effudit. At illa cum caderet Sanctæ Trinitatis nomen, inuocauit, & quam ancillæ Domini timebant membratim ignis ardere reſolutam, illæſam extrahunt.

Ita veriſſimum eſt, præpotentiſſima Trinitas, quod per electum puerum Dauid dixiſti Pſal. 144. v. 18. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocãtibus eum in veritate. *Et quod per Iſaiam Prophetam tuum pollicitus es cap.* 42. v. 2. Cum tranſieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrahel Saluator tuus. *In omni diſcrimine fidamus tibi, & vel ab eo certè liberabimur, vel maiori illud noſtro bono ſuperabimus,* non enim derelinques quærentes te Domine, *Pſal.* 9. v. 11.

Caput XXXIX.

Paralyticus fide et confeſſione S. Trinitatis à S Symeone Stylita curatur.

Beatus Theodoretus Cyri Epiſcopus in religioſa ſua ſiue SS. Patrum hiſtoria c. 26. Quidam, *inquit*, vnius tribus Saracenorum ingreſſus præfectus, ſupplex petebat à diuino capite (*id eſt, B. Simeone*) vt cuidam opem ferret, cui in via paralyſi ſoluta erant membra corporis. Cum is itaque fuiſſet allatus in medium, effecit, vt negaret impietatem maiorum. Vbi autem libenter obediit, & quod iuſſus fuerat, impleuit, rogauit, an crederet Patri, & vnigenito Filio, & ſancto Spiritui. Cum is autem ſe confeſſus eſſet credere. His, inquit, credens appellationibus, ſurge. Poſtquam autem ſurrexit, iuſsit, vt tribus præfectum ſuis ferret humeris vſque ad ipſum tabernaculum: habuit autem corpus maximum: & ille quidem eo accepto, ſtatim abiit.

Alleuas

Alleuas, *beatiſſima Trias*, omnes qui corruunt, & erigis omnes eliſos, *Pſal.*144.*v.*24. *ſanas contritos corde, & alligas contritiones eorum*, *Pſal.*146. *v.* 3. Sana nos Domine Deus noſter, & ſanabimur, ſaluos nos fac, & ſalui erimus, quoniam laus noſtra tu es. *Ierem.*17.*v.*14.

CAPVT XL.

CONCLVSIO LIBRI OCTAVI.

*NOn eſt opus plura hic commemorare S. Trinitatis, vel beneficia, vel miracula, cum non niſi illius nomine, virtute & imploratione patrentur miracula, ipſa enim eſt Dominus Deus noſter, qui facit mirabilia magna ſolus, Pſal.*71.*ver.* 18. *neque vlla percipiamus externa, naturæ, gratiæ, ac beatitatis dona, niſi ab ipſa præpotenti Trinitate vno Deo, ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.* Rom. 11.

LIBER IX.

Qui pro fide Sanctiſsimæ Trinitatis vel graues cruciatus, vel mortem perpeſsi.

Capvt I.

DE S. ERMIGILDO REGE PRO Sacroſanctæ Trinitatis fide martyrium obeunte.

Tales penè innumeri fuêre ſub Arrianis Imperatoribus, & Regibus, aliqui tãtum tanquam floſculi ex amœniſsimo horto delibandi. S. Gregorius Magnus libr. 3. Dialog. c. 31. ſcriptis ſuis tradidit. Et B. Gregorius Turonenſis lib. 5. hiſt. cap. 38. & lib. 6. cap. 43. & lib. 8. cap. 28. Ado etiam in Chron. quod Ermigildum filium à Beato Leandro Spolitano Epiſcopo ad fidem Catholicam conuerſum pater Arrianus Leuigildus Vuiſigothorum Rex & præmiis & minis ad Arrianam perfidiam reuocare conatus ſit, conſtantiſsimè reſpondentem, ſe veram fidem non poſſe relinquere, regno & bonis omnibus ſpoliauit, & adhuc perſeuerantem arctiſsima cuſtodia, collum, manuſque ferro ligatum incluſerit. Vbi ſanctus iuuenis, in ipſis vinculis cilicio indutus, & terrenum regnum aſpernans, ac cœleſte deſiderans, Deum deprecabatur, vt ipſum in fide ac virtute confirmaret. Intempeſta Paſchatis nocte perfidus

pater

Digitized by Google

pater Arrianum Epiſcopum miſit, vt ex eius manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, & ſic ad patris gratiam rediret. Sed prorſus recuſantem iratiſsimus Pater occidi imperat, quem & miniſtri impacta cerebro ſecuri mactauerunt. Mox in nocturnæ quietis ſilentio pſalmodiæ cantus ad eiuſdem Regis & Martyris corpus auditus, & accenſæ lampades viſæ. Rex Catholicam religionem agnouit, ſed timore ſuorum eam palam confiteri auſus non fuit. Richardum itaque filium S. Leandro Epiſcopo Catholicè erudiendum commiſit, qui totam poſt VViſigothorum gentem, ad Catholicam fidem perduxit, & vnum granum mortuum, multum fructum attulit.

CAPVT II.

EPISCOPI EXSECTIS PROPTER S. Trinitatis confeſsionem linguis perfectè vt ante loquuntur. Ex S. Victore Vticenſi Epiſcopo.

IN Tympaſenſi verò, *inquit*, quod geſtum eſt Mauritaniæ maioris Ciuitate, ad laudem Dei inſinuare feſtinemus. Dum ſuæ ciuitati Arianum Epiſcopum ex notario Cyrillam ad perdendas animas ordinatum vidiſſent, omnis ſimul ciuitas euectione nauali de proximo confugit, relictis paucisſimis qui aditum non inuenerant nauigandi. Quos Arrianorum Epiſc. primo blandimentis, poſtea minis cõpellere cœpit, vt eos faceret Arianos. Sed fortes in Domino, nõ ſolum ſuadentis inſaniã irriſerunt, verum etiam publice diuina myſteria in domo vna cõgregati celebrare cœperũt. Quod ille cognoſcens, relationem occultè Carthaginẽ

aduerſus illos direxit. Quæ cum Regi innotuiſſet, comitem quendam cum iracundia dirigens præcepit, vt in medio foro congregata illuc omni prouincia linguas eis & manus dextras radicitus abſcidiſſet. Quod cum factum fuiſſet, Spiritu Sancto præſtante, ita locuti ſunt, & loquuntur, quomodo ante loquebantur. Sed ſi quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, vbi reperiet vnum de illis Subdiaconem. Reparatum, ſermones politos ſine vlla offenſione loquentem. Ob quam cauſam venerabilis nimis in palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipuè Regina mira eum reuerentia veneratur. *Hæc ſanctus Victor libro 3. VVandalicæ perſecutionis, cui & plurimi alij aſtipulantur auctores, quos citat Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad Annum Domini* 484. *Quam hiſtoriam & commemorat Sanctus Gregorius Magnus libro 3. Dialogorum capite 32. & quia aliqua memorabilia interſerit eius hic verbis inſerenda eſt*: Iuſtiniani Auguſti temporibus, *inquit*, dum in Africa Arriana perſecutio in Catholicos inſaniret, quidam in defenſione veritatis Epiſcopi fortiter perſiſtentes, ad medium ſunt deducti. Quos VVandalorum Rex, verbis ac muneribus flectere non valens, tormentis ſe frangere poſſe credidit. Nam cum eis in ipſa defenſione veritatis ſilentium indiceret, nec tamen ipſi contra perfidiam tacerent, ne tacendò conſenſiſſe forte viderentur: raptus in furorem eorum linguas abſcindi radicitùs præcepit. Res mira, & multis nota ſenioribus: quia ita pro defenſione veritatis, etiam ſine lingua loquebantur, ſicut prius per linguam loqui conſueuerant. Hi eo tempore profugi ad Conſtantinopolitanam Vrbem venerunt. Eo quoque tempore

quo

quo pro explendis reſponſis Eccleſiæ ad Principem ipſe transmiſſus ſum, ſeniorem quendam Epiſcopum reperi, qui ſe adhuc eorum ora ſine linguis loquentia vidiſſe teſtabatur: ita vt apertis oribus clamarent. Ecce videte quia linguas nō habemus & loquimur. Videbatur enim à reſpicientibus, vt ferebat, quia abſciſſis radicitus linguis quaſi quoddam barathrum patebat in gutture: & tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic vnus in luxuriam lapſus priuatus eſt dono miraculi. *Iſta S. Greg.*

Vre igne S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum ô beata Trinitas, vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT III.

DE B. HILARIO S. TRINITAtis Propugnatore

SAnctus Hilarius nobili genere natus, doctrina & eloquētia praſtās ex Philoſopho Chriſtianus, & ex vxorato continentiſſimus Pictauorum Epiſcopus, & conſtantiſſimus contra perfidos Arianos, & impium Conſtantium Imperatorem conſubſtantialis Trinitatis aſſertor & vindex, eam propter fidem in Phrygiam relegatus, ſola ſua præſentia & S. Trinitatis imploratione, quandam Inſulam à ſerpentibus liberauit, & poſt etiam mortuum ad vitam reuocauit, vt eius in vita teſtatur Fortunatus.

Sed & S. Gregorius Turonicus l. 1. hiſt. Francorum c. 38. Beatiſſimus, *inquit*, Hilarius Pictauienſis Epiſcopus ſuaſu hæreticorum exilio deputatur:

ibique libros pro fide Catholica ſcribens, Conſtantio miſit, qui quarto exilij anno, eum abſolui iubens ad propria redire permiſit. Et ibidem c.39. Quarto Valentiniani & Valentis anno, S. Hilarius apud Pictauos plenus ſanctitate, & fide, multis vndique virtutibus editis migrauit ad cœlos: nam & ipſe legitur mortuos ſuſcitaſſe.

Quin & ab illius ex hac vita diſceſſu, ad ipſius ſepulchrum multa ſunt patrata miracula: puer moribundus, duo leproſi, paralytica, & alij ægri conſanati ſunt, vt ſcriptis ſuis idem mandauit Fortunatus.

In exilio ſcripſit duodecim libros de S. Trinitate, & vt ſuis Gallis de conſubſtantialis Trinitatis fidei integritate conſuleret, miſit ad illos de ſynodis Commentarium, pro cuius fidei defenſione, & alios libros edidit, & ſe ſæpius præſenti periculo vitæ obiecit, & magna deinceps Pictauienſem Eccleſiam pace cum adminiſtraſſet ad tot laborum, periculorum, miſeriarum, voluminum præmia à S. Trinitate accepturus in cœlum immigrauit.

Da, beatiſſima Trinitas, vt & nos pro fide & cultu tuo tanquam firmiſſimum hæreticis murum opponamus, nobiſque optabilius ſit per ſummos etiam cruciatus necari, quam tantum vnguem à tua religione diſcedere. Pro te mori veræ ſempiternæque vitæ principium eſt.

* * *

CAP.

CAPVT IV.

DE CELEBERRIMO TVRONUM Epiſcopo S. Martino.

QVam rectè iſte Antiſtes B. Hilario ſubiungatur, & quid pro S. Trinitatis fide fecerit his verbis declarat Hermius Sozomenus lib. 3. Eccleſ. hiſtor. cap. 14. Thraces vero, *inquit*, & Illyrij, & quotquot Europam incolunt, licet expertes adhuc eſſent monaſticorum contuberniorum, non tamen omnino viris Philoſophis carebant. Erat enim tum apud eos celebris Martinus à Saboria Pannoniæ, qui quum genere nobili natus eſſet, inque armis ſplendidè militaſſet, & dux exercitus fuiſſet, Deum omnibus præponens, Philoſophicam vitam exercebat. Egerat autem primum apud Illyrios, deinde quum pro dogmate ex animo decertaret, & quoſdam illic Epiſcopos cum Ario ſentire deprehendiſſet, inſidias paſſus, ac ſæpenumero publicè verberatus, tandem expulſus eſt. Venit autem Mediolanum, vbi ſecum ipſe ſeorſim egit. Deinde & illinc inſidiis Auxentij eius loci Epiſcopi pulſus diſceſſit (Nam nec ille circa Nicænam fidem ſanus erat) & aliquamdiu radicibus herbarum contentus inſulam incoluit, quam Gallinariam vocant. Eſt autem illa modica & inhabitabilis in Tyrrheno pelago ſita. Tandem Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopatum ſuſcepit. Erat

Erat autem vſque adeo miraculis potens, vt & mortuum excitare, & alia ſigna haud minora Apoſtolicis, perficere poſſe crederetur. In ea autem regione, & Hilarium tum temporis fuiſſe accepimus, virum vita & doctrina diuinum, qui Martino in exilio propter ſtudium dogmatis ſocius fuit. Itaque de viris iſtis, qui per id temporis in vitæ conuerſatione, & Eccleſiaſtica lege philoſophati ſunt, iſta quę cognoui conſcripſi. *Hæc Sozomenus.*

Erit & operæ pretium cognoſcere quæ B. Seuerus Sulpitius S. Martini familiaris amicus, in eius vita c. 4. *ſcribit:* Cũ hæreſis Ariana, *inquit* per totũ orbem & maximè intra Illyricum pullulaſſet, cum aduerſus perfidiam ſacerdotum ſolus penè acerrimè repugnaret, multiſque ſupplicijs eſſet affectus (nam & publicè virgis cæſus eſt) & ad extremum de ciuitate ire compulſus, Italiam repetens, cum intra Gallias quoque diſceſſu S. Hilarij, quem ad exilium hæreticorum vis coegerat, turbatam Eccleſiam comperiſſet, Mediolani ſibi monaſterium ſtatuit. Ibi quoque eum Auxentius, auctor & princeps Arianorum, grauiſſime inſectatus eſt: multiſque affectum iniurijs, de ciuitate exturbauit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad Inſulam Gallinariam nomine ſeceſſit, comite quodam presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquandiu radicibus vixit herbarum. Quo tempore helleborũ venenatum, vt ferunt, gramen in cibum ſumpſit. Sed cum vim veneni in ſe graſſantis, vicina iam morte ſenſiſſet, imminens periculum oratione repulit, ſtatimque omnis dolor fugatus eſt. Nec multo poſt, cum S. Hilario comperiſſet regis pœnitentia poteſtatem indultam fuiſſe redeundi, Romæ eitentauit occurrere: profectuſque

ctuſque eſt ad vrbem. Cum iam Hilarius præteriſſet, ita eum eſt veſtigijs proſecutus. Cumque ab eo gratiſſimè eſſet ſuſceptus, haud longè ſibi ab Oppido monaſterium collocauit.

Atque hanc ſuam de ſanctiſſima Trinitate fidem non modo vinculis, verberibus, exilio toleratis conteſtatus eſt S. Martinus, ſed plurimis etiam, ac maximis miraculis & eximia ſanctitudine confirmauit.

Da, benigniſſima Trinitas, vt & patienti rerum aduerſarum perpeſſione, & vita integritate, nos tuos eſſe ſinceros cultores declaremus.

CAPVT V.

S. VINDEMIALIS OB S. TRInitatis confeſſionem gladio cæditur & S. Eugenius gladio ſubiectus in exilium exturbatur, cæduntur & alii.

S*Anctus Greg. Turonicus l. 2. hiſt. Franc. c. 3. de SS. Epiſcopis Eugenio, Vindemiali & Longino, in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, & in eius fidei confirmationem, multa, & ſtupenda miracula patrantibus, vt inſinuatum eſt, hunc in modum ſcribit*: Rex Honoricus ſanctos Dei poſt multa tormenta, poſt aculeos, poſt flammas, poſt vngulas iuſſit interfici, Beatum vero Eugenium decollari iuſſit, ſub ea ſpecie vt ſi in ea hora, qua enſis ſuper ceruicem eius incumbebat, non reuerteretur ad hæreticorum ſectam, non occideretur, ne eum pro martyre excolerent Chriſtiani, ſed exilio damnaretur, quod ita

factum

factum eſſe manifeſtum eſt. Nam cum imminente morte interrogatus fuiſſet: ſi mori pro fide Catholica deſtinaret, reſpondit: Hæc enim eſt ſempiterna vita, pro iuſtitia, mori, Tunc ſuſpenſo gladio apud Albigenſem Galliarum vrbem, exilio deputatus eſt, vbi & finem præſentis vitæ fecit.

Ad cuius nunc ſepulchrum multæ virtutes creberrimè oſtendũtur, Sanctum vero Vindemialem, gladio percuti præcepit, quod & impletum eſt in hoc certamine.

Octauianus vero Archidiaconus, & multa millia virorum ac mulierum hanc S. Trinitatis fidem aſſerentium interempta & debilitata ſunt. Sed pro amore gloriæ, nihil erant hæc ſupplicia confeſſoribus ſanctis, qui in paucis vexati, in multis ſe nouerant benè diſponendos Sap. 3. v. 5. iuxta illud Apoſtoli. Rom. 8. v. 18. Quia non ſunt condignę paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelatur in ſanctis. *Hactenus B. Gregorius Turonicus.*

Glorioſa SS. Martyrum tuorum confeſſio ad ſanctiorem nos vitam prouocet, ô benedicta Trinitas, vt quorum gratulamur triumphis accendamur exemplis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

CAPVT VI.

B. VICTOR VTICENSIS EPIſcopus l. 2. VVandalicæ perſecut. de S. Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo miraculum faciente.

ILle vir Dei ſacerdos Eugenius, cœpit per conuerſationem operum bonorum venerabilis, & reuerendus haberi, etiam ab ijs qui foris ſunt, & ita eſſe ab omnibus gratus, vt ſi fas eſſet, animam ſuam pro eodem vniuerſos ponere delectaret. Eleemoſynas quoque tales per eum Dominus dignatus eſt facere, vt incredibile videatur, tanta eum impendere, vbi Eccleſia totum Barbaris tenentibus, ne vnius nummi cognoſcitur habere facultatem. Humilitatem in illo, charitatem, pietatem diuinitus condonatam, ſi quiſpiam incipiat, non poterit explicare. Pecuniam apud eum manſiſſe non probatur, niſi forte tali hora offerretur, quando iam ſol diei explicans curſum, nocturnis tenebris ordinem daret, & locum. Vnde tantum reſeruabat, quam diei ſufficeret, non quantum cupiditas expetiſſet, Deo noſtro ſubinde quotidie ingentia & maiora donante. Sed cum fama eius eſſet celebris atque manifeſta, cœperunt exinde Arianorum Epiſcopi inuidia graui torqueri, quotidianis, & præcipuè cum Cyrilla calumniis inſectantes.

Sed cum ignis iam perſecutionis accenderetur,

deretur,& flamma infeſtantis vbique Regis ar-
deret,oſtendit Deus noſter quoddam miracu-
lum per ſeruum ſuum fidelem Eugenium,quod
præterire non debeo. Fuit in eadem ciuitate,id
eſt Carthagine,quidam cœcus, ciuibus, ciuita-
tique notiſſimus,nomine Felix. Hic viſitatur à
Domino,diciturque ei nocte per viſum, dies e-
nim Epiphaniorum illuceſcebat.Surge,vade ad
ſeruum meum Epiſcopum Eugenium, & dices
ei: Quia ego te ad illum direxi.Et illa hora, qua
benedicit fontem, vt baptizentur accedentes
ad fidem,continget oculos tuos & aperientur,
& videbis lumen. Qui tali viſitatione commo-
nitus,putans ſe quomodo aſſolet,deludi per ſo-
mnium,ſurgere noluit cœcus. Sed cum iterum
vergeretur in ſomnos, ſimiliter vt ad Eugeniũ
pergeret compellitur. Rurſus negligit,tertioq;
feſtinanter & grauiter increpatur. Excitat pue-
rum,qui & ſolitus erat manum porrigere. Per-
git veloci agilitate ad Fauſti Baſilicam, orat ve-
niam, cum ingentibus lacrymis, ſuggerit cui-
dam diacono,nomine Peregrino, vt eum Epi-
ſcopo nuntiaret,indicans ſe habere aliquod ſe-
creti genus intimandum. Audiens Epiſcopus,
iuſſit hominem introire. Iam enim ob celebri-
tatem Feſtiuitatis, hymni nocturni per totam
Eccleſiam canente populo concrepabant. Indi-
cat cœcus antiſtiti ordinem viſitationis ſuæ, di-
citque illi. Non te dimittam, niſi mihi ſicut à
Domino iuſſus es,reddideris oculos meos. Cui
Eugenius ſanctus: Recede à me frater,peccator
ſum, & indignus, & ſuper omnes homines de-
linquens, vtpote qui & in hæc tempora ſerua-
tus ſum.Ille autem tenens genua eius,aliud non
dicebat,niſi illud,quod iam dixerat: Sicut iuſ-
ſum eſt, redde mihi oculos meos. Attendens
quoque

quoque Eugenius inuerecũdam credulitatem, & quia iam tempus vrgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum, ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu pulſans ſingultibus cœlum, criſpantem benedixit alueum fõtis, & cum completa ſurrexiſſet oratione, ita cœco reſpondit. Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego ſum, ſed qui te viſitare dignatus eſt, præſtet tibi ſecundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos, ſimulque vexillo crucis cõſignante oculos eius, ſtatim cœcus viſum Domino reddente recepit. Quem ſecum, quouſque vniuerſi baptizarentur, ibi detinuit, ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui acceperat lumen. Fit poſtea manifeſtum Eccleſiæ vniuerſæ. Procedit ad altare cum Eugenio ſicut moris eſt, qui fuerat cæcus, ſuæ ſalutis oblationem Domino redditurus. Quam Epiſcopus accipiens altari impoſuit. Fit ſtrepitus gaudio metante irreuocabilis populorum, ſtatim nuncius pergit ad Tyrannum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo quid factum ſit, qualiterque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicuntque Arianorum Epiſcopi, hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppreſſi confuſione non poterant nubilare, eo quod Felix vniuerſæ Ciuitati manifeſtus eſſet & notus, tamen volebant eum, ſi fas eſſet, necare, quomodo Iudæi ſuſcitatum Lazarum cupiebant occidere.

Quid etiam hic S. Eugenius præter capitis ſententiam & alia ſupplicia & inſectationes antequam in exilium Gallicanum pelleretur pro ſanctiſſimæ Trinitatis fide perpeſſus ſit narrat Victor li. 3. perſecut. Vandal. his verbis Impius Hunnericus ſciens Antonij Epiſcopi Ariani ferocitatem, in ipſis eremi partibus voluit ſanctum Eugenium relegare. Quẽ

dum cuſtodiendũ Antonius accepiſſet, ita eum arctiori cuſtodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret: inſuper varijs inſidiarũ atq; pœnarum ſupplicijs extinguere cogitauit. Sed Eugenius ſanctus dum noſtrę perſecutionis defleret incommoda, & aſperitate cilicij ſenile attereret corpus, nudamq; ſuper humum cubitãs, ſtratum ſacci ſui rigaret imbribus lachrymarũ, aliquando ſenſit infeſtum paralyſis morbum. Quo nuncio in gaudia conuerſus Arianus, pergit feſtinus ad cubile eximij hominis Dei. Et cũ videret vrgente paſſione verum Pontificẽ balbutientia verba producere, cogitauit ſimul extinguere, quem ſupereſſe nolebat. Præcepit vt acetum aſperum, nimiſq; acerrimum quæreretur. Cui cum fuiſſet allatum, venerabilis ſenis recuſantibus, & nolentibus faucibus ingerebat. Ex quo aceto præſertim ille paſſionis obnoxiæ morbus, accipit augmentum.

De hoc eodem S. Eugenio ſcribit S. Greg. Turonicus l. 1. de gloria martyrum c. 58. quod martyr, & Sacerdotũ decus ac magnus clarus virtutibus, mortis ſuæ praſcius ad S. Amarandi ſepulchrum in Albigenſi Vrbe ſe contulerit, ibique humi proſtratus diutiſſime S. Trinitati ſupplicauit, expanſiſque in pauimento brachijs Spiritum Deo reddidit, atque iuxta B. Amarandi monimentum ſepulturæ mandatus miraculis claruit, inter quæ puella falſum iurans extemplo diſſolutis membris obriguit, ſoloque plantis affixa, hiantibus faucibus vox hæſit, quo tormento diutiſſime afflicta, & S. Eugenij beneficio liberata, furtum ſuum palàm confeſſa eſt.

Fac, præpotens Trinitas, vt ſic per commoda & incommoda tranſeamus temporalia vt bona conſequamur ſempiterna.

CAP.

Capvt VII.

QVAMPLVRIMI EPISCOPI ET Presbyteri vel in durum proiecti exilium, vel crudeli occiſione occiſi ob Sanctiſſimæ Trinitatis confeſſionem.

V*andali Ariani, hoc eſt, iurati Sanctiſſimæ Trinitatis hoſtes, Africam occupatam ferro, incendijs, & cædibus vaſtarunt, ſed maxime in Baſilicas, cœmiteria, & monaſteria ab illis ſæuitum eſt.*

Multi hinc præclari Pontifices, & nobiles Sacerdotes diuerſis pœnarum generibus extincti ſunt. Tunc noſtræ ciuitatis Papinianus antiſtes, candentis ferri laminis toto aduſtus eſt corpore. Similiter & Manſuetus Vticitanus in porta incenſus eſt Fornitana.

Carthaginenſis Epiſcopus: Quodvultdeus & maxima turba clericorum nudi, fractis nauibus impoſiti diuina miſeratione Neapolim appulerunt. Quæ remanſerat Clericorum pars exilio mulctata.

Beatiſſima Trias nullam hic proſcriptionem, nullum pro tuo honore, noſtraque ac aliorum ſalute exilium pertimeſcamus: quia non habemus hic manentem ciuitatem ſed futuram inquirimus Hebr. 13. v. 14. *cuius tu effectrix, Princeps es & felicitas.*

CAPVT VIII.

MEMORABILE EXEMPLVM Sebaſtiani Comitis & martyris notandum iis, qui fidem S. Trinitatis & Catholicam religionem temerè derelinquunt.

Recenſet id S. *Victor Vticenſis Epiſcopus l. 1. Vandalicæ Perſec.* Fuit Comes quidam Sebaſtianus, famoſi illius gener Comitis Bonifacij (*ad quem extat epiſtola* 50. *S. Aug. quam his exorditur verbis*: Laudo, & gratulor, & admiror fili dilectiſſime Bonifaci, quod inter curas bellorum, & armorum vehementer deſideras ea noſſe, quæ Dei ſunt. verè hinc te apparet etiam de ipſa virtute militari, fidei ſeruire quam habes in Chriſto. *ſcripſit ad eundem & epiſtolam* 205.) acer conſilio, & ſtrenuus in bello. Cui Geiſericus ſicut conſilia neceſſaria habebat, ita & præſentiam formidabat. Cupiens autem illum extinguere, occaſionem mortis de religione quæſiuit. Cogitauit rex vt præſentibus Epiſcopis, atque domeſticis ſuis, Sebaſtianum taliter conueniret: Sebaſtiane, inquit, ſcio quia fideliter nobis adhæſiſſe iuraſti, cuius veritatem Sacramenti, labores tui, vigilantiaq; demonſtrant. Sed vt nobis connexa ſit ſemper, iugiſque maneat amicitia tua, hoc placuit præſentibus ſacerdotibus noſtris, vt eius efficiaris cultor religionis, quam & nos, & noſter populus veneratur: Cui Sebaſtianus rem inueniens miram, multiſque neceſſariam, pro tempore acutè reſpon-

reſpondit: Quæſo Domine Rex, vt nunc vnus panis mundiſſimus, ac ſimilaceus adferatur. Qui cum ignoraſſet Geiſericus Sebaſtiani victoriam, illico iuſſit adferri. Apprehendens itaque Sebaſtianus mundiſſimum panem, ita effatus eſt: Hic enim panis, vt ad tantum decorem ſplendoris veniſſet, & menſæ regiæ neceſſarius haberetur, diſcuſſa ſpuria furfuris, ex maſſa ſimilaginis conſperſus per aquam tranſiuit & ignem, idcirco & aſpectu clarus, & eſu ſuauis habetur. Ita & ego mola Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis, vt ſimila munda purgatus, rigatus ſum aqua baptiſmatis, & igne ſancti Spiritus coctus. Et vt hic panis de fumo, ita & ego per officia Sacramentorum diuinorum, artifice Deo, de fonte mundus aſcendi. Sed fiat ſi velis, vt ipſe propono: Iſte panis confringatur in fruſta, madidetur aqua, & iterum conſpergatur, mittatur in furnum: ſi melior exierit, faciam quæ hortaris. Quam propoſitionem Geiſericus cum omnibus qui aderant, cum audiſſet, ita ligatus eſt, vt ſe ſoluere omnino non poſſet. Quem alio generis argumento, poſtea bellicarum rerum occidit. *Hæc S. Victor.*

Nodus in ſcirpo quæſitus eſt: quia vt ait, Salomon Prouerb. 18. verſ. 1. quærit occaſiones, qui vult recedere ab amico. *Quod maleuolentiſſimorum & nequiſſimorum hominum eſt, qualis impius hic rex fuit Geiſericus, ſed prudenter id loci ſubijcit Salomon:* Omni tempore erit exprobrabilis. *Siue probroſus. Adiungam hic Commentarium Cornelij Ianſonij Epiſcopi Gandauenſis* Veritas, *inquit*, huius ſententiæ manifeſta eſt in quotidiana experientia, & potiſſimum in hæreticis, qui quandoquidem faſtidio vetuſtatis, aut ſua malitia quærunt diſ-

ceſſionem ab Eccleſia, quidvis cauſantur, minutiſſima quæque exaggerantes, & calumniantes, omniaque inſectantes, & traducentes apud populum, nihil aliud ferè inculcantes in omnibus concionibus, quam Eccleſiaſticorum vitia, in quæ aſſiduè debacchantur. *Hæc ille vir integerrimus & doctiſſimus.*

Et vere ſanguineis lachrymis deplorandum, quod pauciſſimorum Clericorum ea ſunt flagitia, quæ ſectarij maledico dente carpant, & non tam in Concionibus, quam circulis vellicant, & ea ſit Nouatoribus malitia & verſuta ac fallax nocendi ratio, vt quod vitium paucorum eſt in omnes deriuēt, & feſtucas in oculis Catholicorum videant, nec trabes in propriis ipſorum oculis conſiderent.

Non interemit eum prædo ille barbarus, & immanis: quod eſſet armis & bellica virtute valens, ſed quia Catholicus: quia Sanctiſſimæ Trinitatis teſtis & aſſertor, quæ diuiniſſima Trinitas perficiat, vt eius cauſſa nullam reformidemus mortem, vt quæ ad eam perfruendam optatiſſima & feliciſſima tranſitio eſt.

(:o:):*:(:o:)

CAP.

CAP. IX.

EXEMPLA RECENSENTVR plurium SS. Martyrum qui pro fide Sanctiſſimæ Trinitatis paſſi ſunt auctore S. Victore Vticenſi Epiſcopo lib. I. VVand. Perſecut.

Capta & ſpoliata Roma à Geiſerico tyranno & S. Trinitatis inimico, indeque ingenti hominum multitudine abducta in Africam, Deogratias Carthaginenſis Epiſcopus vir Deo plenus & carus, ac decrepitæ ſenectutis, vniuerſa vaſa aurea & argentea diſtraxit, captiuos redemit, quibus cum domicilia non ſuppeditarent, duas baſilicas Fauſti, & Nouarum amplas & tectis ac ſtraminibus inſtructas attribuit, in ſingulos dies dimenſum cuique præbuit, ægrotos haud paucos vt pia nutrix ſingulis penè momentis vna cum Medicis adijt, vt inſpecta vena quid cuique opus eſſet, ſe præſente tribueretur. Neque noctu defeſſis membris, aut longæuo & infirmo ſenio pepercit, ſed ſingulorum lectos obiuit, percunctans vt quiſque valeret. Qua humanitate vt Catholicorum omnium animos ſibi conciliauit, ita & Arianorum odium commouit (argumentum eſt recti, diſplicere malis) qui quamplurimis dolis & inſidiis comparatis ſæpe conati ſunt illum occidere. Sed ille miſericors miſericordiam à S. Triade conſecutus ad eam perpetuo fruendam in cœlum euolauit.

Cuius conſecratorem Thomam Epiſcopum ætate ac virtute venerabilem, multis inſidiis appetitum publicè [illegible] in facie ceciderunt [illegible] Ariani,

ille non ad opprobrium, ſed ad mercedem computans gloriæ ſuæ, in Domino lætabatur quod pro S. Trinitatis confeſſione dignus eſſet habitus contumeliam pati.

Erant & cuidam VVandalo quatuor ſerui Martinianus, Saturianus, & duo eorum germani fratres, & ſerua egregia Chriſti ancilla nomine Maxima, quam herus Martiniano in coniugem dedit, ſed illa, vt promiſſam Deo *virginitatem ſeruaret, & illi caſtitatem perſuaſit, & ille rurſum tribus fratribus ſuis, vt perpetuum colerent cœlibatum auctor fuit. Vt perditos homines libido ſtimulat, ita optimos quoſque caſtimonia delectat. Qui omnes clam Domino monaſterium inierunt, quos ipſe diligenti inueſtigatione repertos, & inde extractos, ac in vincula coniectos variis tormentis afflictauit, & vt* S.*Trinitatis fidei renunciarent, atque Arianorum baptiſmo tingerentur compellere voluit. Quo audito Geiſericus* Rex *decreuit, vt tam diu a Domino ſuo torquerentur, donec eius voluntati obtemperarent. Is ergo nodoſis illos fuſtibus tam dire verberari curauit, vt dilacerata carne viſcera nudarentur, & copioſus ſanguis efflueret. At ſequenti die* Chriſto *Domino medicinam faciente ſani, & incolumes fuere, quod & multo tempore factum eſt, vt nimirum S. Trinitatis confeſſores ad oſſum vſque denudationem flagellati ſequenti die diuino miraculo incolumes conſpicerentur. At vltore Numine Vandalus cum filiis, famulis, & optimis animalibus extinctus eſt, & vidua omnibus orbata iſtos Chriſti ſeruos Regis cognato Saoſoni donauit, qui eos gentili Maurorum Regi Capſur tranſmiſit, vbi prædicatione & conuerſatione ſua plurimos gentiles ad S. Triados, & Chriſti Domini fidem conuerterunt qui & Catholicè in S. Trinitatis nomine baptizati ſunt. Quam ob rem per ſpinoſa loca raptati ſe inuicem conſolabantur :* Frater ora pro me, impleuit Deus deſiderium noſtrũ, hac itur in regnum cœlorum, *quo in loco multa miracula operatus eſt Chriſtus Dominus, inter quæ & cæca*

cæca illuminata fuit. Maxima verò dimiſſa ſacris virginibus mater præfuit, mihi non incognita.

Rurſum Geiſericus aduerſus Dei Eccleſiam excandeſcens Proculum quendam miſit, vt cogeret ſacerdotes tradere ſacros libros, & ſacram Eccleſiæ ſupellectilem, atque ornamenta, quæ illis recuſantibus diripuit, & ex altaris palliis ſibi camiſias, & femoralia fecit, qui Deo vindicante fruſtatim linguam ſuam comedit, & paulò poſt turpiſſima morte interiit. Quæſo rogoque non hæc facinora noſtri ſæculi homines imitentur, ſed infelices pertimeſcant exitus, quorum exempla ſectantur.

Tunc & S. Valerianus Abenſis ciuitatis Epiſcopus idcirco quod conſtanter renuiſſet eaſdem res templi tradere, pulſus extra ciuitatem multo tempore ſenex octogenario maior, in publica platea ſub dio iacuit, quia mandatum erat, ne quis eum hoſpitio reciperet, quem & in tali exilio ſalutaui.

Nullus dolor tantus, quem non mitiget abſorbeatque amor, da, vt amemus te, amabiliſſima Trinitas, nec vlla pro te moleſtiæ tolerantia grauis erit.

CAPVT X.

ARIANORVM IN S. TRINITATIS cultores ſæuitia & ſacrilega rerum ſacrarum profanatio & direptio ex eodem S. Victoris lib.

PAſchali tempore noſtris Eccleſiam ingreſſis Andior presbyter, & alij Ariani, ex tecto iacula mittentes, & ſtrictis gladiis in illos irruentes, crudeliter eos occiderunt, & qui huic cladi ſuperfuerunt regio iuſſu omnes pene ſunt necati, præſertim ætate maturiores.

Alibi, ſicut Thunazudæ contigit, cum Sacramenta

Dei populo miniſtrarentur, maximo in templum furore inuadentes corpus Chriſti, & ſanguinem in pauimẽtum abiecerunt, & pollutis pedibus conculcauerunt.

Tunc & Armogas variè & acerbè tortus, & primum capitis, deinde ad fodinas, ac demum ad paſcendas vaccas damnatus, mortis ſuæ præſcius, de ſepulturæ loco mãdauit, vbi ſplendidiſſimi marmoris ſarcophagus, qualem forte nullus omnino habuit regum, repertus.

Tales peſtes, iuſtiſſima Trinitas, propter peccata noſtra perpetimur, ignoſce ſceleribus noſtris, & ſacrilegos omnes ad te conuerte.

CAPVT XI.

EX MEMORATI B. VICTORIS libro de Maſcula fortiſsimo S. Trinitatis confeſſore.

Sed & in quendam nomine Maſculam blanditiis, promiſſis, minis à ſe fruſtra tentatum capitalem Rex dictat ſentẽtiam, occultè præcipiens, vt ſi micantis gladij ictum pertimeſceret, occideretur, ſi autem fortis in S. Trinitatis confeſſione perſtaret, non interficeretur, magis enim tyrannus animas iugulare cupiebat, quam corpora. Sed ille vt columna in S. Trinitatis confeſſione immobilis perſtitit, & ex illo pretio glorioſus Victor reuerſus eſt, atque æternùm in cœlo triumphat.

[illegible] prepotens Trinitas, vt non timeamus eos, qui [illegible] corpus, ſed te Deum noſtrum, qui potes & cor-[illegible] rdere in g[illegible]nam. Ita petimus [illegible] rus, & ſecuri

CAPVT XII.

DE S. SATVRI IN FIDE S. TRInitatis conſtantia ex eodem S. Victoris volumine.

EAdem tempeſtate quidam nomine Saturus, domus Hunerici primogeniti Regis filij procurator, auguſtiſſimæ Trinitatis acerrimus propugnator, & Arianæ hæreſis impugnator, à Marionado Diacono accuſatus eſt. Promittuntur ei honores, & diuitiæ multæ, ſi Beatiſſimæ Trinitatis fidem denegaret, præparantur ſupplicia dira, ſi nollet: nimirum, vt ipſius mancipia diuendantur, filij in ſeruitutem addicantur, vxor Camelario coniugatur, bonis omnibus exuatur. Quam calamitatem vt coniunx auerteret conſciſſis veſtibus, crine ſoluto, filiis comitata, infantulam lactentem vlnis geſtans, ad mariti tunc precantis pedes ſe abiicit, eoſque complexa: Miſerere, *ait*, mei dulciſsime ſimul & tui, miſerere communium liberorum. *Cui ille:* Si diligeres maritum, nunquam ad ſecundam mortem pelliceres. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiam mei Domini, ego ſecurus de promiſsis verba tenebo: Si quis non dimiſerit vxorem, filios, agros, aut domũ, meus non poteſt eſſe diſcipulus, *Lucæ 14. Quid vltra? Confortatur Saturus ad coronam: diſcutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicans dimittitur, ſtolam tamen Baptiſmatis, in nomine S. Trinitatis accepti, auferre non potuerunt.*

Annon religioſe Lector, hic Saturus, vt S. Trinitatis gloria ſaturaretur, honores, diuitias, vxorem, liberos, & vniuerſum mũdum fidei & amori Vni Trini Dei poſthabens ſenſit, quod Propheta exclamans, Pſal. 72. v. 25. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terrã? Defecit caro mea & cor meũ, & pars mea Deus

Deus in æternum. Quoniam ecce qui elongant ſe à te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.

Præſta, quæſumus, beatiſſima Trinitas, vt qui glorioſos Martyres fortes in tua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus.

Capvt XIII.

DE SS. CONFESSORIBVS DIRA tormenta pro S. Trinitatis fide ſuſtinentib, ex S. Victore Vticenſi Epiſcopo lib. 2. VVandalicæ perſecutionis.

Hunericus VVandalorum Rex patre ſuo Geiſerico nihilo melior: quia mali corui malū ouum, perſecutionem in Catholicos S. Trinitatis Confeſſores inſtaurauit. Itaque in Eccleſiæ portis tortores conſtituit, qui Catholicos, ſiue viros, ſiue fœminas ingredictes palis minoribus dentatis iactis in capite crinibuſque in iiſdem colligatis ac vehementius ſtringentes ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, ſtatim oculos amiſerunt, alij ipſo dolore defuncti ſunt. Mulieres verò poſt hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas ad oſtenſionem totius ciuitatis ducebātur. Quod ſibi magis, quæ pro S. Trinitate patiebantur, lucrū maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec ſcimus eorum aliquem pœnis vrgentibus à recto itinere & S. Trinitatis confeſſione deflexiſſe.

At vbi Rex iſto modo S. Trinitatis fidem labefactare non potuit, aliud init & periclitatur conſilium, negato ſolario Trinitatis confeſſores aula exterminatos, ſub ardentis

dentis Solis incendio meſsium ceſpites deſecare compellit, quod illi in S. Triade lætantes cum gaudio perfecerunt, quos inter vni diuina pietate arida manus incolumis eſt reſtituta.

Quin & impudentiſsimi & crudeliſsimi Regis mandato congregatis ſacris virginibus, & ſuſpenſis ingentia pondera ad pedes alligata, ignitæ ferri laminæ ad dorſum, ventrem mamillas, latera admotæ, quarum pœnarum acerbitate plurimæ ſunt extinctæ, & quæ ſuperfuerunt areſcente cute incuruatæ, ſequentes Agnum primùm in tribulatione, deinde & in gloria, quocunque iuerit, Apoc. 14.

Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & alia Eccleſiæ mēbra quatuor millia & nongentos ſexaginta ſex ad eremi exilium eiecit. Qui, cum illis ſuaderetur, vt Regis volūtati acquieſcerent, ingenti vociferatione clamarunt: Chriſtiani ſumus, Catholici ſumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur, & inter hos fuêre plurimi cum matribus verentibus illorum ſeductionem infantuli. Nulla Dei regno infirma ætas, nec fides grauatur annis.

Atque hi S. Trinitatis confeſſores anguſtiſsimis & teterrimis locis concluſi, ſuper ſe inuicem vt agmina locuſtarum, & vt rectius dicatur, ſicut pretioſiſsima frumētī grana iactati & compreſsi fuêre. In qua conſtipatione ſecedendi ad naturale officium nulla ratio ſinebat loci, ſed ſtercora & vrinam vrgente neceſsitate ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarum genera ſuperaret; ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibus VVandalis, vix clam admiſſi ſumus intrare. Qui introeuntes veluti in gurgite luti vſque ad genua cœpimus mergi. Qui S. Cōfeſſores Maurorum impulſu exeuntes die Dominica, linita habentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul, & capita, hymnum cum exultatione Domino decantabant. Apoſtolicum in his pectus fuit dicentis 2. Cor. 12. v. 10. Placeo mihi

mihi in infirmitatibus meis (*doloribus & tribulationibus oblector*) in contumeliis, neceſsitatibus, (*famis, ſitis, nuditatis, frigoris, aſtus, &c.*) in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.

Et cum vel ſenes, vel delicati iuniores laſſitudine deficerent, ſaxis & haſtilium cuſpidibus ad currendum vrgebantur, aut ligatis pedibus, veluti demortuorum cadauera per dura & aſpera lapidum loca ad vſq; mortem raptabantur. Robuſtioribus ad ſolitudinem perductis hordeum, vt iumentis primò quidem præbitum, deinde & negatum, & quamuis ea in eremo ingens eſſet venenatorum aliorũ multitudo, nulli tamen S. Trinitatis famulis & teſtibus nocuit.

Da ſanctiſſima Trias, vt nulli grauiori peccato ſuccumbamus: quia nulla nobis nocebit aduerſitas: ſi nulla fuerit dominata iniquitas, quin & diligentibus te omnia cooperantur, & cedunt in bonum. Rom. 8. v. 28.

Caput XIV.

DE MVLTITVDINE ET VARIETATE pœnarum S. Trinitatis Confeſſoribus irrogatarum.

S*Anctus Victor lib. 3. Vand. Perſ.* Videre eſt hodie, alios ſine manibus, alios ſine oculis, alios abſque pedibus, alios truncos naribus, auribuſque intendas, alioſque videas nimio ſuſpendio pilis euulſis, caput quod eminere ſolebat in medio ſcapularũ fuiſſe demerſum, dum iugiter in altis ædibus ſuſpenſo cruciantes, impulſione manuum funibus agitatis, per vacuum aerem huc atq; illuc faciebant vagari pendentem. Qui nonnunquam diruptis funibus de illa altitudine ſuſpenſionis ictu valido corruen-

corruentes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiſerunt: alij confractis oſsibus ſpiritum continuo reddiderunt, alij poſt paulum exhalauerunt.

Iſti ſunt, qui viuentes in carne plantauerunt S. Trinitatis fidem ſanguine ſuo, modo coronantur, & acceperunt palmam. Iſti ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Modo coronantur, & acceperunt palmam.

Beatiſsima Trias tribue nobis perfectiſsimum tuæ Maieſtatis amorem, vt ab eo nulla tribulatio, nulla anguſtia, nulla fames, nulla nuditas, nullum periculum, nulla perſecutio, nullus gladius nos ſeparet, Rom. 8. v. 35. quia tu es, eriſque ſemper nobis Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28.

CAPVT XV.

S. VICTOR VTICENSIS LIB. III. VVandalicæ perſecutionis de SS. Victoria, Victoriano, & duobus fratribus conſtantiſsimis beatiſsimæ Trinitatis teſtibus.

IN ciuitate verò Tuluſitana non valeo, quæ geſta ſunt nuntiare, quia & ipſam quantitatem Martyrum vel etiam Confeſſorum impoſsibile eſt homins ſupputare. Vnaquædam matrona auctrix ſui nominis Victoria, dum in conſpectu vulgi cõtinuato ſuſpendio cremaretur, à marito iam perdito filiis præſentibus taliter rogabatur. Quid pateris coniux? Si me deſpicis, vel horum quos genuiſti miſerere impia paruulorum. Quare obliuiſceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum

cum gemitu pepercisti? Vbi ſunt fœdera coniugalis amoris? Vbi ſocietatis vincula, quæ inter nos dudum honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fecerunt? Reſpice quæſo, filios ac maritum, & regiæ iuſsionis implere feſtina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lucreris, ſimul & mihi doneris & liberis noſtris. Sed illa nec filiorum fletus, nec ſerpentis audiens blandimẽta, affectum multo altius eleuans à terra, mundum cum ſuis deſideriis contemnebat. Quam cum continuatione ſuſpenſionis vulſis humeris, etiam qui cruciabant, conſpicerent mortuã, depoſuerunt prorſus omni parte exanimem. Quæ poſtea retulit quandam ſibi Virginem aſtitiſſe, atque tetigiſſe membra ſingula, & illico fuiſſe ſanatam.

Qualiter autem Adrumentinæ Ciuitatis ciuem Victorianum tum Proconſulem Carthaginis prædicem, neſcio deficientib. verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiam apud impium regem pro rebus ſemper ſibi cõmiſsis fideliſsimus habebatur. Mandatur ei à rege familiariter, diciturque, quod eum habiturus eſſet præ omnibus, ſi eius præcepto facilem cõmodaſſet aſſenſum. Sed ille vir Dei miſſis ad ſe tale dedit cum fiducia magna reſponſum: Securus de Deo & Chriſto Domino meo, dico, quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat beſtiis, excruciet generibus omnium tormentorum, ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus. Nam ſi hæc præſens vita ſola fuiſſet, & aliam, quæ verè eſt, non ſperaremus æternam, nec ita feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus exiſtere, qui ſuã fidem mihi contulit creditori. Ad quod Tyrannus excitatus, quantorum temporum & quantis

quantis eum afflixerit pœnis, humanus ſermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino feliciterque conſummans, martyrialem coronam accepit.

Apud Tanbaienſem ciuitatem quoque geſta; quis queat certamina Martyrum explicare? Vbi duo germani Aquisregienſis ciuitatis, ſibi ſecuri de Domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna pariq; ſupplicio torquerentur. Et dum primo ſuſpendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, vnus illorum petiuit ſeſe deponi, & ſibi inducias dari. Cui frater alius metuens ne fidem negaret, de ſuſpendio clamabat: Noli, noli frater, non ita iurauimus Chriſto. Accuſabo te cum ante thronum eius terribilem venerimus: quia ſuper corpus eius & ſanguinem iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Iſta dicens & alia multa, confirmauit Germanum ad prælium paſſionis. Qui clamans ingenti voce dicebat: Adigite ſuppliciis, quibus vultis, & pœnis Chriſtianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus eſt, hoc etiam ego. Quantis iam laminis ignitis aduſti ſunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipſa res docet, & quod eos ipſi tortores à facie ſuâ proiecerunt, dicentes: Iſtos imitatur vniuerſus populus, vt nullus ad noſtram religionem penitus conuertatur, & præcipuè, quia nulli liuores, nulla pœnarum veſtigia in eis penitus videbantur.

Verè beatiſſima Trinitas & imbecillis fœminis, & teneris ætate adoleſcentulis, & his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicas, Iſa. 40. v. 29. vt nobis diffidentes, fortitudinem noſtram ad te cuſtodiamus, Pſal. 58. v. 10. & in te vno ſpes noſtras omnes collocemus, qui es Deus noſter in ſæcula benedictus.

Capvt XVI.

DE GENERE, VIRTVTE, ET S. Trinitatis confeſsione nobilis fœminæ Dagilæ.

Sanctus Victor Vticenſis Epiſcopus lib. 3. Vandalicæ perſecutionis: Tunc cuiuſdam Cellaritæ regis vxor nomine Dagila, quæ temporibus Geiſerici multoties iam Confeſſor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fuſtibus omnino debilitata exilio arido, & inuio relegatur, vbi nullus hominum forte conſolationis gratia veniendi haberet acceſſum, relinquens cum gaudio domum, maritum, ſimul & filios. Cui poſtea oblatum eſſe dicitur, vt in mitiorem eremum translata, frueretur, ſi vellet ſolatio ſociorum. Illa verò ingens ſibi adeſſe credens gaudium, vbi nullus humanus eſſet cõſolantis affectus, ne fieret ſupplicauit.

Quam ſuauis es, ô beatiſſima Trinitas, & quanta tuos ſuauitate perfundis, vt propter te non modo terrenis carere ſolatiis, ſed quoſuis etiam cruciatus tolerare percupiant. Si talis es in exilio, qualis eris in patria?

* * *

Cap.

Capvt XVII.

De dvodecim pvervlis S^mæ Trinitatis teſtibus, S. Victor Vticenſ. lib. 3. Vuandalicæ perſecut.

De multitudine autem pergentium Confeſſorum, id eſt, Eccleſiis Carthaginis Clericorum, ſuggerente quodã ex Lectore Truchario perdito, quos eſſe nouerat vocales, ſtrenuos atq; aptos modulis cantilenæ, deſignatione ſua debere dicit duodecim infantulos ſeparari, quos ipſe dum Catholicus eſſet, tunc diſcipulos habuit. Statim illo ſuggerente, ſub feſtinatione viro dimittuntur, & vi barbarici furoris bis ſenus numerus puerorum de itinere reuocatur. Segregantur corpore nõ ſpiritu à grege Sanctorum. Qui timentes præcipitium, cum ſuſpiriis lachrymarum, ne diuellerentur, conſtringebant manibus genua ſociorum. Quos violentia tamen hæretica minacibus ſeparans gladiis Carthagini reuocauit. Sed cum eis quaſi cum tali ætate non blanditiis ageretur, ſuperiores ſuis inuenti ſunt annis, & ne obdormirent in morte, lucernam ſibi Euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter Ariani, & ſe ſuperatos à pueris erubeſcunt. Vnde accenſi ſubdi fuſtibus iubent, quos iam ante paucisſimos dies variis verberibus diſsipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rurſum pœna reſtaurata crudeſcit. Factum eſt Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus creſceret, roboratus in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi duodecim Apoſtolorum, Chorum

conſpicit puerorum. Vnà degunt, ſimul veſcũtur, pariter pſallunt, ſimul in Domino gloriantur.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam, *ô Sancta Trinitas*, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem, *Pſal.* 8. *v.* 3. & infirma mundi eligis, vt confundas fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia eligis, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtruas, vt non glorietur omnis caro in conſpectu tuo, 1. *Cor.* 1. *v.* 27. 28. 29. Vt in infirmitate noſtra virtus tua perficiatur, 2. *Cor.* 12. *v.* 9. *tantoque magis illuſtretur per nos potentia tua, quanto imbecilliores fuerimus, & intelligamus: quod cum gratia tua* theſaurũ habeamus in vaſis fictilibus, ſublimitas ſit virtutis tuę, & non ex nobis, 2. *Cor.* 4. *v.* 7. *Proinde tibi ſoli ſit honor & gloria ſempiterna.*

CAPVT XVIII.

B. VICTOR VTICEN. AD CALCEM lib. 3. de Vandalica perſecutione, de præclaris ſeptem S. Trinitatis Confeſſoribus.

Septimus agebatur annus crudeliſſimi atque impiiſſimi Regis Hunerici, quo inter alios comprehenſi ſunt, non natura ſed religione ſeptem fratres in monaſterio pariter degentes: Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Seruus & Ruſticus Subdiaconus, Rogatus, Septimus, Maximus Monachi, qui blandimẽtis & ampliſſimis honorum, diuitiarum, voluptatum, regia amicitia promiſſionibus non cedentes palam affirmarũt: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſ-

ma,

ma, *Eph.* 4. *v.* 5. quod baptiſma adiuuante Domino in nobis non iterabitur. Facite, quod vultis, inferte pœnas corporibus noſtris. Melius eſt tẽporalia ad modicum ſufferre ſupplicia, quam æterna pendere & ſubire tormenta. Habete, quę promittitis, cum ipſis diuitiis poſt paululũ perituri. E frontibus noſtris ſignaculum quod impreſsit artifex S. Trinitas nullus euellet. *His dictis in tenebricoſiſsimum & teterrimum contruduntur carcerem, & magnis ferri ponderibus onerantur.*

Audiens verò Tyrannus, quod & in ipſo ergaſtulo in fide S. Trinitatis alios confirmarent, vt & cum delectatione eiuſmodi cruciatus tolerare percuperent, furore accenſus, iubet eos exquiſitis & mandatis torqueri ſuppliciis, & maioribus premi & degrauari vinculis, & ad nauim in medio mari incendendam, vt comburerentur, perduci.

Eductos è cuſtodia multitudo populi Dei comitabatur, & bellatoris Trinitatis, quaſi agnos innocuos ad victimam duci, & rigentium pondere catenarum quaſi quædam monilia & ornamenta ſuſpiciebat. Incedebant illi cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas concurrentes, vna voce per ambitus platearum Domino decãtantes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cum autem Satanæ miniſtri Ariani eorum ætate minimum nomine Maximum à S. Trinitatis religione auertere conarentur, ſenili prudentia puer reſpondit. Nemo me ſeparabit à ſancto Patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me in monaſterio nutriuerunt. Cum ipſis ſum in timore Dei cõuerſatus, cum ipſis deſidero paſſionem ſuſcipere, cum quibus credo me & futuram gloriam adepturum: Nolite putare, quod meam poſsitis pueritiam ſeducere: nam ſi negauero eum, & ipſe negabit me, *Matthæi* 10. *verſu* 32. *Mox igitur ad nauim raptati, manibus pedibuſque clauis illigati ſunt. Et cum*

conſpicit puerorum. Vnà degunt, ſimul veſcũtur, pariter pſallunt, ſimul in Domino gloriantur.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam, *ô Sancta Trinitas*, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem, *Pſal.* 8. *v.* 3. & infirma mundi eligis, vt confundas fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia eligis, & ea quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtruas, vt non glorietur omnis caro in conſpectu tuo, 1. *Cor.* 1. *v.* 27. 28. 29. Vt in infirmitate noſtra virtus tua perficiatur, 2. *Cor.* 12. *v.* 9. *tantoque magis illuſtretur per nos potentia tua, quanto imbecilliores fuerimus, & intelligamus: quod cum gratia tua* theſaurũ habeamus in vaſis fictilibus, ſublimitas ſit virtutis tuę, & non ex nobis, 2. *Cor.* 4. *v.* 7. *Proinde tibi ſoli ſit honor & gloria ſempiterna.*

CAPVT XVIII.

B. VICTOR VTICEN. AD CALCEM lib. 3. de Vandalica perſecutione, de præclaris ſeptem S. Trinitatis Confeſſoribus.

Septimus agebatur annus crudeliſſimi atque impiiſſimi Regis Hunerici, quo inter alios comprehenſi ſunt, non naturæ ſed religione ſeptem fratres in monaſterio pariter degentes: Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Seruus & Ruſticus Subdiaconus, Rogatus, Septimus, Maximus Monachi, qui blandimẽtis & ampliſſimis honorum, diuitiarum, voluptatum, regiæ amicitiæ promiſſionibus non cedentes palàm affirmarũt: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſ-

ma,

ma, *Eph.* 4. *v.* 5. quod baptiſma adiuuante Domino in nobis non iterabitur. Facite, quod vultis, inferte pœnas corporibus noſtris. Melius eſt tẽporalia ad modicum ſufferre ſupplicia, quam æterna pendere & ſubire tormenta. Habete, quę promittitis, cum ipſis diuitiis poſt paululũ perituri. E frontibus noſtris ſignaculum quod impreſsit artifex S. Trinitas nullus euellet. *His dictis in tenebricoſiſſimum & teterrimum contruduntur carcerem, & magnis ferri ponderibus onerantur.*

Audiens verò Tyrannus, quod & in ipſo ergaſtulo in fide S. Trinitatis alios confirmarent, vt & cum delectatione eiuſmodi cruciatus tolerare perciperent, furore accenſus, iubet eos exquiſitis & mandatis torqueri ſuppliciis, & maioribus premi & degrauari vinculis, & ad nauim in medio mari incendendam, vt comburerentur, perduci.

Eductos è cuſtodia multitudo populi Dei comitabatur, & bellatoris Trinitatis, quaſi agnos innocuos ad victimam duci, & rigentium pondere catenarum quaſi quædam monilia & ornamenta ſuſpiciebat. Incedebant illi cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas concurrentes, vna voce per ambitus platearum Domino *decãtantes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cum autem Satanæ miniſtri Ariani eorum ætate minimum nomine Maximum à S. Trinitatis religione auertere conarentur, ſenili prudentiâ puer reſpondit. Nemo me ſeparabit à ſancto Patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me in monaſterio nutriuerunt. Cum ipſis ſum in timore Dei cõuerſatus, cum ipſis deſidero paſſionem ſuſcipere, cum quibus credo me & futuram gloriam adepturum:* Nolite putare, quod meam poſsitis pueritiam ſeducere: nam ſi negauero eum, & ipſe negabit me, *Matthæi* 10. *verſu* 32. *Mox igitur ad nauim raptati, manibus pedibuſque clauis illigati ſunt. Et cum*

ignis aridorum lignorum faſciculus iniectus diuino imperio ſæpius extingueretur, Tyrannus furore, pudore, & pauore completus mandauit, vt remorum vectibus interficerentur, & inſtar canum comminuto cerebro mactarentur. Et ſic in confeſſione Sanctæ Trinitatis beatiſſimi Martyres paſſi ſunt, & ſpecioſum curſum certaminis ſui coronante Domino perfecerunt. Eorum corpora in mare proiecta eadem hora contra pelagi naturam ſtupentibus cunctis ad littus appulſa à Chriſtianis Catholicis honorificè ſepulta ſunt, & viuunt nomina eorum in æternum.

Optima Maxima Trias, quæ ſalutem humani generis in ligno crucis conſtituiſti, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Chriſtum Dominum noſtrum, & quæ iſtos martyres, vt per lignum cœleſtem triumphum adire feciſti, tribue quæſumus, vt abſit à nobis gloriari niſi in Cruce, & pro nobis toleratis cruciatibus Domini noſtri Ieſu Chriſti per quem ſaluati & liberati ſumus.

* * *

CAP.

CAPVT XIX.

TRES GERMANI FRATRES Vno partu editi, S. Trinitatis teſtes Martyrium obeunt.

SAncti tergemini fratres Speuſippus, Eleuſippus & Meleuſippus, quorum paſſio per Neronem conſcripta extat 17. Ianu. apud Surium ſuæ auiæ Leonillæ & Sancti Benigni Epiſcopi & Martyris, qui fuit diſcipulus Sancti Polycarpi ſimiliter Epiſcopi & Martyris, ſalutaribus monitis inſtituti, & Sanctæ Trinitatis mirabili viſione confirmati, in nomine Patris, ac Filij, & Spiritus Sancti baptizati ſunt, qui mox per famulos ſuos ſimulachra & ſana idolorum euertentes à Lingonenſis ciuitatis primoribus comprehenſi, & obiurgati, quod cultum Deorum ac principum decreta contemnerent, & Chriſtum crucifixum adorarent, repleti Spiritu Sancto reſponderunt: O obcęcati corde, pondere peccatorum depreſsi, antiqui hoſtis errore decepti, qui nos ſaxa & metalla in humanas formas redacta, quæ nihil ſentiunt prorſuſque pro nihilo à ſtultis coluntur, adorare compellitis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ipſe eſt Deus viuus & verus cum Patre & Spiritu Sancto vnius in Trinitate Deitatis, & trinus in maieſtatis vnitate credendus: Deus de Deo, lumen de lumine, ſplendor à ſplendore procedens, qui ſemper eſt, ſemperque fuit, ſemper etiam & ſine fine manebit. Ipſe fecit omnia, quę in mundo ſunt.

Quam ob S. Trinitatis confeſſionem in facie pugnis cæſi, & in arbore ſuſpenſi ac tanta violentia extenſi cum eſſent, vt membrorum compages penè rumperētur, dixit Melenſippus Iudicibus : Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus clauis cruci affixus pro noſtra redemptione ſancto pependit in ligno, vnde Crucis ſignum obtinere meruimus. Nos quoque tres eius famuli in vno hoc ſtipite pendentes pro eius nomine efficiamur martyres glorioſi. O beatum fructum ipſius arboris, quæ tres portauit martyres, Sanctæ Trinitatis nomini conſecratos. *Hinc ligatis manibus pedibuſque in copioſum ardentemque rogum, qui & acrius ab incredulis incendebatur coniecti, diruptis vinculis, inter flammas velut tres illi pueri in fornace Babylonica Daniel. 3. v. 67. exultantes Beatiſſimam laudauēre Trinitatem, ac prorſus illæſi extinctoque igne viderunt Choros Angelorum ad ſe excipiendos ante oculos aſtare paratos. Flectentes itaque genua, & in oratione proſtrati ex hoc corporis ergaſtulo comitantibus beatis ſpiritibus ad ſanctiſſimam Triadem emigrarunt, quam & auia eorum Leonilla confeſſa, gladio perempta eſt.*

Fraterna nos quæſumus trium horum Martyrum corona, ô ſanctiſſima Trinitas lætificet, vt quorum gaudemus triumphis, accendamur exemplis.

CAP:

CAPVT XX.

S. MARTYRES ET FORTITER confitentur & ſuppliciter B. Trinitatem implorant.

ANaſtaſius *nobilis Perſa miles ac magicæ artis peritiſsimus, ſuos relinquens amore ſuſcipiendi baptiſmatis, id Ieroſolymis à Modeſto illam Eccleſiam curante ſuſcipit, & ſub Iuſtino Sanctiſsimo Abbate monachum profeſſus, ſpiritalibus inſtitutis educatus eſt, qui cum Cæſaream Palæſtinæ adueniens, quoſdam Perſas magos de præſtigiis ſuis redarguiſſet, ab illis delatus, & à Marzabana tentus, quem Coſrhoes Palæſtinæ præfectum miſerat, monituſque vt ſaltem verbo Chriſtianiſmum eiuraret:* Abſit, inquit, ô Chriſte ſeruator, vt vel labris, vel animo tuã pro Trinitate negem confeſſionem. *Quapropter è Paleſtina à Perſis ad Coſrohen Regem miſſus, magna animi conſtantia diutius toleratis diris tormentis eiuſdem regis iuſſu aqua ſubmerſus vna cum aliis ſeptuaginta Chriſtianis feliciter martyrium conſummauit, caputque eius à ceruicibus reſectum ad regem delatum eſt.*

Ita habent eius acta apud Surium 22. Ianuar. exſcripta à Simeone Metaph. ante quem & probata fuere in poſteriore Synodo Nicæna & Baron. an. 621. 626. 627. ſic ſanctiſsima Trinitas ingenti bonitate ſua, & ex præſtigiatoribus & magis, non modo Chriſtianos, ſed etiam religioſos ac ſanctiſsimos efficit martyres, vt nemo quantumuis ſceleratiſsimus de conſequenda venia animum deſpondeat, modo Deo ſuo morem gerere & obtempera-

re velit. Nullum reiicit Deus cum ait Ezech. 33. *verſ.* 11. Viuo *ego dicit Dominus Deus* : nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat. *Nullum excipit Chriſtus Matth.* 11. *v.* 28. Venite, *ait*, ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos. *Nullum excludit Paulus dicens* 1. *Tim.* 2. *v.* 4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire. *Illi proinde omnis honor & gloria.*

CAPVT XXI.

SANCTI GRATIAS AGVNT quod ob S. Trinitatis teſtificationem mortem oppetant.

ADiungamus ſancto Anaſtaſio centum viginti octo martyres, qui non ſolum beatiſſ. Trinitatem confeſſi ſunt, ſed & mortem ſubituri eidem S. Triadi gratias egerunt, quod pro ea martyrium obirent, de quibus Simeon Metaph. apud Surium 20. *Febr. Cum perueniſſent ad locum ſupplicij vno animo dixerunt* : Benedictus es Deus, qui nos dignatus es hac gratia, & non noſtras preces habuiſti contemptui: ſed dediſti nobis hãc pretioſiſſimam coronam martyrij. Scis enim Domine, nos eam quæſiuiſſe. Et benedictus Deus noſter vnigenitus filius tuæ bonitatis, qui ſeruauit nos, & vocauit ad vitam æternam. Ne ſinas nos ergo Domine affligi in hoc mundo ſed confirma coram te in æternum propter tuam clementiã, & dignare nos lauari in pretioſo baptiſmo ſanguinis noſtri: quoniam tu es ſolus Deus glorificat᷑, & vnigenitus tuus filius, & ſanctiſſimus tuus Spiritus in ſæcula Amen.

Pro S. Trinitate ſupplicium, beneficij loco numerarunt, ſcientes quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum *Rom.* 8. *v.* 28. & quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis v. 18.

Capvt XXII.

SEX ILLVSTRES MARTYRES pro S. Trinitatis gloria decertant & triumphant.

Sancti Martyres Codratus, Cyprianus, Dionyſius, Anectus, Paulus, Creſcens, vt eſt 10. *Martij apud Surium, & Metaphraſtem gladio feriendi hunc in modũ precati ſunt.* Deus qui antequam pateremur, effeciſti, vt quæ futura ſunt, omnem ſpem ſuperantia cerneremus: qui teipſum dignis fruendum, & ſanctam Perſonarum Trinitatem in vna eſſentia cognoſcendam ſtudioſè contemplantibus præbes, & bis trinam profectò ſocietatem noſtram vna mente tibi coniunctam conciliaſti, vt libero pietatis curſu confecto, & decurſo veræ victoriæ ſtadio regnis cœleſtibus admitteremur, largire per ſanctum Filium tuum vt in hoc pio propoſito conſtantes ſimus, quo puris lucis radiis in cœlum ſublati apud te victoriæ præconium cõcinamus. *Qua precatione abſoluta datiſq; conſtanter pro S. Trinitatis fide ceruicibus interfecti ſunt.*

Vltimum in vitæ diſcrimine his martyribus perfugium fuit beatiſſima Trinitas, cuius rei exempla plura & dedimus, & deinceps proferemus, nos idem ſimiliter præſtemus, illudque nobis perſuaſiſſimum ſit; quod nullus ſperauit in ea, & confuſus eſt, nullus permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt, nullus inuocauit eam, & deſpexit illum

illum. *Eccleſ. 2. v. 11. 12. 13. Non deſeramus te, ô S. Trias ne à te deſeramur.*

CAPVT XXIII.

DVO PRAECLARI MARTYRES non aliter ad ſupplicium quam ad ſolenne epulum pro fide & amore S. Trinitatis maturant & accelerant.

MOnumentis ſuis vitam SS. Theoduli Lectoris, & Agathopedis Diaconi Martyrum conſignauit Simeon Metaph. 4. April. apud Surium, qui hoc pacto S. Trinitatem in carcere precati ſunt: & quidem genibus flexis ac multis lachrymis: Deus rerum omnium opifex, qui cum Filio tuo, & ipſe Filius tecum & cum ſancto Spiritu rebus maxime omnium admirandis, homines impios ad pietatem adduxiſti, placeat tibi, vt nos impiorum cruciatus ſuperantes ad cœleſtia regna perueniamus.

Tandem è carcere educti, in quo multos ad Chriſtum traduxerant, non aliter lætantes ad tribunal & ſupplicium properabant, quam ſi ad triumphum aut iucundam aliquam celebritatem ducerentur, & in mare proiecti coronam vitæ diligentibus Deum præparatam à S. Trinitate acceperunt. Iſti ſanctiſſimi Martyres in fide conſtantiam, à glorioſiſſima Trinitate & poſtularunt & impetrarunt. In tribulatione, *ait* Dauid Pſ. 17. v. 7. & 2. Reg. 22. v. 7. mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo, & exaudiet de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius.

CAP.

Cap. XXIV.

S. EPIPODIVS EO QVOD VITAM & ſalutem à S. Trinitate acceperit ſe eidem libenter & ſanguinem ſuum offert.

P*Vlchra eſt, & quocunque lethi genere interituris conſolatoria, illa S. Epipodij Epiſcopi & Martyris Lugdunenſis confeſſio apud Surium 22. Aprilis:* Chriſtum, *inquit*, cum Patre & Spiritu ſancto Deum eſſe confiteor, dignumque eſt, vt animam meam illi refundam, qui mihi, & creator eſt, & redemptor: ita enim mihi vita non tollitur, ſed mutatur in melius. Nec intereſt, infirmitas corporea, quo fine ſoluatur, dummodo anima cœlis inuecta ad ſuum reuertatur auctorem.

His dictis mox equuleo torquetur, ferreis vngulis diſcerpitur, & capite obtruncatur. Eadem prorſus dixit hic Martyr quæ ſcripſit S. Aug. l. 1. de Ciuit. Dei cap. 11. Non multum curandum eſt eis, qui neceſſario morituri ſunt, quid accidat vt moriantur, ſed moriendo quo ire cogantur. Horrenda genera mortium, quid obſunt mortuis qui benè vixerunt & poſt beate viuunt.

Largire præpotens Trinitas, vt quem à te Spiritum hauſimus, vel pro tua gloria, vel ſaltem in tua gratia libenter manibus tuis reddamus.

* * *

CAP.

Cap. XXV.

S. RVPERTVS VVORMATIENſium Epiſcopus, & poſt Salusburgenſium pro digniſſima Trinitate indigniſſima paſſus.

Nonnihil & hic dicendum de S. Ruperto cuius vita extat apud Surium 27. Martij. Is Vangionum Epiſcopus, à quibuſdam eorum impiis, & Arianis hæreticis S. Trinitatis, cuius ipſe propugnator erat, hoſtibus, inſtigante potiſsimum Beringero regio Comite ſimiliter Ariano, multis ſuppliciis affectus, virgis ignominioſè caſus, & ciuitate expulſus eſt, ſed audita hominis ſanctitate, & miraculis inclytus Bauarorum Dux Theodo illum ad ſe vocauit, imbutuſque Catholica fide, cum vicis primariis, nobilibus, ac plebeis in nomine ſacroſanctæ Trinitatis baptizatus, illi Salisburgenſem Epiſcopatum conſtituit, & illuceſcente ſacratiſsimo Reſurrectionis Chriſti die, cum Miſſarum ſolennia S. Triadi obtuliſſet, ſuorumque animos pia exhortatione confirmaſſet præſente Angelico cœtu Spiritum emiſit.

O quam placidè ac feliciter ex hac vita emigrat, qui in ea fideliter ac piè S. Triadi ſeruiunt. Neque enim poteſt male mori, qui benè vixerit, ait S. Aug. l. de diſciplina Chriſtiana cap. 2.

Cap.

Cap. XXVI.

S. ALEXANDER S. TRINITAtem confeſſus, & interemptus, ab Angelis in cœlum deducitur.

Dignißimus eſt qui his annumeretur & corpore & animo fortißimus miles S. Alexander à puero Deum timens. Hic, vt memorat Simeon Metaph. apud Surium 13. Maij, perducendus ad Maximianum Imperatorem, vt Ioui ſacrificaret, flexis in itinere poplitibus ita precatus eſt: Domine Ieſu Chriſte, Deus Patrum noſtrorum laudabilis, & benedictus es in ſæcula. Nunc te precor Domine, ne ſepares me à conſortio iuſtorum tuorum, neque me ad te venientem repellas: quoniam nomen tuum ſanctum & terribile mihi notum feciſti, quia tu es adiutor & ſuſceptor meus. Mitte quæſo Domine angelum tuum, qui mihi opem ferat, & coram Maximiano Imperatore orationem expeditam linguæ meæ ſuppeditet.

Ad Maximianum perductus, & interrogatus ab eo, cur cum ipſo magnum Deum Iouem non coleret? reſpõdit: Ego Deum meum, qui in cœlis eſt, colo, & eius Filiũ Ieſum Chriſtũ, & S. ſanctũ: alium n. neque ipſe noui, neq; cõfiteri poſſum, cũ nullus alius ſit Deꝰ, niſi quẽ ipſe colo. *Itaq; corpore dilaniatus, accenſis facibus inflãmatus, fraxineis virgis cæſus, per tribulos raptatus, & capitis damnatus, ter corpus cruce ſignauit & tali rurſum precatione vſus eſt:* Gloria tibi ſit Deus Patrum noſtrorum Abraham Iſaac & Iacob, quẽ omnia contremiſcunt & ado-

rant

rant cœli & terræ opificem, & totius cœleſtis potentiæ effectorem. Te quoque vniuerſarum rerum Deum corporeis oculis nõ ſpectabilem, incorruptum, & inuiolatum, Seraphim magno cum timore adorant, qui non audientes erectis oculis te intueri clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus: plena eſt omnis terra gloria tua Sol ipſe tibi benedicit. Terra & homines qui in terra ſunt iumenta & omnis Spiritus tibi gloriam canunt, qui ſolus es in omnia ſæcula Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Recordare Domine illorum qui te metuentes tibi grati ſunt, & ſanctum nomen tuum decantant. Ne deſpicias me, Domine benigniſſime, ſeruum tuum peccatorem & indignum.

His dictis & aſtantium precibus, quos ad conſtantiam in fide, & virtute hortatus eſt, poſtulatis viſiſque ab ipſo carnifice angelis præſentibus, gladio interemptus eſt, & ad S. Trinitatem profectus.

Proficiat nobis Domine Deus noſter, tui ſancti nominis inuocatio & ſempiternæ Trinitatis indiuiduæque vnitatis confeſſio. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

Digitized by Google

Cap. XXVII.

S. ACACIVS QVANTVMVIS *Centurio, S. Trinitatis myſterium, vt Theologus explanat, & eidem gratias agens interſicitur.*

Illuſtris beatiſſimæ Trinitatis teſtis fuit S. Acacius Centurio, quemadmodum eius vitam deſcribit Simeon Metaphraſt. 8. Maij apud Suriū. Huic cum Bibianus Dux & Iudex obiiceret: Quomodo dixiſti, vnum ſolum verum Deum eſſe, cum fateare, Chriſtum Filium Dei eſſe? Omnino enim neceſſe eſt, vt ſi Filius eſt, & Patri par ſit, & ita non vnus ſed duo ſint Dij. Reſpondit S. Acacius: Ego credo, & in Ieſu, qui ſub Pontio Pilato crucifixus fuit, ſpem habeo futurum, vt mihi per ſanctum eius Spiritum, ſermonis facultas ſuggeratur, qua interrogationi tuæ reſpondere poſsim. Dico igitur tibi & Spiritum Sanctum à Patre & Filio eſſe inſeparabilem, ac tres quidem perſonas eſſe in tribus appellationibus, ſed vnam tamen horum nominum potentiam eſſe ac diuinitatem. Vnum autem dicimus Deum habentem, & Verbum, & Spiritum Sanctum. Abſurdiſsimum enim eſſet, Deum ſine Verbo, & ſine vitali Spiritu dicere, & ideo cum diuina Patris, Verbi, & Spiritus Sancti eſſentia, vna eademque ſit immutabilis, propterea vnus & verè Deus eſt, quia à nobis colitur.

Hinc variis tormentis excruciatus, & ad locum ſupplicij perductus poſitis in terra genibus, has ad Deum preces miſit: Gloria tibi Deus, & immenſæ tuæ magnificentiæ cōuenit laudatio, qui ſic glorioſum

in nobis peccatorum onere grauatis te oſtẽdis. Quo enim maiora nobis beneficia largiris, & quo magis iniquitates noſtras remittis,eo abundantius benignitatis tuæ gloria relucet.Benedictum ſit nomen gloriæ tuæ,quod ita faciendum probaſti,vt in Filio tuo Vnigenito, & Spiritu S. hominem ipſum honorares, & me nunc tantis beneficiis indignum, propter bonitatem tuam ad talem gloriam inuitaſti non propter mea opera.Benedico igitur tibi,Domine Deus ſanctus Iſrahel cum Vnigenito Filio tuo, & S. Spiritu; quoniam tua eſt gloria,tuus honor, nũc & ſemper,& in ſæcula ſæculorum, Amen. *Hæc cum dixiſſet,gladio percuſſus & capite truncatus fuit.*

Præſta,quæſumus,omnipotens Trinitas, vt qui ſanctos martyres in fide & cultu tuo conſtantes agnoſcimus eorum ſuffragio, & exemplo in tui nominis amore roboremur.Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPVT XXVIII.

B. TATIANVS OB S. TRINITATIS fidem vltro mortalem cum immortali vita commutat.

S*imilis eſt S. Tatiani cognomento Dulæ confeſſio,vt auctor eſt Simeon Metaph. 15.Iunij apud Surium, qui Maximum Præſidem hoc pacto allocutus eſt:* Trinitas eſt, quam colimus, Trinitatem confiteor,& adoro.Credo in Patrem,confiteor Filium,adoro Spiritum S. *Qui grauiſſimis plurimiſque cruciatibus debilitatus,Chriſti ſigno in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti ſe muniuit, & animam Deo ſuo tradidit.*

Da nobis omnipotens Trinitas,vt in vita pariter & morte te ſuppliciter imploremus, & ſemper præſens auxiliũ tuum ſentiamus.Per Chriſtũ Dom.N. CAP.

Capvt XXIX.

Virgo auguſtiſſimam Trinitatem confitetur, & eius hoſtes pudefacit.

S*Anctus Gregorius Turonicus lib. 2. hiſt. Franc. cap.* 2. Per idem tempus, *ait*, Traſimundus Vandalorum & Africæ Rex perſecutionem in Chriſtianos exercuit, ac totam Hiſpaniam, vt ad perfidiam Arianæ ſectę conſentiret, tormentis ac diuerſis mortibus impellebat. Vnde factum eſt, vt puella quædam religioſa, prædiues opibus, ac ſecundum ſæculi dignitatem, nobilitate ſenatoria florens: & quod his omnib. eſt nobilius, fide Catholica pollens, Deoque omnipotenti irreprehenſibiliter ſeruiens, ad hãc quæſtionem adduceretur. Cumq; Regis oblatã fuiſſet conſpectibus, cœpit eam primum ad rebaptizandum (*Is enim mos fuit Arianorum, vt Catholicè baptizatos ſacrilegis ſuis aquis rurſum tingerẽt, cuius facinoris & in libris ſuis de Vandalica perſecutione ſæpius meminit S. Victor Vticenſis Epiſc.*) blandis ſermonibus illicere. Quæ cum venenoſum eius iaculum fidei parma propelleret, præcepit Rex facultates eius auferri, quæ iam mente poſſidebat regna Paridiſi. Deinde ſuppliciis applicatam ſine ſpe pręſentis vitę torqueri. Quid plura? Poſt multas quæſtiones, poſt ablatos terrenarum diuitiarum theſauros cum ad hoc frangi non poſſet, vt beatam ſcinderet Trinitatem ad rebaptizandũ inuita deducitur. Cũq; in illud cœnoſum lauacrũ vi cogeretur immergi, ac proclamaret:

Patrem cum Filio, ac Spiritum Sanctum vnius credo eſſe ſubſtantiæ eſſentiæque, digno aquas vnguine cunctas infecit, id eſt, fluxu ventris aſperſit (*ſiue horrore, ſiue deteſtatione ſacrilegij id contigerit*) Exhinc, ad legitimam deducta quæſtionẽ, poſt eculeos, poſt flammas & vngulas, Chriſto Domino capitis deciſione dicatur.

Felix & prudens virgo quæ Sanctiſſimæ Trinitatis, in qua omnia poſſidebat, fidem & ſinceram confeſſionem atque inuictum amorem & generis claritati, & delitiarum affluentiæ, & diuitiarum copiis antetulit, maluitque inauditos cruciatus, & ipſam mortem perferre, quam latum vnguem à religionis Chriſtianæ capite ac præcipuo dogmate diſcedere.

Da nobis ſimilem in fide Catholica & vera virtute perſeuerantiam, ô colendiſſima Trinitas.

CAPVT XXX.

REGII CONIVGES S. TRInitatis teſtes.

V*irginis exemplo Reginæ præclarum factum ſubiungamus. De quo idem B. Gregorius libr.5. hiſtor. Francorum cap.38. hunc in modum loquitur.* Magna eo anno in Hiſpaniis Chriſtianis perſecutio fuit, multique exiliis dati, facultatibus priuati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus affecti, ac diuerſis ſuppliciis trucidati ſunt. Caput quoque huius ſceleris Goiſuintha fuit, quæ proſequente vltione diuina alterum amiſit oculum. Iugundis Sigiberti Regis filia nuptura ſeniori Regis Leuuichildi filio, cum magno apparatu in Hiſpanias directa ab auia Goiſuintha cum magno gaudio ſuſcipitur: quam

nec

nec paſſa eſt in religione Catholica diu commorari, ſed vt rebaptizaretur in Ariana hæreſi blãdis cœpit ſermonibus illicere: ſed illa viriliter reluctans cœpit dicere: Sufficit ſatis me ab originali peccato Baptiſmo ſalutari ſemel ablutam fuiſſe, & ſanctam Trinitatem in vna æqualitate eſſe confeſſam: hæc me credere ex toto corde confiteor, nec vnquam ab hac fide ibo retrorſum. Hæc illa audiens, iracundiæ furore ſuccēſa, apprehenſam per comam capitis puellam in terram collidit, & diu calcibus verberatam, ac ſanguine cruentatam iuſsit ſpoliari, & piſcinæ immergi, ſed nũquam animum ſuum à fide noſtra reflexit. Leuuichildus autē dedit eis vnam de ciuitatibus, in qua reſidentes regnarent, vbi Iugundis virum ad Catholicam fidem ſuſcipiēdam permouit, quod cum parens Leuuichildus intellexiſſet, cauſas eum perdendi quæſiuit ac dolo captum, & ſuis veſtimentis ſpoliatum, vilique habitu indutum cum vno tantum puerulo in exilium eiecit.

Sed beatiſſima Trias pro terrena illis patria cœleſtem, & pro exilio ſempiternum regnum largita eſt, cui ſempiternus ſit honor.

CAPVT XXXI.

S. PELAGIA ET S. BARBARA ob Sanctiſſimæ Trinitatis confeſſionem occiſæ.

O*Portunę virginis matronæq́; exemplo aſtruemus aliud Virginis pariter & Martyris S. Pelagiæ Tarſenſis, quæ, vt narrat Simeon Metaphraſt. apud Surium 4. Maij, cum Clino Epiſcopus dixiſſet:*

Digitized by Google

xiſſet: Sum rationalium Chriſti omnium paſtor, hoc eſt, hominum, qui vitam æternam conſequi ſperant, percũctata eſt. Quidnam agnis tuis das, quo vitam æternam habere poſſunt? Hic B. Clino: Illis nuncio cognitionem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & in horũ nomine Baptiſma in remiſsionem peccatorum, & vitam æternam. *Quod Baptiſma Satanæ, angelis eius, ac idolis renuncians, vt Chriſto Dei Filio deſponſaretur, expetiit, & repentè fons aquæ viuæ ante illorum pedes ſcaturiit, quod videns B. Epiſcopus*: Magnus es, *inquit*, Deus noſter, Pater, & Filius, & Spiritus S. *Sicque fonte iſto prius conſecrato ſalutaribus aquis illã in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti expiauit. Quæ ſpreto deinde* Diocletiani *Imperatoris connubio, ab eo in æneum candentemque bouem iniecta martyriũ conſummauit in Patris, & Filij, & Spiritus S. gloriam.*

S. Barbara, cum pater ipſius Dioſcorus ei lauacrum duobus feneſtris fieri mandaſſet, ipſa tertiam voluit addi, vt eſſet & S. Trinitatis monimentum, & occaſio, vt de hoc altiſſimo myſterio cum parẽte tractaret, ille enim percunctatus à filia, cur id fieri voluiſſet, audiuit: quod ſicut tres illæ feneſtræ in lauacrum lumen inferunt, ita tres diuinæ perſonæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus omnem ſpiritalem lucem intelligẽtibus creaturis impartiant. Quam ob fidem & confeſſionem S. Trinitatis pedibus conculcata, pugnis verberata, crinibus per aſperas vias raptata, neruis flagellata, facibus aduſta, & præciſis vberibus à patre decollatur, qui paulò poſt fulmine interiit. Ita Petrus Galeſinius & Simeon Metaphr. in eius vita apud Surium 4. Decemb.

Sancta Trias, quæ tantam fragili & tenero virginũ ſexui fortitudinem contuliſti, vt pro tua gloria non dubitanter mortem oppeterent, in eadem nos fide confirma, vt cum vel honor tuus, vel proximi ſalus poſtulauerit, ſanguinem, vitamque pro eadem libenter profundamus.

CAP.

CAPVT XXXII.

DE S. ISACIO ET VALENTE Imperatore.

NOn prætereundus hoc loco impij auguſtiſſimæ Trinitatis hoſtis Valentis Imperatoris diriſſimus exitus. Is cum eſſet Arianus, & Arianorum acerrimus propugnator Catholicos Epiſcopos in exilium pepulit, iiſque ademptas Eccleſias Arianis tradidit. Proficiſcenti ad bellum cõtra Gothos occurrit S. Iſacius monachus, qui id temporis Conſtantinopoli erat; & his eũ verbis compellat: Imperator, Orthodoxorum Eccleſias aperi, & Deus iter tuum fortunabit. *At ille has voces quaſi inſani hominis contempſit. Alio die vir ſanctus Imperatorem aſſecutus rurſum, ait:* Aperi Imperator Orthodoxorum Eccleſias, & bellũ proſperè conficies, ac victor reuerteris in pace. *Imperator ſeipſum colligens de patefaciendis Orthodoxorum Eccleſiis conſultauit. Verùm Arianus Præfectus Imperatori perſuaſit, ne B. Iſacium audiret, ſed contumelia affectum afflictumque dimitteret.*

Paucis interiectis diebus Imperatorem iter habentem aggreditur, arreptoque equi freno, eum tum reprehendit, tum adhortatus eſt, vt quod poſtulabat, concederet. Sed ipſe noluit. Erant autem prope viam ſpinæ cum palmeis adeò denſis & aſperis, vt quoduis animal ſi introiſſet, non poſſet ſe inde viuum expedire. Hunc Imperator locum tanquam laqueum conſpicatus, iuſſit vt virum ſanctum illuc coniicerent, quo interiret. Verùm inde cœleſti ope incolumis euaſit, & ſe in conſpectum Imperatoris dedit, & cum fiducia dixit: Tu quidem me interiturum in ſpinis exiſtimaſti, verùm DEVS per Angelos ſuos me viuum ſeruauit. Quamobrem audi me Imperator,

& aperi Eccleſias Orthodoxorum, & aduerſarios ſuperabis, & cum laude & gloria reuerteris. *Tunc Imperator duces Senatores Saturninum & Victorem aſſatus:* Hunc mihi cuſtodiendum curate, donec reuertar in pace: & tunc eius arrogantiã meritis pœnis afficiam. *At Beatus Iſacius Spiritu Sancto plenus reſpondit:* Si reuerſus in pace fueris, ſcito in me non locutum eſſe Dominum, 3. Reg. 22. v. 28. Tu quidem manum conſeres, ſed non poteris hoſtibus reſiſtere, & ab eorum conſpectu fugies. Demum capieris, & viuus igne conflagrabis. *Quod ita contigit: Imperator Valens incautè in pugnam proſiliens, ſuis mox in fugam conuerſis, & ipſe fugiens, & inter gregarios milites latẽs, ſagitta percuſſus eſt, delatuſque à ſuis in agreſtem caſam, quam intus occluſam, cum in ea expugnanda Gothi in prædam effuſi terere tempus haud vtile ſibi putarent, ſuppoſitis lignis & ſtipula incenderũt inque ea Imperatorem cum omnibus ſuis, quos ſecum habebat, combuſſerunt. Vt narrat Ammianus lib. 31. Ruffin. lib. 2. cap. 13. Socrates, Sozom. & alij.*

Quæ autem de S. Iſacio dicta ſunt, tradit Theodor. li. 4. hiſt. c. 30. Niceph. lib. 11. cap. 50. Simeon Metaphr. in ipſius B. Iſacij vita apud Suriũ 27. Martij. Qui virtutibus & miraculis clarus alios monebat, & cohortabatur: Cõfitemini & adorate ſanctiſsimam Trinitatem, in hoc enim conſiſtit hominum ſalus, & cœleſtem Angelorum ordinem & diuinam vitam imitemini, *ac prouecta ætate ſpiritum ſuum beatis Angelis tradidit. Ambo iſti documento ſunt, & quibus præmiis teſtes ac cultores ſuos, & quibus ſuppliciis ſuos inimicos proſequatur ſuper omnia benedicta Trinitas.*

Tribue nobis beneficentiſſima Trinitas, vt in Sancti Nominis tui confeſſione, veneratione atque dilectione conſtanter perſeueremus: quia tibi adhærere ſummum bonum noſtrum eſt.

CAP.

Capvt XXXIII.

Viginti millia martyrum pariter in S. Trinitatis confeſſione viui comburuntur.

N*Icephorus lib. 7. hiſt. Eccleſ. c. 6.* Quum natalis Chriſti feſtus adeſſet dies, & multitudo ætatis omnis, quæ Chriſti nomine cenſetur, in templo natalem illũ celebratura conueniſſet, Tyrannus (*is fuit Diocletianus*) veluti oportunum tempus, & lucroſam occaſionem nactus, per quam veſaniam & furorem ſuum adimpleret, miſit eo qui templum clauderent, & ignem circumcirca accenderẽt. Aderat ibi præco, qui voce clariore promulgabat, vt qui viuere vellet, ex templo exiret, & in proxima Iouis ara thura adoleret: alioqui niſi hoc feciſſet, vnà cum domo ipſa conflagraturus. Tum verò in templo ipſo, quidam pro multitudine ea omni, cum libertate inſigni propalàm reſpondit, & pulcherrimam illam edidit vocem: Omnes nos Chriſtiani ſumus, vnum eundemque ſolum Deum & Regem credimus eſſe Chriſtum; & ipſi Patrique eius, & Spiritui Sancto ſacrificare, atq; nos omnes vnà offerre facile parati ſumus. Vix hæc ille dixerat, & ignis eſt accenſus, qui in temporis veluti momento, Eccleſiam omnem complexus, illos omnes viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit.

Ita quo die Saluator noſter pro nobis natus eſt ad miſeriam in terris, illi ad felicitatem nati ſunt in cœlis, & S. Trinitatem confeſſi, tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, Sap. 3. v. 7. ad eandem contemplandam & laudandam euolarunt.

Accende nos tuæ caritatis igne Sanctiſsima Trinitas, vt ab æterno igne liberemur, ac pro gloria tua, præſentis ſæculi ignem non pertimeſcamus.

Capvt XXXIV.

Qvali qvantoqve Chriſtiani ſtudio pro Sanctiſſimæ Trinitatis fide martyrium obire percupiuerint.

Socrates li. 4. *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ c.* 18. Dicendum & de iis eſt, quæ Edeſſæ Meſopotamiæ facta ſunt. In hac Ciuitate Martyrium eſt Sancti Thomæ Apoſtoli, ſplendidum & illuſtre, in quo etiam frequentes conuentus fiunt, propter loci ſanctitatem. Cum hoc Imperator Valens cernere vellet, cognouiſſetque vniuerſam conuenientium multitudinem hæreſim ſuam deteſtari, fertur, Præfectũ manu percuſsiſſe, eò quod non curaſſet eos inde expelli. Præfectus autem, cum contumelia hac accepta paratus eſſet vel inuitus Imperatoris iræ morem gerere, occultè (non enim tot virorum cædem perpetrare volebat) ſignificat, ne quiſquam in Martyrio deprehenderetur. Verùm nemo acquieſcebat illius nec cõſilio, nec minis. Omnes enim ſequenti die ad Oratorium confluunt. Cum autem Præfectus multorum militum manu ſtipatus, vt Imperatoris iram exequeretur, ad Martyrium illud approperaret, mulier quædam paupercula, filiolum ſuum manu trahens ad Martyrium currebat, & ordinem ſatellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autẽ Præfectus, mulierculam ad ſe duci iubet, illamque alloqui-

alloquitur dicens: Quo tam inconditè curris, infelix mulier? Cui illa, quo alij, inquit, currunt. Ille viciſsim, non audiſti, inquit, Præfectum cũctos intercmpturum quos ibi repererit? Mulier, audiui, ait, & ob eam cauſam feſtino, vt & ipſa ibi inueniar. Audito hoc, Præfectus admiratur conuenientium dementiam, Imperatoremque accedit, ac inſtruit, cunctos eſſe pro fide ſua mori paratos, nec conſonum eſſe rationi, vt tantus hominum numerus breui tempore occidatur: atque ita Imperatori, vt iram poneret, perſuaſit. Hoc pacto Edeſſeni, ne ab Imperatore ſuo delerentur, euaſerunt. *Iſta omnia Socrates. Quam hiſtoriam & narrat Theodoretus lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 16. 17. & Sozomenus lib. 6. cap. 18. Qui addunt Præfecto ſiue Præſidi nomen fuiſſe Modeſtus, & Edeſſenos contemptis mortis minis frequentius quam ante conueniſſe:* Ardens enim diuino feruore animus, *ait Theodoretus ibidem*, nullo tangitur humano metu, ſed terrores tales pro riſu & ioco ducit.

Sanctiſsima Trinitas, quæ largita es nobis fidem, largire, & ſimilem in fide ac ſanctimonia alacritatem & perſeuerantiam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

* * *

CAP.

CAPVT XXXV.

NONI HVIVS LIB. CONCLVSIO.

Finem modumque huic Libro, de cruentis S. Trinitatis teſtibus faciamus; ſi enim omnes recenſere velimus, in immenſum Opus excreſceret, cum nemo non Martyrum Catholicorum, in fide & pro fide Beatiſſimæ Trinitatis mortem oppetierit, vt quæ fides noſtræ religionis caput eſt, & dogma primariũ, quo ſine nulla fides, nulla religio, nulla virtus, nulla ſalus conſiſtere poteſt.

Plura autem ex Africana S. Victoris hiſtoria produximus exempla, tum quod luculentè pro S. Trinitatis fide conſtantiam demonſtrent, tum quod certiſſima ſint, & pleraque auctoris oculis vſurpata, tum quod clariſſimè hæreticorum ingenium, malitiam, fraudes, & crudelitatem aperiant, quibus ſimilia & noſtrum ſeculum vidit, & videt, & proinde efficaciſſimè à ſectis deterrent, ac in vera atque Catholica fide confirmant.

Potens Trias te poſcimus, vt Martyrum conſortiq iungas precantes ſeruulos. In ſempiterna ſæcula.

LIB.

LIBER X.

Encomiaſtæ & laudatores Sanctiſſimæ Trinitatis.

CAPVT I.

DEVS DILAVDAT SEIPSVM.

PRadicat *ſuum eſſe omnem poßibilem perfectionem complectens Exodi* 3.*v.* 14. Ego ſum, qui ſum, *ait*: Sic dices filiis Iſrahel: Qui eſt, miſit me ad vos. Tanquam in eius comparatione, qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea quę imitabilia facta ſunt, non ſint, *ait S. Auguſt. lib.* 8. *de Ciuit. Dei cap.* 11. *Iterum, Exod.* 33. *v.* 18. *&* 19. *Moyſi petenti à Deo*: Oſtende mihi gloriam tuam. *Reſpondit*: Ego oſtendam omne bonum tibi. *Omnem in me bonitatem videbis.*

Hinc Matth. 19. *ver.* 17. Vnus eſt bonus Deus. *Et. Luc.* 18. *v.* 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus, *eo ſcil. modo, quo Deus bonus eſt, id eſt, nullius alterius participatione, ſed per ſe, ac natura ſua: alioquin benignitate ac communicatione Dei, & alia bona ſunt.* Vidit enim Deus cũcta, quæ fecerat, & erant valde bona, *Gen.* 1. *v.* 31. *& Luc.* 6. *v.* 45. Bonus homo, de bono theſauro cordis ſui, profert bonum; & malus homo, de malo theſauro profert malum.

S. Auguſt. lib. 8. *de Trinit. cap.* 3. Bonum hoc, *inquit*, & bonum illud: Tolle hoc, & illud, & vide

ipſum

ipſum bonum, ſi potes, Deum videbis non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni. Et ſi amore inhæſeris, cõtinuo beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur, niſi quia bona ſunt, iis inhærendo non amare bonum ipſum, vnde bona ſunt.

Capvt II.

PRAEDICAT DEVS SVAM VEram ac ſolam diuinitatem.

D*Eut.*32.*v.*39. Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus, præter me. *Iſa.*43.*v.*10. Ego ipſe ſum, ante me non eſt formatus Deus, & poſt me nõ erit. *Et Iſa.*44.*v.*6. Ego primus & nouiſsimus, & abſque me non eſt Deus. Quis ſimilis mei?

In hac ſimpliciſsima Dei natura, nihil eſt, quod non ipſiſsima eius eſſentia ſit. Deus multipliciter quidẽ dicitur, *ait S. Auguſt. lib.6. de Trinit. cap.7.* magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo eius eſt, quæ ſapientia; non enim mole magnus eſt, ſed virtute. Et eadem bonitas quæ ſapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non eſt aliud ibi beatum eſſe, & aliud magnum, aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe, aut omnino ipſum eſſe.

Et ſeq. cap. B. Auguſt. Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. In ipſo igitur Deo, cum adhæret æquali Patri, Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus, Patri & Filio æqualis, nõ fit maior Deus, quàm ſinguli eorum, quia non eſt, quo creſcat illa perfectio.

Hoc Deus admirabili declarauit exemplo: Pia quædam virgo ſanctimonialis Claramontis Falconis à morte in corde diſſecto habuit Dominicæ Paſſionis inſignia, & ex burſa fellis exempti tres lapilli deſignantes S. Trinitatis myſterium, quorum vnus tantum ponderabat in bilance quantum duo, vel tres, vt tradunt Ludou. Granaten. 2. Parte Catechiſ. c. 17. §. 7. & Thomas Bozius Tom. 2. lib. 15. cap. 3. pag. 105.

CAP. III.

IMMENSAM POTESTATEM ſuam celebrat Deus.

G*Eneſ.* 17. *v.* 1. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus. *Et Geneſ.* 35. *v.* 11. Ego Dominus omnipotens, creſce & multiplicare. *Num.* 11. *v.* 23. Nunquid manus Domini inualida eſt?

S. Auguſt. lib. 2. de Symb. ad Catech. cap. 3. Omnipotentem Deum credimus, qui omnia faciens, factus non eſt, & ideo omnipotens, quia de nihilo fecit, quæcunque fecit. *Non ergo quiſpiam audebit quamlibet creaturam, ſiue cæleſtem, ſiue terreſtrem dicere omnipotentem, niſi ſolam Trinitatem, Patrem ſcil. & Filium, & Spiritum Sanctum, quæ ſola efficere poteſt, quod poßibile eſt, vt fiat.*

Hac Dei omnipotentia, non ſolum condita ſunt vniuerſa, ſed & conſeruantur: Portat ille omnia verbo virtutis ſuæ, *Heb.* 1. *v.* 3. *i. ſolo ſuo imperio & potenti iußione cuncta ſuſtinet, & moderatur.* Siquidem cadentia, *ait in hanc epiſt. hom.* 2. *S. Chryſ.* & ad nihilũ cadentia continet. *Non enim minus eſt, continere mundũ, quam feciſſe: ſed ſi oportet aliquid quod admireris dicere, adhuc amplius eſt. Nam in faciẽdo quidẽ ex nullis extantibus rerũ eſſentia productæ ſunt: in cõtinendo verò, ea quæ facta ſunt, ne ad nihilũ redeãt, cõtinẽtur.*

Hac

Hæc ergo dum reguntur, & ad inuicem ſibi repugnantia coaptantur, magnum & valde mirabile, plurimæq; potentiæ indicium declaratur.

Et S. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 25. Summi Dei occulta potentia, *ait*, cuncta penetrans incommutabili præſentia facit eſſe, quicquid aliquo modo eſt, in quantumcunque eſt, quam potentiam ſuam ſi rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt.

CAPVT IV.

LAVDAT MISERICORDIAM ſuam Deus.

E*Xodi 20. v. 5.* Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitás iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia, his qui diligũt me, & cuſtodiunt præcepta mea. *Exodi 33. v. 19.* Miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. *Ezech. 33. verſ. 11.* Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt impius conuertatur & viuat.

De hac S. Aug. epiſt. 54. ad Macedonium: Cum ſuper peccatores, *ait*, tanta ſit patientia, tanta miſericordia Dei, vt in hac temporali vita moribus emendantis non damnentur in æternum, qui nullius quę ſibi prębeatur, exſpectat miſericordiam, quoniam nemo eſt illo beatior, nemo potentior, nemo iuſtior, quales nos eſſe oportet homines, erga homines, qui hanc vitam noſtrã, quantacunque laude commendemus, eam ſine peccato eſſe non dicimus, *1. Ioan. 1. v. 8.*

CAP.

Cap. V.

COMMENDAT DEVS IVSTItiam ſuam.

Exodi 32.*v.*34. Ego in die vltionis viſitabo, & hoc peccatum eorum. & *Cap.*32. *Deut.v.*35. Mea eſt vltio, & ego retribuam. *Ierem.*17.*verſ.*10. Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum. *Pſal.* 74.*v.* 2. Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.

Iſta Dei iuſtitia, *ait S. Auguſt. conc.*28.*in Pſal.*118. omni eſt metuenda peccanti, hac enim damnātur diuinitùs, quicunque damnantur. *Idem S. Auguſtinus in Pſalm.*50. Vide quem inuoces. Iuſtum inuocas, odit peccata, ſi iuſtus eſt, vindicat in peccata, ſi iuſtus eſt, vtique non poteris auferre à Domino Deo iuſtitiam eius: Implora miſericordiam, ſed attende iuſtitiam. Miſericordia eſt, vt ignoſcat peccāti. Iuſtitia eſt, vt puniat peccatum. *Ne ergo id puniat Deus, puniat peccator: quia* horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, *Heb.*10.*v.*31.

Capvt VI.

EXTOLLIT ET IMMVTABILItatem ſuam, & æternitatem Deus.

Malachiæ 3.*v.*6. Ego Dominus, & nō mutor. *Deut.*32.*ver.*40. Viuo ego in æternum. *Iſa.*43.*v.*13. Ab initio ego ipſe.

*S. Auguſt. in Pſalm.*89.*v.*2. Priuſ-

quam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à ſæculo, & vſque in ſæculum, tu es Deus. Quod conuenientius, ait, diceretur ab æterno, vſque in æternum. Optimè autem non ait, à ſæculo tu fuiſti, & vſq; in ſæculum tu eris, ſed præſentis ſignificationis verbum poſuit, inſinuans Dei ſubſtantiam omnino incommutabilem, vbi non eſt, fuit, & erit, ſed tantummodo eſt. Vnde dictum eſt Exodi 3. v. 14. Ego ſum, qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos. Et Pſal. 101. v. 27. Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Capvt VII.

SVAM LAVDAT DEVS VBIque præſentiam & immenſitatem.

I*Saia* 66. v. 1. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorũ. *Hier.* 23. v. 24. Nunquid non cœlũ & terram ego impleo, dicit Dominus.

Se ſolum tribuere verã ſalutem, Iſa. 43. v. 11. Abſq; me non eſt Saluator. *Hoſ.* 13. v. 4. Deum abſq; me neſcies, & Saluator non eſt præter me.

Se originem rerum omnium & ſcopum in quem dirigantur, Iſai. 41. v. 4. Ego Dominus primus & nouiſsimus ego ſum. *Apoc.* 1. v. 8. Ego ſum A & Ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.

Se cultus ſui liberaliſſimum remuneratorem Gen. 15. v. 1. Noli timere Abram: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. *Iſa.* 45. v. 19. Non dixi ſemini Iacob: Fruſtra quærite me. *Hamos* 5. v. 4. Quærite me, & viuetis. *Plurima alia, quibus ſe commendat Deus, coaceruari ex ſacris poſſint literis, ſed hæc ſufficiunt, vt ſi Dei imitatores eſſe velimus, ſicut eſſe debemus, toti ſimus in celebrandis ipſius laudibus.* CA-

Caput VIII.

RECTISSIME ET SANCTISSImè ſeipſum laudat Deus.

S*Anctus Auguſt. tract. 58. in Ioan. in Domini verba Ioan. 13. v. 13.* Vos vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Homini, *inquit*, præceptum eſt, Prou. 27. v. 2. Non te laudet os tuum, ſed laudet te os proximi tui. Periculoſum eſt enim ſibi placere, cui cauẽdum eſt ſuperbire. Ille autem qui ſuper omnia eſt, quantumcunque ſe laudet, non ſe extollit, nec poteſt rectè dici arrogans Deus. Nobis nãq; expedit eum noſſe, nõ illi, nec eum quiſque cognoſcit, ſi non ſe indicet ipſe, qui nouit. Si ergo non ſe laudando, quaſi arrogantiam vitare voluerit, nobis ſapiẽtiam denegabit. Quod ſe Dominum dicit, non illi vitium eſt, ſed nobis beneficium. *Idem S. Aug. tract. 100. in Ioan.* Gloria, *inquit*, eſt frequens de aliquo fama cum laude, quę cum eſt in hoc mundo facta de Chriſto, nõ Chriſto credenda eſt magnum aliquid cõtuliſſe, ſed mundo. Bonum enim laudare non laudato, ſed laudantibus prodeſt. Cum de aliquo per Deum & propter Deum iuſto, hoc eſt veraciter iuſto, cauſa ipſius iuſtitiæ frequens eſt fama cum laude, vera quidem gloria eſt, non tamen ea credẽdum eſt beatificari iuſtum, ſed laudantibus gratulandum eſt: quia rectè iudicant & diligunt iuſtum. Quanto magis ergo Dominus Chriſtus non ſibi, ſed eis profuit gloria ſua, quibus profuit morte ſua? *S. Chryſ. hom. 29. in Geneſ. explanãs verba Noe, cap. 9. v. 26.* Benedictus Dominus Deus Sem. Hoc forte, *ait*, q dixerit nõ eſt benedicere

Sem: imò valde benedixit illum: Quando enim Dominus benedicitur, & aguntur illi gratiæ ab hominibus, tunc vberior ab illo ſolet illis benedictio dari, propter quos ipſe benedicitur. Sicut enim quando benedicitur propter nos, multū id nobis conciliat fauoris, ita & contra, quando propter nos alij illum blaſphemant, maior tunc noſtra fit condemnatio. Quocirca obſecro demus operam, vt ita viuamus, & tantæ virtutis ſpecimen adhibeamus, quo omnes qui nos viderunt, benedictionis laudes afferant Domino Deo. Nam quia bonus & miſericors eſt, per nos vult glorificari, non quod ipſi aliquid ad ſuam gloriam accedat (nullius enim rei indigus eſt) ſed vt occaſiones ipſi præbeamus, vt maiorem nobis gratiam impartiatur. *S. Gregorius li.* 18. *Moral. cap.* 5.

CAPVT IX.

IVSTIS DE CAVSIS, QVAE IN ſua laudatione ſemper, vt vidimus, Deo in promptu ſunt, & homo ſeipſum laudare poteſt.

T*Res ſunt potiſſimum cauſæ, ob quas ſeipſum quiſpiam commendare queat.* 1. *eſt honeſtæ ſuæ exiſtimationis & famæ conſeruatio: Ad quam ſtudiosè tuendam hortatur Eccleſiaſticus c.* 41. *v.* 15. & 16. Curam habe de bono nomine (*quod paratur virtute*) hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni. *Bonæ vitæ numerus* (*ſcil. breuis & definitus eſt*) *bonum autem nomen permanebit in æuum. Idem eſt Salomonis dogma Prouerb.* 22. *v.* 1. Melius eſt, *inquit*, nomen bonum quàm

quàm diuitiæ multæ, ſuper argentum & aurum, gratia bona. *Scitum eſt & illud Catonis:*

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento:
Quâ ſemel amiſsâ, poſtea nullus eris.

Itaque ad retinendam integritatis famam non dubitauit ſanctiſsimus Propheta Samuel, ſeipſum laudibus palam efferre, 1. Reg. 12. ver. 1. ad 6. vbi ſuam à muneribus accipiendis & violentia inferenda continentiam prædicat. Similiter & Apoſtolus Act. 23. verſ. 1. Intuens in concilium Paulus, *ait:* Viri fratres, ego omni cõſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum, vſq; in hodiernum diem.

Secunda legitima cauſa, propter quam ſe quis laudare poßit, eſt maior Dei gloria, aut proximi ſalus & ædificatio. Qua ratione permotus S. Paulus, crebro in epiſtolis commemorat cœleſtem ſuam ad Apoſtolatum vocationem, Euangelium ſibi diuinitùs à Chriſto ipſo traditum, ingentes ſuos labores, pro diſſeminanda fide ſuſceptos, dolores toleratos, diſcrimina adita, patrata miracula, & id genus alia, Rom. 15. v. 17. ad 22. 2. Cor. 11. v. 22. ad finem vſque capitis, & cap. 12. v. 1. ad 22. 1. Corin. 15. v. 8. ad 12. Gal. 1. v. 11. Philip. 3. v. 5. Hoc & fecit Dauid 1. Reg. 17. v. 32. ad 38.

Tertia cauſa eſt facilior à Deo rei deſideratæ impetratio, ſic enim nonnunquam Sancti ſua merita protulerunt, vt Moyſes Num. 16. v. 15. Ne reſpicias, *inquit,* Deo, ſacrificia eorum, tu ſcis, quod nec aſellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. *Et Ezechias Rex denunciata ſibi morte vitæ prorogationem obtinere diſcupiens, orauit ad Dominum, & dixit, Iſaiæ 38. v. 2. & 3.* Obſecro Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt, in oculis tuis fecerim, & fleuit Ezechias fletu magno. *Qui & ſanitatem impetrauit, & à Rege Aſſyriorum liberationem. Sæpe*

multumque ſuis pſalmis ſuam innocentiam & virtutem Deo inſinuat Dauid, vt ipſi promptius opituletur. Exempla ſuppeditant plurima vnum atque alterum attuliſſe ſufficiet, Pſal. 25. *v.* 1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. *v.*4. Non ſedi cum cōcilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo. *v.* 11. Ego in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei. *v.*12. Pes meus ſtetit in directo, in Eccleſiis benedicam te Domine. *Pſal.*85. *v.* 2. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. *Vbi S. Auguſtin.* Non eſt iſta, *inquit*, ſuperbia elati, ſed cōfeſsio non ingrati: Si enim dixeris, te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es, rurſus fidelis in Chriſto, & membrum Chriſti ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es. *Illud tantum laborandum, vt quod à nobis de nobis laudatur, ad ſanctiſsimæ Trinitatis honorem referatur.* Non ipſa laus humana, *ait S. Aug. in Pſal.* 118. *v.*37. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, &c. culpanda eſt (nam quid tam optandum eſt hominibus, quam vt eis placeant, quæ debeant imitari?) ſed propter ipſam laudē bene operari, hoc eſt vanitatem in ſuis operibus intueri. Quandoquidem & ipſa ab hominibus laus homini iuſto, quantacunque prouenerit, non ibi eſſe debet, eius finis boni, ſed etiam ipſa referenda eſt ad laudem Dei, propter quam bona faciunt verè boni: quoniam nec à ſeipſis, ſed ab illo fiunt boni. Luceat lumen veſtrum coram hominibus, *ait Dominus Matth.* 5. *v.*17. vt videant veſtra opera bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. *Vbi finem poſuit, hoc eſt in gloria Dei. Cum ergo ad Dei gloriam ſe homo laudare & laudes acceptare poſsit, cur ad ſalutem noſtram hoc non faciat Deus?*

CAP.

CAPVT X.

TRES DIVINAE PERSONAE, ſe mutuo glorificant.

D*Eus Pater glorificat, ſiue clarificat Filium, quæ verba idem apud Sanctum Ioannem ſignificant, vt bene docet Beatus Auguſtinus tractatu centeſimo in Ioannem:* Gloria namque fit quiſque clarus, & claritate glorioſus, ac per hoc, quod vtroque verbo ſignificatur, idipſum eſt. *Ioannis* 5.*verſu* 37. Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibet de me.

Et quidem multiplex teſtimonium, 1.*in Scripturis, in quibus teſtatus & pollicitus eſt Pater, ſe miſſurum vnigenitum Filium ſuum. Vnde & verſu* 39. *ſubiungit Dominus*: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. 2. *Miraculis & ſtupendis operibus, quæ auctore faciebat Patre, & quod ipſe faciebat, Pater faciebat, vt iis declararet Chriſtum eſſe naturalem genuinum ac conſubſtantialem Filium ſuum. Hinc Ioannis* 5.*verſu* 36. Opera quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me. *& Ioannis* 14.*verſu*.10.11. Pater in me manens ipſe facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. 3. Luculentiſsimum dedit Pater Chriſto Domino teſtimonium, *Matthæi* 3.*verſu* 17. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Et hoc in Baptiſmo, ac rurſus in Transfiguratione Matthæi* 17.*v*.5. Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.

Latum illud, *ait S.Leo Magnus hom. de Transfig. Domini*, & multiplex teſtimonium fuit, & plus in verborum virtute, quam in ſono vocis auditũ eſt. Dicente enim Patre: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Nonne euidenter auditum eſt: Hic eſt Filius meus, cui ex me & mecum eſſe ſine tempore eſt? Quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt Filius meus dilectus, quem à me non ſeparat Deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt Filius meus, non adoptiuus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt Filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, Ioan. 1. v. 3. qui omnia, quæ facio, ſimiliter facit, & quicquid operor, mecum inſeparabiliter atque indifferenter operatur, Ioann. 5. v. 16. In Patre enim eſt Filius, & in Filio Pater, nec vnquam vnitas noſtra diuiditur, Ioan. 14. v. 10. Et quũ alius ego ſim, qui genui, alius ille, quem genui, nec aliud tamen, de illo vobis cogitare fas eſt, quàm de me ſentire poſsibile eſt, Ioan. 10. v. 30. Hic eſt Filius meus, qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapinâ appetiit, nec vſurpatione præſumpſit, ſed manẽs in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune cõſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incõmutabilem Deitatem. Philip. 2. v. 6. Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipſe eſt veritas, & vita, Ioan. 14. v. 6. ipſe virtus mea atque ſapientia, 1. Cor. 1. v. 24. Ipſum audite, quem legis myſteria prænũciaue-

ciauerunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipſum audite, qui ſanguine ſuo mundum redimit, qui diabolum ligat, & vaſa eius rupit, Luc. 11. v. 22. qui peccati chirographum & præuaricationis pacta diſrumpit, Col. 2. v. 14. Ipſum audite, qui viam aperit ad cœlũ, & per crucis ſupplicium gradus vobis aſcenſionis parat ad regnum. *Hactenus S. Leo.*

Recte itaque Saluator Ioan. 8. *v.* 18. Teſtimoniũ perhibet de me, qui miſit me Pater. *& v.* 50. Ego non quęro gloriam meam, eſt, qui quærat, & iudicet. *Et v.* 54. Eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noſter eſt, *Ioann.* 12. *v.* 28. Pater clarifica nomen tuum: Venit ergo vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo.

Imitabile hic inter Patrem & Filium certamẽ: Cum enim idem eſſet clarificari Filium, & clarificari nomen Patris, tamen Filius non dicit: Clarifica me, ſed clarifica nomen tuum, & Pater contra non dicit: Nomen meum, ſed te clarificaui, & iterum clarificabo, neuter ſibi, vterque alteri gloriam attribuens. Cuius mutuæ glorificationis ſpecimen & à Patre, & à Filio exhibetur, Ioan. 17. *v.* 1. 4. 5. 6. Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.

Clarificat verò Pater Filium, tum vt diuinæ illius perſonæ conueniens honor habeatur, tum vt exemplo Patris, omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum, *vt eſt Ioan.* 5. *v.* 23.

Eius rei illuſtre illud ſit argumentum: Cum Theodoſius Imperator in Arrianos diuinitatis Chriſti obtrectatores non ſatis animaduerteret B. Amphilochius Epiſcopus Iconij Theodoſium accedens honore, qui Imperatorem decebat, proſecutus eſt. Arcadium autem filium aſtantem, iam Cæſarem renunciatum, quaſi contemneret, cœpit pueriliter demulcere, nec vllum honorem exhibere. Ea re offenſus Imperator, cum nec monitus errorem emendaret, iuſſit eum cum dedecore, ex palatio educi. Tunc Amphilochius ad eum cõuerſus: Vides, *inquit,* ô Imperator, quantam tibi animi offenſionem pariat hæc iniuria, quam Filio irrogatam putas, nec de Deo Patre idem cenſes? *Qua monitione Imperator omnes Arrianorum conuentus edicto prohibuit. Ita Sozom. lib. 7. cap. 6. Niceph. li. 12. cap. 9. Theodor. lib. 5. c. 16. Tripar. lib. 9. c. 25.*

Sed & quam gratũ ſit Deo Patri, vt honoretur ipſius Filius, eo ipſo demonſtrat, quod illud qualecunque obſequium cumulatiſſimè remuneret. Hunc enim in modũ loquitur: Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, *Ioan. 12. v. 26.* Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.

CAPVT XI.

VT FILIVM PATER GLORIFICAT, ita viciſſim Filius Patrem, ac Spiritum Sanctum & vtrunque ſimiliter.

G*Regorius Nazian. Orat. in S. Pentecoſt.* Spiritus Sanctus promiſſus quoq; ab ipſo Ieſu, qui vt à Spiritu glorificatur, ita viciſsim quoque ipſum glorificat: quemadmodum & Patrem

trem glorificat, & à Patre glorificatur. *S. Epiph. lib.3.contra hæreſ.c.* 74. Seipſum Deus cognitum facit, ſeipſum Chriſtus prædicat, ſeipſum Spiritus Sanctus manifeſtat dignis. *Se ſui Patris gloriã ſemper expetiuiſſe & promouiſſe teſtatur Dei Filius Ioann.7.v.*18. Qui à ſemetipſo, *inquit*, loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriã eius, qui miſit illum, hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt, *quaſi diceret: Qui eſt ſuæ doctrinæ auctor & inuentor, is ſui ingenij, & inuentionis laudem quærit, ſed ego hanc non expeto, non ergo mea doctrina à me excogitata eſt, ſed diuina. Rurſum: qui nõ quærit ſuam, ſed Dei gloriam, is vera dicit, & non fallit (nullam enim fallendi cauſam habet, qui ſeipſum non quærit:* ego nõ quæro gloriam meam, ſed eius qui miſit me. *Vera igitur doceo, & minime fallo.*

Verè & eleganter hæc verba S. Aug. tract.29. in Ioan. explicans: Dominus, *inquit*, noſter Ieſus Chriſtus magnum nobis prębuit exemplum humilitatis. Si ille vnum cum Patre, æqualis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter ſine tempore, pariter creator & diſpoſitor temporum, tamen venit in tempore, & formam ſerui accepit, & habitu inuentus eſt vt homo, quærit gloriam Patris, non ſuam, quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris, quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnoſce creatorem. Seruus es, ne contemnas Dominum, adoptatus es, ſed non meritis tuis. Quęre eius gloriam, à quo habes hãc gratiam, homo adoptatus, cuius gloriam quæſiuit, qui eſt ab illo vnicus natus. Si ille quæſiuit gloriam eius, qui eum miſit, quanto magis nos eius, qui nos fecit?

*Ioan.S.v.*49.Honorifico Patrem meum,& vos inhonoraſtis me.*Vbi S.Aug.tract.*43.*in Ioann.*Hoc eſt,*inquit*, ego me non honorifico, ne vobis arrogans videar,habeo quem honorificem.Sed ſi vos me agnoſceretis, ſicut ego honorifico Patrem, ſic & vos honorificaretis me: Ego facio, quod debeo,vos non facitis, quod debetis,Ioann. 13.v. 31. Nunc clarificatus eſt Filius hominis,& Deus clarificatus eſt in eo.Ioann. 14. v.13. Quodcunque petieritis in nomine meo,hoc faciam,vt glorificetur Pater in Filio.

*Quod exponens S.Auguſt.tract.*73.*in Ioann.* Nullo modo igitur, *ait*, ſine Patre hoc Filius facit, quandoquidē,vt in illo Pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo Pater in Filio, vt Filius glorificetur in Patre, & facit Filius in Patre,vt Pater glorificetur in Filio, quoniam vnum ſunt Pater & Filius.

Filius etiam Dei glorificat Spiritum Sanctum,Matt. 12.*v.* 32. Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo,neque in futuro.*Ioan.* 15.*v.* 26.Cum venerit Paracletus,*ait*, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me. *Quid auguſtius de Spiritus Sancti maieſtate prædicari potuit,quàm quod ſit Paracletus, quod ſit Spiritus veritatis,quod procedat à Patre,& mittatur à Filio,& proinde cum Patre & Filio ſit eiuſdem diuinæ naturæ, & vnus Deus? 1.Magna gloria,& laus eſt diuini illius Spiritus, quod ſit paracletus noſter, noſter apud Deum aduocatus,qui,vt ait S.Paulus Rom.* 8.*v.*26. poſtulat,*id eſt,poſtulare nos facit,*pro nobis gemitibus inenarrabilibus,*quod noſter in aduerſis omnibus conſolator. 2.eximia illius eſt gloria, quod ſit Spiritus veritatis,di-*

uinæ

uinæ ſcilicet veritatis, cuius comparatione cæteri ſpiritus veri non ſunt, quod ſit Spiritus veritatis fons & doctor, quod ſit Spiritus verax oppoſitus mundano ſpiritui, qui mendax & fallax eſt. 3. Incomparabilis honor, quod à Patre procedat: nam qui in Deo à Deo procedit, verus Deus eſt; & quod à Filio mittatur: nam miſſio diuinæ perſonæ eſt proceſſio, cum habitudine temporalis effectus: nulla enim Trinitatis perſona mitti dicitur, niſi ab ea, à qua procedit, ac proinde Spiritus ſanctus a Patre pariter ac Filio procedens, vnus cum illis eſt ſummus & infinitus Deus, ſupra omnia benedictus in ſæcula, & cũ vtroque ſimul adoratur & conglorificatur.

Spiritus etiam Sanctus Filium glorificat, Ioan. 15. v. 26. Ille teſtimonium perhibebit de me. *Et Ioann. 16. v. 14.* Ille me clarificabit. 1. *me Dei Filium & vnicum mundi Liberatorem vi miraculorum demonſtrabit & perſuadebit hominibus. 2. Meam gloriam illuſtrabit: quia meus ad homines legatus erit, ex quo facile intelligent, qualis quantuſque ego ſim, cuius tantus, & tam admirabilis legatus ſit. S. Auguſt. tract. 100. in Ioã. duas alias affert rationes, ita enim loquitur:* Quod *ait*, ille me clarificabit, poteſt intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium caritatem, ſpiritaleſque faciendo declarauit eis, quomodo Filius Patri eſſet æqualis, quem ſecundum carnem prius tantummodo nouerant, & hominem ſicut homines cogitabant. Vel certè, quia per ipſam caritatem fiducia repleti, & timore depulſo annunciauerunt hominibus Chriſtum, ac ſic fama eius diffuſa eſt toto terrarũ orbe: vt ſi dixerit: Ille me clarificabit, tanquam diceret: Ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius prædicantes gloriæ meæ per totũ mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu Sancto, hoc eũdem Spiritum dixit eſſe facturũ,

Sanè fratres cœli ſuperiores quibus incolis impleti ſunt, qua diſpoſitione regantur, quomodo ibi vnus quidam hymnus indeficiens cōcinens, ab omnibus prædicet Deum, multum eſt ad nos inuenire, ſatagamus tamen peruenire. Ibi eſt n. patria noſtra, quam longa fortaſſe peregrinatione obliti ſumus. Vox enim noſtra eſt in illo pſalmo 119. Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta eſt.

De ſanctis Angelis tria memoranda ſunt, & quod diuinam illam Trinitatem maximis laudibus ornent, & quod vt hoc faciant, ab hominibus implorentur, & quod nos ad ſimile officium exhortentur. Beatæ illæ mentes S. Trinitatem perpetuo collaudant, & cum Seraphinis acclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius. *Iſa. 6. v. 3. De hoc triſagio alibi quidem nobis dictum eſt, ſed & hic alia dicenda. B. Ambroſ. li. 3. de Spiritu S. ad Gratianum Auguſtum cap.* 18. Sanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus & Spiritus: ſed nō tres ſancti, quia vnus eſt Deus ſanctus, vnus eſt Dominus, vna eſt ergo vera ſanctitas, ſicut vna vera eſt diuinitas, vna illa ſanctitas naturalis. Ideo omnia hæc, quæ ſancta nos credimus, illam ſolam prædicāt ſanctitatem Cherubim & Seraphim indefeſsis vocibus laudant & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non ſemel dicūt, ne ſingularitatem credas. Nō bis dicunt, ne Spiritum excludas. Non ſanctos dicunt, ne pluralitatem æſtimes, ſed ter repetunt & idem dicūt; vt etiam in hymno diſtinctionem Trinitatis, & diuinitatis intelligas vnitatem, hoc cum dicunt, Deum prædicant. Nos quoque nihil pretioſius inuenimus, quo Deum prædicare poſsimus, niſi vt ſanctum appellemus.

Concilium Vaſenſe ſub Leone I. celebratum Can. 45. cum

cum ſanxiſſet hoc Triſagium omnibus omnino miſſis adhibendum, ſubiungit: Quoniam tam dulcis,& deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſsit dici,faſtidium non poterit generare. *Vtamur ergo libenter & frequenter hoc ter ſancto hymno, quo & hom.14.in ep.adEph.ab obtrectatione nos reuocat Sanctus Chryſoſtomus:* Perpende, *inquit*, cum quibus tempore myſteriorum adſtes,nempe cum Cherubim,cum Seraphim. Seraphim neminem vituperant, ſed vnus & idem vſus ora illorum adimplet, nempe benedicendi & glorificandi Deum. Quomodo potes cum illis dicere, Sanctus, Sanctus,Sanctus, qui ore tuo ad vituperiũ abuteris.

*Nicephorus Calliſtus lib. 8.hiſto. Eccleſ.c.32. de hoc triſagio commemorat, quod Conſtantinus Magnus ad formam ter à ſe viſæ in cœlo crucis tres ex ære fieri curauerit cruces, & in celeberrimis Conſtantinopoli locis collocari cum hac inſcriptione,*Ieſus Chriſtus vincit, *ad quam tertiam,cui nomen victoria:* Multæ, *inquit*, etiam ſupra hominũ opinionem, virtutes ſunt factæ. Dicitur etiam & verè dicitur,quum ad eã Angelus Domini ter quotannis per altiſsimum intempeſtæ noctis ſilentium, perinde atque emicãs quoddam cœlitus fulgur,cum ſplendore inſuſtentabili venit, crucem eum circũire,ſuffitum facientem, ſuauique voce, quaſi cuiuſdã tenuis indicis præſentiam ſuam illis,qui puritate vitæ à vitiis abhorrentes,talia & videre & audire idonei ſunt, inſinuare: atque vbi cantu ineffabili diuinum carmen terſancti hymni pſallens concinuerit, rurſum illum veluti ſtellam magnificè emicantem,ad munia redire ſua.

Idem Nicephorus lib.13.hiſt. Eccleſ.c.8.& ante eum Socrates lib.6.hiſt.c.8.ſcribit, Ignatio tertio in Antiochena Eccleſia à S.Petro Apoſtolo Epiſcopo Apoſtolorum contem-

contemporaneo viſionem oſtenſam eſſe Angelorum Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, ipſumque Ignatium eandem canendi formã Eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe, atque inde ab omnibus Eccleſiis receptam eſſe. Verum vt id breuiter attingamus altior atque certior eſt Eccleſiaſtici cantus, fides & ratio, cum de Seraphim ſtantibus ſupra thronum, atque alternatim triſagio glorioſiſſimam Trinitatem celebrantibus ſublimis facta eſt illa manifeſtatio, Iſai. c. 6. v. 1. de quo Georgius Piſides de mundi opificio:

Nam hymnos canunt tibi Imperatori ſuo
Cherubim, Poteſtates, Thronorũ exercitus:
Aptantque Numinis iubar ter lucidum,
Ad vnicam venerationem principem
Sicque euidenter indicant, *&c.*
Hypoſtaſes diuiduè honorandas quidem
Subſtantiam at ſolum eſſe adorandam vnicã.

Vixit is circa Annum Domini 630.

Non prorſus diſſimilis eſt ille Angelorum ſanctiſſimã Trinitatem laudantium hymnus, qui Anno Dom. 446. in hominum notitiam venit. Terræmotu ad ſex menſes indeſinenter perſeuerante, ac varia loca & vrbes & muros Conſtantinopolitanos cum quinquaginta ſeptem turribus ac plurimis ædibus euertente, Theodoſius 2. anno ſui Imperij 39. cum Proclo Archiepiſcopo, & vniuerſo populo præ metu ruinarũ ædificiorum in campo habitarunt, & cum die quadam hic terræ pulſus & agitatio vehementius graſſaretur, cũctique ſimul ex intimo corde cum multis gemitibus diuinam miſericordiam implorarent, ſuperna repente vi, puer, ſpectantibus omnibus, de media turba in ſublime extra hominum viſum per vnam horam raptus, rurſumque priore per aerem via in eandem locum demiſſus Patriarchæ, Imperatori vniuerſæque multitudini ad preces proſtratæ retulit, ſe à multitudine Angelorum pſallentium diuinum hoc triſagium decantatum audiuiſſe: Sanctus Deus, ſanctus

ctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri. *Dictumque ſibi vt eam laudationem populo indicaret, & ipſi eodem modo concinerent, quod mox vbi populus pſallere cœpit, terræmotus omnino quieuit, puer verò animam efflans in magna Eccleſia conditus eſt: ac Theodoſius Imperator edita conſtitutione decreuit, vt per totum orbem hymnus iſte diuinus concineretur. Habent hanc hiſtoriam Niceph. lib. 14. c. 46. S. Ioannes Damaſc. lib. 3. de fide Orth. cap. 10. & alij his multo antiquiores, quos citat Cardinalis Baronius in Annal. Anno Domini 446. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Theologia ſub finem:* Angeli diuinæ maieſtatis laudes decantant, ſempiternamq; illam gloriam ſempiternè intuentur: nõ vt glorificetur Deus (quid enim eſt, quod plene illi, aliiſque bona ſuppeditanti accreſcere queat?) ſed ne primæ illæ poſt Deum naturæ beneficio affici deſinant.

Illa etiam Dei ſententia apud S. Iobum capite 38. v. 7. ad præconium ab Angelis Sanctæ Trinitati tributum pertinet: Vbi eras, cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. *Septuaginta:* cùm me laudarent omnes Angeli mei. *Sanctus Gregorius libro 28. Moralium capite 14. ait,* quod Angeli aſtra matutina vocentur, quia primo tempore, & quaſi matutino cõditi ſunt. Deinde ad exhortãdos homines miſsi, fugatis quaſi tenebris, matutinum lumen inducunt. Ad hæc quia ſicut ſtellæ matutinæ & veſpertinæ pariter conditorem laudant, ita illi ſimul ac homines: Paruulus nobis natus, & Filius datus erat, tamen vt nos ad Redemptoris laudes accenderent: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis canebant Lucæ 2. v. 14. Angeli diuinam potentiam laudant, quia ipſa eos tantæ claritatis viſio delectat. *Iſta S. Gregorius.*

S. *Baſil. in Pſalm.* 28. v. 10. In templo eius omnes dicent gloriam, *ait*, Cœli enarrant gloriam Dei, *Pſalm.* 18. v. 1. Angelorum opus laudare Deum, omnibus deniq; cœleſtibus exercitibus vna hæc cura gloriam tranſcribere Creatori. *Quod vt faciãt mandatum illis diuinitus eſſe affirmat. S. Auguſtin. in Pſal.* 148. v. 5. Statuit ea in ſæculum & in ſæculum ſæculi. Præceptum poſuit, & non præteribit. Quale, *inquit*, præceptũ putatis habere cœleſtia, & Angelos ſanctos? Quale præceptum dedit illis Deus? Quale niſi vt laudent illum? Beati quorum hoc eſt negotium laudare Deum. *Cuius negotij optatiſſimi gerendi, diligentiſſimi ſunt Angeli ſancti, vt videre eſt Apocal.* 5. *verſ.* 11. *&* 12. *& cap.* 7. *verſ.* 11.

Capvt XIII.

ANGELI MONENTVR, ROGANtur & incitantur ab hominibus Sanctiſſimam vt laudent Trinitatem.

AD quod Deum laudibus extollendi munus cùm cœleſtes illi ſpiritus, propter naturæ, gratiæ, & beatitatis præſtantiam ſint aptiſſimi, vt hoc faciant pij ſanctique homines, vel precantur, vel hortantur, vel excitant illos. Vt Regius Vates Pſ. 102. v. 20. 21. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonũ eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatẽ eius: *Rurſum Pſ.* 148. v. 1. 2. Laudate Dominum de cœlis, laudate eũ in excelſis: Laudate eũ omnes Angeli eius, laudate eũ omnes virtutes ei⁹. *Quaſi diceret: O vos B. mentes, è cœleſti illo palatio ꝙ habitatis,*

& in ſupremo illo domicilio, vbi inenarrabilibus circũfluitis bonis, laudate Dominum veſtrum, & noſtrum, vos, inquam, Angeli vniuerſi, vos omnes cœleſtes exercitus innumerabili multitudine militantes, laudate veſtrum, ac totius vniuerſitatis Imperatorem Deum.

Quæ Pſal. 148. *verba in Commentario ſuauiſſimè ac elegantiſſimè explanat S. Aug.* Quaſi, *inquit*, inueniret tacentes in cœlis laudem Domini, exhortatur, vt ſurgant, & laudent. Nunquam cœleſtia laudes ſui conditoris tacuerunt, nunquam terreſtria Deum laudare ceſſarũt. Quare cum laudent, dicit, laudate? Quia delectatus eſt in eo, quod laudant, & placuit ei, quaſi adiungere hortationem ſuam. Quomodo ſi venias ad homines bonum aliquod operantes cum gaudio, ſiue in vinea, ſiue in meſſe, ſiue in aliqua agricultura placet tibi, quod faciunt, & dicis: Facite, agite. Non vt tunc incipiant facere, quando dicis, ſed quia placet tibi, quod facientes inueneris, adiũgis gratulationem, & exhortationem tuam, dicendo enim facite, & exhortando facientes, voto quaſi facis cum illis: Cœleſtia tranquilla ſunt, pacata ſunt: ibi ſemper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo, nulla moleſtia, ſemper laudant Deum beati. Nos autem adhuc in imo ſumus: ſed cum cogitamus, quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, & non ſine cauſa audimus: Surſum corda. Leuemus cor ſurſum, ne putreſcat in terra, quoniam placet nobis, quod ibi agunt Angeli. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. *Huc uſque S. Auguſtinus.*

Idem & flagitant tres illi ſanctiſſimi pueri Daniel. 3. v. 58. Benedicite Angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

CAP.

CAPVT XIV.

DEI SIVE S. TRINITATIS PRAEconium à nobis repoſcunt Angeli.

DEmum quam perpetuam Dei laudationem ab Angelis requirimus, candem & à nobis meritiſſimè depoſcunt. Hinc Angelus Raphael ad vtrumque Tobiam cap. 12. v. 6. Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Opera Dei reuelare, & confiteri honoricum eſt. *Et Apoc. 14. v. 7.* Angelus ſedentibus ſuper terram dixit: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & fontes aquarum. *Iterum Apoc. 19. v. 5.* Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni.

Eſt in Commentario illuſtrium virorum, Ciſtercienſis Ordinis, quod aliquando S. Bernardus cum hymnus Te Deum laudamus, *caneretur, viderit beatos Angelos multa claritate fulgentes, mira vultus alacritate præditos, vtrumque chorum percurrentes, & modo hũc, modo illum, ad piè, ardenter, & tardè hunc hymnum ipſis perſamiliarem decantandum excitauiſſe, & totis viribus elaboraſſe. L. Mag. exemp. diſt. 3. c. 18. Meritiſſimè autem S. Angeli S. Trinitatis laudes & ipſi celebrãt, & vt ab aliis celebrentur, procurant: debent enim & hoc & omne obſequium ſuo Conditori. Hinc Dauid Pſ.* 148. v. 2. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. *Cur quæſo?* Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. *Et ſancti illi pueri Daniel. 3. cum dixiſſent:* Be-

nedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula, *mox ſubiungũt:* Benedicite Angeli Domini Domino. *Et quidem ſunt ſpiritus immortales, maxima ſapientia & virtute præditi, nullis miſeriis obnoxij, velociſſimi, fulgidiſſimi, fortiſſimi, beatiſſimi, propemodum innumerabiles. Quæ S. Trinitatis beneficia cum in ſe agnoſcant illam perpetuo dilaudant, Iob* 36. *v.* 37. Concentum cœli quis dormire faciet? *& profundiſſima humilitate dilaudant: nam* coram eo curuantur, qui portant orbem, & columnæ cœli pauent in conſpectu eius, *Iob* 9. *&* 26. *Et Apoc.* 7. Et omnes Angeli ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt eum.

Tibi ergo omnes Angeli, ô ſanctiſſima Trinitas, tibi cœli & vniuerſæ poteſtates: Tibi *Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant*: Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloria tuæ, & nos Angelici exempli imitatores, angelicis monitis obtemperantes, ac Sanctorum poſtulatis acquieſcentes, quorum* ciues ſumus & domeſtici Dei, *Epheſ.* 2. *v.* 19. *qui nunc pauliſper illis minores, Pſal.* 8. *v.* 6. *futuri illis æquales, Luc.* 20. *v.* 36. *vnà cum illis feliciſſimis ſpiritibus omnibus, quibus poſſumus modis & temporibus, omnibus encomiis & obſequiis laudemus & celebremus ſanctiſſimam & incomprehenſam* Trinitatem, *cui à me & vniuerſa creatura ſit honor & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.*

CAP.

Caput XV.

VNA CVM S. ANGELIS BEATI homines infinitis modis excellentiſſimam] Trinitatem collaudant.

TE glorioſus Apoſtolorũ chorus, Te Prophetarũ laudabilis numerus, Te martyrũ candidatus laudat exercitus: Te omnes Sancti & electi voce cõfitentur vnanimes, B. Trinitas vnus Deus, *vt ex hymno SS. Ambroſii & Auguſt. die omnib. Sanctis feſto Romana canit Eccleſia.*

S. Auguſt. de æterna felicitate differens lib. 22. de Ciuit. Dei c. 30. Quanta erit illa felicitas, *inquit*, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnib. *1. Cor. 15. v. 22.* Nam quid aliud agatur, vbi neque vlla deſidia ceſſabitur, neque vlla indigentia laborabitur, neſcio: Admoneor etiã ſancto Cantico, vbi lego, vel audio: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te, Pſal. 83. v. 5. Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus, per vſus neceſsitatis varios diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſsitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna felicitas proficient in laudibus Dei. Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.

Idem S. Auguſtin. in Pſalm. 83. Securi, *inquit*, ſumus, fratres, nõ nos ſatiabit niſi laus Dei, niſi amor Dei. Si deficias ab amore, deficies à laude: ſi autem amor ſempiternus erit: quia illa inſatiabi-

ſatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non poſsis ſemper laudare, quem ſemper poteris amare. Ergo beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Huic vitæ ſuſpiremus, Apoc.* 4.v.8.9.10. 11. *Sancti primò die ac nocte, ſine requie, ſine intermiſſione clamant*, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. *Secūdò*, procidunt ante ſedentem in throno, & adorant viuentem in ſæcula ſæculorum. *Tertiò*, mittunt coronas ſuas ante thronum. *Quartò dicunt*: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriā, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

Et Apoc. 7.*v.* 9. Vidi, *inquit S. Ioannes*, turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.

Laudare Sanctiſſimam Trinitatem, id nunc opus cæleſtium, erit & noſtrum opus, vbi ad eam felicitatem beatiſſimæ Trinitatis benignitate, & ope peruenerimus. Hæc autem Deum laudandi ratio, nunc in S. Spiritus ſchola nobis diſcenda eſt. Meditatio præſentis vitæ noſtræ, *ait B. Auguſt. in præfatione Pſalm.* 148. in laude Dei eſſe debet: quia exultatio ſempiterna futuræ vitæ noſtræ, laus Dei erit: Et nemo poteſt idoneus fieri futuræ vitæ, qui ſe ad illam modo nō exercuerit. Nunc ergo fratres, exhortamur vos, vt laudetis Deum, & hoc eſt, quod vobis omnes dicimus, quando dicimus Alleluia. Laudate Dominum. Sed laudate totis vobis, id eſt,

non ſolum lingua, & vox veſtra laudet Deum, ſed & conſcientia veſtra, vita veſtra, facta veſtra. Non ceſſet quiſque bene viuere, & ſemper laudat Deum. Tunc deſinis laudare Deum, quando à iuſtitia, & ab eo, quod illi placet, declinas. Nam ſi à vita bona nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Non poteſt autem fieri, vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes, facta enim de cogitatione procedunt, Matt. 15. v. 19. *Iſta S. Auguſt.*

Capvt XVI.

CATHOLICA ECCLESIA PERpetuis ſacratiſſimam Trinitatem laudibus extollit.

Declaratum eſt, quomodo triumphans in cœlis Eccleſia beatiſſimam Triadem cõtinenter commendet & honoret, nunc qua ratione ſimiliter id faciat Eccleſia in terris militans, eſt oſtendendum. Atq; vt omittatur, quod huic Sanctiſſimæ Trinitati propriũ diem feſtum decreuit, & proxime à die Pentecoſtes decreuerit, vt palam faceret, neminem ſine præcipua Sancti Spiritus gratia poſſe hanc S. Trinitatem cognoſcere, amare, venerari. Illam expiatricem & conciliatricem Corporis & Sanguinis Chriſti Dei ac Domini noſtri hoſtiam, quâ nihil auguſtius, nihil ſanctius, nihil ſalutarius habet ipſa Eccleſia, nonniſi ſanctiſſimæ Triadi quotidie immolat. Quapropter Sacerdos huius immolationis initio precatur: Suſcipe S. Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus, ob memoriã Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Et in fine rogat:* Placeat tibi S. Trinitas obſequium ſeruitutis meæ, & præſta,

vt hoc ſacrificium, quod oculis tuæ diuinæ Maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, ſit te miſerante propitiabile, per Chriſtum Dominũ noſtrum, Amen.

Eiuſdem ſacrificij principium ducit ab inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Et illud felici hac precatione terminat*: Benedicat vos omnipotẽs Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *In ipſo ſacro ter repetit:* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. *Laudat adorandam Trinitatem Angelico hymno*, Gloria in excelſis Deo, *in quo ſingularum diuinarum perſonarum ſit mentio, ſicut & Symbolo Nicæno. Recitat Seraphicum triſagium*, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, *gratulatur, quod* per Chriſtum Dominum noſtrum, & cum ipſo, & in ipſo, ſit Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus S. omnis honor, & gloria, per omnia ſæcula ſæculorum. *ſupplicat* : Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam, mundum viuificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatib. meis & vniuerſis malis, & fac me tuis ſemper inhęrere mandatis, & à te nũquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu S. viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum Amen.

Et tam in hoc tremẽdo ſacrificio, quam in cæteris diuinis officiis, omnes ſuas preces cum hac S. Trinitatis laude concludit, & abſoluit: Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus S. Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ab hac doxologia, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. *omnia diuina officia auſpicatur, eandemque plus quam*

quam quinquagies ſingulis diebus iterat, præſertim cũ eam ſingulis pſalmis ſubiungit. Quæ doxologia ex Apoſtolorũ inſtitutione & vſu initium duxit, vt ex S.Baſil. lib.de Spiritu S.c.7.27.29.docet Cæſar Baron.An.Chr. 325.cui vt habet Conc.Vaſenſe c.5. Concil. Nicæn.addidit: Sicut erat in principio,& nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. *Et auctor eſt Ioan. Caſſ.li.2.c.8.in Occidente poſt pſalmos quaſi ex vſu veteri populũ cõclamare ſolitum:* Gloria Patri,& Filio, & Spiritui S. *Quod ſi & piam huius doxologiæ interpretationem deſideret Lector, iſtam accipiat: Gloria Patri omnium rerum conditori. Gloria Filio, vniuerſarum rerum conſeruatori. Gloria Spiritui S. cunctarũ rerum vltimo fini. Gloria Patri, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra. Gloria Filio, per quem omnis filiatio, & adoptio. Gloria Spiritui S. in quo omnis ſanctitas & ſanctificatio. Gloria Patri, ex quo æternitas. Gloria Filio, per quem omnis ſpecies & pulchritudo. Gloria Spiritui S. in quo omnis ſalus & felicitas. Gloria Patri, ex quo omnis vnitas. Gloria Filio, per quem omnis æqualitas. Gloria Spiritui S. in quo omnis amor & concordia. Gloria Patri, ex quo omnis potentia. Gloria Filio, per quem omnis ſapiẽtia. Gloria Spiritui S. in quo omnis bonitas. Gloria Patri, qui nos ad imaginem ſuam fecit. Gloria Filio, qui nos ſuo ſanguine redemit. Gloria Spiritui S. qui nos ſibi templum conſtituit. Gloria Patri prædeſtinatori. Gloria Filio Liberatori. Gloria Spiritui S. iuſtificatori & glorificatori. Omnes ſacras benedictiones cum* S.*Trinitatis inuocatione perfecit.*

Symbolum Apoſtolicũ illuſtre S.*Trinitatis documẽtum & noctu & in lucis exortu & occaſu, ſiue ad Matutinum, Primam & Completoriũ pronũciat. Inculcat & diebus Dominicis Symbolũ Nicænũ &* S. *Athanaſii vtrunq;* S.*Trinitatis præclarũ monumentũ. Et Nicænũ etiã in ſolenniorib. Feſtis ac tota Octaua. Nõ ſinit honorũ inſignia vt Baccalaureatus, Licẽtiæ, Doctoratus aſſumi: niſi cum* S.*Trin. profeſſione & inuocatione.* Da-

Docuit vt pia mater ſuos filios, vt cum inuocatione hac S. Trinitatis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *ſe S. Crucis ſigno perſæpe communiant. In S. Litaniis ante omnia S. Trinitatem implorat, omnes ſuos hymnos cum S. Trinitatis laudatione terminat, pluri miſque conciliis illius veritatem & honorem defendit hoſtes verò tanquam putrida & arida membra è ſuo corpore reſecuit, & anathemate iugulauit.*

Nec eſt, quod hic plura conſectemur: ex his enim ingens Eccleſiæ ſtudium in adoranda, deprecanda, laudanda S. Trinitate perſpicimus. Itaque hoc caput verbis Cantici à SS. Ambroſio & Auguſtino compoſiti, quod matutinis precibus adhibet, & crebro vſurpat, finiamus: Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia. Patrem immenſę maieſtatis. Venerandum tuũ verum & vnicum Filium, Sanctum quoque Paracletum Spiritum. *Et nos tantæ matris Eccleſiæ minimè degeneres filij eius exemplo toto ſemper pectore in Sanctiſſimæ Trinitatis laudem incumbamus. Ad quod illa nos crebro his dulciſſimis verbis inuitat:* Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. *Quo & prælucet, & vocat præſtantiſſimum Eccleſiæ memorum, & ornamentum. S. Auguſt. lib. Medit. c. 27.* Laudemus, *inquit*, Deum, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates, cui Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Iungamus voces noſtras vocibus Angelorum ſanctorum, & eorum Dominum laudemus pro modulo noſtro.

CAP.

CAPVT XIV.

QVAM PIO ET TENERO AFfectu Catholica Eccleſia Sanctiſſimam colat Trinitatem.

EX abundantia cordis os loquitur, *vt ait Dei Filius, Matth. 12. v. 34. Pectus igitur Eccleſiæ piiſſimis affectibus erga S. Trinitatem abundet, neceſſe eſt, cum eam in diuino officio hiſce verbis compellat:* Adeſto vnus Deus, omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Te vnum in ſubſtantia, Trinitatem in perſonis confitemur: Te ſemper idem eſſe, viuere & intelligere profitemur. Te inuocamus, te laudamus, te adoramus, ô Beata Trinitas. Spes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter, ô Beata Trinitas: Libera nos, ſalua nos, viuifica nos, ô Beata Trinitas, Gloria tibi, Trinitas æqualis, vna Deitas, & ante omnia ſæcula, & nunc, & in perpetuum. Laus & perennis gloria, Deo Patri, & Filio, Sancto ſimul Paracleto, in ſæculorum ſæcula. Benedicta ſit ſancta, creatrix, & gubernatrix omnium, Sancta & indiuidua Trinitas, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum. Benedictus ſit Deus Pater, vnigenituſque Dei Filius, Sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Benedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiuiſa vnitas, cõfitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Et ex cap. 11. Medit. S. Auguſt. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum Sanctum paracletum, Sanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus

damus atque benedicimus, tibi gloria in ſæcula.

Da ſanctiſſima Trinitas, vt ex maternis Catholicæ Eccleſiæ vberibus, hoc pietatis erga diuinam maieſtatem tuam lac ſugant, omnes ipſius verè Chriſtiani & Catholici filij, quo creſcant in ſalutem, & guſtent, quam dulcis tu ſis, Domine Deus noſter.

CAPVT XV.

B. AVGVSTINVS ACERRIMIS fidei de Sanctiſſ. Trinitate propugnator.

SAncti Eccleſiæ Doctores eximij laudum ſanctiſſ. Trinitatis præcones. Quam aſſidua, quam religioſa beatiſſimo Trinitatis laudatrix ſit Eccleſia, perſpeximus nunc, quibus eandem præconiis ornent præcipua illa Eccleſiæ membra, & quaſi quidam oculi S. Patres declaremus, & à Theologorum principe principiū ducamus, hoc eſt à S. Auguſtino; cuius plurima hactenus de ſanctiſſ. Trinitate præconia & teſtimonia illuſtria produximus, & producemus.*

Is ſuam de ſanctiſſ. Trinitate fidem nullibi non, vbi fert occaſio, teſtatiſſimam facit, eam & his verbis fatetur epiſtola 184. *ad Paſcentium Arrianum:* In omnipotentem Deum Patrem me credere profiteor, eumq; æternum ea æternitate, hoc eſt, immortalitate dico, quam ſolus Deus habet: hoc & de Filio eius vnigenito credo, in forma Dei, hoc & de Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt Dei Patris, & Filij eius vnigeniti. Fides noſtra eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum Deum credere, & confiteri, nec tamen eum, qui filius eſt, Patrem dicere, nec eum, qui Pater eſt, Filium,

nec

nec eum, qui Patris, & Filij Spiritus eſt, aut Patrem, aut Filium nuncupare. His enim appellationibus hoc ſignificatur, quod ad ſe inuicem referuntur, non ipſa ſubſtantia, quâ vnum ſunt. Nam & Pater cum dicitur, nonniſi alicuius filij dicitur, & filius nonniſi alicuius patris intelligitur, & ſpiritus ſecundum id, quod ad aliud refertur, ſpirantis alicuius eſt, & ſpirans vtique ſpiritu ſpirans eſt. Non autem iſta corporaliter ſentiuntur, nec vſitato more intelliguntur in Deo. Qui potens eſt facere, ſicut dicit Apoſtolus Epheſiorum 3. verſu 20. ſupra quam protinus, aut intelligimus. Si autem facere, quanto magis eſſe?

S. *Dacius Epiſcopus Mediolanenſis in ſuo Chronico libro 1. cap. 10. ita ſcribit: A ſancto Ambroſio cunctis fidelibus vrbis aſtantibus, & videntibus, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Auguſtinus baptizatus, & confirmatus eſt, in quibus fontibus, prout* Spiritus *ſanctus dabat eloqui illis: Te* Deum *cantantes, cunctis qui aderant audientibus, & videntibus ediderunt, quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodie tenetur, & religiosè decantatur. Cuius hymni meminit, & ſanctus Benedictus capite vndecimo in ſua Regula. Et quamuis ex ſacro Noui vel Veteris Teſtamenti promptuario deſumptus non fuerit, diuino tamen inſtinctu eſt compoſitus.*

Igitur in Baptiſmo vt Dei Spiritum, ita & beatiſſ. Trinitatē laudandi Spiritū *toto* S. *Aug. hauſit pectore, eumq; perpetuo ſtudio amplificauit libris ſuis de Trinit. initium dedit in iuuētute, finem impoſuit in ſenectute. Vt ſignificat ipſe lib. 2. Retract. c. 15. cum ait:* Libros de Trinitate, quæ Deus eſt, quindecim ſcripſi per aliquot annos. *Et epiſt. ad Aurelium Carthagin. Eccleſiæ Epiſcopum:* De Trinitate, quæ Deus Summus & verus eſt, libros iuuenis inchoaui, ſenex edidi.

Conſi-

Confitetur lib. 1. de Trin. cap. 4. quod myſteria Trinitatis habitauerint in cogitationibus ipſius, & quod indagandæ de illis veritatis amore raptus fuerit.

Narrat autem Thomas Cantipratenus libr. 2. c. 4 S. quod dum hos de Trinitate meditaretur libros S. Aug. propter mare obambulans viderit miræ pulchritudinis puerulum ſedentem, & argenteo cochleari, in ſcrobiculum maris aquas infundentem, quem ſalutatum quid ageret, percunctatus eſt. Cui ſerio valde reſpondit Puſio: ſe velle vniuerſum illud mare exhaurire, & in foſſulam ſuam, ſi poſſit, immittere: Et quomodo, ait B. Aug. poteris, ingens eſt mare, exiguum quo hauris cochlear, & parua ſcrobs iſta? Rurſum pulchellus ille puellus: Mihi, *inquit,* hoc poſsibilius, quàm quod tu animo exagitas, videlicet breui volumine inenarrabile indiuiduæ Trinitatis Sacramentum concludere, *atque ita ex oculis euanuit. Fides hiſtoriæ ſit penes auctorem, illam ſiquidem refellit Ioannes Molanus lib. 3. de pict. cap. 36. ea tamen de cauſa adducta eſt, quod apta ſimilitudine explicandæ Trinitatis difficultatem proponat, & vt intelligatur, cur S. Auguſtini imagini talis à pictoribus puerulus cum cochleari adiungatur, cui rectius cor iaculo transfixum tribuitur, ita enim ille lib. 9. Confeſſ. cap. 2. Deum alloquitur:* Sagittaueras Domine Deus meus cor noſtrum caritate tua.

Neque S. Auguſt. ſatisfuit 15. libris diuinam beatiſſimæ Trinitatis vnitatem & maieſtatem deprædicaſſe, ſed & alios libros contra S. Trinitatis hoſtes condidit, quibus eos profligauit, vt librum contra ſermonem Arrianorum, libros tres aduerſus Alexandrum Arianorum Epiſcopum, librum de vnitate Trinitatis contra Felicianum Arrianum, vt quamplurimi eiuſdem argumẽti tractatus, ſermones, diſputationes, epiſtolæ prætermittantur.

Nec miror id S. Auguſtinum feciſſe, ſed mirarer, ſi aliter feciſſet, ipſe enim iudicabat, & ſapientiſſime iudicabat,

cabat, ſummam hominis felicitatem in cognoſcenda, amanda, colenda & fruenda ſanctiſſima Trinitate eſſe collocatam. Hinc lib. 1. de Trinitate cap. 2. Trinitas, *ait*, vnus Deus, & ſolus, & verus eſt ſummum bonum, quod purgatiſsimis mentibus cernitur, & propterea cerni comprehendique non poteſt: quia humanæ mentis acies inualida in tam excellenti luce non figitur, niſi per iuſtitiam fidei nutrita vegetetur. *Et cap. 3. ſequenti*: Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur, quàm vbi quæritur vnitas Trinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Et epiſtola 66. ad Maximum*: Ipſa Trinitas eſt, vnus Dominus Deus noſter, cui vniuerſa pietate ſeruitur, cui ſoli latria illa debetur. *Nec opus hic plura S. Auguſtini afferre teſtimonia, cum fere nullum ſit in hac lucubratione Caput, quod non ipſius ſententiis velut floribus, gemmis, aut ſtellulis ſit exornatum.*

CAPVT XVI.

B. ATHANASIVS MIRIFICVS celſiſſimæ Trinitatis prædicator.

S*Cripſit Commendatricem huius S. Patris orationem ipſe etiam S. Gregorius Nazianzen. Theologus, quam hunc in modum exorditur:* Athanaſium laudās, virtutem laudabo. Idem enim eſt illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes complexu ſuo tenebat, vel vt verius loquar, tenet. Deo etenim omnes viuunt, qui ſecundum Deum vixerunt, etiamſi ex hac vita migrarint. Vnde & Deus, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob di-

citur, vt viuentium Deus, nō mortuorum, Matt. 22.v.32. Virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus ad homines promanat, cuiuſq; beneficio nobis contingit. *Et quis huic integerrimo ac doctiſſimo Patri de excellentiſſima Trinitate ſenſus? Is quem in ſuo declarat Symbolo, cum ait*: Fides Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparãtes: Alia eſt n. perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vna eſt diuinitas, ęqualis gloria, coæterna maieſtas. Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

Et epiſtola ad Corinthiorum Epiſcopum: Trinitas, Verbo corpus ex Maria aſſumente; in ſuo ternario permanſit, nullum in ſe recipiens auctuarium, aut diminutionem, ſed perfecta ſemper eſt, & in vna Deitate Trinitas agnoſcitur. *Et contra Sabellij gregales*: Pater ſuum, *ait*, eſſe ad plenum poſsidet, & citra vllum defectum radix, & fons Filij, & Spiritus Sancti. Itidem quoque Filius eſt, viuitq; in plena, integraque Deitate, vt Verbum & germen Patris ſui citra vllum defectum. Plenus quoque Filio Spiritus Sanctus, non pars alicuius, ſed integer per ſe atque ita verè Trinitas, coadunata eſt, ſine vllis interuallis. Nihil eſt enim, quod illos diſtineat, coexiſtunt æternaliter, quum nullum æuum intercedat.

Neque opus plura perſequi, cum hic ſanctiſſimus iuxta ac doctiſſimus Pater, ſua penè opuſcula vniuerſa ad excelſiſſima Trinitatis vel fidem ſtabiliendam vel amplificandam laudem confecerit. Potius declaremus, pro ea, quot labores, quot diſcrimina, quot calumnias, exilia, calamitates patienter, & libenter ſuſtinuerit,

& vltrò

& vltrò ac magna alacritate ſuſceperit, & fortiter exanthlarit, & quæ à benigniſſima TRINITATE *præmia retulerit, explanemus. Igitur Beatus Athanaſius adhuc Diaconus, vnà cum Epiſcopo ſuo Alexandro ad primum Concilium Nicænum profectus, dum contra Arrianos in diſputando peritiam, & ingenij acumen oſtendit, vnde & graue odium, & implacabilem eorum in ſe inuidiam concitauit, vt habet Socrates lib. 1. c. 7. Theod. lib. 1. c. 8.*

Anno Domini trecenteſimo vigeſimoſexto, creatus Alexandrinus Epiſcopus calumniam ab Arrianis quaſi non legitimè electus apud Conſtantinum Imperatorem paſſus eſt. Sed veritatis luce falſitatis caligo mox diſsipata, Sozom. lib. 2. c. 1.

Rurſus criminati ſunt, quod Aegyptiis indixiſſet tributum de pendendis Eccleſiæ linteis velaminibus. Quæ fraus à Catholicis Epiſcopis detecta. Socrates lib. 1. cap. 20. Sozomenus libro 2. c. 21.

Alia appetitus calumnia de auro miſſo cuidam Philumeno aduerſus Imperatorem rebellanti, accerſitus etiam non ſolum Conſtantino ſe purgauit, ſed & ab eo honorificè habitus, & cum integritatis ſuæ teſtibus literis ad Alexandrinam Eccleſiam remiſſus; Theod. lib. 1. cap. 27.

Accuſatus deinde de fracto in Eccleſia calice, aliiſque ſacrilegiis, de Arſenio Epiſcopo occiſo, cuius manum ſe habere iactitabant Arriani, de ſtuprata muliercula, de impedienda frumenti vectione Alexandria Conſtantinopolim, licet Arſenium viuum & integrum ſtitiſſet, & meretriculam aperti mendacij coarguiſſet, aliaſque criminationes diluiſſet, tamen & à Tyrio Conciliabulo damnatus, & à Conſtantino Magno nimium credulo, Treuiros relegatus eſt, de quo Athanaſius Apologia 2. Socrates libro 1. cap. 22. 23. Theodor. lib. 1. cap. 31. Cui Conſtantino S. Athanaſius, vt ſcribit Epip. hær. 68.

Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ: *qui & poſt vnum annum obiit.*

Athanaſius Treuiris *à Maximino Epiſcopo amantiſſimè ſuſceptus, & à Conſtantino Auguſto iuniore honeſtiſſimè eſt habitus, vt S. Trinitatis & Catholicæ fidei defenſor merebatur, vt illud in Chronico teſtatur S. Hieronymus, illud ipſe Athanaſius Apol. 2. qui cum in exilio duos annos, & quatuor menſes exegiſſet, à Conſtantino iuniore, cum omnium Alexandrinorum gratulatione, ſedi ſuæ reſtitutus eſt, vt ipſe narrat Apol. 2. Theod. li. 2. c. 2. Socrates lib. 2. c. 2.*

Nec hic hæreticorum furor quieuit, ſed nouas veteribus calumniis ſuperaddentes, tum apud Iulium Pontificem, tum apud Occidentis Imperatores, Conſtantinum, & Conſtantem, Athanaſium criminati ſunt, nempe quod ipſius reditus occaſione, plurimæ cædes factæ, recuſante populo, ipſum recipere, quod à Synodo damnatus, abſque alia Synodo, contra Canones ſuam ſedem adiiſſet, quod frumentum ſolitum exhiberi ex Conſtantini Imperatoris liberalitate Aegypti, ac Lybiæ viduis, ſurripuiſſet: Sed Arrianorum legati, cum S. Athanaſii legati eorum mendacia refutaſſent, ab Imperatoribus cum pudore reiecti, quod & apud Iulium Pontificem euenit, vt conſtat ex epiſtola S. Athanaſii ad ſolitarios, & epiſtola Iulij Papæ, quæ habetur in 2. Apologia S. Athanaſii.

Romæ ſententia Concilij abſolutus, & ad ſedem ſuam reuerſus, à Gregorio eius Epiſcopatus inuaſore, ad necem quæritur, ſed clam elapſus, rurſus Romam petit. Athanaſius in epiſtola Encyclica ad vniuerſos orthodoxos. Iterum in Concilio Sardicenſi ab Arrianorum calumniis abſoluitur, & ſuæ ſedi reſtituitur. Athanaſ. Apol. 2. & in Circulari epiſtola.

Sed nouum excogitant commentum Arriani de amicitia illius cum Magnentio tyranno. Athanaſ. Apol. ad Conſtantium. A quo Conſtantio ſæuiſſima deinceps aduerſus

uerſus eum, & fautores eius, excitatur perſecutio, vt & Eccleſiis ſuis exturbarentur, & miris modis diuexarentur. Athanaſ. ad Solitarios, & ſubrogato aduerſus eum Georgio, & miſſo exercitu ægrè euadit necem: & ipſe in eremo latitans breui tempore, toto orbe, *vt ait Ruffinus lib. 1. cap. 18.* profugus actus eſt, nec vllus ei tutus ad latendum ſuperfuit locus: *quandoquidē Tribuni, Præfecti, Comites, exercitus quoque ad peruestigandum eum mouerentur, edictis imperialibus, præmiaque delatoribus proponerentur, ſi quis eum viuum, ſi id minus, caput certè detuliſſet. Delituit tunc ſex annis in ciſterna ſicca, vt nunquam Solem videret, perquirentibus illum vbique Arrianis, vt tradit Ruffinus lib. 1. cap. 18. in quibus latebris, multas pro ſua & Catholicæ fidei defenſione lucubrationes edidit.*

Necato Georgio Alexandrinæ ſedis inuaſore, & Conſtantio ſimiliter demortuo, ſub Iuliano Imperatore maxima omnium lætitia Alexandriam reuertitur, & prolapſam fidei doctrinam erigit, vt ait S. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Athan. Verum à Iuliano ſolum vertere iuſſus, ſubmiſſis percuſſoribus, qui eum occiderent, conuerſo nauigio verſus Alexandriam occurrit, & de Athanaſio ſciſcitantibus reſpondit, eum non longè abeſſe, & clam Alexandriæ ad Iuliani necem permanſit. Ruffin. lib. 1. cap. 33. 34. Theod. lib. 3. cap. 8. Socrates lib. 3. c. 12.

A Iouiniano Imperatore Iuliani ſucceſſore Eccleſiæ ſuæ redditus, ad eum orthodoxæ fidei libellum mittit, & calumnias ab Arrianis intentatas facilè diluit. Sozom. lib. 6. cap. 3. 5. 6. Theod. lib. 4. c. 4. Gregor. Nazian. Oratione in laudem Athan. A Valente Imperatore pelli iuſſus mox reuocatur, S. Hieron. epiſt. 61. ad Pammach. & Epiph. hæreſ. 68.

Demum in tanta rerum varietate, & temporum calamitate quadraginta ſex annos Alexandrinam rexit Eccleſiam, & Anno Domini 372. migrauit in cœlum, ad

Sanctiſsimam Trinitatem, pro cuius honore, & Filij Dei diuinitate, tot prælia ſuſceperat, & tot à perfidis hoſtibus triumphos reportárat, qua de re hunc in modum loquitur S. Gregor. Nazian. Orat. in laudem S. Athanaſii: Athanaſium ſanctiſsimum illum orbis oculum, & Sacerdotum Antiſtitem, orthodoxæ fidei Ducem, ac magiſtrũ, illam ſublimem vocem, illud fidei columen, ſecundam illam Chriſti lucernam, & præcurſorem in bona ſenectute mortuum, plenumq́; dierum ſecundum Deum tranſactorum, poſt tot calumnias, poſt tot certamina, poſt celebrem illam, neminique ignotam manum, poſt viuentes illos mortuos, ad ſeipſam tranſtulit Beatiſsima Trinitas, quam ſemper dum apud mortales ageret, religioſiſsimè coluerat, & pro qua variis periculis ſeſe obiecerat. *Huic B. Athanaſio optime accõmodari poteſt, quod de Saluatore vaticinatus eſt Regius Propheta Pſal. 2. v. 2.* Aſtiterunt Reges terrę, & conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtũ eius. *Quem S. Athanaſium in fine illius Orationis hoc ſermone compellat S. Greg. Naz.* Nos autem vtique ipſe benignus è cœlis aſpicias, atque hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti contemplatione percipitur, & colitur, adoratorem, *&c.*

Quod vt & nobis præſtes, demiſſiſsimè nos viliſsimi homines à te petimus, ô auguſtiſsima Trinitas.

CAP.

Caput XVII.

S. BASILII CAESARIENSIS ARchiepiſcopi erga præpotentem Trinitatem religio.

Magnum Baſilium Oratione in funere Patris his verbis aſſatur Gregorius Theologus: Homo Dei & fidelis ſerue, & myſteriorũ Dei diſpenſator, & vir ſpiritalium deſideriorum: hoc enim nomine ſublimes & excelſos viros, & ſupra ea, quæ oculis cernuntur poſitos, Scriptura vocat. Quin te quoque Pharaonis, hoc eſt, omnis Aegyptiacæ, atque aduerſariæ poteſtatis Deum appello, Eccleſiæque columnã, & firmamentum, & Domini voluntatem, & luminare in mundo verbum vitæ ſuſtinens, & fidei fulcimentum, ſpiritusq́ domicilium.

Et in Oratione funebri in laudem S. Baſilij idem S. Greg. Nazian. Baſilium, *inquit*, virtutis legem omnibus fuiſſe dicere non verebor, cuius antiquiſsimum, atq; præcipuum ſtudium in eo verſabatur, vt veræ Philoſophiæ operam daret, ſeſeque à mundi contagione abrumperet, Deoq; adiungeret, terreniſque ſuperna lucrifaceret, ac fluxis ac fragilibus firma & æterna compararet. Et quidem apud nos præſtantiſsimus habetur, qui vel plura virtutum genera complexus fuerit, vel vnius numeros omnes expleuerit. At Baſilius per omnia virtutum genera, ita graſſatus eſt, vt in eo magnificentiæ ſuæ ſpecimen edidiſſe natura videatur.

Quod ergo huius vndiquaque doctiſſimi ac ſanctiſſimi Viri, de Summa TRINITATE *iudicium? Itaque proœmio in Moralia, de vera, ac pia fide:*

Credimus, *inquit*, & confitemur, vnum ſolum, & verum, & bonum Deum, & Patrem omnipotentem, ex quo omnia, Deum Patrem Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti: Et vnicum vnigenitumque eius Filium Dominum & Deum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſolum, verum: per quē omnia facta ſunt, viſibiliaque atque inuiſibilia, & in quo omnia conſtant: quique in principio erat apud Deum, & Deus erat, & poſt hæc ſecundum Scripturas in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe ęqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit: & per natiuitatem ex Virgine formam ſerui cum accepiſſet, & habitu inuentus eſſet, vt homo, omnia quæ in ipſum, & de ipſo ſcripta fuerant, compleuit, ſecundum mandatum Patris, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Et poſtquam tertia die reſurrexiſſet à mortuis ſecundum Scripturas, viſus eſt à ſanctis diſcipulis ſuis, & reliquis, ſicut ſcriptum eſt. Et aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Patris, vnde venturus eſt in conſummatione ſæculi huius, ad excitandos omnes, & reddendum vnicuiq; iuxta opus illius: quando iuſti quidem aſſumentur ad vitā æternam, peccatores verò ſempiterno addicētur ſupplicio, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Credimus item vnum ſolum Spiritum Sanctum paracletum, in quo obſignati ſumus in diem redemptionis, Spiritū veritatis, Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater, qui diuidit & efficaciter operatur dona, quæ à Deo dantur, ſingulis prout vult, ad vtilitatem, Spiritum, inquam, qui quæcunque audiuerit à Filio, docentem & commonentem omnia, bonum, deducētem in omnem

verita-

veritatem, & confirmantem omnes credentes ad cognitionem veram Dei Patris, vnigenitique eius Filij, Dominique ac Dei noſtri Ieſu Chriſti, & ſuipſius. Quæ tria nomina ſeorſim ſingula peculiarem quandam proprietatem apertè ſignificant, quæ piè in ipſis conſiderari poteſt: atq; in Patre quidem proprietas Patris, in Filio verò proprietas Filij, in Spiritu Sancto poſtremò ſua quædam à duobus diuerſa proprietas, cum neque Spiritus Sanctus à ſeipſo loquatur, neq; Filius à ſemetipſo faciat quicquam: ac Pater quidē Filium mittat, Filius verò Spiritum Sanctum (Hæc S. Spiritus proprietas eſt ex Patre Filioq; proceſsio) Sic ſentimus, & ſic baptizamus in Trinitatem conſubſtantialem, idq; ex præcepto ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dixit Matt. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mādaui vobis. Quæ ſeruantes, & caritatem erga illum habere nos demonſtramus, & digni efficimur, qui in ea maneamus, ſicut ſcriptum eſt Ioannis 15. v. 10. Contra negligentes eam ſeruare, ab ea diſiuncti, aut aliter affecti conuincimur. Qui enim non diligit me, inquit Dominus Ioan. 14. v. 24. ſermones meos non ſeruat. Et item Ioannis 14. v. 21. Qui habet mandata mea, & cuſtodit ea, ille eſt, qui diligit me. *Atque hanc ſuam veram ac ſinceram de Summa Trinitate fidem libris, miraculis, & ærumnis ſponte toleratis obſignauit S. Baſilius.*

Valens Imperator Arianus perſecutionem mouit aduerſus orthodoxos ac S. Trinitatis ac Filij Dei diuinitatis confeſſores, exercebantur exilia, fugæ, bonorum proſcriptiones, inſidiæ, tam apertæ quàm obſcuræ, verborum illecebrę

vbi offerebatur occaſio, vis vbi verborũ blanditiis efficere nihil poterat. Alij ab Eccleſiis exturbabantur, quicunque ſcil. fidem orthodoxã ac noſtratem profitebantur: alij introducebantur, nempe qui peſtiferam, perditamq́ Imperatoris religionem tenebant. Adde presbyteros in mari deflagrantes octoginta orthodoxos, qui legati ad Valentem Nicomediam miſsi fuerant, & nauibus incenſis impoſiti crudeliſsima morte interierunt. Adde impios & nefarios belli duces Eccleſiis bellum inferentes, in altaribus ſaltitantes, & incruenta ſacrificia hominũ & victimarum cruore fœdantes. Tunc ad Modeſtũ Præfectum & minitantem dira niſi Imperatoris fidei ſe adiungeret adductus Baſilius: Facito, inquit, vt ea cognoſcamus. Bonorum, inquit ille, proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Baſilius: Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit: Quoniam primum bonorum proſcriptioni obnoxius non ſum (*erogauerat ſuas facultates tempore famis in egenos*) quippe qui nihil habeam, niſi forte laceris ac detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quib. omnis mihi vita ſita eſt. Nec verò exilium vllũ cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neq; terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco, imò vt rectius loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum, & peregrinus. Iam quid accipere queant tormenta, cum corpore carcam (*ætate & auſteritate confectus*) niſi fortè primam plagam dixeris, huius enim ſolius inferendæ habes poteſtatem. Mors porrò beneficij mihi loco erit: citius enim me ad Deum tranſmittet, cui viuo, & munere

meo

meo fungor, maximaq; ex parte obij, & ad quē iam pridem propero. Præfectus indicat Imperatori inuictum eſſe Baſilium, vrgentibus tamē Arianis exilium illi decernitur. *Iſta S. Gregor. Oratione in laudem S. Baſilij.*

Scribit autem Theodoretus lib. 4. c. 17. & S. Ephrem Oratione in laudem S. Baſilij, Valentem ſubſcribere conantem decreto exilij Baſilio irrogandi, ne apicem quidem vnius literæ formare potuiſſe, ruptis ſponte tribus calamis, ad illud adhibitis, cumque nihilominus id tentare vellet, tremore concuſſam eſſe dexteram, & ſic obſtupefactum chartam laceraſſe. Sed & filius Imperatoris in morbum incidit, vocatuſque S. Baſilius promiſit illi ſanitatem, ſi ſibi traderetur inſtituendus in fide Catholica, quod Imperatore promittente, puer ſubito conualuit, vt habet S. Ephrem. Verùm cum illum Arianis baptizandum tradidit, mox exſpirauit. Socrat. lib. 4. c. 21. Sozom, lib. 6. c. 19. Modeſtus etiam Præfectus eodem prope tempore morbo correptus, S. Baſilij opem implorauit, & ſanitatem conſecutus eſt, vt tradit loco citato S. Greg. Naz. vbi & plures inſectationes commemorat aduerſus S. Baſilium. Qui perpetuis virginitatis, precationis, abſtinentiæ cultor, ſoloque quaſi ſpiritu viuens, vt præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur, diuiniſſimamque Trinitatem editis multis libris egregiè tutatus hinc in cœlum emigrauit.

* * *

Capvt XVIII.

EGREGIVS TESTIS ET PRAECO S. Gregorius Nazianzenus Sanctæ Trinitatis.

S*Anctus Gregorius Theologus Oratione in laudem S. Baſilij:* Ille, *inquit*, à furore nomen habens Arius magnã Eccleſiæ partem labefactauit, atq; conuulſit, dum inæquales diuinitatis gradus inuexit. Verùm vnicam Patris gloriam eſſe cenſemus, æqualem Vnigeniti dignitatem, vnicam item Spiritus Sancti cum eo exæquationem. Ac ſi quid horum trium in inferiori dignitatis gradu ponamus, totam Trinitatem à nobis diſiici, atque peruerti iudicamus: tria quidem quoad proprietates, vnum autem quoad diuinitatem agnoſcentes & colentes.

Hic S. Gregorius conſtitutus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, tantum doctrina perfecit, vt populus Catholicus, ibi ante perexiguus, mirum in modum creuerit, de quo ipſe in Domino gloriatur, Oratione ad 150. *Epiſcopos, ibidem habitâ:* Vnum quidem, *inquit*, idq; breue fidei doctrinæque noſtræ argumentum, ac velut in columna inſculptum, omnibuſque notum eſt, hic populus, adeò verus atque ſincerus Trinitatis adorator, vt ab hac potius vita diuelli ſe paſſurus ſit, quam vt trium horum aliquid à diuinitate diſiungat, eadem inter ſe, & mecum, & cum Trinitate ipſa coniuncti atque connexi.

Et Oratione in laudem Heronis ſiue Maximi: Patrem, *ait*, verè Patrem eſſe credamus, & quidem multo verius, quàm qui apud nos id nomen obtinent, tum quia proprio, ac ſingulari modo Pater eſt,

ter eſt, non autem ſicut corpora, tum quia ſolus. non enim cum mulieris coniunctione; atque congreſſu, tum quia ſolius, nempe Vnigeniti; tũ quia ſolum: nec enim priuſquam ipſe Pater eſſet, Filius fuit: tum quia in totum, & totius Pater (quod de nobis certo affirmari non poteſt) tum quia à principio, nec enim poſterius Pater eſſe cœpit. Eodem modo Filium verè Filium, quod & ſolus & ſolius ac ſingulari modo, & ſolùm (non enim Pater quoque ſimul eſt) & in totum Filius, & totius, & à principio hanc rationẽ habens, vt nunquam Filius eſſe cœperit: non enim ex pœnitentia diuinitas, neque ex progreſſione & incremento deificatio, vt ille aliquando Pater eſſe deſinat, hic Filij nomen amittat. Conſimili modo Spiritum Sanctum, verè ſanctum, neque enim alius talis eſt, nec eodem modo, neque ex acceſsione profectuque ſanctitatem habet, ſed eſt ipſamet ſanctitas, nec magis & minus, nec quoad tempus originem vnquam habuit, nec finem habiturus eſt. Hoc enim Pater & Filius & Spiritus Sanctus commune inter ſe habent, quod minimè creati ſunt, quodq; diuinitate iunguntur. Hoc item commune Filius & Spiritus, quod vterque eorum ex Patre eſt. Hac autem proprietate inter ſe diſtinguuntur, quod Pater ingenitus ſit, Filius genitus, Spiritus Sanctus emiſſus (ſiue prodiens aut procedens, vt & hic habet.) Quod ſi modum quærere pergis, quid iis relicturus es, quos ſolos mutuo ſe cognoſcere, atque à ſe mutuo cognoſci Scriptura teſtatur, (Matt. 11. v. 27. Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius. Ioan. 7. v. 28. & cap. 8. v. 19. Et 1. Cor. 2. v. 10. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei:) aut iis etiam noſtrum quibus in altero æuo diuini-

diuinitùs illuſtrari continget. *Orat. 5. de Theologiâ.* Ita ſentio, vtinamq́ ſentiam, & quiſquis mihi amicus eſt, colamus Deum Patrem, Deum Filiũ, Deum Spiritum S. tres proprietates, vnam diuinitatem, nec gloria, nec honore, nec eſſentia, nec regno diuiſam.

Sed quid Beatiſſima Trinitas præſtat cultoribus ſuis? Audiamus hunc eundem S. Gregorium Naz. Orat. ad Arrianos: Dei, *inquit*, viui templa viua ſumus, victimæ viuæ, holocauſta ſpiritalia, ſacrificia perfecta, Dij denique Trinitatis adoratæ beneficio. *Et Orat. 2. de pace:* Nos præclariſsimis, *inquit*, de cauſis concordiam inter nos colimus: vt vno animo, atque ore Patrem, & Filium, & Spiritum S. celebremus. *Rom. 15. v. 6.* idq́ de nobis prædicetur, quod verè in nobis ſit Deus, 1. *Cor. 15. v. 25.* eos, à quibus vnitur vniens, & eos, à quibus laudatur, & gloria celebratur, gloria afficiens, nec tantum prædicetur, ſed etiam credatur.

Hanc ſuam fidem de Sanctiſſ. Trinitate B. Gregorius præclaris virtutibus, ſcriptorum monumẽtis, variis ſuſceptis laboribus, exhauſtis miſeriis confirmauit: nam cõſtitutus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ob Arrianorũ ferociam, & multitudinem, clandeſtinè docuit, ſed detectus, quod Catholicæ de S. Trinitate fidei patrocinium ſuſciperet, in tantum Arianorum odium incidit, vt eum non ſolum, vt hæreticum, & maleficum inclamarent, ſed etiam vt talem lapidibus impeterent, raperentque ad tribunal, ingenti hæc conſtantia ac ſumma patientia perferentem, quin & ſicarium ſubmiſerunt, qui ipſum ſubægrotantem in lecto occideret, qui tamen Dei prouidentia in ipſo cædis procinctu pœnitens veniam ab eo petiit, & faciliimè impetrauit. vt ipſemet teſtatur Greg. in Carmine de vita ſua.

Sed ille ad necem pro ſacratiſſ. Trinitatis honore oppetendam promptiſsimus paratiſſimuſque erat. Hinc O-

ratione

Digitized by Google

ratione in S. Pentecoſt. Hic Spiritus, *inquit*, Sanctus, me hodierno die fortem, & intrepidum cōcionatorem reddit. Quæ res, ſiue quid grauius mihi allatura eſt, Deo ſit gratia, ſiue nihil mali allatura, ſic quoq; Deo gratia; alteram quod hac ratione eos, qui nobis infeſti ſunt, à maleficio reprimat; alterum quod nos ita ſanctificare velit, hunc videlicet ſacræ Euangelicæ functionis fructum ferentes, vt vitam cum cruenta morte commutemus, martyrioque perfungamur. *Hæc ille loco beneficii numerans, & pro eo gratias Deo agens, ſi ab hæreticorum inſidiis appetitus, hoc inſtitutionis & doctrinæ ſuæ præmium accipiat, vt per ſanguinis profuſionem vita defungatur.*

Quin & aliud maius malum pro celſiſſimæ Trinitatis honore pati deſiderauit, nimirum vt eſſet diſiunctus & ſeparatus à Chriſto, vt hæretici præſertim Macedoniani ad fidem, laudem, & cultum Beatiſſ. Trinitatis adiungerentur. Sic enim prædicta in S. Pont. Orat. loquitur: Illud Apoſtoli Rom. 9. v. 3. proloqui nō dubitabo, adeo vos amplector, atq; exoſculor, vt anathema etiam à Chriſto eſſe, ac nonnihil vt damnatus perpeti non recuſem, modo nobiſcū adiungamini, communibuſque animis Trinitatem concelebremus.

Quis nobis talem ardorem, tantumq; propagandi Sanctiſſimæ Trinitatis cultus, ac honoris ſtudium tribuat? Da tu, ô ſemper adoranda Trinitas.

CAP.

CAPVT XIX.

D. HIERONYMVS BEATISSIMÆ Trinitatis aſſertor.

MVltas fraudes excogitarunt, & varias huic ſanctiſſimo Patri, ac doctiſſimo inſidias ſtruxêre Ariani, vt eum vel opinione tenus ſuam in perfidiam allicerent, neque dubitarunt, vt mendax eſt hæreticorum genus, in hæreſeos illum ſuſpicionem vocare, vt ita cæteros ab eo abalienarent. Teſtatur id ipſe epiſtola 57. & 58. ad Damaſum Pontificem, in quarum poſteriore: Hinc, *ait*, præſidiis fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia (*Antiochena*) ad ſe rapere me feſtinat, monachorum circa manentium, antiqua in me ſurgit auctoritas: Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. *Et epiſtola 39. ad virgines Hermonenſes, & epiſtola 77. ad Marcum presbyterum Celedenſem:* Hæreticus, *inquit*, vocor, homouſion prędicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres ſubſiſtentes, veras, integras, perfectaſque perſonas indefeſſa voce pronuncians. Si ab Arrianis, meritò: ſi ab orthodoxis, qui huiuſmodi arguunt fidem, orthodoxi eſſe deſierunt, aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Aegypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroq; condemnent.

Proinde Romanam Eccleſiam veluti cæterarum matrem, ac magiſtram ſibi conſulendam putauit, ne vel vnico verbulo laberetur. Id facit epiſt. 57. & 58. ad Damaſum Papam, in quarum prima ſuam de Beatiſſima Trinitate edit confeſſionem: Vna eſt, *ait*, & ſola Dei natura, quæ verè eſt, id enim quod ſubſiſtit, non habet aliũdè, quod ſuum eſt. Cætera, quæ creata ſunt,

ta ſunt,etiamſi videntur eſſe, non ſunt,quia aliquando non fuerunt,& poteſt rurſum non eſſe, quod non fuit: Deus ſolus, qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet.Idcirco & ad Moyſen de rubo loquitur,Exodi 3.Ego ſum,qui ſum.Et rurſum: Qui eſt,me miſit. Erant vtique tunc Angeli, cœlum, terra, maria: & quomodo commune nomen eſſentiæ propriè ſibi vendicat Deus? Sed quia illa ſola natura eſt perfecta,& in tribus perſonis Deitas vna ſubſiſtit, quæ eſt verò,& vna natura eſt, &c. ſufficiat nobis dicere, vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes perfectas, æquales coæternas. *Iſta eximia doctrina, auctoritatis vita, & ſanctitatis B. Hieron.*

Da auguſtiſſima Trinitas, vt non in errantium deuiis, neque in hæreticorum luſtris, ſed in vna, vera, Catholica Romana Eccleſia te conſtanter pieque celebremus.

CAPVT XX.

D. AMBROSIVS S. TRINITAtis aſſertor.

Quid de ſupremo illo noſtræ fidei & religionis myſterio, hoc eſt, auguſtiſſima beatiſſimaque Trinitate ſenſerit S. Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus vir permagnæ ſapientiæ, virtutu & auctoritatis abundè teſtatum fecit, cum ad eam, hoc eſt, diuiniſſimam Trinitatem propugnãdam, quinque libros de ſide, ad Gratianum Imperatorem ſcripſerit, in quibus potiſſimum Verbi diuini ſiue Filij Dei diuinitatem demonſtrat, quam eandem diuinitatem vt & tertiæ perſonæ diuinæ conuenire doceret prioribus ad

eundem Auguſtum addidit libros tres de Spiritu Sancto, ſecutus maximè S. Baſilium ſibi familiarem. Itaque libro 1. de fide cap. 2. hunc in modum ſuam teſtatur fidem: Vnum Deum, non duos aut tres Deos dicimus, vt impia Arianorum hæreſis, dum criminatur, incurrit. Tres enim Deos dicit, qui diuinitatem ſeparat Trinitatis, cum Dominus dicendo Matthæi 28. verſ. 19. Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnius eſſe Trinitatem poteſtatis oſtenderit. Nos Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confitemur, ita vt in Trinitate perfecta, & plenitudo ſit diuinitatis, & vnitas poteſtatis: Omne regnum in ſe diuiſum facile deſtruetur. Dominus hoc dicit Matthæi 12. v. 25. Lucæ 11. v. 14. Non ergo diuiſum eſt regnum Trinitatis. Si diuiſum non eſt, vnum eſt: quod autem vnum non eſt, diuiſum eſt. Tale ergo regnum cupiunt eſſe Trinitatis, quod diuiſione ſui facile deſtruatur. Imò quia non poteſt deſtrui, conſtat non eſſe diuiſum. *Et libro ſecundo de Abraham capite octauo:* Trinitas diuidens omnia ſola indiuiſa. *Et de inſtitutione Virginis capite decimo*: Vnus, *ait*, Deus Pater, & vnus Dei Filius, & vnus Spiritus Sanctus, & hi vnus Deus. Vnus Filius, quia cum Patre vnus eſt, ſicut ipſe dixit Ioannis 10. verſu 31. Ego & Pater vnum ſumus. Et vnus Spiritus, quia vnitas Trinitatis eſt, non ordine diſtincta, non tempore: Sed dicunt) *Ariani*) lectum Matthæi 28. verſ. 19. Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Et obiiciunt, quia primo Patrem nominauit, ſecundò Filium, tertiò Spiritum Sanctum. Nunquid ergo, quia dicit Euangelium Ioann. 1. v. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, inferiorem ſignificauit Patrem, quia primò Verbum Dei in principio

cipio ſemper eſſe ac fuiſſe memorauit. Aut cum dixit Apoſtolus Epheſ. 5. verſ. 5. In regno Chriſti & Dei, ordinem fecit? Aut cum dicit ipſe Dominus Ieſus Lucæ 4. verſu 18. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxit me: euangelizare pauperibus miſit me, prædicare captiuis remiſsionem, eminentiorem Filij Dei Spiritum eſſe teſtatus eſt? Deinde illud legunt, quia dixit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non intelligunt, quid ante præmiſerit. In nomine, inquit, tres perſonas quidem ſignificauit, ſed vnũ Trinitatis nomen aſſeruit. Vnus itaque Deus, vnum nomen, vna diuinitas, vna maieſtas. Nullus ergo ſecundus, quia principium omnium Trinitas eſt, & Trinitatis primatus ſuper omnia eſt. *Et in Apologia Dauid*: Vna eſt, *inquit*, ſententia, quæ hæreticorum omnium machinas deſtruit, vt vnius poteſtatis, maieſtatis atque virtutis Trinitatem eſſe credamus: & ideo quod Filius fecit, non ſeparemus Patrem, nec ab eo, quod Pater mandauit, Filium ſegregemus.

Neque ſolum concionibus & ſcriptis Catholicam de Summa Trinitate fidem defendit Sanctus Ambroſius, ſed & maximis laboribus, pro ea ſarta tecta conſeruanda, & periculis perfunctus eſt. Nam vt ſcribit Paulinus ipſius Beati Ambroſii præsbyter in eius vita, & ex ipſo Cardinalis Baronius Anno Domini 381.

Mediolanenſem Eccleſiam valde perturbauit Iuſtina Auguſta Valentiniani Senioris coniunx, Ariana fœmina audaciſſima & procaciſſima: Quæ hæreſi patrocinatura cum accepiſſet Sirmienſem Eccleſiam Epiſcopo deſtitutam illuc properauit, Arianum ei Antiſtitem præfectura. Verùm Ambroſius pariter ſe eo conferens inuita Imperatrice orthodoxum Epiſcopum conſtituit Annemium.

Quo tempore quædam Ariana virgo in ipſum S. Ambroſium in Epiſcopali Throno ſedentem, vt ex eo ipſum detraheret, manus iniicere auſa, audiuit: Etſi ego indignus tanto ſacerdotio ſum, tamen tibi non conuenit, vel profeſſioni tuæ, in quantumcunque ſacerdotem manus iniicere, vnde vereri debes Dei iudicium, ne tibi aliquid mali eueniat. Quod dictum exitus confirmauit. Nam altero die mortuam ad ſepulchrum vſque deduxit, gratiam pro contumelia rependens.

Mediolanum reuerſus innumeras Iuſtinæ Auguſtæ inſidias ſuſtinuit, illa ſiquidem muneribus atque honoribus oblatis ſollicitabat populum, vt eum de Eccleſia raptum in exilium eijcerent. Quod facinus molitus Euthymius eodem carpento, quo virum ſanctum deportare voluit, in exilium proiectus eſt, cui ſumptus, & vita neceſſaria ſuppeditauit, B. Ambroſ. Vbi Iuſtina ereptam Catholicis Baſilicam Arrianis tradere conanti Ambroſius conſtanter reſtitit, adſiſtente ei miro Catholicæ fidei zelo populo Mediolanenſi. Ita Baronius Anno 386. ex Paulino.

Et quia non eſt malitia ſuper malitiam mulieris, *Eccleſiaſtici 25. v.26. non hic inſana Imperatricis furor conquieuit: nam edictum à filio Valentiniano 2. promulgari curauit, quo iuberentur Catholici ſacerdotes Arianis Eccleſias tradere, aut occidi. Aduerſus quos omnes conatus mirè eluxit, tum ipſius S. Ambroſii ingens animus in conſeruandis Baſilicis, & Eccleſiaſtica libertate aduerſus Imperialem auctoritatem defendenda, tum populi Mediolanenſis vigilantiſſimum ſtudium in cuſtodiendo diu, ac noctu eodem Præſule ſuo, ab inſultibus furentium Arianorum, & militum Prætorianorum. Itaque nihil effecit Iuſtina, & palam Ambroſium perſequi deſtitit, tamen furiis agitata clam eum interficere pertentauit. Rem narrat Paulinus:* Quidam gladium ferens, *inquit,* ad cubiculum vſque, vt interficeret Sacerdotem, peruenit, ſed cum eleuaſſet

uaſſet manum diſtricto gladio dextera obrigẽte remanſit. Tunc ſe miſſum à Iuſtina poſtquam confeſſus eſt, brachium quod iniquè cum extenderetur, riguerat, ſanatum eſt confeſsione. *Demum ipſos dæmones per maleficos ad eũdem Ambroſium necandum immiſit, qui tantum abeſt, vt illud exequi valuerint, vt nec ad fores domus ipſius appropinquare potuerint, quod ignis inſuperabilis totum illud ædificium communiret, vt etiam longè poſiti vrerentur. Et quidem Angelorum præſidio vallatum ſemper fuiſſe B. Ambroſ. inde credibile eſt, quod Innocentius cum pro maleficiorum ſuorum cauſa torqueretur à Iudice clamauerit, ab Angelo maiora tormenta, ſibi adhiberi, eo, qui cuſtodiret Ambroſium. Arrianus etiam acerrimus diſputator, & pertinaciſſimus, vidit Angelum ad aures, in Eccleſia tractantis Epiſcopi loquentem, vt verba Angeli populo Epiſcopus nunciare videretur. Quo viſo conuerſus fidem Catholicam, quam oppugnauerat, propugnauit.*

Quidam etiam ex Arianis miracula corporibus SS. Martyrũ Geruaſii & Prothaſii facta irridentibus ſubitò arreptus ſpiritu immundo clamare cœpit, ita optare ſe torqueri, vt ipſe torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis vnitatem, quam doceret Ambroſius. At illi hac voce confuſi in piſcinam demerſum hominem necauerunt, perfidiæ homicidium iungentes.

Duo etiam Imperatoris cubicularij Ariani tractandam de Incarnatione Domini quæſtionem propoſuerant D. Ambroſio, & ſe altera die affuturos promiſerant, verùm fruſtra Epiſcopo, & populo in Eccleſia expectante, illi conſcenſis equis ciuitatem egreſsi, & ſubito præcipitati miſeras animas exhalarunt. Ecce quot, quantiſque miraculis orthodoxam de Sanctiſſima Trinitate fidem Deus ipſe ſtabiliuit, quibus vnum vbi addidero, finem faciam: nimirum quomodo pueri recenter in nomine

Sanctiſſimæ Trinitatis baptizati, & ab ea illuſtrati, S. Ambroſium à morte conſpexerint. Ad Eccleſiam maiorem corpus ipſius antelucana hora portatum eſt, ibique eadem fuit nocte, quâ vigilauimus in Paſcha, quem plurimi infantes baptizati, cùm à fonte venirent, viderũt, ita vt aliqui ſedentem in cathedra, & in tribunali dicerent, alij verò ambulantem ſuis parentibus digito oſtenderent, ſed illi videntes, videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant. Hæc omnia ex Paulino præsbytero integerrimo Ambroſianæ vitæ ſcriptore. Qui S. Ambroſius quàm libenter iugulum ſuum pro S. Trinitatis fide obtulerit, ipſe teſtatur epiſtola 33. ad Marcellam ſororem. Vbi & de Arianis ait: Vtinam Dominus auertat eos ab Eccleſia, & in me omnia ſua tela conuertant, meo ſanguine ſitim ſuam expleant.

Fac ſanctiſſima Trinitas, vt ſpiritum, quem à te hauſimus, quem tibi debemus, pro voluntate tua vel honore libentiſſimè ſemper reddamus.

CAPVT XX.

S. EPIPHANIVS BEATISSIMAE Trinitatis prædicator.

V*Alens Imperator Orientis Catholicæ de Trinitate fidei hoſtis, cui & pœnas dedit viuus in agreſti caſa combuſtus, cum orthodoxos Epiſcopos in exilium pelleret, inter quos* Epiphanius Epiſcopus Cypri, *ait S.Hieron. epiſt. 61. ad Pammachium*, à Valente non tangebatur, tantæ enim venerationis ſemper fuit, vt regnantes hæretici ignominiam ſuam putarent, ſi talem virum perſequerentur. *Hic ergo quid de Sanctiſſima Trinitate ſenſerit, audiamus, lib. 2. contra hæreſes cap. 42. aduerſus Sabellianos:*

Quod

Quod quidem, *ait*, verè vnus eſt Deus, & non eſt alius palam in ſancta Dei Eccleſia, confeſſum eſt, & conſenſum. Quia nō multitudinem Deorum introducemus, ſed Monarchiam prædicamus: Monarchiam autem prædicantes non fallimur, ſed confitemur Trinitatem, vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, vnam Deitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Pater ſemper Pater, & non erat tempus, quando non erat Pater Pater. Perfectus exiſtens, ſemper Pater in ſubſtantia, & Filius ſemper perfectus exiſtens ſemper in ſubſtantia, ex Patre in veritate genitus, ſine principio, ſine tempore, & inenarrabiliter: non confrater exiſtens Patri, non auſpicatus ipſum eſſe, neque qui intermiſerit vnquam, verùm ſemper Filius genuinus cum Patre exiſtens, ex Patre ſine tempore genitus æqualis exiſtens, Deus ex Deo, lumen de lumine, Deus verus ex Deo vero, genitus nōn creatus. Sed non ipſe Pater: neque Pater ipſe Filius, ſed ſemper Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Semper enim Spiritus, cum Patre, & Filio, non confrater Patri, non genitus, non creatus, non frater Filij, non ſoboles Patris, verùm ex Patre procedens, & de Filio accipiens, non alienus à Patre, & Filio, ſed ex eadem eſſentia, ex eadem Deitate, ex Patre & Filio, cum Patre, & Filio, ſemper in ſubſtantia Spiritus Sanctus, Spiritus diuinus, Spiritus gloriæ, Spiritus CHRISTI, Spiritus Patris. Nam SPIRITVS SANCTVS, qui loquitur in vobis, & Spiritus meus conſtitit in medio veſtrum.

Rurſum libro 2. contra hæreſes capite 74. contra Pneumatomachos: In Scripturis ſanctis, *ait*, Trini-

Trinitas nobis annunciatur, & creditur, citra curioſitatem, citra contentionem, per aſſenſum auditus, ex hac fide ſalus gratiæ, ex fide iuſtitia citra opera legis. Fides autem vniuerſalis præconum Eccleſiæ vocibus hæc, vt puto, ſignificatur, prout ego quidem in fide inſtitutus ſum ex Scripturis: Tria ſancta, tria conſancta, tria exiſtentia, tria coexiſtentia, tria in forma, tria conformia, tria operantia, tria cooperantia, tria in ſubſtantia extantia, tria coextantia in ſubſtantia inter ſe conuerſantia. Trinitas hæc ſancta vocatur, tria exiſtentia, vna concordia, vna Deitas, eiuſdem eſſentiæ, eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ. *Quanta autem animi voluptate & cogitarit, & locutus ſit, & ſcripſerit, B. Epiphanius ſatis declarat lib. 3. contra hæreſ. cap. 74.* Semper, *ait,* Trinitas eſt, & nunquam Trinitas additionem accipit, id, quod dulce eſt, confiteri, & nulla ſatietas dicere. Dulcia enim, inquit Propheta Pſalm. 118. gutturi meo eloquia tua. Et ſi dulcia ſunt eloquia, quanto magis nomen Sanctum Trinitas fons omnis dulcedinis.

Amareſcat nobis mundus, & tu ſola dulceſcas nobis ô adoranda vnitas, ô Beata Trinitas.

CAP.

Capvt XXI.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS acer vitiorum caſtigator, & eximius Catholicæ de S. Trinitate fidei defenſor.

Hic cum ſeueram in eremo vitam duxiſſet, à Flauiano Antiocheno Antiſtite, iuſſu Angeli, & deſcendente in eum alba columba, ſymbolo S. Spiritus, ſacerdos ordinatus eſt, vt Leo Auguſtus in eius vita, & alij memorãt, quo tempore & multa patrauit miracula, & hæreticos inſectatus eſt.

Deſignatus Conſtantinopolitanus Patriarcha mox curauit legem ferri contra Eunomianos, S. Trinitatis hoſtes, & contra Montaniſtas, & cleri populique vitia, & abuſus corrigens, eorum in ſe odium concitauit. Gainæ, Gotho Arriano, Arcadij Imperatoris exercitus duci ſibi, ſuiſque Eccleſiam intra Conſtantinopolim petenti fortiſſimè reſtitit Chryſoſtomus, in ipſius Arcadij Imperatoris præſentia (cui & dixerat, ſatius eſſe Imperio cedere, quàm S. Trinitatis inimicis Dei Eccleſiam prodere) multiſque rationibus Barbarum à cœptis deſiſtere coegit, vt narrant Theodoret. libro 5. cap. 32. & Sozomen. lib. 8. cap. 4.

Similiter cum impii Ariani aduerſus S. Trinitatis fidem cantilenas decantarent B. Ioan. hymnos in S. Trinitatis laudem compoſitos à ſe longè maiori decore, & apparatu decantari fecit, vt Socrates lib. 6. cap. 8. & Sozomenus lib. 7. cap. 8. affirmant, hic verò & addit eiuſmodi hymnorum cantionem à Chryſoſtomo inſtitutã, in Conſtantinopolitana Eccleſia, feliciter perſeueraſſe. Cunctos deinde hæreticos Vrbe pelli curat, & ipſe bis iniuſtiſſimè in exilium pulſus, ibique plurimis ad S. Trini-

tatis fidem conuerſis, anguſtiis, laboribus, moleſtiis, morbis obrutus, apparitione S. Baſiliſci Epiſcopi & Martyris confirmatus, ſumptis cœleſtibus Sacramentis, & poſt orationem ſigno crucis in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ſe muniens ipſi ſpiritum reddidit.

Hanc ſuam de auguſtiſſima Trinitate fidem, quam ſermone & opere propugnauit, etiam plurimis, ac illuſtribus ſcriptis conſignauit: Et quidem ſuum de S. Trinitate ſermonem, ita exorditur: Qui aduerſus ſanctam & conſubſtantialem, inſeparabilemq; Trinitatem linguas acuunt, & blaſphemant, nituntur que Vnigeniti, & Spiritus Sancti dignitatem deſtruere, arguuntur quidem ab ipſo Spiritu S. qui locutus eſt per Prophetas, & à Verbo, quod prædicauit ſuiipſius proprium, & in carne aduentum, propter nos ex ſancta Virgine factum, ineffabilem, & alterationis expertem, propter ſuas dignitates: arguentur autem & poſtremum in die iuſti iudicij, quando iterum veniet de cœlo, vt glorificetur in Sanctis ſuis, & admirabilis appareat in his, qui fidem in ſe cuſtodierunt immutabiliter. Auſi autem ſunt Arianorum diſcipuli, & inſania Macedonianorum laborantes dicere Deum magnum, & paruum, & creatum Deum, gentilitatem nobis ſubintroducentes. Gentilium enim eſt creaturam adorare, & aliũ ex Diis ſuis maiorem, alium minorem facere. Enimverò, ſi in aliquo deficit Filius, vel Spíritus Sanctus, non eſt Deus. Paulus enim reprehendens dicit: Venerati ſunt, & coluerunt creaturam, ſupra eum, qui condidit, qui eſt in omnibus Deus benedictus. Nos non creaturam adoramus, ſed Trinitatem increatam, mutationis expertem, & conſubſtantialem, nihilq; habentem aduentitium, vel ſeruile, vel quod productione in eſſe venerit, quaſi prius quidem non

exiſtens,

exiſtens, poſtea autem adueniens. *Cum autem B. Chryſoſt. multis Scripturæ teſtimoniis, quæ & nos alibi protulimus, vnam S. Trinitatis eſſe naturam comprobaſſet, & ſe immenſum hoc pelagus exhaurire non poſſe vidiſſet, dictioni ſuæ his verbis finem imponit*: Sufficiant hæc ei, qui voluerit, tametſi pauca ſint: omnia enim tractare impoſsibile. Docenti enim mihi deficeret tempus. Neque ipſum mundum opinor, capere libros, qui ſcribuntur: nos autem indigni, qui tantam ex ſacris Scripturis vtilitatem aſſequamur: adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Atque hos ſanctiſsimos Patres & vndiquaque doctiſſimos in medium tanquam publicum totius orbis theatrum produxiſſe, vt ſuam de auguſtiſsima Trinitate fidem confiterentur, abundè ſatis eſt: nam & alios quamplurimos lib. 2. cap. 12. nominatim ad hoc teſtimonium dicendum citauimus. Neque hic, alios, quàm qui præclaris lucubrationibus, & obiectis periculo corporibus ſuam de Beatiſsima Trinitate fidem conteſtati ſunt, adducere voluimus. Verùm & hic Chriſtiani Imperatores, quamuis Theologi non fuerint, non tamen omninon prætermittendi ſunt, paucos ſtrictim attingemus.

* * *

CAP.

CAPVT XXII.

CONSTITVTIO IMPERATORIS Theodoſij de Sanctiſſima Trinitate, Caßiodorus lib. 9. Hiſtor. Tripart. cap. 7. ex Sozomeno de Theodoſio Magno.

COgitans igitur Imperator, melius eſſe pronunciare ſubiectis, cuiuſnam eſſet fidei, ne videretur vim facere, ſi quenquam ſubito inuitum ad cultum religionis impelleret, legem è Theſſalonica populo Cōſtantinopolitano propoſuit. Hoc enim viſum eſt, vt veluti de quadam ciuitatis arce omnibus ſubiectis aliiſque ciuitatibus iudicante Scriptura, fieret manifeſta. Cuius legis verba ſunt hæc:

IMPPP. GRATIANVS, VALENTInianus, & Theodoſius, Auggg. populo Vrbis Conſtantinopolitanæ:

CVnctos populos, quos clementiæ Noſtræ regit temperamentum, in ea volumus Religione verſari, quam diuinum Petrum tradidiſſe Romanis, religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat: quamque Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamq́ue doctrinam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnā Deitatem, ſub pia Maieſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum iubemus nomen amplecti: reliquos verò dementes, veſanoſque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, diuina

uina primum vindicta, poſt etiam motus noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos. Datæ 3. Kalend. Martias Theſſalonicæ, Gratiano quinto, & Theodoſio Coſs.

Qui idem Theodoſius Magnus nonniſi SS. Trinitatis Confeſſores & propugnatores ad Eccleſiaſticas dignitates admitti voluit: ſic enim ſcribit Sozom. lib. 7. hiſt. c. 9. Imperator lege lata ſtatuit, authenticam eſſe debere Nicænam fidem, & cunctas Eccleſias illis tradi, qui in hypoſtaſibus trium æqui honoris, & paris potentiæ perſonarum, vnam & eandem Patris, & Filij, & Spiritus S. diuinitatem confiterentur.

Ad ſanctiſſimas iſtas Theodoſianas pro auguſtiſſimæ Trinitatis fide conſtitutiones reſpiciens D. *Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 26.* Ex ipſo, *inquit*, initio ſui Imperij non quieuit Theodoſius Auguſtus, iuſtiſsimis & miſericordiſsimis legibus aduerſus impios laboranti Eccleſiæ ſubuenire: quam Valens hęreticus, fauens Arianis vehementer afflixerat, cuius Eccleſiæ ſe membrum eſſe, magis quàm in terris regnare gaudebat.

Et ob hunc religioſum cultum ſenſit ſibi S. Trinitatem valde propitiam & benignam, cuius auſpiciis & auxiliis duos potentiſſimos tyrannos Maximum & Eugenium oppreſſit, ſolus Romano Imperio potitus eſt, filios Arcadium in Oriente, Honorium in Occidente imperantes reliquit. Et ille multa ſecum bona opera tulit, *vt commemorato loco inquit S. Auguſt.* ex iſto temporali vapore cuiuslibet culminis & ſublimitatis humanæ, quorum operum merces eſt æterna felicitas: cuius dator eſt Deus, ſolis veraciter piis. Cætera verò huius vitæ vel faſtigia, vel ſubſidia, ſicut ipſum mundum, lucem, auras, terras, aquas, fructus, ipſiuſque hominis animam, corpus, ſenſus, mentem, vitam bonis maliſ-

maliſque largitur. In quibus eſt etiam quælibet Imperij magnitudo, quam pro temporum gubernatione diſpenſat.

Capvt XXIII.

ALIORVM IMPP. DE S. TRInitate ſententia.

B*Aſilius Macedo Imp. filium ſuum Leonem ſic exhortatur c.*1. Adora Patrem & Filium, & Spiritum S. Trinitatem conſubſtantialem, indiuiſam, atque inconfuſam.

Leo Imp. cognomento Philoſophus, epiſtolâ ad Omaſtium Regem circa annum 880. *data ſic ſcribit*: Ideo dicimus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, lumen de lumine, & Verbum de Deo: quia vnum ſunt, non ſeparantes ea, &c. Non diuidimus inter eos, neque plures Deos dicimus, cui non eſt ſimilis in regno, &c.

Iuſtinianus Imperator circa Annum 530. *publicam fidei confeſſionem ſcripſit, in qua ſic inter cætera*: Confitemur credere in Patrem, & Filium, & Spiritũ Sanctum, Trinitatem conſubſtantialem, &c. Vnitatem enim in Trinitate, & Trinitatem in vnitate adoramus, mirabilem habentem & diuiſionem, & vnitionem. Vnitatem quidem ſecundum rationem ſubſtantiæ ſeu Deitatis: Trinitatem autem ſecundum proprietates, vel ſubſiſtentias ſiue perſonas.

Carolus Magnus Imperator, libro 1. *legum cap.* 82 (*ad Annum* 780.) primo omnium prædicandum eſt omnibus generaliter, vt credant Patrem, & Filium

lium, & Spiritum Sanctum, vnum eſſe Dominum, omnipotentem. æternum, inuiſibilem, qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Et vnam eſſe Deitatem, & ſubſtantiam, & maieſtatem in tribus perſonis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Iuſtinus Imperator pulcherrimum edictum ſcripſit de fide in Sanctiſſimam Trinitatem habenda quod reperitur ad longum apud Euagrium hiſtoria Eccleſiaſtica libro 5. capite 4. Vbi & hæc habet inter cætera: Eſt cunctis mortalibus prima ſalus in eo, vbi rectam fidem confiteantur, & ad vnam & eandem Eccleſiam pariter & ſententiam conueniant credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum, Sanctum, Triadem coeſſentialem, & vnam Deitatem ſecundum naturam & eſſentiam in verbo, & in opere, & vnam potentiam & poteſtatem, & energiam in tribus hypoſtaſibus, id eſt, perſonis glorificantes, in quas etiam baptizati ſumus, in quas credidimus, & quibus coniuncti ſumus. Vnitatem enim in TRINITATE & TRINITATEM in vnitate adoramus, admirabilem tam diuiſionem, quam vnionem habentem, vnitatem videlicet ſecundum eſſentiam, id eſt, diuinitatem, Triadem ſecundum proprietates, hoc eſt, hypoſtaſes, ſcilicet perſonas, & cætera.

Semper hoc verè ſapientes, & pij cenſuêre Principes, ſe eſſe Catholicæ Eccleſiæ alumnos, & nutricios, defenſores ac propagatores, & tunc ſe ac Rempublicam fore incolumem ac florentem, ſi non modo ſartæ tecta, vna & vera conſeruetur Catholica Religio, ſed etiam longiſſimè ac latiſſimè per ipſos amplificetur.

Et

Et quidem oportunè hic ſubiiciemus, quales eſſe debeant Chriſtiani populi præſides cùm in aliis virtutibus tum vel maximè in tuenda colendaque religione.

Capvt XXIV.

CHRISTIANORVM IMPERATORUM & Principum ſpeculum à S. Auguſtino Doctore maximo propoſitum, Lib. 5. de Ciuit. Dei c. 24.

NEque enim nos, *inquit*, Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperātes filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipub. domuerunt, vel inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitę huius ærumnoſę, vel munera, vel ſolatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus, ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium, non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatādum, maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deum timēt, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes: ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſsitate regendæ tuendæque Reipub. nō pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatus, ſed

tis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quod aſperè coguntur plerunque decernere miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices: interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id, quod expectamus, áduenerit.

Capvt XXV.

Peregrinarvm gentivm de Sancta Trinitatis fide teſtificatio.

Onfeſſio fidei Aethiopicæ conſcripta à Zagazabo Aethiope, & in Europam miſſa Anno 1536. *ſic habet*: Credimus in nomen S. Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui vnus eſt Dominus: tria quidem nomina, vna diuinitas: tres facies; vna verò ſimilitudo, æqualis trium perſonarum cõiunctio; æqualis, inquam, in diuinitate, *&c.*

Anno 1595. *legationem miſit Gabriel Patriarcha Alexandrinus ad S.D. Clementem VIII. in confeſſione fidei ſuæ ſic ſcribit:* Corde credo, & ore confiteor, quod vnus eſt Deus verus, vnus in eſſentia, trinus in perſonis, Pater ingenitus, Filius à ſolo Patre genitus, Spiritus Sanctus à Patre Filioque æternaliter procedens, *&c.*

Parem confeſſionem ſcripſit Anno 1580. *Hieremias Conſtantinopolitanus reſponſione* 1. *capite* 2.*& Anno* 1552. *Moſes Mardenus Aſſyrius, qui ſimiliter Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate confitentur.*

CAPVT XXVI.

PROBI AC PII HOMINES S. Trinitatis laudatores.

POſſunt omnes virtute ac ſanctimonia ſupereminentiſſimã (vt ſic cum S. Auguſtino loquar) laudare Trinitatem, ſed vt S. Patres & Eccleſiæ Doctores eruditione pariter & vitæ integritate non poſſunt omnes, quibus illud maximo ſolatio eſſe debet, quod quæ à ſanctitudine proficiſcitur, potiſſima, & acceptiſſima ſit præcellentiſſimæ Trinitati commendatio. Id alicui honori, gloriæ laudi eſſe reputatur, & dicitur, quod cauſa eſt, vt ille à quamplurimis honorabilis, gloria & laude dignus habeatur. Ideoque quiſquis ita affectus eſt, ita viuit, loquitur, agit, vt exinde alterius bona, quæ laudis & prædicationis fundamenta ſunt, appareant, commendentur, ſuſpiciantur, is talem eo ipſo laudat, & glorificat: quo ſenſu dixit Salomon Prouerbiorum 17. *verſu* 6. Gloria filiorum, patres eorum. *Et Eccleſiaſt. cap.* 3. *v.* 13. Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore. *Iudith* 15. *verſ.* 10. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrahel, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quod caſtitatem amaueris. *Et Apoſtolus* 1. *Theſſal.* 2. *verſ.* 19. 20. Quæ eſt enim ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos n. eſtis gloria noſtra, & gaudiũ. *Atque hoc modo gloria, honor, laus, ornamentũ patris, eſt filius probus, Magiſtri diſcipulus eruditus, opificis*

opus

opus elegans & elaboratum, Apoſtoli gloria Chriſti, 2. Corinthiaca 8. *verſu* 23. *& Galat.* 1. *verſu* 24. In me clarificabant Deum. *Sic aliqui dicuntur decus, ornamentum, ſplendor familiæ, ciuitatis Reipub. gentis, & è contrario alij, qui generi ſuo, patriæ, populo dedecus, & infamiam inuſſerunt, probrum, ſordes, macula, peſtes, labes, fex, cœnum, lutum.*

Quod ergo auguſtiſſimam Trinitatem, Dominum Deum *noſtrum ſummoperè commendet, integra, ſanctaque vita pulcherrimè demonſtrat S. Ioannes Chryſoſtomus homil.* 18. *in* 1. *Corinthiacam:* Qui adhæret Domino, *ait ex Apoſtolo* 1. *Corinth.* 6. *ver.* 17. eius ſpiritus eſt, ſpiritus enim huiuſmodi homo iam efficitur, quamuis corpore veſtiatur, *atque ita glorificatur Deus. Idcirco in oratione noſtra dicere præcipimur:* Sanctificetur nomen tuum, *Matth.* 6. v. 9. *Et Chriſtus inquit Matth.* 5. v. 17. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Ita glorificant eum cœli non voce, ſed aſpectu admirabiles, & gloriam ſuo referentes conditori. *Ita glorificemus eũ & nos, vel potius magis, quã illi, poterimus enim ſi volemus. Siquidem nõ ita cœlum, dies, & nox, quemadmodum ſancta anima Deum glorificat. Nam vt homo in pulchritudinem cœli aſpiciens dicit: Gloria tibi Deus, quale opus condidiſti, ita hominis virtute conſpecta, & multo magis in hac vita. Ab illis enim creaturis non omnes Deum glorificant. At in hominis virtute nemo ita impudens eſſe poterit, ſed omnino Deum glorificabit, quum viderit ei ſeruiẽtem cum virtute viuere. Et quis non admirabitur, cũ homo quiſpiam eiuſdem naturæ particeps, & in mediis hominibus verſatus, adamantis more, ab affectuum examine non frangatur, cum inter ignes, ferrumq; & beſtias adamãte fortior perſtet, & omnes pietate exſuperet. Quũ ignominia affectus, benedicit, quũ malè audiendo id ꝓbat, quũ*

calumniis perſequutus & læſus, pro earum orat auctoribus, quum inſidiis circumuentus, in hoſtes confert beneficia, hæc & huiuſmodi magis quàm cœlum intuentur, & non erubeſcunt, ſed quum virum ſanctũ conſpiciant, philoſophiam diligenter præ ſe ferentem, vultum deiiciunt, & ſeipſos accuſant. Si quidem quum eiuſdem naturæ particeps longè præſtantior ſit, quàm cœlum & terra, etiam inuiti intelligunt, quod diuina virtus hæc operatur.

Eadem fere habet S. Chryſoſt. hom. 9. ad Antiochenos, vbi & inter alia ait: Cum viderit infidelis, te fidelem compoſitum, modeſtum, ornatum eſſe, mirabitur & dicet: verè magnus Chriſtianorum Deus, quales conſtituit homines, quales è qualibus fecit? Angelos ex hominibus ipſos reddidit.

Auctor eſt V. Beda lib. 1. Angl. hiſt. cap. 7. quod Albanus in Anglia paganus, cum Clericum ex perſecutione fugientem hoſpitio recepiſſet, eumque orationibus continuis ac vigiliis diu noctuque ſtudere conſpexiſſet, exemplum æmulatus Chriſtianus euaſit, & clerici veſtes indutus morti pro illo ſe obtulit, & martyrij collegam carnificem reddidit.

Et cap. 71. ibidem V. Beda narrat, quod viſa exploratáque pia vita Auguſtini & ſociorum gentiles Angli conuerſi ſunt. Conſpecta S. Ceciliæ ſanctimonia pluſquã quadringenti confeſſi ſunt: ſe Chriſtum credere verum Deum, qui talem poſſideret famulam.

Lucianus vir diſertiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ preſbyter paſſus eſt Nicomediæ ob confeſſionem Chriſti, ait S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſ. Eius & meminit Euſeb. Cæſ. lib. 8. hiſt. cap. 25. & lib. 9. cap. 5. Hic puer duodecim annorum, *vt ſcribit Simeon Metaphraſt. in eius vita apud Surium 7. Ianuarij*, Catholicis ſuis parentibus deſtitutus, ſuas diuitias omnes pauperibus dilargitus eſt, & Baptiſmo initiatus

tiatus monaſticen ſuſcepit, ſemel in die comedebat, integra ſubinde hebdomada permanſit ieiunus, aſsiduis precibus, lachrymis, vigiliis, meditationibus vacabat. Creatus Antiochiæ ſacerdos ludum literarum aperuit, & quod ſcribendo acquirebat, inde ſibi & egenis alimentũ ſuppeditabat, & his prius quam ſibiipſi. Sacros codices valde adulteratos ex Hebræa lingua integritati reſtituit. In his laboribus piis à quodam Sabellianæ hęreſis, quàm acerrimè oppugnauerat, presbytero Pancratio proditus & Nicomediam ad Imperatorem Maximianum perductus eſt. Huius S. Luciani ſola vultus compoſitio & modeſtia perſuadebat Chriſtum eſſe verum Deum, quem coleret. Itaque cùm à multis inaudiuiſſet Maximianus, tantam in eius facie inſidere reuerentiam, vt ſi eum ſolum vidiſſet, veniret in periculum, ne fieret Chriſtianus, timens, ne quid tale ſibi accideret, velo interiecto ſeparat ſermonis congreſsionem, & verba procul ad eum emittebat, intermedio vtens ſermonis miniſtro. Sed cum neque promiſsis, neq; minis à Chriſtiana religione abducere poſſet, iuſſu illius in carcerem contruditur, & præter alia tormenta cippo extenſis in quatuor partes, alligatiſque pedibus ac manibus, ne aliquo modõ moueri poſsit, ſuper denſos teſtatum aculeos cubare cogunt, & non niſi idolothytorum cibum, quo ille contaminari noluit, offerentes quatuordecim dierum inedia necarunt. Pridie autem ſui obitus, qui fuit dies Epiphaniæ, in ſuã & præſentium diſcipulorũ conſolationem mirando prorſus modo incruentum Deo ſacrificium obtulit, cum ſicut erat ſtratus, atque ſupinus iuſsit ſuo pectori tanquam arę imponi ſigna diuini myſterij, & vos, inquit circumſtantibus,

ſanctum mihi templum eritis, ſicq; eius ſolennia peragens tam ſe, quàm circumſtantes communicauit partemque abſentibus miſit. Corpus eius alligato lapide in mare proiectum, & à Delphino littori reſtitutum, Drepani ſepulturę mandatum eſt. *Ecce quantam laudem noſtra vita integritas Sanctiſſ. Trinitati Deo noſtro tranſſcribat.*

Apponendum hic exemplum ſimile cum S. Trinitatis & ſacrificij Miſſæ laude coniunctum, quod mutuabitur nobis S. Auguſt. ex lib. 9. *Confeſſ. cap.* 13. *vbi de ſua matre Monica ſic Deum alloquitur:* Quanquam illa in Chriſto viuificata, etiam nondum carne reſoluta ſic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide moribuſque eius, tamen væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, ſepoſitis pauliſper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meę deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, quę pependit in ligno, & ſedet ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. *Roman.* 8. *v.* 34. Namq; illa imminente die reſolutionis ſuæ, tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſsione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra, & quærens quod obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus.

Idem S. Auguſtinus lib. 8. *Confeſſ. cap.* 2. *de Victorino, & cap.* 6. *de S. Antonio & duobus Palatinis Agentibus ſimilia habet. Et epiſtola* 32. *ad Sanctum Paulinum Nolanum Epiſcopum:* Legi, *ait*, literas tuas fluentes lac & mel, proferentes ſimplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum, ſentiens de i[illegible]o

in bo-

in bonitate, & afferens ei claritatem & honorem. Legerunt fratres, & gaudent infatigabiliter & ineffabiliter tam vberibus, & tam excellentibus donis Dei bonis tuis. Amant te omnes in eis, & amari abs te cupiunt. Laudatur & benedicitur Deus, cuius gratia tu talis es. *Et epiſtola 34. ad eundem B. Paulinum*: Quamuis ſedulo & miſericorditer id agitis, tamen etiam coram hominibus regionum noſtrarum luceant opera veſtra, vt videant bona facta veſtra, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Prudenter & piè intelligitis, non eſſe iſtam veſtram, hoc eſt, humanam, ſed in vobis Domini gloriam. Hanc ergo Chriſti gloriam etiam oculis noſtrorum hominum cupimus admoueri, *&c. S. Abrahamus præsbyter in vico Taina ter à paganis illis miſerrimè verberatus, & per lapides raptatus, ſua patientia & religione omnes ad Chriſtum traduxit*: Omnino dixerunt, niſi eſſet verè Deus aliquis æternus & immortalis, qui poteſt pro laborum meritis reddere remunerationes, non oſtendiſſet tantam pro ipſo tolerantiam. *Adeſte omnes, ad huius boni viri genua procidamus, conſentientes Deo, qui ab ipſo prædicatur.*

Sentimus profectò quantam diuinæ Trinitati laudem conciliet vitæ ſanctimonia. Quapropter S. Petrus epiſt. 1. cap. 2. v. 11. & 12. Cariſsimi, obſecro vos, *inquit*, tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis. *Sanctus Cyprianus epiſt. 7. ſiue libr. 1. epiſt. 5.* Vt dum detrectent de vobis, tanquã de malignis bona opera veſtra aſpiciẽtes

magnificent Dominum. Nam ſicut Iudæi à Deo alienati ſunt, propter quos nomen Dei blaſphematur in gentibus; ita contra Deo cari ſunt, per quorum diſciplinam nomen Domini laudabili teſtimonio prædicatur.

Rurſum S. Petrus cap. 4. ſuæ 1. epiſt. v. 11. hortatur, vt verba noſtra laudabilia ſint, & Deo digna, & tanquam Dei in nobis loquentis oracula, & officia noſtra, ſiue in Dei cultum, ſiue in proximi obſequium conferātur, quaſi diuina poteſtate nobis ſuppeditata appareant, & ſic ſermone noſtro laudetur DEVS: Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei (*loquatur ſcil.*) ſi quis miniſtrat, tāquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus (*miniſtret videlicet*) vt in omnibus honorificetur Deus, per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria, & imperium, in ſæcula ſæculorum, Amen. *Cuius rei, & locutionis exemplo, & nobis eſt Apoſtolus* 2. *Corinth.* 2. *v.* 17. Sicut ex Deo, *inquit*, coram Deo, in Chriſto loquimur: Coram Deo Patre, quem prouidemus in conſpectu noſtro ſemper. *Pſalm.* 15. *verſ.* 8. ex Deo Spiritu Sancto, qui loquitur in nobis, *Matthæi* 10. *verſ.* 20. & in Chriſto, pro quo legatione fungimur, 2. *Cor.* 5. *v.* 20.

Sis vita noſtra, Sanctiſſima Trinitas, vt vita noſtra perpetuò te honoret.

* * *

CAP.

Caput XXVII.

Hominem maximopere decet Sanctiſſimam laudare Trinitatem.

Obligatio iſta ex eo naſcitur, quod homo ſit illuſtriſſima Beatiſſimæ Trinitatis imago. S. Aug. contra ſermonem Arrianorum c. 16. Eſt in homine, *inquit*, ſimile quiddam, quamuis nequaquam illius Trinitatis, quæ Deus eſt, excellentię comparandum: ille enim Deus eſt, iſta creatura; habet tamen aliquid & iſta, vbi qualicunq; modo, id quod de illa ineffabili Dei natura dicitur, poſsit intelligi. Neque enim fruſtra non eſt dictum, Geneſ. 1. ver. 26. Faciamus hominem ad imaginem tuam, tanquam Pater Filio loqueretur, aut ad imaginem meam, ſed dictum eſt, ad imaginem noſtrã. Quod ex perſona ipſius Trinitatis rectiſsimè accipitur. Tria itaq; iſta in hominis anima cogitemus, memoriam, intelligẽtiam, voluntatem: ab his tribus fit omne quod agimus. Et cum tria iſta bene recteq́; ſeſe habẽt, & bonum, & rectum eſt, omne quod facimus: ſi nec memoriam decipiat obliuio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem. Ad Dei quippe imaginem ſic reformamur. Omne igitur opus noſtrum ab his tribus fit. Nihil enim agimus, quod non hæc tria ſimul agant. Deinde cum de ſingulis loquimur, etiam quod ad ſingula pertinet, agitur ab omnibus. Neque enim ſermonẽ, quem de ſola memoria facimus, memoria ſola facit: ſed intelligentia voluntaſque cooperantur eum, quamuis ad ſolam memoriã pertinentem. Hoc & de duobus cæteris videre

facillimum eſt. Nam quicquid de ſe ipſa intelligentia loquitur, ſine memoria & voluntate non loquitur. Et quicquid de ſeipſa voluntas dicit, aut ſcribit, ſine intelligentia memoriaque non facit. Quatenus autem ſint iſta ſimilia, & rurſus, quantum diſsimilia illi incommutabili Trinitati, quæ Deus eſt, longum eſt enucleatiſsimè diſputare. Sed ideo tantum hoc commemorãdum putaui, vt etiam de ipſa creatura aliquid adhiberem, vnde iſti, ſi poſsint, intelligãt, quam non ſit abſurdum, quod de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicimus, inſeparabilia fieri ab omnibus opera, non ſolùm ad omnes, verùm etiam ad ſingula pertinentia.

Idem Sanctus Auguſtinus libro 83. *Quæſtionum quæſtione* 51. *eleganter hominis cum Deo ſimilitudinem explicat:* Multis, *inquit*, modis dici res poſſunt ſimiles Deo. Aliæ ſecundum virtutem & ſapientiam factæ: quia in ipſo eſt virtus, & ſapientia non facta: aliæ in quantũ ſolum viuunt, quia ille ſummè & primò viuit: aliæ in quantum ſunt, quia ille ſummè & primitùs eſt. Et ideo quæ tantũmodo ſunt, nec tamen viuunt, aut ſapiunt, non perfectè ſed exiguè ſunt ad ſimilitudinem eius: quia & ipſa bona ſunt in ordine ſuo, cum ſit ille ſuper omnia bonus, à quo omnia bona procedunt. Omnia verò, quæ viuunt, & non ſapiunt, paulo amplius participãt ſimilitudinem. Quod enim viuit, etiam eſt, non autem quicquid eſt, etiam viuit. Iam porrò quæ ſapiunt, ita illi ſimilitudine proxima ſunt, vt in creaturis, nihil ſit propinquius. Quod enim participat ſapientiæ, & viuit, & eſt, quod autem viuit, neceſſe eſt, vt ſit, non neceſſe eſt, vt ſapiat. Quare cum homo poſsit particeps eſſe ſapientiæ, ſecundum interiorem hominem, ſecundum ſeipſum ita

eſt ad

eſt ad imaginem Dei, vt nulla creatura interpoſita formetur, & ideo nihil ſit Deo coniunctius & ſapit enim, & viuit, & eſt, qua creatura nihil eſt melius, corpus quoque hominis, quia ſolum inter animalium terrenorum corpora, non pronum in aluum proſtratum eſt, ſed erectum, ad contemplandum cœlum aptius, magis in hoc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam cætera corpora animalium iure videri poteſt.

Et libro 6. de Geneſ. ad literam, cap. 12. idem Sanctus Auguſtinus: Etſi homo ſecundum intellectum mentis, *inquit*, ad imaginem Dei creatus ſit, in ipſo tamen corpore habet quandam proprietatem, quæ hoc indicet, quod erecta ſtatura factus eſt, vt hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda, velut pecora, quorum omnis voluptas ex terra eſt, vnde in aluum cuncta pecora prona atque proſtrata ſunt. Congruit ergo, & corpus eiuſdem animæ rationali, non ſecundum lineamenta figuraſque membrorum, ſed potius ſecundum id, quod in altum erectum eſt, ad intuenda, quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt: Sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritalibus maximè excellunt, vt quæ ſurſum ſunt, ſapiat, non quæ ſuper terram. *Coll. 3. v. 1.*

Ex quibus beatiſſimi & doctiſſimi Auguſtini ſententiis luce clarius euadit, cur homo ad ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem dicatur procreatus, nimirũ quod homo ſecundum naturam ſuam ſupremum naturæ gradum attingit, in quo Deus eſt, habet n. naturam rationis, & intelligentiæ compotem. Etenim quatuor ſunt generales naturæ gradus, aliæ namque res habent tantum eſſe, vt elementa, metalla, lapides, quædam præterea vitam nactæ ſunt, vt ſtirpes, herbæ, arbores, nonnullæ ſuper hæc motum,

motum, & ſenſum obtinent, vt animalia. Denique ſunt alia in ſupremo naturæ faſtigio collocata, quæ ratione, mente ac ſapientia pollent, vt homo, Angelus, Deus. Hic tamen gradus habet immenſam latitudinem, & perfectionem, ita vt infinito interuallo, ab homine pariter, & ab Angelo diſtet Deus, vt in quo ſimilis eſt, in eo ſit vel maximè diſſimilis. Quoniam quis, *vt ait Dauid Pſal. 88. v. 7. 8. 9.* in nubibus (*nedum in terra*) æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei? (*beatis ſpiritibus*) Deus qui glorificatur in concilio ſanctorum. (*& à ſeipſo ſuam diuinitatem, maieſtatem, potentiam demonſtrando: & ab ipſis Sanctis hæc intuentibus*) magnus & terribilis ſuper omnes (*homines pariter & Angelos ipſum venerantes*) qui in circuitu eius ſunt Domine Deus virtutum (*exercituum cæleſtium & terrenorum Rex & Dominator*) quis ſimilis tibi? *Ex hoc natura intelligentis gradu noſter habet animus. 1. quod ſit incorporeus, & indiuiduus. 2. quod ſit immortalis. 3. quod intellectu, voluntate, memoria præditus. 4. quod ſit in ſua poteſtate, propriaque vtatur libertate. 5. quod ſapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, & felicitatis æternæ, quæ in Dei viſione, amore, & fruitione poſita eſt, ſit capax. 6. quod cæteris animantibus nō ſolum dignitate antecellat, ſed etiam poteſtate dominetur. 7. quod ſicut in Deo res omnes ſunt eminenter, ita quoque in homine ſunt omnes rerum ſpiritalium & corporalium gradus, ideoque vocatur microcoſmus. Rurſum, intelligendo* homo fit quaſi omnia, *vt ait Ariſt. quia omnium rerum imagines & ſimulachra in mente & phantaſia ſibi efformat. 8. quod inſtar Dei ſit, quaſi omnipotens, quid enim arte & mente ſua non efformat, non comprehendit? Iterum, homo eſt finis omniū creatorum, vti eorundem finis eſt Deus. 9. ſicut anima regit corpus, & eſt tota in toto, & tota in qualibet eius parte, ita & Deus eſt totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte. 10. ſicut Deus Pater per intellectum*

ſe co-

ſe cognoſcendo producit Verbum, puta Filium, & eum amando, vnius motus producit Spiritum Sanctum, ita homo intelligendo ſe, producit in mente ſua Verbum intelligibile, ſuiipſius expreſſiuum, ſibique ſimile, atq; inde procedit in voluntate eiuſdem amor. Sic enim homo clarè repræſentat SS. Trinitatem. Hæc eſt naturalis in homine imago, omni peccato indelebilis.

Eſt & altera in homine Dei imago ſupernaturalis, quæ in gratia & iuſtitia ſita eſt, quâ diuinæ fit conſors naturæ, 2. Pet. 1. v. 4. *quæ eſt ipſius animæ vita, ſicut eſt anima vita corporis, confirmanda & perficienda in cœleſti gloria. De hac imagine S. Apoſtolus Epheſ. 4. v.* 22. 23. 24. Hoc dico, & teſtificor in Domino, deponere vos ſecundum priſtinam conuerſationem (*non quoad naturam, ſed quoad peccandi conſuetudinem*) veterem hominem (*vitiis quæ ex Adamo traxit, corruptum.*) Qui (*& magis & magis quotidie*) corrumpitur (*& deprauatur*) ſecundum deſideria erroris (*propriis ſuis cupiditatibus, deceptricibus & rectæ rationi cõtrariis.*) Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. *Vt eſſet imago quàm ſimillima Deo exemplari, quæ ſimilitudo in iuſtitia, & vera ſanctitate conſiſtit. Qua de imagine ſanctitatis, & gratiæ, rurſus Apoſtolus Coloſſ. 3. v. 9. 10. & S. Patres apud Illuſtriſſ. Card. Bellarminum noſtrum Tom. 3. lib. de gratia primi hominis cap. 3. Et hæc imago peccato perditur: & ſic homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem creatus eſt.*

Sed quem ad finem tam nobilem creaturam effecit Sanctiſſima Trinitas? Creatus eſt homo ad hunc finem, vt Dominum Deum ſuum laudet, ac reuereatur, eique ſeruiens tandem ſaluus fiat, *ait in ſuis ſpiritalibus exercitationibus B. P. N. Ignatius, & veriſſimè ait: Non idcirco ſolum quod cũctas res effecerit*

Deus

Deus ſua vnius motus (ſi hoc de immutabili Numine dicere fas eſt) bonitate. Vidit enim cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, *Geneſ. 1. verſu 31. quod ſuam gloriam tanquam finem ſpectauerit, Prouerbiorum 16. verſu 4.* Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. *Sed etiam quia ſingulari quadam ratione, ad ſuam laudem procreauerit hominem Deus, quemadmodum teſtatur Eccleſiaſticus capite 17. verſu 6. 7.* Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtẽdere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.

Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 148. Quando hortatur nos Deus Pſalm. 31. v. 9. vt non ſimus ſicut pecora ſine intellectu, oſtendit nobis, quia homini tribuit intellectum, ad laudandum Deum. *Chryſoſtomus in Pſalm.* 144. Homo cum factus ſit à Deo, vt illi placeat, & regnum futurum conſequatur, per totam vitam offert Deo laudes. *Hoc & Apoſtolus diſertè docet Roman. 1. v. 21. Deum idcirco mentem hominibus tribuiſſe, vt Deum conditorem agnoſcerent, agnitum debito honore & cultu proſequerentur, & ſe pro acceptu beneficiis gratos exhiberent.*

* * *

CAP.

Capvt XXVIII.

LAVDANDA HOMINI SANctiſſima Trinitas ob ſummam, quam illi exhibuit beneuolentiam & caritatem.

H*Vnc ſemper benedictæ Trinitatis amorem eleganter nobis ante mentis oculos proponit S. Bernardus ſermone 2. in die Pentecoſt.* Eia fratres, *inquit*, cogitemus ſuper nos, & in nos opera Trinitatis ab initio mundi vſque ad finem, & videamus quàm ſollicita fuerit illa maieſtas, cui adminiſtratio pariter & gubernatio incumbit ſæculorum, ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & ſapienter omnia gubernabat, & vtrarumq; rerũ tam potẽtiæ quã ſapientiæ ſigna manifeſtiſsima tenebantur in creatione & cõſeruatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis, ſed latebat in corde patris, cumulanda quandoq; ſuper genus filiorũ Adam tempore oportuno. Verbũ igitur Dei in ſublimi cõſtitutum, vt ad nos deſcenderet, ꝓpria benignitas inuitauit, miſericordia traxit, veritas, quâ ſe ꝓmiſerat venturum, cõpulit, puritas vteri virginalis ſalua virginis ſuſcepit integritate, potẽtia eduxit, obediẽtia in omnib. deduxit, patiẽtia armauit, caritas verbis & miraculis manifeſtauit. Verè vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre: quia totũ paternũ eſt, ꝙ de corde Patris Chriſtus attulit nobis, vt nihil in Filio Dei niſi dulce, niſi paternũ humani generis trepidatio ſuſpicetur. Et Chriſtus qdẽ ibi primũ medicinã appoſuit, vbi primũ intueri patebat locus, & ſubſtantialiter vtero Virginis illapſus de Spiritu S. cõceptus eſt, vt conceptionẽ noſtrã mũdaret.

Placebitne tibi Domine Ieſu, vt dones mihi vitam tuam, ſicut dediſti conceptionem? Non ſolum, ait, conceptionem meam, ſed & vitam meam, adiiciens mortem, reſurrectionem, aſcenſionem & miſsionem Spiritus Sancti. Hoc autem ideo, vt cõceptio mea emundet tuam, vita mea inſtruat tuam, mors mea deſtruat tuam, reſurrectio mea præcedat tuam, aſcenſio mea præparet tuam, porrò Spiritus adiuuet infirmitatem tuam. His autem completis reuertar in domum meam, vnde exiui, & ne de mea abſentia contriſteris, mittam tibi Spiritum paracletum, qui tibi donet pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Pignus ſalutis, vt ipſe Spiritus reddat teſtimonium ſpiritui tuo, quod Filius Dei ſis, qui certiſsima ſigna prædeſtinationis tuæ cordi tuo imprimat, & oſtẽdat, qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli, ſi non continuè, tamen ſæpiſsimè mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam eſt tibi impoſsibile, per gratiam eius non ſolum poſsibile, ſed & facile fiat, ita vt in laboribus, in vigiliis, in fame, & ſiti delectabiliter incedas, ſicut in omnibus diuitiis ſcientiæ lumen, vt cum omnia benefeceris, te ſeruum inutilem putes, & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum eſt, ſine quo nõ parum aliquid, ſed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam. Vides igitur, quàm verum dixerit ille, qui dixit Pſalm. 29. Dominus ſollicitus eſt mei. Pater vt ſeruũ redimat, Filio non parcit, Filium ſeipſum libentiſsimè tradit, Spiritum Sanctum vterque mittit, & ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. v. 27. O dũri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam

vehe-

vehemens amor. Quid vltra debuit facere, & non fecit? *Iſta S. Bernard. Plurima Sanctiſſimæ Trinitatis in hominem beneficia vno quaſi faſce complectitur S. Cyprian. de Baptiſmo Chriſti.* In hac, *ait*, diuini magiſterij ſchola Pater eſt, qui docet & inſtruit. Filius, qui arcana Dei nobis reuelat, & aperit. Spiritus Sanctus qui nos replet & imbuit, à Patre potentiam, à Filio ſapientiam, à Spiritu Sancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus Sanctus coniungit, & vnit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis eius conformitas, & à Spiritu Sancto integritas & libertas. In Patre ſumus, in Filio viuimus, in Spiritu Sancto mouemur & proficimus.

LIBER XI.

Quo pacto res inanimæ ſiue etiam rationis expertes dilaudent S. Trinitatem.

CAPVT I.

CONDITARVM RERVM VNIuerſitas effectorem ſuum, Deum trinum, & vnum aſſiduè collaudat, etiam quæ rationis expertes ſunt.

RES mente ac ratione vacuæ, paſſim in Scriptura dicuntur Deum laudare, exaltare, benedicere, gratias illi agere, eius maieſtatem, virtutem, gloriam prædicare. Iob 38. v. 7. Vbi eras, cum me laudarent aſtra matutina, *inquit Deus? Et Pſal. 18. v.* Cœli enarrant gloriam Dei, *Chaldæus*: Qui ſuſpiciunt cœlos, enarrant gloriam Domini. *S. Gregorius lib. 26. Moral. cap. 8. creaturas Dei veſtigia nutus & vias appellat, quibus ad ipſum ducamur.* Veſtigia, *ait*, creatoris noſtri ſunt mira opera, viſibilis creaturæ, quæ ſequendo imus ad ipſum, & dum facturæ ſuæ decus foris proponit, quaſi quibuſdam ſe nobis nutibus innuit. Viæ ad creatorem ſunt, opera conſiderata creatoris, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. *Sanctus Bernardus ſermone 31. in Cant. creaturas Dei atus*

eſſe

eſſe radios affirmat. Tanta hæc, *ait*, formarum varietas, atque innumeroſitas ſpecierum in rebus conditis, quid niſi quidam ſunt radij Deitatis monſtrantes quidem, quia verè ſit, à quo ſunt, non tamen quid ſit prorſus definientes.

Atque idcirco etiam à viris ſanctis, ad id faciendum ſingulæ inuitantur, & prouocantur, vt à Dauide Pſal. 148. *non ſolùm Angeli & homines, ſed etiam cœli, Sol, Luna, ſtellæ, ignis, aqua, terra, aues, piſces, beſtiæ, montes, arbores ad Deum laudandum excitantur, & allectantur. Quod ſimiliter faciunt in ſuo Cantico tres illi pueri Danielis* 3. *verſu* 57. *& ſeqq. Sanctus Ambroſius lib.* 5. *Hexameron capite* 12. Venit in mentem auium natura, *ait*, quæ cum eunt cubitum, quaſi peracto lætæ munere æthera cantu mulcere conſueuerunt: quod velut ſolenniter ſurgente, & occidente die, inſtaurare conſueuerunt, vt decurſi, vel adoriendi nocturni iuxta ac diurni temporis laudes ſuo referant creatori. Magnum incentiuum excitandæ nobis deuotionis. Quis enim ſenſum hominis gerens non erubeſcat, ſine pſalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutiſsimæ aues ſoléni deuotione, & dulci carmine, ortus dierum & noctium proſequantur?

Rurſum eodem li. 5. *Hexamer. c.* 24. Repetunt, *ait*, diuerſæ aues auiaria ſua, quas veſper nocte cogit decedere, & ſe in latibulis ſuis abdunt, canoro occaſum diei carmine proſequentes, ne immunes abeant gratiarum, quibus creatorem ſuum omnis creatura collaudat.

Et de Gallo loquens: Hoc, *inquit*, canente, deuotus affectus exilit ad precandum, legendi quoq; munus inſtaurat. *S. Greg. li.* 30. *Mor. c.* 7. Gallus, *ait*, profundioribus horis, noctis valentiores, ac productiores edere cantus ſolet, cum verò iam

matutinum tempus appropinquat leniores & minutiores omnimodo voces format. Nũquid non hoc leniter interpretabimur, ſi dicamus, gallum vtroque illo cantu celebrare procreatorem ſuum, ſed & nos altiori ſomno oppreſſos clariori voce excitare, & quaſi dicere: Euigilate iuſti, & nolite peccare, 1. Cor. 15. v. 33. & vt imitemur ſanctum Regem, & Prophetam, qui ait Pſalm. 118. v. 62. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: quod ſi impetrare non poſſit, vt ſomnum interrumpamus, ſaltem ab expergefactis obtineat, vt ſicut ille ſuauiori voce, & modulo ſuo laudat, & veneratur Deum ſuum, ita nos pariter faciamus, & diligentius faciamus, qui ſumus rationis & conſilij compotes. Hortatur nos quaſi cnm Apoſtolo Rom. 13. v. 11. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et 1. Theſſ. 5. v. 5. Omnes vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri: Sed vigilemus & ſobrij ſimus. *Ioannes Pineda noſter in cap. 38. S. Iobi v. 36. citat Rabbi Moyſen, qui dicebat, à gallo doceri homines media nocte ſurgere ad laudandum Deum.*

Refert S. Bonauentura in vita S. Franciſci c. 8. quod viſa multitudine auium cantantium in virgultis dixerit ſocio ſuo: Sorores aues laudant creatorem ſuum, *& ceperit dicere canonicas horas cum eo, ſed cum ſe non poſſent propter garritum exaudire, conuerſus ad aues, iuſſit eas ſilere, donec abſoluerent horas, & illæ paruerunt, & rurſus facta potestate redierunt ad cantum. Narrat ibidem, à cicada ſanctum virum ſæpe cantu excitatum ad laudes diuinas*: *Cui dixit*: Cata ſoror mea cicada, & Dominum creatorem tuo iubilo lauda: *quod cum octo diebus feciſſet, abeundi illi copiam fecit. Plura ibidem exempla commemorantur.*

Memo-

Memorat Franciſcus à Caſtro in vita Ioannis Dei, quod cum aurora illuceſcente veniret in ſuum noſocomium, ægrotos atq; hoſpites ſalutans, religioſa quadam ſimplicitate, aiebat clariſsima voce: vt ab omnibus exaudiretur: Fratres, gratias agamus Deo noſtro, quoniam iam aues hoc gratiarum officium illi perſoluunt.

CAPVT II.

QVA RATIONE ET MODO Deum laudent creaturæ rationis expertes.

PRimus modus eſt, quod earum tacitæ voces ſint naturales perfectiones. Nam quia ars ſuum cõmendat artificem, ex eo Deũ laudare dicuntur, quod earum pulchritudine, poteſtate, ſtabilitate, ordine conſpecto, rationales creaturæ ad diuinas laudes excitãtur. Hæc eſt doctrina S. Auguſt. in Pſal. 68. v. 3. Infixus ſum in limo profundi. Vniuerſa creatura laudans Deum, à tribus pueris in camino commemoratur: & à terrenis ad cœleſtia, vel à cæleſtibus ad terrena hymnus laudantium Deum peruenit. Non quo cuncta iſta habeant ſenſum laudandi, ſed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, & impletur cor conſideratione creaturæ ad eructandum hymnum Creatori. Laudant omnia Deum, ſed quæ fecit Deus. Nunquid in illo hymno audiſtis, quod auaritia laudet Deum? Laudat ibi Deum & ſerpens, auãritia nõ laudat. Omnia quippe repentia nominata ſunt ibi in laudem Dei. Nominata ſunt omnia repentia, ſed non ſunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex noſtra volũtate habemus: & vi-

tia non ſunt ſubſtantia. *Et rurſum idem B. Auguſtinus in Pſal.* 148. Quare, *ait*, omnia laudant Deum? Quia cum iſta videmus, & conſideramus creatorem, qui ea fecit, de illis in nobis naſcitur laus Dei: & cum ipſorum conſideratione laudatur Deus, omnia laudant Deum. Laudant Deũ, cum conſiderata pariunt laudem Dei. Attendat caritas veſtra: Quis diſpoſuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem ſuum, habeant vitã ſuam, habeant motum ſuum? Vnam beſtiolam breuem, minutiſsimam, cõſidera quam volueris. Si conſideres ordinem membrorum ipſius, & animationem vitæ quâ mouetur, pro ſe fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat moleſtias, exerit ſenſus diuerſos, viget in motu congruo ſibi. Quis dedit aculeum culici, quo ſanguinẽ ſugat? quam tenuis fiſtula eſt, quâ ſorbet? Quis diſpoſuit iſta? Quis fecit iſta? Expaueſcis in minimis, lauda magnum. Qui fecit in cœlo Angelum, ipſe fecit in terra vermiculũ. Longum eſt commemorare diligentiorem cõſiderationem omnium rerum. Quis illam explicet? Tamen qui oculos habent, multa ibi vidẽt. Cum viderint, placent; cum placuerint, laudantur, nõ tanquam ipſa, ſed ille qui fecit, ita omnia laudabunt Deum. *S. Gregor. Nazianz. Orat. in nouam Dominicam:* Omnia, *inquit*, Deum laudant, ac vocibus mutis concelebrant. Propter omnia enim gratiæ Deo per me habentur: atque ita eorum laudatio mea efficitur, nimirum à quibus ego laudis argumentũ capio. *Euthym. in Pſal.* 148. *ait:* Tribus modis laudari & glorificari poteſt Deus aut voce, ſicut tres pueri Deũ laudauerunt, Dan. 3. & Moſes poſt tranſitum maris rubri, Exo. 15. aut aſpectu & præſentia, cum aſpectus rei alicuius, & contemplatio propter pulchritudinem, quæ in ea re cernitur, vel vtilitatem, quæ ex ea

percipitur ad laudandum eius rei opificem & auctorem excitat: ſic in Pſal. 18. dictum eſt: Cœli enerrant gloriam Dei, aut vita & conuerſatione. quemadmodum Dominus dixit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Laudant igitur Deum, quæ ſine ratione & ſenſu ſunt, ſua magnitudine, pulchritudine, ſitu, vtilitate, miniſterio, perſeuerantia, ſpectatores ſui in admirationem & laudem factoris mouent. Vnde ſpectatoris lingua ad Dei laudem ipſa quodammodo vtuntur.

Sex autem in rebus creatis animaduertere eſt, quæ opificem earum Deum maximè commendant ac prædicant. Primò tam varia ac multiplex rerum conditarum natura, & ſumma cuique in ſuo genere perfectio. Tum, tanta pulchritudo & præſtantia proprietatum, affectionum, & accidentium, eorumq; tanta cum natura rerū, quibus inhærent, conuenientia. Poſtea tanta vtilitas & mirabilitas operationum & effectuum. Deinde tantus ordo & proportio, & ſingularū inter ſe, & cum ipſa vniuerſitate, ac ſumma totius mundi. Præterea tanta perſeuerantia in conſeruando ordine, quem ipſis ab initio Deus impoſuit. Adhæc tanta conſtantia in præſtādo hominib. miniſterio, quod illis Deus iniunxit. Deniq; tāta obedientia erga Deū in omnibus, quæcunq; Deus vel in ipſis, vel per ipſas operari vult etiam præter ipſarum naturam: vt cum iuſſit Solem motum ſuum aut ſiſtere, aut retro agere, aut non lucere: vel ignem de cœlo deſcendere, aut non vrere, & alia id genus in miraculis à Deo facta conſpicua. Verè ſiquidem Sapiens dixit: Omnis creatura tibi factori deſeruit: *& Dauid:* Omnia ſeruiunt tibi. *Ex eo autem quod creaturæ non ſolū rationis, ſed & ſenſus expertes perpetuis laudib. celebrēt, colligit.*

S. Chryſ. in Pſal. 144. *v.* 2. Per ſingulos dies benedicam tibi & laudabo nomen tuum in ſeculum,

& in ſæculum ſæculi, *indignum & probroſum eſſe, ſi homo id non faciat.* Turpe, *inquit*, fuerit, vt homo qui eſt compos rationis, & omnibus, quæ videntur, præſtantior, ſit creatura in Dei laudibus inferior, nō ſolùm autem turpe, verumetiam abſurdum. Siquidem ipſa quotidie atq; adeò ſingulis horis emittit Domino glorificationē. Cœli, inquit, Pſal. 18. enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, Sol & Luna & varius aſtrorum chorus, & pulcherrimus ordo cæterorum omnium ſuum prædicat opificem. Qui eſt ergo his omnibus præſtantior, ſi hoc non faciat, ſed etiam ſua vita Deū, qui eum creauit, maledictis impetat, quomodo erit is dignus vlla venia, aut quamnam poterit afferre ſui defenſionem, cum, qui ideo factus eſt, vt Deo placeat, & regnum futurum conſequatur, eius quidem nullam ducat rationem, ſed curis eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, rebuſque mundanis ſe implicet.

CAPVT III.

OMNIS CREATVRA NON MODO indicat ſuum conditorem, ſed & ipſius præcellentiam declarat.

EST hic mundus, *inquit S. Ambroſius lib. 1. Hexaem. eron cap. 5.* diuinæ ſpecimen operationis, quia dum opus videtur, prefertur operator. *S. Aug. lib. 3. de lib. arbit. cap. 23.* Reuera, *inquit*, ſi piè ac diligenter attendas, omnis creaturæ ſpecies & motus qui in animi humani conſiderationem cadit, eruditionem noſtram loqui-

loquitur, diuerſis motibus & affectionibus, quaſi quadam varietate linguarum, vndique clamans atque increpans cognoſcẽdum eſſe Creatorem. Non diuinorum librorum tantummodo auctoritas eſſe Deum prædicat, *ait S. Auguſtin. lib. 15. de Trin. cap.* 4. ſed omnis quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus vniuerſa ipſa rerum natura proclamat, habere ſe præſtãtiſsimum conditorem, qui nobis mentem, rationemq́ naturalem dedit, quâ viuentia non viuentibus, ſenſu prædita non ſentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potẽtia, iniuſtis iuſta, ſpecioſa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuiſibilia viſibilibus, incorporalia corporalibus, beata miſeris prȩferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatorem ſine dubitatione proponimus, oportet, vt eum & ſummè viuere, & cuncta ſentire, & intelligere, & mori, corrumpi, mutariq́ non poſſe, nec corpus eſſe, ſed ſpiritum, omnium potentiſsimum, iuſtiſsimum, ſpecioſiſsimum, optimum, beatiſsimumque fateamur. Sed hæc omnia quæ dixit, quæcunque alia ſimili more locutionis humanæ, *inquit cap.* 5. *ibidem*, dignè de Deo dici videntur. & vniuerſæ Trinitati, quæ Deus eſt, & perſonis ſingulis in eadem Trinitate conueniunt.

Hinc elegantiſsimæ S. Auguſtini ſententiæ, & aliam longè pulcherrimam annectamus, quam ille habet ſerm. 1. de verbis Apoſtoli cap. 1. & 2. vbi hunc in modum exorditur: Sancta & diuina eloquia, fratres, iugiter, imò quotidie nobis ſalubriter recitantur, vt animæ noſtræ paſcantur: in futuro autem ſæculo æternis epulis ſaginentur, dicente Propheta Pſal. 16. v. 15. Satiabor, dum manifeſtabitur glo-

ria tua. Qualis autem ſit hæc gloria futura, & quibus diuitiis floreat, quantoque ſplendore præfulgeat, laudare poſſumus, explicare non poſſumus. Quare? Quia legimus Iſaiæ 64. verſ. 4. & 1. Corin. 2. ver. 9. nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Si igitur talia, ac tanta bona, æterna, cœleſtia, quæ Dominus omnipotens præparauit Sanctis ſuis, Catholicis, & fidelibus populis, quid eſt ipſe Deus, qui talia & tanta præparauit? Quid eſt, inquam, omnipotēs Deus? Quid niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incōprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia? Omnem enim creaturam ſuam excedit, omnem facturam prçterit, vniuerſa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, maior eſt: Si pulchritudinem, pulchrior: ſi dulcedinem, dulcior: ſi ſplendorem, fulgidior: ſi iuſtitiam, iuſtior: ſi fortitudinem, fortior: ſi pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, vt vel factura factori ſuo æquetur, vel opus artifici comparetur. Sicut legitur in Propheta Sap. 13. v. 4. Qui fecit fortia, fortior eſt, & qui fecit pulchra, pulchrior illis eſt. Sic autem huius vnicæ Deitatis inſignia prædicamus, vt tamen non ſicut Iudæi, ſed ſicut Chriſtiani Trinitatis diuinæ myſteria pariter fateamur. Sicut enim omnipotens & ineffabilis Pater eſt, ita omnipotens & incomprehenſibilis Filius, ita etiam Spiritus Sanctus in Patre & Filio, indiſcreti connexus, ineffabilis atque immenſus eſt: Pater enim & Filius, & Spiritus Sanctus vnus omnipotens Deus, vnus in Trinitate, vnus in poteſtate, vnita Trinitas, ſempiterna maieſtas, vnum potēs per omnia, & Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate cōſiſtit, ſed nec Trintas diuiditur, nec vnitas ſeparatur.

Iſta

Iſta S. Auguſt. qui paulò ante citauit Salomonis ſententiã, confirmantis ex creaturis Creatoris maieſtatem cognoſci. Ea habetur Sapientiæ 13. *verſ.* 1. *ad* 6. Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei(*hæc enim omnium virtutum fundamẽtum*) & de his,quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt (noluerunt intelligere, vt bene agerent,Pſalm. 35.v. 4. excæcauit eos malitia eorum. Sap. 2.v.21 nec curarunt, aut probauerunt Deum habere in notitia,Rom.1.v.28.) neque operibus attendentes,agnouerunt, quis eſſet artifex,ſed aut ignem,aut ſpiritum,aut citatum aerem,aut gyrum ſtellarum,aut nimiam aquam,aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos putauerunt, ſciant, quanto his dominator eorum,ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hęc fecit,fortior eſt illis.A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter(*per analogiam & proportionem*)poterit creator horum videri. Quando igitur ſubleuas oculos, *ait S. Chryſ. hom.* 4. *in Gen.*& ſpectas cœli pulchritudinem,magnitudinem, vtilitatem, tunc inde ad opificem aſcende, ſicut & Sapiens quidam dicebat: Ex magnitudine,&pulchritudine creaturarum vniuerſi conditor decenter conſideratur. Et vide Domini tui virtutem, etiam ex horum elementorũ formatione,quanta ſit. Nã cui ſagax eſt animus,ſi voluerit per ſingula viſibilia ſcrutari(& quid dico per ſingula quæ facta ſunt) ſuam ſolam formationem, ſi voluerit conſiderare, videbit ex paruis illis indicibilem,& ineffabilem Dei potentiam. Quod ſi viſibilia ſola ſufficiunt nobis ad docendam

poten-

potentiæ conditoris magnitudinem, vbi & ad inuiſibiles veneris virtutes, & mentem extenderis ad angelorum exercitus, archangelorum, ſupernarum Virtutum, Thronorū, Dominationum, principatuum, Cherubin, Seraphin, quæ mens, quis ſermo ſufficiet enarrare magnificētiam eius inenarrabilem? Nam ſi beatus Propheta Dauid quum diſpoſitionem viſibilium conſideraſſet, exclamabat dicens Pſal. 103. verſ. 24. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. Si, inquam, vir tanto ſpiritu præditus, & cui incerta & occulta ſapientiæ diuinæ manifeſtata ſunt, Pſal. 50. v. 8. ſic exclamabat, quid diceremus nos, qui terra & cinis ſumus? & debemus continuo vultu ſubmittere, & obſtupeſcere indicibilem vniuerſorum Domini miſericordiam?

Eandem conditoris excellentiam ex creaturis colligit S. Bernard. ſerm. 1. de omnibus Sanctis: Prædicantem, *inquit*, Dominum de ciuitatibus & caſtellis populi ſequebantur, quorum ſaluabat animas, ſanabat corpora, & adhærebant ei affatu pariter, & aſpectu illius delectati, cuius nimirum vox ſuauis, & facies decora, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 44. Speciofus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Talis eſt, quem nos ſequimur, cui adhæremus, totus deſiderabilis, Cantic. 5. v. 16. in quem non ſolùm populi, ſed & ipſi quoque Angeli ſancti deſiderant proſpicere. Quid vobis ſuauius apponemus. Nimirum hæ ſunt delitiæ Angelorum: Guſtate proinde, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, Pſalm. 33. v. 9. Et huic ſuauitati, huic ſanitati, huic ſapori, huic ſapientiæ quæ trahitur de occultis, Iob 28. v. 18. omne quod deſideratur, non valet cōparari,

parari. Quid enim? Miraris in Sole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem? ſed à Deo vniuerſa hæc donata ſunt: nec dubium, quin multo amplius reſeruauerit ſibi, quàm dederit creaturis. *Nihil verius.*

S. Gregorius lib. 26. Mor. c. 8. exponens verba Eliæ, Iob 35. *v.* 5. Suſpice cœlum, & contemplare æthera, quod altior te ſit. Ex ipſis, *ait*, creaturis intellige, quas altiores te eſſe corporaliter vides, quoniam à diuinę potentię ſublimitate diſiungeris, atque ex hac tua conſideratione collige, quia Deum nec bene viuendo adiuues, nec rurſus malis actionibus graues. Si autem in cœlo vel ęthere ſupernas poteſtates accipimus, admonemur: quia ipſi angelici ſpiritus creatoris noſtri potentiam plenè contemplari non poſſunt, de quibus tamen certum eſt, quia nobis altiores ſunt, colligamus, quanto Deo inferiores exiſtimus, qui etiam creaturis ſublimibus, ſed illo longè inferioribus ſubiacemus.

S. Pauli Apoſtoli ſententiam idem aſſerentis ſubiungamus: Is ad Roman. 1. v. 20. & ſeq. docet, quod id quod ad veri Dei cognitionem neceſſarium fuit, illis ſcil. gentibus ſit diuinitus manifeſtatum: nam in mundi exordio eas res effecit Deus, in quibus tanquam in ſpeculo ſeipſum quodam modo ſpectabilem exhibuit, vt humanus animus ex operibus diſcurrens aſcenderet, & ad Dei notitiam perueniret, quâ cum reliquas Dei perfectiones, vt ſapientiam, iuſtitiam, benignitatem, æternitatem, tum ipſius potentiam, quâ cuncta fecit, conſeruat, diſponit, & gubernat, & diuinitatem cognoſcerent, vt ignorationem prorſus excuſare non poſſint, nec impietatem, quod Deum non glorificauerint, aut gratias egerint. Verba S. Pauli ſunt iſta: Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit.

uit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deū, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.

Cum Apoſtolo noſtro cõgruit illa M.T.Ciceronis ſententia lib.1. de natura Deorum: In mundo Deus eſt aliquis, qui regit, q gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines ordineſque conſeruat, terras & maria contemplans, hominum commoda vitasq; tuetur. Quid enim poteſt eſſe tam apertum, tamq; perſpicuum, quum cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaq; cõtemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſsimæ mentis, quo hæc regantur?

Finiamus hoc Caput eleganti carmine Iacobi Billij Prunæi S. Michaelis in Eremo Abbatis:

Nulla quidem mens eſt, mortali in corpore viuens,
Quæ plena videat cognitione Deum.
Sed miris operum ſignis oſtenditur autor,
Rectoremque ſuum condita quæque canunt.
Vnde licet fandi vires, animique vigorem
Vincat, & excedat gloria, lauſque Dei.
Nos tamen officio cordis, gaudemus, & oris
Et tanto oblectat ſuccubuiſſe bono.
Hinc fidei virtus, hinc flamma oriatur amoris
Quod latet, exercet, quod ſuperat, reparat.

Cap.

Caput IV.

Quae Dei attributa, et perfectiones in creaturis eluceant.

TRia, *inquit S. Bernardus ſer. 3. in die Pentecoſt.* in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet, quid ſit, quo modo ſit, ad qd ſit conſtitutus. Et in eſſe quidem rerum inæſtimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè ſunt creata. Sanè in modo ipſo ſapientia ſingularis elucet: quod hæc quidem ſurſum, hæc verò deorſum, hæc in medio ordinatiſsimè ſunt locata. Si verò ad quid factus ſit, mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratiſsimos quoſque multitudine & magnitudine beneficiorum poſsit obruere. Potentiſsime ſiquidem ex nihilo omnia, ſapientiſsimè pulchra, benigniſsimè vtilia ſunt creata.

Hæc Sanctus Bernardus, qui in rerum procreatione immenſam Dei poteſtatem in diſpoſitione omnimodam ſapientiam, in vtilitate infinitam bonitatem ſpectandam, ac prædicandam docet. Hanc Dei omnipotentiam mirabatur Hieremias capite 32. verſu 17. Ecce, *inquit*, Domine Deus, tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum.

Sapientiam *ſtupebat* Dauid *Pſalm.* 103. *verſ.* 24. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſsione tua. Vtilitatem *prædicabat Moyſes, Gen. 1. v.* 31. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Eadem

Eadem Dei potentia cernitur in quarundam creaturarum magnitudine, & agendi vi. De Angelis ſæpius nobis dictum eſt, quorum numerus propè eſt innumerabilis. S. Dionyſ. lib. de cœleſti hierarchia cap.14. maiorem eſſe affirmat, quam omnem rerum ſenſilium & caducarum multitudinem. Quod & indicat S. Iob c. 25. v. 3. Nunquid eſt numerus militum eius? *Et Daniel. c. 7. v. 10.* Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſsiſtebant ei. *Quãtus ergo & quàm potens talium exercituum imperator, imò creator, & ſola voluntate creator? Quanta eſt cœlorum moles & granditas? eorum ſanè reſpectu & comparatione terra mundi centrum eſt, velut punctum vel arenula, aut guttula ad Oceanum. Et cœlos negligimus, terram terreni complectimur. Seneca in exordio naturalium quæſtionum:* Punctum eſt, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur, quã ridiculi ſunt mortalium termini? Punctum ſanè eſt illud, in quo nauigamus, in quo bellamus, in quo regna diſponimus. Surſum ingentia ſpacia ſunt, &c. *Eorum non maxima pars videtur eſſe Sol, qui tamen vniuerſum terræ, & aquæ globum centies ſexagies ſexies excedit, vt teſtantur Aſtronomi. Quod autem nobis non ita magnus videatur, facit ingens diſtantia: ſiquidem à terra abeſt quatuor mill onibus milliarium, ſiue leucarum (millio autem hic dicitur, decies centena millia.) Vbi & conſulto minutiæ numerorum prætermittuntur. Annon hic dicere poſſumus, cum Eccleſiaſtico c. 43. v. 5.* Magnus Dominus, qui fecit illum. *quo eodem cap. Solis encomium celebrat Sapiens, à magnitudine, caloris efficacitate, luminis excellentia, curſus celeritate, vt & Dauid Pſal. 18. v. 6.* Exultauit, *inquit*, vt gigas, ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummum eius, nec eſt, qui ſe abſcondat, à calore eius. *Bene tanquam gigas approperans iter ſuum peragit, vt qui 24.*

horis

horis ſuum abſoluens circulum, vna hora percurrat 1140000. milliarium, quod tantundem eſt, ac ſi terræ ambitum & gyrum quinquagies circumcurreret. Verum de Solis præſtantia eiuſque lucis perquam multiplici & admiranda vi & potentia in libro de diuin. nominibus capitis primi parte quarta diuinè philoſophatur Diuus Dionyſius Areopagita.

In octauo cælo quindecim ſtellas numerant Aſtrologi, appellantque primæ magnitudinis, quarum qualibet terræ amplitudinem continet centies, & ſepties. Stellæ, *ait Baruch cap. 3. v. 34. 35.* dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas: *Seneca lib. 1. naturalium Quæſtionum ab initio.* Quam iuuat, *inquit*, inter ſidera ipſa vagantem diuitum pauimenta videre, & totam cum auro ſuo terram. *Deſpiciebat præ cæleſtibus terrena omnia hic Philoſophus: Quid Chriſtianis faciendum, quibus dicitur Coll. 3. ver. 1.* Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.

Vt autem è cælo in terram deſcendamus, S. Ambroſ. libr. 4. in Lucam cap. 4. Reſurrectionem, *inquit*, mortuis imperare diuinæ ſolius eſt poteſtatis. *Reſurrectionis ac proinde diuinæ potentiæ ſpecimen ac illuſtre documentum præbet Phœnix, de qua S. Ambroſius lib. de fide reſurrectionis ita ſcribit:* Auis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix rediuiuo ſuę carnis humore reparabilis cum mortua fuerit, reuiuiſcit. Solos non credimus homines reſuſcitari? Atqui hoc relatione crebra, & Scripturarum auctoritate cognouimus, memoratam aué quingentorũ annorũ ſpatia vitali vſui habere præſcripta, eamq; cũ ſibi finẽ vitæ adeſſe ꝑſaga quadã naturęſuę ęſtimatione cognouerit, thecã ſibi de thure & myrrha & cęteris odorib.

adornare, completoq́ꝫ opere pariter ac tempore intrare illam, atq; emori, ex cuius humore oriri vermem, paulatimq́ꝫ eum in auis eiuſdem figuram concreſcere, vſumq́ꝫ formari, ſubnixam quoque remigio pennarum renouatæ vitæ officia munere pietatis ordiri. Nam thecam illam vel tumulum corporis, vel incunabulum reſurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens reſurrexit, ex Aethiopia in Lycaoniam vehit, atq́ꝫ ita reſurrectione auis huius locorum incolæ quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo iſti aui quingenteſimus reſurrectionis annus, eſt nobis milleſimus. Illi in hoc ſæculo, nobis in conſummatione mundi. *Plerique etiam opinātur, quod auis hæc rogum ſibiipſi ſuccendat, & rurſus de fauillis ſuis & cineribus reuiuiſcat: Euſeb. Pamphili in vita Conſtantini, ait:* Phœnicem volucrem Aegyptiam ferunt natura vnigenam eſſe, & ſuper aromatum aceruo emori, ſuum ſibi rogum adolētem, poſtea de ſuo cinere reuiuiſcere, reſumptisq́ꝫ pennis talem exiſtere, qualis antea fuerit. *Nazianzenus in carminum lib.*

Phœnicem perhibent poſt fata reſumere vires,
Naſcentem ex igne, & decurſis pluribus annis
De cinere annoſo fœturam ſponte renaſci.

Plura de hac aue, qui ſcire deſiderat, legat opuſculum Lactantij, & alterum Claudiani de Phœnice, Corneliū Tacitum Annalium lib. 5. Plinium lib. 10. cap. 2. Solinum cap. 36. & prouerbium ſiue adagium Phœnicis inſtar reuiuiſcere.

Hæc lectu iucundiſſima ſunt, ſed non pariter & veriſſima: nam vnicum illum Phœnicem, vt fabulam reiiciunt, cum alij, tum duo doctiſſimi noſtræ Societatis IESV *Theologi, Pererius, & Cornelius à lapide in caput 7. Geneſ. commentantes. Lectori cenſuram & iudicium permitto. Idem noſter Cornelius à lapide in cap. 11. Leuitici*

uitici ex aliis citat auctorib. ea eſſe magnitudine quaſdam aquilas, vt nidus per tres quercus extenſus fuerit, in quo vitulorum & ouium corte reperta, & vitulus recens allatus: Pullus vnus habuit alas ſeptem vlnis longas, cum per tranſuerſum erant expanſa, &c. In Aethiopia eſſe aquilas tam magnas & fortes, vt bouem vel equum integrum pedibus abripiant. Magnus & præpotens Dominus, qui eas procreauit. Elephanto, *ait Tullius,* belluarum nulla prudentior, *at figura quæ vaſtior? de quo & S. Baſilius hom. 9. Hexameron:* Tantæ molis hoc animal, & omnium terreſtrium maximum, ad ſtuporem, admirationemque obuiis incutiendam productum eſt. Non vides in bellis, quod perinde ac turres quædã animatæ vniuerſo agmini viam muniunt, ac prægrediũtur? Aut certè veluti colles quidam, concretione carnium condenſati, intolerabili facto impetu conſtrictas conſtipataſque hoſtium acies diffringunt & diſſecant? *Memorat Machabæorum hiſtoria lib. 1. c. 6. in exercitu regis Antiochi fuiſſe duos & triginta elephãtos in bellis exercitatos, & ſuper ſingulis ligneas turres firmiſſimas, & in his ingentes machinas bellicas atque in ſingulis triginta duos fortes viros deſuper pugnantes præter elephanti magiſtrum, ſeu rectorem. Hæc & narrat Plinius initio lib. 5. & Philoſtratus lib. 2. c. 6. de quo animali & mira habet S. Iobus c. 40. Elephantus Hebræis dicitur Behemoth Iob. 40. v. 10. id eſt, beſtiæ: quia propter magnitudinem corporis, & virium eſt inſtar multarum beſtiarum. S. Ambr. lib. 6. Hexameron c. 5. huius animantis tum magnitudinem, tum fortitudinẽ deſcribens:* Elephanti, *inquit,* rebus bellicis vſum miniſtrant. Gens & acies Perſarum eorum, velut gradientibus turribus ſepta procedit. In mediis campis, tanquam de muro dimicant, & tãquam in arce, & ſpecula quadam collocati ſpectant magis bella, quàm ſubeunt. Ita alieni videntur

dentur à periculo, tuti molibus beſtiarum. Cedunt illis acies, & bellatorũ cunei, & caſtra illa quadrata ſoluuntur. Intolerabili namq; impetu in hoſtes ruunt, vt nullo agmine bellatorũ, nulla cõſtipatione militũ, nullo clypeorum retardentur obiectu, velut quidam mobiles montes verſantur in prælijs, & vt colles alto eminẽt vertice, mugitus fragrore omniũ perturbant confidentiam. Et tamẽ hęc tantæ molis beſtia ſubiecta nobis imperiis ſeruit humanis. *Iſta S. Ambroſ. Atque adeò ſubſeruit, teſte S. Baſil. hom. 9. diuini opificij, vt cum docetur à nobis, quid velimus, intelligat, cum vapulat, ſuſtinet, nos docens euidenti admodum exemplo omnia naturæ ſubiecta eſſe ditioni, quod ad imaginem noſtri Creatoris ſimus conditi.* Quin & elephas iſtum hominis principatum agnoſcẽs, hominũ, *vt ait Plin. li. 8. c. 4.* veſtigia formidat. *Leo quidẽ non corporis vaſtitate, ſed animi magnitudine, & viriũ robore mirificè diuinam prædicat poteſtatem. De quo Salomon Prou. 30. v. 30.* Leo fortiſsimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. *Quo cum & hominem ſanctum componit idem ſapientiſs. Rex Prou. 28. v. 1.* Fugit impius nemine perſequente, iuſtus autem quaſi leo confidens abſq; terrore erit.

E terra abeamus ad aquas, & potentiam Creatoris in cælis ſpectemus. Sunt immenſa genera piſcium, & æqualia montibus corpora, vt tradiderunt nobis, qui videre potuerunt, *ait S. Ambr. li. 5. Hexam. c. 10. quod & Scriptura oſtendit Gen. 1. v. 21.* Creauit Deus cete grandia. *& Iob 40. v. 20. & ſeqq. & Pſal. 103. v. 26. In quod & ſex dierum opus commentans S. Baſil. hom. 7.* Cete, *inquit*, maximis mole corporis montib æquantur. Nam cum ad ſummam aquę ſuperficiem enatarint, inſtar inſularum ſępe apparent. *Talia ſunt animantium ea, quæ ad terrorem, ſtuporemque nobis incutiendum creata ſunt.*

At vt

At vt oſtendat S. Baſilius non minus in quantitate molis, quam virtutis ſtupendam Dei potentiam ſubiungit. At ſi audieris maximas naues extentis velis ſecundo per æquora flatu labentes, piſciculum minutum remoram dictum, ſi carinis adhęſerit, adeo facilè ſiſtere, vt immobiles haud paruo tẽpore detineat, moreturq́ quaſi in ipſo mari radices altius fixiusque egiſſent, nonne ab exiguo quoque piſce demonſtrationem eandem acceperis ipſarum virium creatoris?

CAPVT V.

EX PVLCHERRIMO CONSTANTIſſimoq́ rerum ordine maximè Dei ſapientiam cognoſci.

S*Enſit hoc Magnus ille Dionyſ. Areopag. c.7. de diuin. nom. cum ait*, conſpici Deum, ex ordinatiſsima creaturarum diſpoſitione. Hic mundus, *ait S. Ambr. li.1. Hexam. c.5.* diuinæ Maieſtatis inſigne eſt, vt per ipſam Dei ſapiẽtia manifeſtetur. *B. Bern. ſer. de verbis Pſ.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus. Eſt quidam, *ait*, liber communis ſenſibilis mundus iſte, vt in eo ſapiẽtiam Dei legat, quicunque voluerit. *Socrates lib. 4. hiſt. Eccleſ. c.18. refert, quod S. Antonius cuidam roganti, quomodo in eremo ſine libris viuere poſſit, reſponderit*: Meus liber, ô Philoſophe, eſt natura rerum à Deo conditarum, quæ quotieſcunque mihi libuerit, libros ipſius Dei ad legendũ ſuppeditat.

Nec diffitetur Cicero in lib. de diuinatione cum pronunciat: Eſſe præſtantem aliquã æternamq́ naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandãq́ hominũ generi, pulchritudo mũdi, ordoq́ rerũ cœleſtiũ cogit cõfiteri. Quis n. hunc hominẽ dixerit,

qui cum tam certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tanquam omnia inter ſe connexa, & apta viderit, non Dei ſapientiam admiretur, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? An cum machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt ſphęram, vt horas, vt alia permulta, nō dubitamus, quin illa opera ſint rationis, cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moueri vertiq́ꝫ videamus conſtantiſsimè cōficientem viciſsitudines anniuerſarias, hybernas, vernas, æſtiuas, autumnales, cum ſumma ſalute, & conſeruatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non ſolùm ratione, ſed etiam nonniſi excellentiſsima illa Dei prouidentia?

Dei, inquam, qui dixit Gen. 1.*v.* 14. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. *Dei hoc opus, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat:* Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus, *Pſal.* 146.*v.* 4.5. *Quocirca & ipſe Deus nos hortatur Iſa.* 40.*v.* 26. *vt cœlum eiuſque effectorem ſuſpiciamus, qui aſtrorum multitudinem velut exercitum, & ordinatam aciem producit, & ſingula ſuis compellat nominibus, cuius tanta in regendo potentia eſt, vt aſtrum nullum ſuo deſit muneri. Et Baruch.* 3.*v.* 34. *& ſeqq.* Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt; vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus; & luxerunt ei, cum iucunditate, qui fecit illas.

Inter ſydera verò ſui conditoris maieſtatem, pulchritudinem, ſapientiam prædicat Sol: Vas admirabile opus excelſi, *vt ait Eccleſiaſticus cap.* 43.*v.* 2. qui tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultat, vt

sat, vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſsio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummũ eius, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, *Pſal.* 18. Sol oculus mundi, *inquit S. Ambroſ. li. 4. Hexameron cap.* 1. iucunditas Dei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ. Si quando hunc vides, auctorem eius conſidera, quando hunc miraris, lauda prius ipſius creatorem. Si tam gratus eſt Sol, qui conſors & particeps eſt creaturæ, quàm bonus eſt Sol ille iuſtitiæ? Si tam velox eſt, vt rapidis curſibus die ac nocte luſtret omnia, quantus ille, qui vbique ſemper eſt, & maieſtate ſua complet omnia? Si admirabilis, qui iubetur exire: quam ſupra admirationem, qui dicit Soli & non oritur? vt legimus *Iob* 9. *v.* 7. Si magnus eſt, qui per horarum vices, locis aut accedit, aut decedit quotidie, qualis ille, qui etiam cum ſe exinaniret, vt nos eum poſſemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? *Ioan.* 1. *v.* 9.

Et S. Baſil. hom. 6. diuini opificij: Si Sol iſte, *inquit*, corruptioni ſubiectus, adeo pulcher eſt, adeo magnus, velociſsimus quidem motu, ſuas autẽ peragens ordine decentiſsimo periodos: pulchritudine verò naturæ, quaſi quidam oculus ſplendidus creaturam ipſam condecorans, cuius ſi aſpectus inſatiabilis eſt, qualemnam ipſum eſſe iuſtitiæ Solem arbitrari nos debemus? *Si Solem hunc, haud conſpicere, detrimentum eſt homini cæco: qualis tandem iactura quantumque diſpendium eſt peccatori veriſſima illa luce carere.*

Quis igitur, *ait S. Chryſoſt. homil.* 9. *ad Antioch.* tam miſer, & ærumnoſus, qui cœlum quidem cernens, cernens verò mare & terram, cernens horarum temperiem tam diligenter moderatã,

& inconcuſſum diei & noctis ordinem, hæc ſpõte fieri putet, nec adoret eum, qui hæc omnia cũ ſapientia congrua diſpoſuit. Et non ſolum quæ in cœlis ſunt, ſed & quę in terra contemplemur. *Hæc ipſa terra in media mundi ſede locata eſt, & vndique nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concauas altitudines, immenſitateſque camporum, adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero & quàm varia genera beſtiarũ vel cicarum, vel ferarum, qui volucrum lapſus atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſilueſtrium? Et quãta maris eſt pulchritudo? quanta varietas inſularum? quæ amœnitates orarum & littorum? quot genera, quamque diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium & innatantium beluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium? & his in omnibus quantus diuinæ ſapientiæ ſplendor emicat?*

De elephanti magnitudine ac robore diximus, dicendum, & aliquid de admirabili ſolertia ipſius, vt & in ea diuinæ ſapientiæ ſplendor eluceat. Siquidem ſagacitate, docilitate, memoria, naturali quodam intellectu humani ſermonis, & morum, etiam ſenſu quodam humani amoris, & gloriæ, ac voluptatis, & erga nutritios ſuos fide, & beneuolentia ſimillimus eſt homini. Ariſt. lib. 9. de hiſtoria animal. c. 46, ſcribit, elephantum plurimũ valere ſenſu, cæteriſque animantibus ſagacitate ingenij antecedere, cenſetque omnium animalium mitiſſimum atque placidiſſimum, ob idque nobiliſſimũ, & permulta humanæ vitæ & conſuetudinis officia doceri, atque intelligere. Nam & Regem adorare condiſcit genua ſubmittendo, & coronas porrigendo. Et vt ſcribit Plinius in lib. 8. exordio, alienæ religionis intellectu nõ

caret,

caret, quippe tranſiturus maria, creditur non ante naues conſcendere, quam inuitatus rectoris iureiurando de reditu, obſeruatum eſt, & interdiu tradita, noctu meditari. *Philoſtratus lib. 2. cap.* 5. Elephas, *inquit*, maximè omnium ferarum docilis eſt, & vbi ſemel hominis imperio ſubiectus eſt, omnia ei præbet obſequia, & ab eo morum capit ſimilitudinem, gaudetque non ſecus, ac parui canes, ex manu eius cibum capere, venientemque ſua promoſcide complectitur: quin etiam caput intra ſuas fauces immittere hominem patitur, tamdiu aperto rictu, hianteque ore permanens, quoad homini libitum fuerit. Cui homini obuio forte in ſolitudine, & ſimpliciter oberranti, *vt ait Plinius libro 8. capite* 4. clemens placiduſque etiam demonſtrare viam traditur. *Videre eſt mira apud Aelianum libro 3. cap. 44. & libro 7. capite 32. de elephanti beneuolentia erga ſuos rectores, & nutritios. Sed quis hoc ingenium tribuit elephanto niſi Deus, de quo Sanctus Iob capite duodecimo verſu* 13. Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam.

Neque obſcurius in paruis beſtiolis, quàm in grandibus animantibus Dei apparet ſapientia. Quemadmodum & oſtendit Salomon Prou. 30. v. 24. Quatuor, *inquit*, ſunt minima terræ (*animalia*) & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus (*naturæ inſtinctu præclariora quædam exercent ſapientiæ opera, quàm homines ſapiētia præditi.*) Formicæ populus infirmus, qui præparat in meſſe cibū ſuū (*quo alatur hyeme*) Lepuſculi plebs inualida, quæ collocat in petra cubile ſuū. Regem locuſta nō habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas. Stellio manibus nititur & moratur in ędib. Regū. *Stellio hic ſignificat vel ſerpentem lacertæ ſimilē, minorē tamen, qui tergum habet*

lucentibus quibuſdam guttis depictum ad modum ſtellarum: ſignificat autem fraudulentum, vnde & crimen ſtellionatus, id eſt doli & impoſturæ. ſiue notat araneā aut potius ſimiam, hominis imitatricem, & lepidiſſimam. Annon hiſce exiguis animalculis ſuam eximiam declarat ſapientiam Deus, atque per ea tacitè nos hortatur, vt proſpiciamus nobis tempeſtiuè, de vitæ neceſſariis, & operemur cibum, qui non perit, ſed permanet in vitam æternam, *Ioann.6.v.27. vt tutum domicilium paremus, vt ſupra petram, ne facile deijciatur, ædificemus, Matt.7.v.25.* Domum non manufactam in cœlis, *2.Cor.5.v.1. vt concordiam amicitiamque, quâ contra aduerſarios roboramur, perpetuo colamus, vt principum gratiam induſtriæ conciliemus, ac præcipuè Summi Regis, vt in cœleſti aula verſari, & æternis bonis affluere poſſimus.*

Sed de formicæ prouiſione ac vigilantia rurſus Salomon Prouerb. 6.v. 6. Vade ad formicam, *ait,* ô piger, & diſce ſapientiam. *Qui cum non habeat ducem (qui exemplo ſuo præeat)* nec præceptorem, *(ſiue exactorem,* qui id præcipiat, & pretioſum operis *exigat)* nec principem, qui puniat *(inertem)* parat æſtate cibum ſibi, & cōgregat in meſſe, quod comedat. *De hac canit Horatius:*

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit, quodcunque poteſt, atque addit aceruo.

Admirandas & eius operationes prolixè proſequitur Plinius lib. 11.cap. 30. Sed S. Baſilium hom.9. in Hexameron audiamus: Non tute tibi eandem, *inquit,* ô homo, diligentiam adhibebis? Non tute tibi ipſi demum elaborabis? non hoc tempore præſenti fruges tibi recondes? requiemq́ue ad futuram formicæ exemplo parabis? Formica temporis hyberni pabulum æſtate ſibi ſedulo condit, & nō quod hyemis incommoda nondum adſunt,

otioſa

otioſa tempus traducit: ſed inceſſabili quodam, intentoque ſtudio legendi ſemina tantiſper incumbit, dum ſufficiens alimentum in cellulis ſibi recondat. Neque id incuria facit, ſed ſapienti quadam prouidentia, vt quamplurimo tempore pabulum ſibi perſiſtere, conſeruariq́ poſsit. Secat enim vnguicolis fructus medios, arroſoſque condit, ne rurſus in fruges exeant è terra, atque inutiles inde ſibi ad vſum alimoniæ fiant. Cùm ſenſerit eos madefactos imbre, profert atque exſiccat. Nec omni tempore id agit, ſed cū præſenſerit aerem, ſerena in ſtatione teneri, ſerenumq́ cœlum. Etenim nunquam ex nubibus imbrem defluxiſſe conſpexeris, quanto tempore à formicis expoſitum eſt frumētum. Quodnam tempus ſatis fuerit ad expromenda enarrandaq́ opificis tanta ſtupenda opera? Dicamus & nos cum Propheta Pſal. 103. v. 24. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. *S. Greg. Nazian. ad Hellenium*: Auriferas etiam formicas Indis è caua arena diuitias haurire ſolitas tradunt. Quod habet & Plinius lib. 11. c. 31.

Apud Græcos exemplo formicæ Prouerb. 6. ſubiungitur, & exemplum apis his verbis: Aut vade ad apem & diſce, quàm ſit operoſa, quamque ſeriam operationem exerceat, cuius labores, & reges, & idiotæ ad ſanitatem aſſumunt, deſiderabiliſque eſt omnibus, & illuſtris, & quidem cum ſit viribus infirma, tamen quia ſapientiam honorat, euecta eſt, ſiue promouet. *Hanc ſententiam & allegat S. Ambroſ. lib. 5. Hexameron, cap.* 21. Meritò, *inquit*, quaſi bonam operariam Scriptura apem prædicat dicens: Vade ad apem, & vide, quomodo operaria eſt. Operationem quoq; quam venerabilem mercatur, cuius laborem reges & medio-

mediocres ad ſalutem ſumũt. Appetibilis enim eſt omnibus & cara. Fructus illius ab omnibus deſideratur & quęritur nec pro perſonarum diuerſitate diſcernitur, ſed indiſcreta ſui gratia regibus pariter ac mediocribus æquali ſuauitate dulceſcit. Nec ſolum voluptati, ſed etiam ſaluti eſt, fauces obdulcat, & curat vulnera, internis quoque medicamentum infundit vlceribus. Itaq; cum ſit infirma robore apis, valida eſt vigore ſapientiæ, & amore virtutis. *Hæc Ambroſ. qui multa ibi de Apibus.*

Eandem ſententiam agnoſcit & D. *Baſil. hom.* 9. *diuini Opificij. Vbi iſta memorabilia apum opera diuinæ ſapientiæ argumenta recenſet:* Apibus, *ait*, communis eſt habitatio, communis volatus, communis deniq; vnaq; omniũ actio, & q; porro maximũ eſſe conſtat ſub rege, præſide, duceq; munus omne ſuum officiũq; attingunt, & aggrediuntur. Non prius ad prata proficiſci ſuſtinentes, quam Regem viderint cœpiſſe euolare. Atq; Rex apud ipſas non ſuffragiis eſt conſtitutus: nam imperitia populi ſæpenumero peſsimum omniũ citra delectum in magiſtratum promouit. Non ſorte poteſtatem eſt aſſecutus: Sortium enim fortuiti caſus ad omnium peſsimũ deterrimumq; perſæpe deferunt principatum. Non paternæ iure ſucceſsionis in regali throno reſidens. Nam & ij rudes expertesq; probitatis omnis ob luxum aſſentationesq; plerunque fieri ſolent. Sed à natura principatum in omnes obtinet, magnitudine, forma, manſuetudine morũ cæteris omnib. antecellens. Eſt n. & ipſe Rex aculeo præditus, ſpiculoq; armatus, at nunquam irritatur ad vltionem, nunquam vtitur illo: leges quædã iſta profecto ſunt naturæ ac inſtituta. Tardos, inquam, eos ad vindictã pœnamq; ſumendam eſſe opor-

tere,

tere, qui maximas obtinent poteſtates. Quin & apes quæ non ſequuntur, ac imitantur regis exemplum, cito admodũ temeritatis pœnitet ſuæ, ꝓpterea quod mox poſt ictũ intereunt. Audiant iſta Chriſtiani quibus lege ſancitum eſt, nemini vnquã homini pro malo reddere malũ, ſed malum vincere ſuperareq́ bono. Imitare mores apis peculiares, quę nemini prorſus efficiens, nec alienos vllos fructus demoliẽs fauos extruit & compingit ſuos. Etenim ceram quidem à floribus apertè colligit. Mel autem, humorẽ qui ſpeciem præ ſe fert roris inſperſum floribus, ore libatum atq; attractũ in cauos fauorum ſinus immittit. Vnde & humidũ primum eſt; deinde tẽpore concoctum, ad ſuam propriam craſsitudinem ſuauitatemq́ redit. Pulchra decoraq́ laude à Prouerbiorũ auctore prædicata eſt apis, ſapiens, operatrixq́ nuncupata adeo pabulũ diligenter elaborateq́ cõgerens. Cuius labores, inquit, tã Reges quàm priuati homines ad tuendã ſanitatẽ edunt. Adeo ſapienter, adeo exacta miraq́ arte apothecas mellis extruẽs atq; fingens. In tenuem enim extenſa cera membranam, frequentes cellulas, denſas, ſibiq́ cõtinuas, alias ſuper alias exſtruit, vt ipſarũ adeo mixtarum inter ſe vinculi denſitas, vniuerſo ſit operi munimentum, ac firmitudo. Quæq́ n. adhæret alteri cellulæ pertenui ſeiũcta ſimul copulataq́ ſepto. Deinde aliæ ſuper alias accumulãtur hæ fiſtulę, in altũq́ editur opus, perinde vt ædes præcelſæ ſecunda tertiaq́ præditæ contignatione. Namq́ cauetur ipſi continuum vnum efficere ſinũ, ne foras humor ſuo præ pondere dilabatur. Diſce interim quantum obtineat geometricæ inuentionis, vel ea, quæ parerga ſunt ſapiẽtiſsimę iſtius apiculę. Fauorum n. fiſtulæ omnes cera compactæ,

pactæ ſenis angulis æqualibuſve lateribus prædità ſunt. Non in directum ſuper alias aliæ iacent, ne fundi vacuis interuallis accommodati defatigentur: ſed ſex angulorum inferiorum anguli, ſedes ſuperiorum fundamentaq; ſunt, vt tute eleuent ac ſuſtineant pondera, & ſeorſum humor in vnumquemque ſinum ſuſcipiatur, & continere queat.

Iſta S. Baſilius, & ex eo B. Ambroſius lib.5. Hexam. cap. 21. vbi & addit: Communis omnibus generatio eſt, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis & partus, quoniam neque vllo concubitu miſcentur, nec libidine reſoluuntur, nec partus quatiũtur doloribus, & ſubitò maximum filiorum examẽ emittunt, è foliis & herbis ore ſuo prolem legentes. Cernas omnes certare de munere, alias inuigilando, quærendo victualia, alias ſollicitam caſtris adhibere cuſtodiam, alias futuros explorare imbres, & ſpeculari curſus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infuſum floribus ore colligere: nullam tamen alienis inſidiari laboribus, & rapto vitam quærere. *Cum aues aliæ vix in anno edant ſingulos fœtus, apes geminos creant, & duplici cæteris fœcunditate præponderant: de apibus hæc memorat Ariſt ot. lib. 5. hiſt. animal. c. 21. 22. Greg. Naz. Orat. in nouam Dominicam.*

C. Plinius naturalis hiſt. li. 11. cap. 5. Inter omnia, *inquit*, inſecta principatus apibus & iure præcipua admiratio, vt propè natura rerum ex vmbra minimi animalis incomparabile effecerit quiddam. Nihil nouere niſi commune. *Et cap. 6.* Nullus cum per cœlum licuit, otio perit dies. *Et cap. 8.* Fructibus nullis nocetur, Mortuis ne floribus quidem, non modo corporibus inſident. Operantur intra ſexaginta paſſus. Et ſubinde conſum-

conſumptis in proximo floribus, ſpeculatores ad pabula vlteriora mittunt. Noctu deprehenſæ in expeditione, excubant ſupinè, vt alas à rore protegant. *Et cap.* 10. Ratio operis interdiu ſtatio ad portas more caſtrorum. Noctu quies in matutinum, donec vna excitet omnes, gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo. Tunc vniuerſæ prouolāt, ſi dies mitis futurus eſt. Prędiuinant enim ventos imbresq́; , & tunc ſe continent tectis. Itaque temperie cœli (hanc enim inter præſcita habent) cum agmen ad opera ꝓceſsit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttaſque lanugine totius corporis. Quarũ adoleſcentiores ad opera exeunt, & ſupradicta conuehunt. Seniores intus operantur. Quæ flores comportant prioribus pedibus fœmina onerant, propter id natura ſcabra, pedes priores roſtro, totæq́; onuſtæ remeant ſarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ, quaternæ exonerant. Sunt enim intus officia quoque diuiſa. Aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ comparant ex eo quod allatum eſt. Neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis, aut cibi fiat & temporis. Gerulæ ſecundos flatus captant. Si cooriatur procella apprehenſis peduſculo lapillis ſe librant. Quidam in humeros eum imponi tradunt. Mira obſeruatio operis. Ceſſantium inertiam notant, caſtigant, mox & puniũt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia è medio, nullæque inter opera ſpurcitiæ iacent. Quin & excrementa operātiũ intus, ne longius recedant, vnum cōgeſta in locum turbidis diebus & operis otio egerunt. Cum adueſperaſcit in alueo ſtrepunt minùs ac minùs, donec vna circumuolet, eodem, quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans. Et hoc caſtrorum more.

more. Tunc repentè omnes conticeſcunt domos primùm plebeis exædificant, deinde regibus. *Et cap.* 11. Si ſperatur largior prouentus, adijciuntur contubernia fucis, quæ ſunt quaſi ſeruitia verarum apum. Quamobrem imperant illis, primosq́; in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt. Cum mella cœperint matureſcere, abigunt eos. Multæ ſingulos aggreſſæ trucidant. Quid hiſce beſtiolis deeſt, niſi ſola ratio? poſſetne homo melius vel inſtituere, vel adminiſtrare Rempub. *Quam ſapiens Deus, qui minimo animalculo tantam ingenerauit ſolertiam? Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum honor & gloria.*

Hoc nunc Caput ne iuſto longius fiat, terminandum, inchoata tamen proferenda materia, vt qua homini iucundiſſima & ad cognoſcendum, admirandum, amandum & colendum Conditorem vtiliſſima: Sapiens enim vir & ſpiritalis, ſic extrinſecus in creaturis conſiderat pulchritudinem operis, vt animo miretur & laudet ſapientiam Creatoris: inſipiens ſolam in illis ſpeciem & venuſtatem miratur. Velut ſi in vna eademq́; ſcriptura alter colorem aut caracterum formationem commendet, alter vero laudet ſenſum & ſignificationem.

CAPVT VI.

ALIA EX CREATVRIS DIVInæ ſapientiæ argumenta.

OPera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt, *inquit Angelus Raphael Tobiæ* 12. *v.* 7. *Sed & Dauid Pſ.* 91. *v.* 4. Delectaſti me, *ait*, Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Nam mundi opere, *vt loquitur Lactantius*, nihil poteſt eſſe, nec diſpoſitius ad ordinem, nec aptius ad vtilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem. *Ita habet lib. de ira Dei cap.* 10. *Affirmat & Plato in Sympoſ. ex pulchritudine rerum creatarum pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturæ conſpici: ipſe enim Deus totius pulchritudinis fons & origo eſt.*

Tu cuncta ſuperno (*canit Boetius de Cōſol. metro.* 9.
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimiliq; in imagine formans.

Quapropter & Plato epiſt. 2. *ad Dionyſ. regem, Deum vocauit* cauſam omnium pulchrorum, *& in Hippia maiori, ſiue de pulchro, aſſerit rem quamlibet formoſiſſimam, cum Deo comparatam non eſſe pulchram, ſed deformem.*

S. Auguſt. Serm. 143. *de Tempore cap.* 2. Interroga, *inquit*, pulchritudinē terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati & diffuſi aeris, interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem ſyderum, interroga Solem fulgore ſuo diem clarificātem, interroga Lunam ſplendore ſubſequentis noctis tenebras temperātem, interroga animalia, quæ mo-

 uentur

uentur in aquis,quę morantur in terris,quę volitant in aere,latentes animas,perſpicua corpora viſibilia regenda,inuiſibiles regentes: Interroga iſta: Reſpondent tibi omnia: Ecce vide pulchra ſumus. Pulchritudo eorum confeſsio eorum eſt.

Iſta pulchra mutabilia quis fecit, niſi incommutabilis pulcher? Quod & Philoſophi non ignorarunt. De prouidentia,*ait S.Auguſt.lib.* 10.*de Ciuit. Dei c.* 14. Plotinus Platonicus diſputat, eamque à ſummo Deo,cuius eſt intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, vſque ad hæc terrena & ima pertingere,floſculorum atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quaſi abiecta & velociſsimè pereuntia decentiſsimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur, vbi forma intelligibilis & incommutabilis ſimul habens omnia perſeuerat. *Hoc Dominus Ieſus oſtendit, vbi ait Matthæi 6.ver.* 28. Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant,neque nent. Dico autem quia nec Salomon in omni gloria ſua ſic amictus eſt, ſicut vnum ex his. Quod ſi fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei.

In quæ verba Sancti Hieronymi Commentarius ſic habet: Et reuera quod ſericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textorum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa? Quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram nullo ſuperari murice, oculorum magis quàm ſermonis indicium eſt.

Hac tamen Dei prouidentia & ſapientia clarius in animantibus dignoſcitur. Et primo quidem in piſcibus. Auctor eſt Sanctus Baſilius in Hexameron homilia 7.quod cancer efflictim oſtrei carnes cupiat,ſed per-

perdifficilis eius ſit ipſi venatio teſtæ ratione, quâ clauditur ac munitur, vt nihil prorſus denticulati cancri forcipes illi poſsint. Quid igitur agit, quid tandem molitur? Cum viderit illud tranquillis in locis tẽpore ſe oblectare, ſuaſque illas valuulas ad Solis radios aperuiſſe, ac explicaſſe, tunc clanculum iniecto calculo concluſionem prohibet, atque quod viribus ſuis deerat, id tali æſtu ſibi ſupplet. *De hoc Ariſt. libr. 9. hiſt. animal. c.* 37.

Polypus cuicunque ſaxo adhæſerit, colorem ſubit illius, atque adeo vt piſcium complures ad ipſum de improuiſo nantes, tanquam ad ſaxum appellant, paratamque ſeſe offerant illi verſuto malitioſoque prædam: Aequoreus herinaceus cum ventorum perturbationem præſenſerit, calculum haud exiguum ſubit, ſub ipſo tanquam anchora ſe ſtabiliens. Detinetur enim illius pondere, ne facile fluctibus trahatur ac agitetur. Id vbi nautici conſpiciunt futuram hoc indicio ventorum agitationem tempeſtatemque præſagiunt. Nemo homo ſtellarum ſcientia præditus, nemo chaldæus procellas ex ortu ſiderum coniectans aeris turbelam herinaceum docuit, ſed marium dominator atque ventorum, huic etiam animanti paruo immenſæ ſuæ ſapientiæ veſtigium euidens & apertum impreſsit. Nihil eſt prorſus, quod ſub prouidentiam Dei nõ cadat. Nihil eſt omnino quod à Deo neglectum ſit, omnia explorat, omnia conſpicit oculus ille peruigil, omnibus adeſt, facultatemque ſalutis cuique præſtat. Si herinaceum Deus à ſua prouidentia non excludit, ea, quæ ad te pertinent, non explorat, non conſpicit? *Lib. 5. Hexam. cap. 7. de cancro & Polypo habet S. Ambroſius, & cap. 9. de Echino: & ſubiungit*: Omnia

videt, qui paſcit omnia, omnia replet ſapientia, qui omnia in ſapientia fecit, *vt ſcriptum eſt Pſalmo 103. De his & Plinius lib. 9. cap. 29. & 31.*

Sed porro S. Baſilium eadem in ſex dierum opificium homil. 7. audiamus: Singula genera piſcium accõmodata ſibi loca diſtribuunt, in illiſq; perinde atque in vrbibus, aut pagis quibuſdam, aut antiquis patriis immorantur, nec aliena loca vnquam aggrediuntur, ſed intra ſuos læta verſantur fines. Sunt & qui peregrinationem de more capeſſant, & cum deſtinatus ab natura articulus temporis acceſſerit, alij ab aliis finibus, quaſi ſub vna militari teſſera, alio emigrant omnes. Quis eſt, qui mouet? Quod Regis edictum? Quæ tabellæ in foro poſitæ præſtitutum decedendi tẽpus definiunt? Qui denique ſunt hoſpitum aduenarumq; ductores? Conſpicisne diuinam inſtitutionem ordinemq; cuncta complentem, & vel minutiſsima quæq; penetrantem? *Eadem & hinc B. Ambroſ. lib. 5. Hexam. c. 10. eſt mutuatus.*

Sepia vt ſe tangi ſenſerit, atramẽto ſuo, quod illi pro ſanguine eſt, aquam infuſcat, & obiectis tenebris ſe occultat. *Vt eſt apud Ariſto. lib. 4. de hiſt. animalium cap. 1. & lib. 9. c. 39. Et S. Gregor. Naz. Orat. ad 150. Epiſcopos. Plinium lib. 9. naturalis hiſtor. c. 29.* Pinna duabus grandibus patula conchis cũ parua ſquilla, quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Pandit ſe prima luminibus orbum corpus intus minuſculis piſciculis prębens, qui cum innatauerint, tum admonita morſu leui à ſpeculatrice ſquilla comprimit conchas, & quicquid incluſit, exanimat, partemq; ſocio tribuit. *Hæc Cicero lib. 2. de natura Deorum, & Plinius libr. 9. cap. 42.*

Torpedo procul & è longinquo, *vt loquitur Plinius lib. 32. cap. 1.* vel ſi haſta virgave attingatur,

tur, quamuis prævalidos lacertos torpeſcere, quamlibet ad curſum veloces alligari pedes proditur. *Addit & Ariſtoteles lib. 9. de hiſt. Animal. cap. 37.* Torpedo piſcis, quos appetit, afficit ea ipſa, quam ſuo in corpore continet, facultate torpendi, atque ita retardos præ ſtupore capit, & veſcitur, abdit enim ſe in arena & limo, tum piſces qui adnatantes obtorpuerint, corripit, quam rem plerique conſpectam à ſe retulerunt. *Muti ſunt piſces, ſui tamen conditoris ſapiētiam naturæ admirabilitate non tacent, & nobis rerum ſalutiferarum, hominum ſocietatem atque amicitiam impendentium malorum præſenſionem & vitationem commendant. Atque vtinam homines ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, Deut. 32. Sed à piſcibus ad aues nos conferamus.*

CAPVT VII.

AVES DEI SAPIENTIAM declarant.

SAnctus Baſilius hom. 8. Hexam. Grues, *inquit*, excubias nocturnis temporibus viciſsim habere ſolēt: & cæteræ quidem dormiunt, aliæ verò in orbem circumluſtrant, & obeunt dormientes vniuerſis ſomno indulgentibus ſecuritatem omnem exhibendo. Exacto deinde tempore definito, illa quidem emiſſo clangore ſeſe ad ſomnum carpēdum vertit, alia verò ſuccedit, & quam accepit, reddit in parte ſecuritatem. Hunc eundem ordinem diſciplinā-ve exactam in ipſarum volatu conſpicere licet. Interdum enim alia ducendi cæteras officium ſubit, ſtatoq; tempore, munere hoc perfuncta,

ad totius agminis ſeſe terga recipiens, idem ei ducendi munus, quæ poſt ipſam prima volabat, tradit. *Hoc docet Ariſtoteles libro 9. hiſtor. Animalium capite 10.*

Vtrumque hoc tradit & Plinius libr. 10. naturalis hiſt. cap. 23. & aliqua addit: Inducias habet gens Pygmæorum abſceſſu gruum cum iis dimicantium. Immenſus eſt tractus, quo veniunt, ſi quis reputet à mari Eoo. Quando proficiſcuntur, conſentiunt, & confertim volant. Et ad proſpiciendum altè volant. Ducem, quem ſequantur, eligunt. In extremo agmine per vices, qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem voce cõtineant. Excubias habent nocturnis temporibus lapillum pede ſuſtinentes, qui laſſatis ſomno decidens, indiligentiam ſono coarguat. Cæteræ dormiunt capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto prouidet collo, ac prædicit. Certum eſt Pontum tranſuolaturas primum omnium anguſtias petere inter duo promontoria Criumetopum & Carambem. Mox Saburra ſtabilior. Cum medium tranſierint, abiici lapillos è pedibus, cum attigerint continentem, & è gutture arenam. *Et libro 18. capite 35.* Grues ſilentio per ſublime volantes ſerenitatem præſagiunt. *Narrat & lib. 30. cap. 6.* non laſceſſere in vllo labore, qui neruos ex alis & cruribus gruis habeant.

Illud ab Ariſtotele animaduerſum, à quo pleraque: Quis poteſt non mirari, *ait Cicero libro 2. de Natura Deorum*, Grues cum loca calidiora petentes maria tranſmittunt, trianguli formam efficere: eius autem ſummo angulo aer ab iis aduerſus pellitur: Deinde ſenſim ab vtroque latere, tanquam remis, ita pennis curſus auium

leuatur.

leuatur, baſis autem trianguli, quem grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adimatur, hæque in tergo præuolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet, vbi nitatur, reuolat, vt ipſe quoque quieſcat, in eius locum ſuccedit, ex eis quæ acquieuerunt, eaque vicißitudo in omni curſu conſeruatur.

Si ratione prædita eſſent grues, quid aliud agerent, quàm quod agunt? Cùm autem ratione careant, & rationis opera exerceant, quis non videt illas à ſumma ratione gubernari? Quis excubias cuſtodiaſque grues docuit, niſi inſopita & omnia luſtrans Dei ſapientia? niſi ille de quo Dauid Pſalmo 120. *verſu* 4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrahel. *& verſu* 7. Dominus cuſtodit ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. *Qui & nos toties ad vigilantiam & habendas perpetuo ſalutis noſtræ excubias cohortatur. Matthæi* 24. *verſu* 42. Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. *Et capite* 25. *verſu* 13. Vigilate ergo, quia neſcitis diem neque horam. *Quis gruibus talem conſtituit ordinauitque Rempublicam, niſi is, de quo Salomon Sapientiæ* 11. *verſu* 21. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. *De quo & pater illius Regius Propheta Dauid Pſalmo* 118. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiũt tibi? *An & triangulum in volatu conficiunt, vt vnius Deitatis Trinitatem inſinuent? qui cum ſit vnus numero triangulus, tres tamen habet inter ſe diſtinctos angulos.*

Hirundo auicula notiſsima, vt quæ in domibus noſtris cubile ſibi nidumque conſtruit, de qua in hunc modum S. Baſil. ho. 8. in Hex. loquitur: Nemo paupertatẽ deploret, nec is de vita ſua deſperet, actumq;

iam eſſe de ipſa putet, cui nihil eſt de patrimonio ſuo relictum, ad hirundinis reſpiciens ingenioſam & ſolertem induſtriam. Nam illa compingendo ſibi nidulo ſtramenta quidem ore legit, perfertque. Lutum autem cum deferre nequeat, pedibus extremitates pennarum aquâ primum madefacit, deinde tenuiſsimo puluere ſeſe inuoluens hoc pacto ſibi comminiſcitur, excogitatq́ luti vſum. Tum paulatim compactis inter ſe floccis, colligatiſque ſtramentis, interpoſito, perinde atque glutino quopiam luto, in ipſo nidulo iam exſtructo ſuos tandem excluſos editis ouis pullos nutrit, quorum ſi quis pupugerit oculos, habet quandam à natura ſibi conceſſam facultatem medédi, quâ quidem ad valetudinem priſtinam ſuę lumina prolis reducit. Quod ſi Deus tantis muneribus hirundinem affecit, quanto maiora beneficia in eos conferet homines, qui toto ipſum corde inuocant. *Hæc & habet S. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 17. & Ariſt. lib. 6. hiſt. animal. c. 5. & lib. 9. cap. 7.*

Plinius lib. 10. c. 33. Herba autem quæ excæcatis pullis medetur, viſumq́ reſtituit, chelidonia vocatur, *vt tradit Plinius lib. 25. cap. 8. Quo exemplo pulchrè vtitur Tertullianus auctor grauiſsimus pariter & vetuſtiſsimus in lib. de Pœnitentia:* Cum ſcias, *inquit*, aduerſus gehennam poſt prima illa Dominicæ intinctionis monimenta (*Baptiſmum ſcilicet*) eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeras? Cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas ſibi diuinitùs attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare

lare rurſus de ſua chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutã à Domino exomologeſin ſciens, præteribit illam? Non ſolum ſibi ſuiſque pullis, ſed & nobis conſulunt hirundines, docentque, vt conceſſa tempora ſaluti impendamus.

Aeſtate præſto ſunt, hyeme auolant, locaque ſibi opportuna quærunt: Quod homines non facere meritò illis exprobrat Deus Hierem. 8.v. 7. Miluus in cœlo, *ait*, cognouit tempus ſunm, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. *Impendens Ieroſolymis exilium corporis iuxta ac animæ*, eò quod non cognouiſſet tempus viſitationis ſuæ, *defleuit Saluator Luc.* 19. v. 42.

Stupet naturæ ſolertiam in culice Plinius libr. 11. *c.* 2. Ego immenſam Dei conditoris admiror ſapiẽtiam. Vbi, *ait*, tot ſenſus collocauit in culice? Vbi viſum in ea prætendit? Vbi guſtatum applicauit? Vbi odoratum inſeruit? Vbi verò truculentam illam & ꝓportione maximã vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas annexuit? Prælongauit pedum crura? diſpoſuit ieiunam caueam vti aluum? auidam ſanguinis & potiſsimum humani ſitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori quo ſpiculauit ingenio? Atq; vt in capaci cum cerni non poſsit exilitas, ita reciproca generauit arte, vt fodiendo acuminatũ, ſorbendoq; fiſtuloſum eſſet. Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumq; colla & truces in ſublime iactus, tigrium rapinas, leonum iubas, cum rerum natura nuſquam magis quam in minimis tota ſit.

Et cuinam alitum generi, *vt ait S. Baſil. homil.* 8. *in Hexam.* non proprium quid & peculiare admirandum natura impreſsit, oſtentandũ? Quis

quęſo cædem vulturibus ac mortem hominum cum contra ſe militiam ducunt, prædicit? Videris enim vulturum innumeros greges, exercitus caſtraque ſequentes armorum apparatu ferroque procul dubio, talem exitum coniectantes, quod quidem haud longè dixeris à cogitationibus humanis coniecturiſque diſtare? *Plinius libro* 10. *cap.* 6. *Tradunt, vultures triduo aut biduo ante volare, vbi cadauera futura ſunt. Non tam mirum eſt, Aquilam magna pernicitate aduolare ad corpus ſiue cadauer, cum naturali ſenſu illud percipiat. Iob* 39. *v.* 33. Vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt aquila. *Et Matth.* 24. *v.* 28. Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: *quam hoc ſtupendum vulturem præſentire, & quaſi diuinare, vbi ſint futura cadauera. Sed nimirum eo impellit vulturem Deus*, qui ſua in poteſtate tempora & momenta poſuit, *Act.* 1. *v.* 7.

CAPVT VIII.

BESTIAE DIVINAE SAPIENTIÆ indices.

ORdiamur hanc telam à venenata beſtiola omnibus notiſſima, ſed ſuo mirabili artificio ſummi artificis Dei monſtratrice. Ea eſt aranea, quam prudentiæ nomine prædicat Ariſtoteles libr. 9. *hiſtor. animalium cap.* 39. *& Plinius libr.* 11. *cap.* 24. Hæc mira induſtria telam texit, & tanquam altera venatrix delia captandis muſcis retia expandit. Stamma primum decuſſatim extendit, paribus in medio angulis, & extrema in ambitum ad oppoſita alligat & firmat. Deinde à medio orſa texere, circinato orbe ſubtegmina annectit, maculaſque paribus ſemper interuallis,

ſed

ſed ſubinde creſcentibus, indiſſolubili modo implicat. Quanta ſubtilitate cælat pedicas ſcutulato reti graſſantes, pixitate & politura quadam telæ tenacem tramæ rationem occultans: Extra, ſpecum ſibi concamerat ad inſidias, aucupum more, ne conſpiciatur. Vbi muſca inciderit, accurrit citiſsimè, apprehendit, alas glomere ventris implicat, necat, aufert, exugit, aut in famis tempus recondit, repetit venandi negotium, ſed prius conſarcinato, quod per venatum laceratum eſt. *Si ratione vteretur araneus, non poſſet ſingula facere ordinatius, & ad illum finem aptius. Sed hoc munus eſt diuinæ ſapientiæ,* quæ attingit à fine vſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, *Sap. 8. v. 1. Illud & hic cogitandum, quod ait Dauid Pſal. 38. v. 12. quod ſinat Deus homines intabeſcere, macerari, ac langueſcere, quemadmodum perit aranea, quæ continuo in texendis telis labore ſeipſam exhaurit, & omni humore & vigore ac vita ſpoliat. Similem in modum curis rerum ſæcularium conficiunt ſeipſos homines. In quem Pſal. & verſ. S. Ambroſ.* Non vana, *inquit*, & inania ſequamur, ne telam araneę texere videamur, eò quod peccata nulla perpetuitatis poſſunt habere ſubſtantiam. Vnde cum videris aliquos ſtudere facultatib. ampliandis, cumulandis poteſtatibus, affectando decori dices illud Iſa. c. 59. v. 5. Telam araneæ texunt, quæ diuturna eſſe non poteſt, ſed cito ſcinditur, atq; opus eius omne diſſoluitur. Non n. ſupra ſolidũ aliquod fundamentũ locatur, ſed in vacuo ſuſpenditur. Quid argutiis, quid ſolicitius aranea? quæ operi ſuo diebus ac noctibus ſemper intendit, nec vllo ſumptu, vllaq; impenſa conficit veſtimẽtum, ſed vanum eſt omne quod fecerit. Sic homo omnis, qui opus ſuũ ſupra Chriſti non

conſti-

conſtituit fundamentum, vanè noctibus & diebus & ipſe turbatur, cum ipſum plerunque araneę modo in ipſo ſuo improbitatis molimine operis ſui ruina conuoluat.

Canis quidem rationis expers eſt, *ait S. Baſilius hom. 9. diuinum in opificium*, ſenſitionem tamen obtinet parem, propè dixerim rationi. Quæ nãque ſæculi ſapientes per prolixum vitę totius otium deſidentes vix tandem inuenerunt, argumentationum, inquam, rationumq; nexus in iis ſeſe offert canis eruditum à natura. Nam cum eius feræ veſtigia, quam perſequitur, inueſtigat, ſiquidem ea inuenerit pluribus ſeſe findentia modis, diuortia viarum ſingulatim, digreſsionesq; quaſcunque in partes ferant, vbi ſuo ſagaci illo odoratu perluſtrauit, vocem prope ſyllogiſticam per ea, quæ agit, elicit hoc pacto: Fera, quam perſequor, inquit, aut hac, aut illa, aut iſta diuertit parte. Atqui non hac, non item illac, reſtat ergo illam iſthac abiiſſe via, atque ita falſa tollendo, verum inuenire ſolet.

Summa profecto dilectio, ſummus amor brutis eſt inter parentes & fœtus ſuos: quapropter & qui ea condidit Deus, defectum rationis acrimonia ſentiendi opulentiore temperauit, ſolatusq; eſt. Nam vnde fit, vt in obuium quidem tam copioſo numeroſoq; grege è ſtabulis exiliens agnus, matris ſuæ continuò percipiat vocem, ad eamq; properet, atque lactis fontes ꝓprios recta petat, papillisq; maternis contentus ſit, etiamſi perparum habeant ſucci, præteritis haud paucis vberibus lacte diſtentis. Quin mater ipſa inter tam multos numeroſosq; agnos, eum internoſcit vt proprium. Vna vox omniũ eſt, vnus idemq; ſæpenumero color, vnus etiam penitus odor, quatenus odoratus noſter nouit diſcer-

diſcernere. Atqui iſtis ineſt quædam ſentiendi facultas, noſtra nimirum longè exactior, quâ ſuum cuique proprium facile dignoſcere licet.

Catulus nondum obortis dentibus iam ore quiddam minatur ei, qui dolore ipſum affecit. Nondum cornua vitulo ſunt exorta, ſcit tamen quâ ſua arma parte naſcitura ſint. Hæc indicant animantes cunctas iſtiuſmodi natura indociles eſſe, ac doctrinæ rudes, nihil tamen eſſe in rebus non ordinatum, non certa lege prouidentię circumſcriptum ac definitum, ſed omnia in ſe circumferre quædam ſapientiæ ſui Creatoris veſtigia. *Iſta S. Baſil.*

Perdix, *ait S. Ambroſius lib. 6. Hexam. cap. 3.* alterius perdicis oua diripit, & corpore fouet ſuo, pulloſq́ educit, qui vbi vocem audiuerint, quæ oua generauit, ad illam ſe natnrali amore conferunt tanquam matrem nutrice relicta. Porrò ſi tranſigamus oratione, quanta rationis expertibus iſtis inſit ſine doctrina quidem, quippe naturalis ſuæ vitę diligentia, atque cura: aut ad noſtri corporis cuſtodiâ, animarumq́ noſtrarum, prouidendam ſalutem impellemur, ac concitabimur, aut magis magiſque carpemur, ac condemnabimur, ſi ita fuerimus affecti, vt neque animalia imitari rationis expertia valeamus.

Vrſa ſæpè vulneribus ſaucia grauibus, ſibiipſi medetur omni conatu: calenti adhuc vulneri verbaſcum ſiccæ naturæ herbam indens obturanſq́. Videris & vulpem laricis, aut piceæ lachryma ſeipſam medicantem. Teſtudo quoque viperę immodicè exitiata carnibus, per aduerſam origani naturam, nocumentum à venenata fera ſibi prouenturum euitat. Quin & anguis fœniculi paſtu lippitudinem oculorum curare videtur. *Hæc S. Baſil. hom. 9. Hexam.*

B. Am-

B. Ambroſius etiam lib. 6. Hexam.c.4. Norunt & beſtiæ remedia ſua: Capra vulnerata dictamnũ petit,& de vulnere excludit ſagittas. Leo æger ſimiam quærit, vt deuoret, quo poſsit ſanari. Leopardus capreæ agreſtis ſanguinem bibit, & vim languoris euitat. Omnis fera ægra canis hauſto curatur ſanguine. Vrſus æger formicas deuorat. Ceruus oleæ ramuſculos mandit. *Ergo feræ norunt expetere ea, quæ ſibi proſunt, tu ignoras, ô homo, remedia tua? Videatur & Plinius lib. 25. cap. 8. & Ariſt. lib. 9. de hiſt. animal. cap. 6.*

CAPVT IX.

RES CONDITAE DEI EFFEctoris bonitatem multis modis demonſtrant.

Llud vndiquaque veriſſimum, quod Regius affirmat Vates Pſal. 144. v. 9. quod Deus ſine exceptione erga res cunctas ſit benignus, & multiplicia bonitatis ſuæ munera omnibus ſuis demonſtret operibus, Angelis & hominibus, iuſtis & improbis, ipſis etiam brutis animantibus, & anima expertibus: Suauis, *inquit,* Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. *Vnde & paulò poſt v. 15. ita Deum alloquitur:* Oculi omniũ in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Quaſi dicat: Omnia Domine animãtia ſuum à te paſtum præſtolantur, neq; eorum fruſtras exſpectationem, ſed plena manu & copia & illum & alia in ea exaggeras beneficia.*

Iſtam Dei benignitatem inprimis ſentit Halcedo, quæ vt ait Ariſt. li. 9. de hiſt. animal. c. 14. non multo amplior

plior paſſereq́ eſt, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leniter purpureo inſignis videlicet non particulatim colore ita diſtincta, ſed ex indiſcreto variè refulgens corpore toto & alis, & collo, roſtrum habet ſubuiride, longum, & tenue: talis ſpecies eius eſt. Halcedo, *ait S. Baſil. hom. 8. in Hexam.* quædam eſt auis mari maximopere gaudens. Hæc fœtificare ſecundum littora ſolet, & ouis in ipſa arena poſitis, circiter mediã fere hyemem pullos excludit, cum crebris violentisq́ue ventorum exaſperatum mare procellis pertunditur, ac terræ littoribus alliditur. Attamen ſileſcunt & conſopiuntur tum omnes venti, quieſcunt vndæ, tumida ęquora placantur ſeptem totis diebus cum incubat ouis Halcedo. Tot enim duntaxat diebus ipſam ſuos excludere pullos ferunt. Sed cum & victu ſit ipſis opus alios inſuper pro incremento ſuæ prolis beneficentiſsimus ipſe Deus huic tam exiguo præſtitit animali, ſerenos itidem ſeptem, tranquilloſque dies. Id omnes etiam nautici ſciunt, & halcyonídes dies illos appellant. Hæc illis rationis expertibus commoda diuina prouidentia præſtat, vt inde quaſi lege ſit tibi ſtatutum, vt per hæc admoneare, à Deo ſemper vt poſtules, quæ ad ſalutem tuam pertinent. Quid à Deo etiam præter omnium ſpem tui cauſa non fuerit exorabile, quem ad imaginem ipſe ſuam creauit: quandoquidẽ alitis tam exiguæ gratia, mare tam vaſtum, tam terribile, ſæuumq́ue tranquillũ eſſe media bruma iuſſum detinetur, atq́ue quieſcit. *Eadem habet S. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 13. cum morali exhortatione ad fiduciam in Deo collocandã. Similia prorſus reperiũtur & apud Plin. li. 10. nat. hiſt. c. 32.*

Commendat ſæpius Scriptura Dei erga coruos, benignitatem, vt Iob 38. verſ. 41. Quis præparat coruo

eſcam

eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deũ, vagantes, eò quod non habeant cibos? *Pſal.* 146. *v.*9. Qui dat eſcam omni carni, & pullis coruorũ inuocantibus eum. *Luc.*12.*verſ.* 24. Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quãto magis vos pluris eſtis illis. *Exiſtimant aliqui, coruiculos recenter excluſos ex ouis albeſcere, vel quod implumes ſint, vel quod albioribus pilis ſubalbicent, ac proinde à nigerrimis parentibus, tanquã alienos & nothos, cum maximè nutritione indigerent, deſeri, ſuſcipi verò & ſuſtentari à gratia Dei nutrice omnium, Sap.*16.*v.*25. *vel cœleſti rore, vel muſcis in biantes eorum fauces inuolantibus. S. Greg. lib.* 30. *Mor. cap.*15. Editis, *inquit*, pullis, vt fertur, coruus eſcã plenè præbere diſsimulat, priuſquam plumeſcendo nigreſcant, eosque inedia affici patitur, quoadufque in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo videatur. Qui huc illucq; vagantur in nido, & ciborum expetũt aperto ore ſubſidium. At cum nigreſcere cœperunt, tanto eis præbenda alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius diſtulit. *Hanc & opinionem ſequuntur S. Thom. in Iob, & in Pſal.* 146. *Caſsiodorus vbi & S. Hier. Philoſophi dicunt, quod de rore viuant pulli coruorum, & alij. Illud eſt multo probabilius ex ingluuie & voracitate coruis eſſe quandam ſæuitiam erga coruiculos ſuos, quã & natura ſcriptores tradunt. Nam Ariſtot. lib.* 6. *de hiſto. animalium cap.* 6. *memoriæ propagauit*: Commune ferè eſſe omnibus alitibus, quibus vngues adunci, vt pullos cum primum prouolandi facultas fuerit, nido expellant, percutienteſque cogant diſcedere: cumq; enutrierint, nihil præterea adhibeãt curæ, excepta cornice, quæ aliquandiu prouidet, quippe quæ volantes iam pullos paſcens ipſa comitetur. Quod etiam

etiam habet Baſil.hom.8.Hexam.& Plinius libr. 10. *c.* 12. *& Aelianus lib.*15.*c.*39.Accedit, quod corui, *vt habet Ariſtoteles lib.*9.*citato cap.*31.locis arctioribus & vbi non ſatis cibi pluribus ſit, duo tantum incolant,& ſuos pullos cum iam volandi poteſtas eſt,primum nido eiiciant, deinde regione tota expellant.*Igitur corui nido pulſi,& eſcæ conquirendæ adhuc ignari crocitando diuinam implorant opem, qui tanquam Pater orphanorum illis cibum ſuppeditat,& tanquam in filios adoptat à parentibus deſertos, ita vt ſi loqui & ratiocinari poſſint,dicerent cum Propheta Pſ.* 26.*v.* 10.Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me,Dominus autem aſſumpſit me. *ſcil.tanquam pupillum in tutelam ſuam.Si clamoribus, quos corui inclinatio & neceſſitas excitat, tam benignè ſubuenit Deus, quanto magis precibus, quas intenta in ipſum mens & fiducia,ac vera religio in quacunque neceſſitate adhibet,occurret & opitulabitur? ipſe,inquam, benigniſſimus Deus, qui* deſiderium pauperum exaudit,quorum & cordis præparationem ipſius auris audit,*Pſal.* 9. *v.* 27.qui prope eſt omnibus inuocantibus eum,qui inuocant ipſum in veritate,*Pſal.*144.*v.*18. *qui & hortatur nos*: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me,*Pſal.*49.*v.* 15. *Qui & pollicetur Iſai.*65.*v.*24. Et erit, antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.

*Sicut coruus, ita & aquila crudelis eſt aduerſus pullos ſuos (opinione quorũdam) quos tamen pullos diuina bonitas non derelinquit. S. Auguſtinus tract.*36.*in Ioan.* Dicuntur pulli aquilarum, *ait*, à parentibus ſic probari,patris ſcil. vngue ſuſpendi, & radiis Solis opponi,qui firmè contemplatus fuerit,filius agnoſcitur: Si acie palpitauerit, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur. *Quod & Plinius lib.*10.*naturalis hiſt.cap.*3.*his verbis indicat*: Haliee-

tus(*genus aquilæ*) tantum implumes, etiamnum pullos ſuos percutiens ſubinde cogit aduerſus intueri Solis radios,& ſi conniuentem flentemque animaduertit,præcipitat è nido velut adulterinum & degenerem. Illum,cuius acies firma contra ſteterit, educat. *Sed deiectum quis excipit? Audiamus S.Baſilium hom.8.in Hexam.*Iniquiſsima, *inquit*, volucris aquila in educanda prole dicitur eſſe: duos enim mox vt excluſit horum alterum alarum verbere cæſum nido deturbat in terram; alterum autem & eum ſolum exceptũ, vt proprium adiungit ſibi familiariter. Quin hunc qnoque quem ipſa genuit ob nutricationis difficultatem à ſe ablegat,ſed hunc,vt aiunt, exceptum oſsifraga diſperire non ſinit, potius exceptum vnà cum ſuis educat pullis. *S.Ambroſ. lib.5. Hexam. c.18.excuſat aquilam, ob laudem quæ ei tribuitur,Deut.32.verſ.11. & fulicæ dimiſſi pulli aquilini nutricis hoſpitalitatem commendat. Vt vt ſit, quo ſenſu à ſe ableget aquila, illud conſiderandum diuinam prouidere benignitatem, ne intereat. Quis hoc perpendens non dicat cum Propheta Pſalm.21.v.10.* Quoniã tu es Domine, qui extraxiſti me de ventre,ſpes mea ab vberib. matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero. De ventre matris meæ, Deus meus es tu,ne diſceſſeris à me.*Sanè cum Aquilæ in ſuos pullos amore ſæpius diuina caritas in homines comparatur,* *Exodi* 19.v.4. Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Aegyptiis:quo modo portauerim vos ſuper alas aquilarum,& aſſumpſerim mihi. *Et Deut.32.v.11.* Sicut Aquila prouocans advolandũ pullos ſuos, & ſuper eos volitans,expãdit alas ſuas,& aſſumpſit eum,atq; portauit in humeris ſuis. Inter cæteras animantes omnes aquilarum quidem maximus in pullos eſt amor, quæ in excelſis & inacceſsis locis nidos collocant,ne coluber fœtus violet.

violet. Amethyſtum quoque inter pullos eius lapidem reperiri ſcribunt, quo omnia venena ſuperentur. Si hoc verum eſt, rectè affectus Dei in ſuas creaturas aquilis comparatus eſt, qui omni ſtudio protegit liberos ſuos, ne draco & coluber antiquus diabolus obrepat nouellis fœtibus, vt ad nomen lapidis, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes aduerſariorum inſidiæ frangantur. *Ita Sanctus Hieronymus in caput* 65. *Iſaiæ.*

Rectiſſimè autem cum Aquila componitur Deus, 1. *quia Deus amantiſſimus eſt creaturarum ſuarum, vt Aquila pullorũ, Sap.* 11. *v.* 25. Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quę feciſti. *Sanè Aquila quaſi clypeum opponit ſe pro pullis: nam cum aliæ aues vnguibus & pedibus eos transferant, Aquilæ eos ſuper alas imponunt, & vectant, obiicientes corpus ſuum, ſi forte iaculo petantur.* 2. *quia ſicut Aquilæ fœtus ſuos per ardua extollunt, & aſſuefaciunt ad Solis intuitum, ita Deus electos ſuos è terrenis ad cœleſtia ſubducit, vt Deum iuſtitiæ Solem intueantur.* 3. *Aquila eſt regina auium, & Deus vniuerſæ creaturæ Princeps & Dominus.* 4. *quia eſt fœcunda & longæua, & Deus ſempiternus eſt, & vniuerſarum rerum procreator.* 5. *quia ſicut Aquila irretortis oculis Solem aſpicit: ita ſolus Deus ſe iuſtitiæ Solem perfectè intuetur, & cognoſcit, ita vt & ipſi Seraphini quaſi diuinæ Maieſtatis fulgorem non ferentes obuelent faciem ſuam, Iſa.* 6. 6. *Aquila libentiſſimè prædam cum aliis auibus partitur, &* quid habes ô homo, quod à Deo tuo non accepiſti? 1. *Cor.* 4. *v.* 7. 7. *Oculi Aquilarum ſunt perſpicaciſſimi, &* omnia nuda & aperta ſunt oculis Dei, *Heb.* 4. *v.* 13. 8. *Aquilæ admirabili pernicitate aduolant, & vbi locus in quo non ſit Deus?* 9. *Aquilæ ſunt amantes hominum, & erga benefactores admodum gratæ, cuius rei multa & pulchra ex auctoribus exempla colligit noſter Cornelius*

à Lapide in verſum 4. cap. 19. Exodi: quomodo homines à morte liberauerint, eos aluerint, cum mortuis mœrore, vel ſe cum cadauere in rogum inijciẽdo extinctæ ſint, corpora Sanctorum tutata, à læſione beſtiarum conſeruauerint, & id genus alia, & quis Deo in nos beneficentior? immò quis in nos beneficus niſi Dei munera nobiſcum communicet? non enim niſi bona à Deo data damus, *vt Saluator Luc. 11. v. 13. loquitur.* 10. *Aquilæ non ſolum volatu alta petunt, ſed etiam in iis nidum collocant.* Et quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra? *Pſal. 112. v. 5. Has aquilarũ proprietates inſinuat Deus Iob c. 93. à v. 26. vſq, ad v. 30.* Nũquid ad pręceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponit nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicum commoratur, atque inacceſsis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longo oculi eius proſpiciunt. Pulli eius lambunt ſanguinem: & vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. *Quod & ait Dominus Matth. 24. v. 28.* Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.

Ciconia propter pietatem erga parentes, ſenes & effœtos merito pietatis ac miſeriæ ſymbolum & diuinæ bonitatis indicium eſt: qua de re S. Baſil. hom. 8. in Hexa. Pietas & obſequium ciconiarum erga ſuos ſenio confectos parentes, ſatis profectò liberos noſtros beneuolos parentibus, atque obſeruantiſsimos efficere poteſt, modo mentem adhibere velint. Nemo enim prorſus eſt, qui naturæ ſenſu prudentiave ſic deſtituatur, vt non mediocri pudore eum exiſtimet dignum: quiſquis quod ad virtutem attinet, ſinit ſe auibus iſtis nulla rectæ rationis vi præditis deprehendi inferiorem. Illæ genitorem per ſenium deflexu pennarum degraueſcentem, ſuiſmet pennis circumdatum fouent, & abundè victum lauteque ſubmi-

ſubminiſtrantes, ſubſidium etiam ei, quod fieri poteſt, in ipſo volatu præſtant, ſenſim vtrimque ſuis eum ſubleuantes alis. *Ariſtoteles lib. 9. hiſt. animalium cap.* 13. Ciconias, *inquit*, genitorum ſenectutem inuicem educare inuulgatum eſt. Sed ſunt, qui meropes quoque idem facere confirment, vicemq́ reddi, vt parentes non modo ſeneſcentes, verumetiam ſtatim cum iam datur facultas, alantur opera liberorum: nec matrem aut patrem exire, ſed in cubili manẽtes paſci labore eorum, quos ipſi genuerunt, enutrierunt, educarunt. *Plinius lib.* 10. *c.* 23. Ciconiæ genetricum ſenectam inuicem educant. *Nonne officio ſuo præſtant, quod præcepto ſanciuit Deus, Exodi* 20. *v.* 12. Honora patrem tuum, & matrem tuam. *Et Deuteronom.* 27. *ver.* 16. Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem. *Eccleſiaſtici* 3. *verſu* 8. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt. *Huius prætermiſſæ erga parentes pietatis & obſeruantiæ duo cameli & equi exempla & ſupplicia narrat Ariſt. lib. 9. de hiſt. animal. c.* 47.

Caput X.

ALIA DIVINAE PIETATIS, AC indulgentiæ argumenta.

Vt ſuam erga res vniuerſas beneuolentiã tanquam optimi parentis aduerſus liberos ſuos teſtatiſſimam faceret Deus, *admirabilem animantibus erga fœtus ſuos ingenerauit amorem, vt inde colligerent homines, quantopere* à Patre ſpirituum, *Heb.* 12. *v.* 9. qui finxit ſingillatim corda eorum, *Pſalm.* 32. *v.* 15. *qui & ipſa eorum corpora efformauit: quemadmodum rectè Deum alloquitur S. Iob c.* 10. *v.* 8. Ma-

nus, *ait*, Domine tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Pelle & carnibus veſtiſti me, oſsibus & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum, *diligerentur præſertim ſi piè, ſi iuſtè, ſi continenter viuerent.*

S. Baſilius hom. 13. *quæ eſt exhortatio ad Baptiſmũ:* Vidi ego, *ait*, auis aſtutæ miram artem, cum pullos ſuos videat adhuc ob debilitatem prędæ periculo expoſitos, ſeſe aucupi ante illos vt prædã paratã offerre, ita ſeſe vertentem ac geſtus diſpenſantem, vt nec periculo penitus aut manib. ſe præbeat, neque item inſidianti ſpem omnino eripiat. Sic itaque illum inter vtrumque verſando, occupando, in ſe retinendo ſpatium dat natis otioſe fugiendo. Sic perdix pro natis diſcrimini ſe vltro obiicit. *Habet eadem S. Ambroſ. epiſtola* 48. *ad Irenæum, & Plinius lib.* 10. *cap.* 33. *mutuatique ſunt ex Ariſtotele lib.* 9. *de hiſt. animalium c.* 8. *vbi & addit, quod more gallinarum ſub ſe perdices ſuos foueant pullos.*

Et quia nobis gallinæ facta mentio, ea vel maxime ſi qua alia auis diuinæ bonitatis indicina eſt, quemadmodum & ipſe Saluator declarat Matth. 23. *v.* 37. *his verbis*: Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? *Aſſcribam & hic elegantiſſimam ex lib,* 4. *Eſdr. licet non Canonico c.* 1. *v.* 28. 29. 30. *ſententiam:* Hæc dicit Dominus omnipotens: Nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt nutrix paruulos ſuos, vt eſſetis mihi in populũ, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrẽ? Ita vos collegi vt gallina pullos ſuos ſub alas ſuas. Modo autẽ quid faciam vobis? Proiiciam

eiam vos à facie mea? *Quanto abundantior Dei gratia, tanto ſeuerior in ingratos vindicta.*

Sed ad gallinæ maternum redeamus amorem. S. Auguſt. tract. 15. in Ioan. Inuenimus, *inquit*, fortem & infirmum Ieſum. Fortem, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & ſine labore facta ſunt. Infirmum, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, Ioan. 1. Fortitudo Chriſti te creauit, infirmitas Chriſti te recreauit. Fortitudo Chriſti fecit, vt quod nõ erat, eſſet, infirmitas Chriſti fecit, vt quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine ſua, quæſiuit nos infirmitate ſua. Nutrit ergo ipſe infirmus infirmos tanquam gallina pullos ſuos, huic n. ſe ſimilẽ fecit. Quoties volui, inquit ad Ieruſalem, congregare filios tuos tanquam gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Videtis autem fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis ſuis. Nulla n. alia auis quod ſit mater, agnoſcitur. Videmus nidificare paſſeres quoslibet ante oculos noſtros, hirũdines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare, quos niſi quando in nidis videmus parentes eſſe non agnoſcimus. Gallina verò ſic infirmatur in pullis ſuis, vt etiamſi ipſi pulli non ſequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas. Ita fit alis demiſsis, plumis hiſpida, voce rauca, omnibus membris demiſſa & abiecta, vt quemadmodum dixi, & ſi etiam filios non videas, matrem tamen intelligas. *Hic amor gallinæ in pullos, ſed ſine comparatione maior Chriſti Filij Dei ac æternæ ſapientiæ in ſuos filios, quos ille benignitatis ac prouidentiæ ſuæ alis contegit, fouet, defendit.* Scapulis ſuis, (*tanquam gallina pullos cooperiet te*) obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis, *hoc eſt, ſecurus deges, Pſalmo 90. verſ. 4.*

Mira eſt vrſæ in prolem caritas. Fertur informes, *ait S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. c.* 4. vtero partus edere, ſed natos lingua fingere, atq; in ſpeciem ſui, ſimilitudinemque formare. Non miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrſa igitur partus ſuos ad ſui effingit ſimilitudinem: tu filios tuos inſtituere ſimiles tui non potes? *Plinius lib.* 21. *c.* 36. Vrſæ pariunt 30. die ac plurimum quinos. Hi ſunt candida informisq; caro, paulo muribus maior ſine oculis, ſine pilo, vngues tantum prominent. Hanc lambendo paulatim figurant. *Annon talis Apoſtolus, qui ait Galat.* 4. *v.* 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis? *qui tanquam prudens ac induſtrius agricola, quas ſeuerat plantas, ſtudioſe irrigabat, donec ad perfectionem Deo incrementum dante excreſcerent.*

Inſignis feritate Tigris, ſuorum tamen catulorum amantiſſima: Quæ Tigris, *in S. Auguſt. lib.* 19. *de Ciuit. Dei, c.* 12. non filiis ſuis mitis immurmurat, & pacata feritate blanditur? *Plinius lib.* 8. *cap.* 18. Tigris, *ait*, velocitatis eſt tremēdæ: Totus eius fœtus, qui ſemper numeroſus eſt ab inſidiante rapitur equo quam maxime pernici, atque in recentem ſubinde transfertur. At vbi vacuū cubile reperit fœta, maribus enim cura non eſt ſobolis, fertur præceps odore veſtigans. Raptor appropinquante fremitu abiicit vnum ex catulis. Tollit illa morſu, & pondere etiam otior acta remeat, iterum conſequitur & ſubinde, donec in nauem regreſſo irrita feritas ſæuit in littore. *S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. c.* 4. Deludi & ſpeculis vehementem tigridis amorem affirmat. Natura, *inquit*, commendat leenæ catulos ſuos, & immitem feram materno mollit affectu. Hæc tigridis interpellat ferocitatem & imminentem

præda

prædæ reflectit. Nam vbi vacuum raptæ ſobolis cubile reperit, illico veſtigiis raptoris inſiſtit. At ille quamuis equo vectus fugaci, videns tamen velocitate feræ ſe poſſe præuerti, nec euadendi vllum ſuppetere ſibi poſſe ſubſidiũ, techinam huiuſmodi fraude molitur, vbi ſe contiguum viderit, ſphæram de vitro proiicit. At illa imagine ſui luditur, & ſobolem putat, reuocat impetum colligere fœtum deſiderans, caſſam verſat imaginem, & quaſi lactatura fœtus reſidet. Sic pietatis ſuæ ſtudio decepta, & vindictã amittit & prolem. *Quid hic ingens etiam immaniũ & ſæuiſſimarum beluarum erga prolem ſuam amor, quid aliud teſtatur quàm eximium eſſe Dei Conditoris erga res à ſe conditas amorem? quem & meritò his verbis compellat Salomon Sap. 11. v. 25.* Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. *Et v. 27.* Parcis omnibus, quia tua ſunt omnia, qui amas animas. *Amat & Deus peccatores, non quà peccatores, ſed quà illius creaturæ ſunt. Hinc S. Auguſtinus tract. 110. in Ioannem:* Deus, *inquit*, & nihil odit eorum, quæ fecit: naturarum enim non vitiorum conditor, mala quæ odit ipſe, nõ fecit, & de malis eiſdem vel ſanando ea per miſericordiam, vel ordinando per iudicium; bona ſunt ipſa quæ fecit. Cum igitur nihil eorum quæ fecit, oderit, quis dignè poſsit eloqui, quantum diligat membra Vnigeniti ſui: & quanto amplius ipſum vnigenitum, in quo condita ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, quæ in ſuis generibus ordinata, ordinatiſsimè diligit. Membra quippe Vnigeniti, ad Angelorum ſanctorum æqualitatem perducit: Vnigenitus autem cum ſit Dominus omniũ, proculdubio eſt Dominus Angelorum, natura, quâ Deus eſt, non Angelis, ſed Patri potius æ-

qualis. Gratia verò quâ homo eſt, quomodo nō excedit excellentiam cuiuslibet Angeli, cum ſit vna perſona carnis & verbi?

Hunc paternum dicam & maternum ſuum erga homines amorem, cum rebus ſemper tum verbis ſæpius declarauit Deus. Quid mater amantius, ſuauius, benignius dicere poſſet, quam quod ipſe dicit Iſai. 49.v.15. Nunquid, ait, obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. *Infinito tenerius, dulcius, ardentius, conſtantius amat Deus quàm mater, & vnigeniti filij mater ſtudioſiſſima. Et iterum Iſaiæ* 66.*verſ*.12.*&* 13. Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.

CAPVT XI.

RELIQVA DIVINAE BONITAtis documenta & notæ.

DElphinus quemadmodum diuinæ bonitatis exemplar, ita & humanæ caritatis ſymbolum & monimentum eſt, quam caritatem erga ſuos natos, & inter ſe ac aduerſus homines exercent. Hac de re admiranda memoriæ prodidit Ariſtoteles libro 6. *de hiſtoria animalium cap.* 12. *& libro* 9. *capite* 48. *Plinius libro* 9. *naturalis hiſtoriæ cap.* 8. *ac.* 1. mitis eſt ac placidis moribus, velociſsimum omnium animalium non ſolum marinorum & terreſtrium, ſed otior volucre, acrior telo, ita vt cum piſcem ad maris ima perſequitur, inde propter reſpirandi neceſsitatem tanto impetu ſe eiaculatur, vt etiam nauigiorum malos ſuperſiliat & tranſuolet. Mira erga generatos in hoc animali caritas

tas eſt, lacte nutrit eos, atque infantia infirmos geſtat, adultos diu comitatur cuſtodiæ cauſa.

Inter ipſos quoque vigèt amor & publica ſocietas. Capto à Rege Cariæ, ſaucio, & in portu alligato delphino ingens reliquorum conuenit multitudo ad portum, mœſtitia quadam, quæ poſſet intelligi miſerationem petens, ibique immorata, donec dimitti Rex eum iuſsit, & recepto captiuo omnes ſimul abierunt.

Conſpectus eſt delphinorum grex maiorum & minorum promiſcuus, poſt quem duo quidam paulò poſt viderentur delphinulum defunctum labentem in imum ſubire, & in ſumma pelagi dorſo euehere quaſi miſerantes, ne ab aliqua bellua deuoraretur.

Hominem non expaueſcit, vt alienum, ſed accedit vt amicum. Obuiam nauigiis venit, alludit exultans, certat etiam & quamuis plena præterit vela (*Id habet & B. Gregor. Nazian. Orat. in nouam Dominicam.*)

Quidam delphinus quocunque diei tempore inclamatus à puero Simone pauperis cuiuſdam filiolo, quamuis occultus & abditus ex imo aduolabat, paſtuſque fragmentis panis è manu pueri præbebat aſcenſuro dorſum pennę aculeos velut vagina condens, receptumque ex Baiano Puteolos per magnum æquor in ludum literarium ferebat. Simili modo reuehens pluribus annis, donec morbo extincto puero ſubinde ad conſuetum locum ventitans triſtis & mœrenti ſimilis ipſe quoque (*quod nemo dubitaret*) deſiderio exſpirauit.

Alius ſimili modo ex hominum manibus veſcens, ferenſque ſe tractandum, & alludens natantibus, impoſitos portauit.

Alius

Alius amore pueri ſpectatus longo tempore dum abeuntem in littus auidè ſequitur, in arenam inuectus exſpirauit.

Hermiam puerum maria perequitantem repentinæ procellæ fluctus exanimarunt, quem Delphinus retulit, & quaſi cauſa lethi in mare non reuertit, ſed in ſicco vitam poſuit: nam ſtatim tellure tacta moriuntur.

Delphinus Muſica arte mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono. *Quam rem demonſtrant exemplo quod memorant Plinius lib. 9. cap. 48. Herodotus lib. 1. Muſarum Gell. lib. 16. Aelianus de animalibus & alij. Meminit & S. Auguſt. lib. 1. de Ciui. Dei cap.* 14. Fuit Arion nobiliſsimus citharoedus ex Methymna Lesbi inſulæ oppido, temporibus ſeptem Græciæ Sapientum, nam Periandro fuit cariſsimus. Hic cum ex Italia magno facto quæſtu domum rediret, videretq́; pecuniæ gratia in ſuam coniuraare nautas perniciem, rogauit, vt cæteris captis, vitam ſolam relinquerent, cumq́; id non impetraſſet, blanditiis exorauit, vt fidibus pauliſper liceret canere, quo mortem ſuam cantu illo conſolaretur. Ad ſuauitatem ſonitus congregati fuerunt Delphini aliquot, ipſeq́; Arion non ignarus naturæ illius animantis, cum cithara & toto cultu deſiliit in dorſum vnius ex illis, qui eum placidè ad Tænarum deuexit: ibique viſitur ſimulachrum Delphini vehentis & hominis inſidentis.

Delphini erga prolem amori illud addendum ex S. Greg. Naz. epiſt. ad Nicobulum: Ferunt Delphinum ſi quando cetum quendam teneręatq́; imbecillæ proli ſuæ adnantem perſpexerit, confeſtim eam genis expanſis rurſum accipere, cibiq́; cuiuſdam inſtar, ne piſcibus prædæ ſit, in fauces admittere, nec mirabilem illam, ac penè incredibilem

dibilem ſarcinam prius egerere, quam valentiſsimi ceti minas effugerit: tum autem illo enixu defungi ac prolem euomere.

Delphinus ſuos delphinulos tenerrimè amans, lacte nutriens, imbecillos adhuc deferens, comitans & cuſtodiens, quem quæſo nobis repræſentat niſi amantiſſimum Ieſum, qui præ nimia amoris teneritudine ſuos nos appellat filiolos, Ioann. 13.*v.* 33. *qui non lacte, ſed ſua nos carne paſcit & ſanguine, Ioann.* 6.*v.* 55. *qui nos* errabundam ouiculam ſuis deportat humeris, Luc. 15.v.5.Iſa.40.v.11. qui nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, *Matthæi* 28.*v.*20. *Et quid parentes monet, niſi vt diligentem filiorum curam habeant, eos rectè inſtituant, piè cuſtodiant, de temporalibus & ſpiritalibus bonis prouideant? Eccl.*7.*v.*25. Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Quia blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos: *& quia natura vitio ad omne malum proni ſunt, exigit Sapiens, vt mox à pueritia, monitis, minis, verberibus ad colendam virtutem inflectātur. Et quia puellæ ſimplices ſunt, & lubricæ, earumque vel ſolum, vel maximum ornamentum ſit pudicitia, & illas domi diligenter cuſtodiant, & foras euagandi libertatem parentes non concedant, grauiterque cum illis ſemper agant, ne liberiores & inuerecundiores efficiātur. Quod delphini ad delphinuli funus, ſicut amici ad demortui amici exequias cohoneſtandas, conuenerint, vt teſtatur Ariſtoteles lib.* 9. *de natura animalium cap.* 48. *quid deſignant niſi Regem, cui omnia viuunt æquè mortuis dominari ac viuentibus: ac corpora fidelium tāquam membra Chriſti ac S. Spiritus templa honeſtiſſimè tractanda, ac ſepulturæ mandanda. Eccli.* 7. *v.* 37. Gratia dati in cōſpectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. *Accepta eſt omnibus*

viuen-

viuentibus donorum largitio, ſed & benigne faciendum defunctis, vt in ſepulchrum inferantur, vt precibus, ſacrificiis, eleemoſynis adiuuentur, vt eorum orphani, & amici defendantur, conſolatione erigantur, vt fama illorum illibata conſeruetur, & virtus pro merito honoretur. Idem Eccleſiaſticus cap. 38. *v.* 16. Secundum iudicium contege corpus mortui, & non deſpicias ſepulturam illius. *Secundum iudicium, hoc eſt, ſecundum vſitatum morem, ius corpori debitum, ac piè ſepeliendi rationem cadauer extincti humetur: hic honos in terris ſupremus, ſed exiguus aut nullus ſi cum diuite epulone animus apud inferos ſepeliatur, Luc.* 16. *v.* 22. *Quod denique delphinus hominis ſit amantiſſimus, annon indicat nobis eum, cuius* delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum, *Prouerb.* 8. *v.* 31. *qui & ait Cant.* 5. *v.* 2. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. *& Ioann.* 14. *v.* 23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Et Apocalyp.* 3. *verſ.* 20. Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. *Quærit ille hominis familiaritatem non ſuæ vtilitatis, ſed noſtræ ſalutis cauſa. Quod verò delphinus hominis amans ſit, id habet admirabilitatē, cum naturis vel maximè diſtent. Eccleſiaſticus cap.* 13. *v.* 19. *&* 20. *ait*: Omne animal diligit ſibi ſimile, & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi cōiungitur, & omnis homo ſimili ſibi ſociatur. *Cuī ſententiæ conſentanea ſunt illa vſitatiſſima prouerbia*: Simile ſimili gaudet, *vel hæret. Graculus ſemper aſſidet graculo, cicada cicadæ cara, formica formicæ. Aues concolores vna volitant. Canis cani videtur pulcherrimus, & boui bos, & aſino aſinus. Cum ergo Delphinus hominem toto genere à ſe diuerſum amet, nonne tacitè*

inſinuat,

inſinuat, quantopere homo hominem diligere debeat, & præſertim Chriſtianus Chriſtianum, Catholicus Catholicum, qui vnum habent Deum Patrem, vnam Eccleſiam matrem, qui iiſdem viuunt legibus, eadem cœleſti menſa fruuntur?

Sed de delphino plus ſatis. Alia adhuc animalia Dei bonitatem nobis ob oculos proponunt: Elephas, ait Plinius libr. 8. naturalis hiſt. capite 4. homine obuio, forte in ſolitudine & ſimpliciter oberrante clemens placiduſque etiam demonſtrare viam traditur. Balenæ cùm ſint hebeti viſu, habent piſciculum oblongum ducem, qui præeat, & inoffenſam viam commonſtret. *Hic piſciculus ab Ariſtotele lib. 3. de natura animalium cap. 17. & à Plinio lib. 11. naturalis hiſtor. cap. 37. & aliis muſculus nuncupatur, quem Plutarchus lib. vtrum terreſtria prudentiora ſint aquatilibus, eleganter deſcribit:* Is, *inquit*, quem gubernatorem appellant, magnitudine, formaque gobij piſciculus, grandiorum cetorum cuipiam ſemper hæret, præitque curſum dirigens, ne vel in breuia, cœnumve impingat, vel in anguſtias incidat, vnde exitus non detur. Hunc Balena lubens ſequitur veluti temonem nauis. Ac cæterorum quidem quicquid intra barathrum belluæ veniat, animal, ſeu ſcapha, ſeu ſaxum, peſſum it ſtatim, peritque in aluei profunda merſum. Hunc autem cognitum ore velut ancoram recipit, intra fauces eius dormiturum, & quieſcente quieſcit, progrediente rurſus, vt antea, eum ſequitur haud vſque diu noctuque deſtituens. Hoc niſi facit errare ac impingere certum eſt. Periere multæ, dum velut gubernatore carens nauigium, ad terram delatæ ſunt.

Quis hoc pietatis officium iſtas beſtias docuit ſe vt errabundis magiſtros duceſque præberent? Non audiêre diuinum præceptum, Deuteronomij 22. *verſ.* 1. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum, &c. *Imo Exodi* 23. *verſ.* 4. Si occurreris, *inquit*, boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Is qui ducit cæcos in viam quam neſciunt, & in ſemitis quas ignorauerunt, eos ambulare facit, ponens tenebras coram eis in lucem, & praua in recta. *vt eſt Iſaiæ* 42. *verſu* 16. *Is, inquam, benigniſſimus Deus, hunc illis naturæ inſtinctum impertiuit, qui primariò conſiſtit in diſpoſitione phantaſiæ pro tempore & loco, quando res poſtulat, certo modo vt cõueniens aut noxium aliquid apprehendentis, ſecundariò tum in appetitus inclinatione, tum in quadam dexteritate ac habilitate exequendi. Nunc creaturarum naturæ ſuæ admirabilitate Conditorem Deum, qui Trinus & vnus eſt, laudantium contemplationi finem imponamus, & Lectori paulo prolixioris de creaturis diſputationis rationem reddamus.*

CAP.

Capvt XII.

Qvis scopvs et finis avctori propoſitus in tractatione & explicatione creaturarum.

Non omnino aberrabit, qui nō ſolum honeſtæ, ſed piæ etiam iucunditatis ergò id factum exiſtimabit. Quod Regio Prophetæ quam ſolenne fuerit, ipſemet non vno loco teſtatur: vt Pſalm. 91. v. 5. 6. 7. Delectaſti me Dñe, *inquit*, in factura tua, & in operibus manuum tuarũ exultabo. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. *Pſal.* 138. *v.* 14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. *Pſal.* 142. *v.* 5. Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

Nec ille ſua falletur opinione, qui putabit id doctrinæ cauſa expoſitum, vt ex creaturis, tanquam quibuſdam gradibus factis aſcēderemus ad creatorem. Iob 12. à v. 7. vſque ad 11. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabũt piſces maris. Quis ignorat, quia hæc omnia manus Domini fecerit. In cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis. *Ita S. Auguſtinus ſe à creaturis doctum fatetur, quod non eſſent ipſius Deus, lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 6. Interrogaui, *inquit*, terram, & dixit: Non ſum, & quæcunque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare, & abyſſos, & reptilia animarum viuarum,

& reſponderat: Non ſum Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aer cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes. Non ſum Deus tuus. Interrogaui cœlum, Solem, Lunam, ſtellas. Neque nos ſumus Deus quem quæris, inquiunt: Et dixi omnibus his, quæ circumſtant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid, & exclamauerunt voce magna: Ipſe fecit nos, Pſalm. 99. Interrogatio mea, intentio mea, & reſponſio eorum ſpecies eorũ. *Et in Pſ. 85. v.* 8. Non eſt ſimilis tibi in diis Domine. Quantum ſit diſsimilis Deus, dici non poteſt. Quæris quid ſit Deus? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, *Iſa. 64. v. 4. 1. Corinth. 2. verſ.* 9. Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit?

Ad inſtitutum adhuc propius accedet perſuaſus amoris diuini inflammandi cauſa hæc commemorata eſſe, quomodo enim non amet Deum, cuius ampliſsima in vniuerſas creaturas beneficia non oculus tantum videt, ſed & tractat manibus? Domine, *inquit S. Auguſt. li.* 10. *Confeſſ. c. 6.* amo te: Percuſsiſti cor meum verbo tuo, & amaui te, ſed & cœlum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndiq; mihi dicunt, vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. *Et verò non poteſt non in creaturis in Trinitatis admirationem & amorem aſſurgere, qui eius creaturas voluerit cõtemplari. Scripſit S. Baſil. li. Hexa. ſiue de opere ſex dierum, in quo ad creatoris laudem naturam explanat creaturarum, de qua lucubratione S. Greg. Naz. Orat. in laudem S. Baſilij*: Cum Hexameron illius, *inquit*, in manus ſumo, atque in ore habeo, cum creatore coniungor, ac creationis rationes cognoſco, creatoremq; magis ad-

miror ac ſuſpicio, quam prius ſolebam, cum ſolo aſpectu magiſtro vterer. *Et ſanè B. Ignatius Societatis Ieſu à Deo inſtitutor & auctor, quod ipſe factitabat, à ſuis, vt fieret, exoptabat, & monebat. vt à creaturis conſiderationis gradibus ad* Deum *creatorē aſcenderent. In ſcopum autem rectiſſimè collineabit nos hiſce creaturarum veſtigiis aliquam Sanctiſſimæ Trinitatis notitiam conſequi voluiſſe, qui crediderit: nam vno ſæpe in opere plurimas Dei opificis proprietates demonſtrare promptum fuit, vt in Leone, qui prorſus regalibus virtutibus eſt præditus magnanimitate, pietate, liberalitate, fortitudine, pulchritudine, vincendi ſtudio, mititate, iuſtitia, vigilantia, totius corporis habitu, oculis, ore, pectore permagnificis, ſed idcirco in ſola* Dei *potentia, ſapientia, & bonitate quaſi cancellis circumdati hæſimus, quod hæc attributa ad diuinarum perſonarum notionem potiſſimum accommodentur: nam etſi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus quiſque ſit omnipotens, omniſcius, ac omni bonitate præditus, tamen potentia Patri, ſapientia filio, bonitas Spiritui Sancto partim à Sacra Scriptura, partim à Sanctis Patribus tribuitur.*

Cuius rei rationem reddit Sanctus Thomas 1. *Parte quæſtione* 39. *artic.* 8. *affirmatque id fieri, vel ob ſimilitudinem, quæ in diuinis perſonis eſt, aut propter diſſimilitdinem, quæ illis cum creaturis eſt. Itaq; Patri aſſignatur potentia, quia habet rationem principij, & Pater cœleſtis eſt principium totius diuinitatis, ab eo enim procedit Filius & Spiritus S. & quia in homine patre ob ingraueſcentem ætatem minuitur, agnoſceremus vim poteſtatemque nulla temporum longinquitate debilitari. Adſcribitur verò ſapientia diuino Filio, quia eſt Verbum Patris, quod nihil aliud eſt quam conceptus ſapientiæ: & ne puetur minus ineſſe illi, ſicut ſæpe deſideratur in hominum filiis, propter ætatis imbecillitatem. Bonitas denique, cum ſit ratio*

& obiectum amoris congruit Spiritui Sancto, qui eſt amor, & repugnare videtur ſpiritui terreno propter quãdam violentiam & impulſionem, iuxta illud Iſaiæ 25. v. 3. Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem. *Hac eadem de cauſa, vt tradit S. Thomas q. 45. primæ Partis artic. 6. in Symbolo fidei Patri tribuitur omnium viſibilium & inuiſibilium creatio: quia in hac maximè omnipotentia Dei manifeſtatur. Filio ſapientia, cum dicitur:* Per quem omnia facta ſunt: *quia agens per intellectum operatur. Spiritui Sancto appropriatur bonitas, cuius eſt viuificatio, & rerum in debitos fines perductio. Hanc autem S. Trinitatis potentiam, ſapientiam, & bonitatem in creaturis elucere oſtendimus.*

Capvt XIII.

IN CREATVRIS RATIONIS EXpertibus tenue quoddam S. Trinitatis indicium cernitur, perfectius verò in mente & conſilio præditis hominibus & Angelis.

S*Anctus Auguſtinus li. 6. de S. Trinit. c.* 10. Hæc omnia, *inquit*, quæ arte diuina facta ſunt & vnitatem quãdam in ſe oſtendunt & ſpeciem & ordinem. Quicquid enim horum eſt, & vnum aliquid eſt, ſicut ſunt naturæ corporum, & ingenia animarum, & aliqua ſpecie formantur, ſicut ſunt figuræ & qualitates corporum, ac doctrinæ, vel artes animarum: & ordinem aliquem petit vel tenet, ſicut ſunt põdera vel collocationes corporum, atq; amores aut delectationes animarum. Oportet igitur vt creatorem per ea quæ facta ſunt intellectũ conſpici-

ſpicientes, Trinitatem intelligamus, cuius in creatura quomodo dignum eſt, apparet veſtigium. In illa enim Trinitate ſumma origo eſt rerum omnium, & perfectiſsima pulchritudo, & beatiſsima delectatio.

Summa origo, *inquit Petrus Lombardus Pariſien. Epiſcopus lib.1.S.d.3.c.10.* Nunc reſtat, intelligitur Deus Pater, à quo ſunt omnia, à quo Filius, & Spiritus Sanctus perfectiſsima pulchritudo intelligitur Filius, ſcil. veritas Patris, nulla ex parte ei diſsimilis, quàm cum ipſo & in ipſo Patre veneramur: quæ forma eſt omnium, quæ ab vno facta ſunt, & ad vnum referuntur, quæ tamen nec fierent à Patre per Filium, neq; ſuis finibus ſalua eſſent, niſi Deus ſummè bonus eſſet, quæ bonitas intelligitur Spiritus Sanctus, qui eſt donum Patris & Filij.

Quæ Magiſter Sententiarum mutuatus ex S.Auguſt. lib.de vera Religione cap.55.vbi & hæc habet B.Auguſt. Ecce vnum Deum colo vnum omnium principium: & vnam ſapientiã, quâ ſapiens eſt, quæcũque anima ſapiens eſt, & ipſum munus, quo beata ſunt, quæcunque beata ſunt. Quare colere & tenere nos conuenit vnius ſubſtantiæ Trinitatem, vnum Deum, à quo ſumus, per quem ſumus, in quo ſumus: à quo diſceſsimus, cui diſſimiles facti ſumus, à quo perire non permiſsi ſumus: principium ad quod recurrimus, formã quam ſequimur, & gratiam quâ reconciliamur: vnum Deum, quo auctore conditi ſumus, & ſimilitudinem eius, per quam ad vnitatem reformamur, & pacem, quâ vnitati adhæremus: Deũ, qui dixit: Fiat, & Verbum, per quod factum eſt omne, quod ſubſtantialiter & naturaliter factũ eſt, & donum benignitatis eius, quo placuit, & conciliatũ eſt auctori ſuo, vt non interiret quic-

quid ab eo per Verbum factum eſt. Vnum Deum quo creatore viuimus, per quem reformati ſapienter viuimus, quem diligẽtes & quo fruentes beatè viuimus: vnum Deum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hactenus S. Auguſt. cuius ſententiæ inſiſtens S. Thomas 1. *Parte q.* 45. *art.* 7. Omnis, *inquit*, effectus aliqua ratione ſuam indicat cauſam effectricem, *ſed non vno modo eam commonſtrat: nam aliquis effectus ſolam cauſæ repræſentat efficientiam, vt fumus ignis, lux Solis, vel candelæ, non autem cauſæ formam, ſicut ignis generatus, ignis generantis. Prior illa cauſæ monſtratio à S. Aug. veſtigium appellatur, quod prætereuntis naturam non exprimit, & hoc pacto omnibus in rebus cõditis inuenitur repræſentatio S. Trinitatis, quatenus in iis aliqua inſunt, quæ neceſſe eſt ad diuinas perſonas tanquam ad cauſam & primum fontem deriuare: nam quatenus ſunt, repræſentant Patrem, qui eſt principium originis expers, qua ex parte ſuam habent formam & ſpeciem, ſignificant Verbum, qua ratione forma rei arte factæ proficiſcitur ex conceptione & intelligentia artificis. Secundum quod ſuum habent ordinem, indicant Spiritum Sanctum: quia ordo effectus ad aliquid aliud eſt ex voluntate procreantis.*

At in creaturis intelligentibus ipſa Sanctiſſ. Trinitatis imago reſplendet, de qua re alibi nobis dictum, tantũ aſtruemus, quod habet S. Aug. lib. 11. *de* Ciuit. Dei c. 28. Quoniam igitur homines ſumus, *ait*, ad noſtri Creatoris imaginem creati, cuius eſt vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera caritas, eſtque ipſe æterna & vera & cara Trinitas, neque confuſa, neque ſeparata: in iis quidem rebus, quæ infra nos ſunt, quoniam & ipſa nec aliquo modo eſſent, nec aliqua ſpecie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent, vel tenerent,

rent, niſi ab illo facta eſſent, qui ſumme eſt, qui ſummè ſapiens eſt, qui ſummè bonus eſt, tanquam per omnia, quæ fecit, mirabili ſtabilitate currentes, quaſi quædam eius alibi magis, alibi minus impreſſa veſtigia colligamus: in nobis autem ipſis eius imaginem contuentes: tanquã minor ille Euangelicus filius Lucæ 15. v. 17. ad nóſmetipſos reuerſi ſurgamus, & ad illum redeamus, à quo peccando receſſeramus. Ibi eſſe noſtrum non habebit mortem, ibi noſſe noſtrum non habebit errorem, ibi amare noſtrum non habebit offenſionem.

CAPVT XIV.

OMNIS CREATVRA QVASI clamat ſuam procreatricem eſſe Sanctiſſimam Trinitatem.

Vniuerſæ res tanquam ſui Conditoris exemplar ternarium affectant expetuntque numerum, vt Trinitatem æmulentur. Nonne omnia in menſura, & numero & pondere diſpoſuit Deus? *Sap.* 11. *v.* 21. Nonne omnis res quia bona & perfecta eſt, habet ſuum modum, ſpeciem & ordinem? *S. Thomas* 1. *Parte q.* 5. *art.* 5. *c.* & *q.* 45. *artic.* 7. *c. Nonne tres ſolæ ſunt entis proprietates omnibus rebus communes vnum, verum, bonum? Nonne in qualibet creatura eſt ſpecies, potentia, vtilitas? & ſimiliter qualibet in re eſt ſubſtantia, facultas & operatio.*

Nonne tota vniuerſitas in tria genera rerum tribuitur, ſpiritalia, corporalia, & ex vtriſque mixta? Spiritales res in tres diuiduntur hierarchias, & ſingulæ hierarchiæ in tres Ordines, & ſic ſunt nouem chori

Angelorum. In prima hierarchia ſunt Seraphini, Cherubini, & Throni. In media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In infima Principatus, Archangeli, Angeli. De quibus S. Thomas 1. Parte q. 108. art. 6. ex Sancto Dionyſio in cœleſti hierarchia c. 6. 7. 8. 9. & S. Gregorius hom. 34. in Euang. Seraphinorum meminit Iſai. 6. v. 2. Cherubinorum Ezechiel cap. 10. v. 1. 6. Dominationũ, Virtutum, Poteſtatum, & Principatuum Apoſtolus Eph. 1. v. 21. Thronorum Coloſſ. 1. v. 16. Archangelorum S. Apoſtolus Iudas in ſua Canonica v. 9. Angelorum paſſim in Scripturis ſacris eſt mentio. In quibus cœleſtibus ſpiritibus ſingulis cum ſint tribus facultatibus memoria, intelligentia, voluntate præditi, præclariſſima, ſicut & in homine relucet imago diuinæ Trinitatis: Tres ſunt etiam virtutes Theologicæ, quibus arctiſſimè cum Sancta Trinitate coniungimur, Fides, Spes, Charitas. Tribus rebus beabimur in cœlis S. Trinitatis viſione, amore, fruitione ſiue delectatione.

Porrò in corporalibus penè innumera reperiuntur S. Trinitatis impreſſa veſtigia, quæ perſequi nimis longum eſſet, & minimè neceſſarium, cum non pauca alibi à nobis commemorata ſunt. Pauca tamen animi cauſa afferamus. Numerus Apoſtolorum S. Trinitatem indicat: nam ternarius numerus quater repetitus duodenarium efficit, S. Auguſt. in Pſal. 86. Vndique, *ait*, à quatuor mundi partibus vocatur Eccleſia in Trinitate. Non vocatur, niſi per Baptiſmum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quatuor ter ducta duodecim inueniuntur. *Tres ſunt cœli, aereum, æthereum, empyreum, in quod poſtremum peruenit Apoſtolus, cum dicit,* ſe raptum in tertium cœlum, *2. Cor. 12. v. 2. Tria ſunt naturalium rerum principia, materia, forma, priuatio. In emanatione aquæ eſt fons, riuus, ſtagnum. In arbore eſt radix, truncus, rami.*

In arca Noe erant tres contignationes, Geneſ. 6. Tres erant ciuitates refugij, tres citra Iordanem, & tres vltra Iorda-

Iordanem, Ioſuæ 21. *Tria templi atria, & tres illius partes; veſtibulum, templum, oraculum.* 3. *Regum* 8. *Tres Reipublicæ adminiſtrandæ ſtatus; Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. Tres ſunt actiones Pœnitentiæ, contritio, confeſſio, ſatisfactio. Tria ſunt potiſſimum bonorum operum genera, in quibus actuoſam iuſtitiam hominis conſtituit Chriſtus Dominus Matth.* 6. *nimirum oratio, eleemoſyna, ieiunium. A tribus potiſſima beneficia accipimus à Deo, à parentibus, à magiſtris & morum formatoribus.*

Ter in die precandum, mane, meridie, veſperi, Pſalm. 54. *v.* 18. Veſperi, & mane, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudies vocem meam. *Dan.* 6. *v.* 10. Tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq́ꝫ coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat.. *Ter Dominus noſter precatus eſt in horto Matth.* 26. *& ter Paulus propter Chriſtum virgis caſus eſt, & ter naufragium fecit,* 2. *Cor.* 11. *& tertium in cœlum raptus eſt, & ter rogauit Dominum*, vt auferretur carnis ſtimulus, 2. *Cor.* 12. *v.* 8. *Exodi* 23. *v.* 14. Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. *& ver.* 17. Ter in anno apparebit omne maſculinum tuũ, coram Domino Deo tuo. *Tribus vicibus S. Petro gentium ad Deum vocatio oſtenditur, Actuum* 10. *verſ.* 16. *& capite* 11. *verſ.* 10. *& generalis conſtituendus ouium Chriſti paſtor, interrogatur, num eum diligat, Ioann.* 21. *vt trinam negationem trina deleat amoris confeſſione. Matth.* 13. *verſu* 33. Simile eſt regnum cœlorum fermẽto, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. *Chriſtus Dominus à triduo mortis ſe ipſe ad immortalem vitam reuocauit, Matth.* 28. *Ioann.* 2.

Ternario numero ob S. Trinitatis myſterium libenter vtitur Scriptura. Tertiò à Deo vocatur Samuel 1.

Regum 3.v. 7. Tribus diebus comparant ſe ad ſuſcipiendam legem Iudæi, Exodi 19. Hoſeæ 6.v. 3. In die tertia ſuſcitabit nos. *Exodi 3. v. 18.* Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem. In ore trium teſtiũ ſtat omne verbum, *Deut. 19.v. 15.*

Ergo ob ſanctiſſimam Trinitatem ternario, & numero Deus impari gaudet. Quæ beatiſſima Trias faxit, vt corde, ore, & opere, ſicut debemus, illi in ſempiterna ſæcula ſeruiamus. Quod munus & obſequium noſtrum, qua ratione & modo præſtandum ſit, ſequenti libro opportunè explicabimus.

LIBER

LIBER XII.

Quibus rebus Auguſtiſsimæ Trinitati honos & cultus tribuatur.

PRAEFATIO.

Religio potiſſimum à religando dicta eſt, idcirco quod nos Deo obſtringat & alliget, vt docet Lactantius libr. 4. diuin. Inſtit. cap. 28. B. Auguſtin. 1. Retract. cap. 13. & Sanctus Hieronymus in cap. 9. Amos.

Eſt autem religio virtus quæ debitum Sanctiſſimæ Trinitati cultum, tãquam primo omnium rerum principio & Domino tribuit: nam quia Deus omnium rerum effector & princeps eſt, ſummus etiam illi honor, & cultus debetur.

Materia circa quam verſatur religio, eſt quiuis actus humanus & honeſtus, qui in Beatiſſ. Trinitatis honorem referri poteſt, & omne teſtimonium & ſignum, quo diuinam præſtantiam quadam ſubmiſſione teſtamur, atque ad hoc inclinat religio.

Actus autem religionis alij interni, alij externi ſunt. Interni quidam in genere naturæ & moris proximè eliciuntur ab ipſa religione, & ſunt quatuor circa ipſum cultum diuinum: 1. Simplex complacentia ſiue approbatio. 2. efficax intentio & ſtudium. 3. Spes futuri cultus. 4. gaudium de præſenti cultu.

Quatuor act⁹ circa cõtraria & diuino cultui repugnãtia.

1. ſim-

1. ſimplex diſplicentia & improbatio. 2. efficax delectatio. 3. Metus futuri mali circa religionem. 4. triſtitia de præſenti religionis nocumento vel contemptu. Deinde circa cultus diuini adminicula & impedimenta totidem actus verſari poſſunt.

Ad hos internos actus pertinet deuotio, quæ eſt, *ait S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1. c.* motus voluntatis offerentis ſe Deo ad ſeruiendum. *Accipitur hoc tamen nomen potius pro qualitate quadam actus interni, ſignificat enim voluntatem colendi Deum, quatenus efficax & feruens eſt, quæ diuinæ excellentiæ ac beneficētiæ, noſtræque vilitatis & inopiæ conſideratione excitatur.*

Spectat & huc oratio, quatenus mente peragitur, nō voce promitur, & referenda eſt ad imperatos religionis actus, cum oratio ſit actio intellectus: quia natura ſua eſt ſermocinatio quædam cum Deo, *vt ait Greg. Nyſſ. Orat. de oratione Dominica: aut vt ait S. Auguſt. ſer. 230. de Tempore:* eſt aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia. *vel S. Ioan. Damaſc. lib. 3. ortho. fidei c. 24.* Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum, aut decentium à Deo petitio. *Sic & internus eſt actus imperatus à religione, ipſa interna explicatio voluntatis prompta ad Deo ſeruiendum, quæ ſimiliter ratione exercetur.*

Actus externi ſunt duplices, quidam primarij, qui ipſum cultum diuinum proximè attingūt, alij ſecundarij, qui verſantur circa media. Prioris generis quatuor in voce conſiſtunt: Oratio vocalis, laus, votum, iuramētum. Tres in actione, Sacrificium, Adoratio, Sacramentorum vſus. Poſterioris generis ſunt, Aedificatio templorum, altarium, ſolutio oblationum, primitiarum, decimarum, & aliorum bonorum, quibus aluntur, qui diuino cultui vacant.

Nos hic aliam faciliorem que methodum ſequemur: quæ primo Capite indicatur. Hæc tamen compendio præmiſimus, vt pius Lector ſtatim & quaſi in veſtibulo conti-

contueatur, quam vario multiplicique cultu S. Trinitatem Deum ſuum Optimum Max. venerari poſſit, & debeat.

Capvt I.

QVANAM RATIONE PRAEPOtentem veneremur Triadem?

Qvatuor potiſſimum rebus colitur & dilaudatur à nobis Sanctiſſima Trinitas, mente, voluntate, voce, & opere. Quorum præclarum nobis ſpecimen præbuit, beatiſſima ſemper Virgo Maria Deipara, cum dixit Luc. 1. v. 47. Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

1. *Mente Deum venerata eſt, dum incõprehenſam eius magnitudinem, virtutem, maieſtatem, bonitatem, & miſericordiam intelligentia agnoſcebat, contemplabatur, admirabatur. Vnde, vt ait S. Auguſtinus in expoſitione huius Cantici Tomo 9.* Vtrumque profeſſa eſt, & Dominum, & Saluatorem, vt pro poteſtate, quâ omni ſuæ creaturæ dominatur, iure metuendum oſtenderet; pro bonitate verò, quia miſericorditer quoſdam ſaluat, dignum dilectione demonſtraret.

2. *Voluntate Deum coluit, dum eius amore accenſa, & cæleſti gaudio delibuta, in eo intimis exultauit ſenſibus: Quod explicat Commentario ſuo in Lucam his verbis V. Beda:* Tanto, *inquit*, me Dominus, tamq; inaudito munere ſublimauit, quod non vllo linlinguæ officio explicari, ſed ipſo vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi, & ideo totas animi vires, in agendis gratiarum laudibus offero.

3. *Voce laudauit Deum, dum verbis ineffabilem eius potentiam, & benignitatem deprædicauit.*

4. *Opere laudauit, hæc enim magnificatio, nobiliſſimum fidei, dilectionis, religionis, ſubmiſſionis opus fuit.*

Hiſce quatuor Chriſto Domino honorem tribuit S. Petrus Luc. 5. v. 8. cernens enim ingentem vim piſcium ipſius nutu & imperio captam procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. *Nam 1. mente Chriſti Domini maieſtatem, potentiam, ſanctitatem agnouit, & ſuam abiectionem, & vtriuſque comparatione ſe voluntate. 2. illi ſubmiſit. 3. voce vtrunque confeſſus eſt. & 4. ad eius ſe pedes adorabundus & præcabundus abiecit indicans, ſe tanto hoſpite indignum. Indicat & eadem S. Leo ſerm. 1.* in anniuerſario Aſſumptionis ſuæ die, *cum hunc in modum ſermonem exorditur:* Laudem Domini loquatur os meum, & nomen ſanctũ eius anima mea ac ſpiritus, caro & lingua benedicat. *Inſinuat & hæc Lactantius lib. de ira Dei c. 13.* Homo, *inquit*, ideo ſolus præter cæteras animantes rectus corpore ac ſtatu factus eſt, vt ad contemplationem parentis ſui excitatus eſſe videatur: ideo ſermonem ſolus accipit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maieſtatem Domini ſui poſsit. Poſtremo idcirco ei cuncta ſubiecta ſunt, vt factori artifici Deo, eſſet ipſe ſubiectus.

Si ergo Deus hominem ſuum voluit eſſe cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, vt rerum omnium dominaretur, vtique iuſtiſſimum eſt, & Deum colere qui tanta præſtiterit, & ad ſuum amplificandum honorem præſtitit, & vt cultori ſuo ſempiterna largiatur præmia.

Nemo fruſtra colit te, ô S. Trinitas, nemo incaſſum quærit te, colentibus enim & quærentibus te, es Deus, omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28.

CAP.

CAPVT II.

QVO MODO HVMANA MENS S. Trinitatem veneretur.

NOn vno modo, ſed pluribus, noſtra Deum ac præcellentiſſimam Trinitatem ratio veneratur: ac primo quidem, cum præclariſſimam & ampliſſimam notionem de illa informat & exiſtimationem ſanctiſſimam, & quam poteſt, optimam concipit: Et quãuis omnes neruos & vires ſuas contendat, nunquam tamen dignum Beatiſſima Trinitate iudicium formare poterit. Loquendi cauſa de ineffabilibus, *ait S. Auguſtinus libro 7. de Trinitate cap. 4.* vt fari aliquo modo poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus, dictum eſt vna eſſentia, vel ſubſtantia, & tres perſonæ, vt ſaltem in ænigmate intelligeretur, quod vera fides pronunciat: quia excedit ſupereminentia diuinitatis vſitati eloquij facultatem: Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius eſt, quàm cogitatur.

Hæc & S. Proſper lib. Sententiarum, B. Auguſt. Sent. 61. e veſtigio ſuſpexit & obſtupuit potentiſſimum ipſius in res vniuerſas dominatũ, eius in ſubleuandis calamitatibus noſtris miſericordiam maximam, in commeritis pœnis, vel condonandis, vel mitigandis clementiam, in tolerandis improbis patientiam, in promiſſis præſtandis veritatem & conſtantiam, in peccatis donãdis bonitatem, denique eius infinitam ſanctitatem, & virtutem, eius comparatione nullus innocens, nullus iuſtus eſt.

Talem de Deo cogitationem habuit Moyſes Exod. 34. v. 6. nam tranſeunte coram eo Domino, Quam non virtutem in Deo conſiderat & admiratur Deus?

Similis

Similis diuinæ virtutis conſideratio & admiratio eſt illa S. Dauidis Regis 1. *Par.* 29. *v.* 10. *& ſeqq. Vbi ſtupet Dei æternitatem, ad omnia conficienda potentiam, perpetuam gloriam, honorem & laudem, inſuperabilem, & victricem ſemper fortitudinem, cunctarum rerum, monarchiam, poſſeſſionem, imperium.*

Veris miriſque verbis & modis iſtam ſummam Dei maieſtatem oculis mentis contemplandam ſubiicit S. Iobus cap. 9. *ac* 1. *eam prædicat* Dei *eſſe ſanctitatem, & iuſtitiam, vt coram illa omnis humana iuſtitia velut tenuiſſima lucerna coram clariſſima & fulgentiſſima luce obſcuretur. Verſu* 2. Verè ſcio, *inquit*, quod ita ſit, & quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo. *Agnoſcit ſuam imbecillitatem, & diuinam præſtantiam ſupplex reueretur. quaſi diceret, quid iuſtitiæ vel ſanctitatis habeat ærumnoſiſſimus homo coram Deo potentiſſimo & æquiſſimo iudice? Vnde S. Greg. libr.* 5. *Mor. cap.* 26. Humana, *inquit*, iuſtitia diuinæ comparata, iniuſtitia eſt: quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, ſed in Solis radio poſtea tenebratur. *Et libro* 9, *Mor. cap.* 1. Sanctus vir, *inquit*, omne noſtræ virtutis meritum eſſe vitium conſpicit, ſi ab interno arbitrio diſtrictè iudicetur. *Et S. Auguſtinus libro ad Oroſium:* Sancti Angeli in cœlis, *ait cap.* 10. cuius participatione iuſti ſunt, eius comparatione, nec iuſti ſunt. *Vnde intelligitur illud Pſalm.* 142. *v.* 2. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 2. *Immenſam Dei ſapientiam & potentiam commendat.* Si voluerit, *ait*, contendere cum eo (*homo cum Deo*) non poterit ei reſpondere vnum pro mille, *id eſt, ex mille quæſitis & obiectis, nec vni quidem poterit facere ſatis. v.* 4. Sapiens corde eſt, & fortis robore. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? *Quaſi dicat: quis contendat cum ſapientiſſimo & fortiſſimo Deo, cuius qui voluntati repugnat,*

pugnat, nec victoriam, nec pacem, nec impunitatem aſſequitur v. 6. Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Qui extendit cœlos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt: & ſub quo curuātur, qui portant orbem (*& Angeli, qui res inferiores procurant, & dæmones rectores mundi tenebrarum harum, & Sancti ſuis impios precibus ſuſtentantes, & reges & principes ſubditorum ſuorum onus impoſitum geſtantes, omnes illi ſe Deo ſubmittere, illi morem gerere, illum obſeruare ſiue volentes vt boni, ſiue nolentes; vt mali, coguntur. Ipſe enim eſt, vt eum ſuſpicit, & alloquitur Eccleſia inuictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij Rex, & ſemper magnificus triumphator.*

Tres illi pueri; ſeu potius iuuenes in igne Babylonico diuinitùs conſeruati; Dei ter Maximi igni, & quibuſuis creaturis dominantis imperium, & maieſtatem contemplati, atque ardentiſſimo & inexplebili ipſius amore incenſi, non modo Deum laudabilem, glorioſum, & exaltatum vocant, ſed etiam, vt declararent, neque ſe, neque vllas res conditas poſſe Deum pro ſua magnificentia commendare; ſuperlaudabilem, ſupergloriosum, ſuperexaltatum appellant: non tantum quod eius laus, eius gloria, eius exaltatio excedat & vincat quamcunq; aliam laudem, gloriam, exaltationem, ſed ſuperet omnem etiam creatura potiſſimum rationalis facultatem, vt ab ea pro dignitate ſua ſatis laudari non poſſit. Dan. 3. v. 52. 53. *Quod & alibi ex Eccleſ. c.* 43. v. 30. 31. 32. 33. *demonſtrauimus.*

Earundem diuinarum perfectionum contemplator & amator fuit Nehemias, 2. Mach. c. 1. v. 24. *vbi admiratur, quod Deus omnium rerum effector ſit, formi-*

 dabilis,

dabilis & potens, iuſtus etiam ac miſericors, ſolus Rex & bonus, beneficentiſſimus & præſtantiſſ. benignitate, ſolus iuſtus, omnipotens, & æternus, vt qui à ſe, non aliunde ſit, & infinitam quidem habeat maieſtatem, potentiam, miſericordiam, dominationem, bonitatem, iuſtitiam, æternitatem, initij finiſque expertem.

Hos tamen omnes & contemplando diuinas virtutes, & admirando ſuperauit S. Paulus Apoſtolus ille in paradiſum, & in cœlum vſque tertiũ abreptus, qui hiſce verbis ſuum amantiſſimum compellat Timotheum epi. 1. c. 6. à v. 14. vſque ad 17. Serues mandatum ſine macula itreprehenſibile vſq; in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantiũ, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſsibilem, quẽ nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui honor & imperium ſempiternũ, Amen. *Cœleſtem Regem cum terrenis regibus comparat Apoſtolus, & ita comparat, vt inter ſe compoſiti: ille ſit beatus, hi infelices; ille potens, hi imbecilles; ille Dominus, hi ſerui; ille immortalis & omnis corruptionis expers, hi mortales, & variis diſſolutionis caſibus obnoxij: ille clariſſima luce circumfuſus, hi obſcuriſſimi, & tenebris inuoluti; illi ſit honos & imperium interminatum, his breue & exiguum.*

Et quis hic talis tantuſque Rex quem tantopere ſuſpicit Apoſtolus? Reſpondet S. Aug. libr. 1. de Trinit. c. 6. Hoc dixit Apoſtolus de vno & ſolo Deo, quod eſt ipſa Trinitas. In quibus verbis, nec Pater propriè nominatus eſt, nec Filius, nec Spiritus Sanctus, ſed beatus & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominantium, quod eſt vnus & ſolus & verus Deus ipſa Trinitas. Rectè ergo ipſe Deus Trinitas intelligitur beatus & ſolus potens, oſtendens aduentum Domini noſtri Ieſu temporibus

poribus propriis. *Et libr.3.contra Maximinum Arrianum c.12.* Secundum rectam fidem ipſa Trinitas vnus eſt Deus, beatus & ſolus potens, *&c. Sed quem optimum B.Pauli interpretem audiuimus, ſi eundem S.Auguſtinum ſuperarum, non tantum rerum ac cœleſtium, qua in re & excelluit, ſed ipſius Dei perfectionum ac virtutum ſpectatorem, & admiratorem cõtueri velit Lector, adeat lib.1.illius Confeſſ.cap.4. Et in Soliquiis cap.* 21. Oculus, *inquit*, non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te, Iſa.64. 1.Cor.2. Secundum enim magnam multitudinẽ magnificentiæ tuæ, eſt etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentib.te. Magnus n.tu es Domine Deus meus, & immenſus, nec eſt finis magnitudinis tuæ, ſed ſicut magnus es tu, ita magna ſunt donaria tua, quoniam tu ipſe es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum. *Videat & Lector S. Auguſtinum libro 10. Confeſſ.c.6.& in libris Meditationum, Soliloquiorum, Manuali, & paſſim Commentario ſuo in Pſalmos.*

S.Hilarius in Pſal. 144.*v.* 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis: *præclarè diuinas perfectiones trutinat & expendit.* Hæc, *inquit*, Dei prima & præcipua laudatio eſt, quod nihil in ſe mediocre, nihil circumſcriptum, nihil emenſum, & magnitudinis ſuæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enũciatur, temporibus non ſubditur, arctus ad id ſenſus noſter eſt, ingeniũ hebes eſt, ſermo mutus eſt. Finem magnificentia ipſius neſcit, & aliquã emetiendi ſe opinionẽ imméſa magnitudo nõ patitur. Extenta vbiq;, extẽta ſemper eſt, hãc habens infinitatis ſuæ laudẽ, cæterũ omnẽ intelligentiã infinitæ huius in ſe qualitatis excedens.

Sanctus Franciſcus, vt eſt in Chronico Fratrum Minorum Gall. lib. 1. c. 8. & 27. aliquando apud D. Bernar. virum ſapientem, nobilem & opulentum hoſpitatus eſt, eoque diſſimulanter aduigilante quid ageret, ac proinde altum ſomnum ſtertendo ſimulante S. Franciſcus tacitè ex ſtrato proripuit ſe concubia nocte, & oculis, manibus menteque in Deum ſublatis, ac lachrymis perſuſus, mira animi attentione & ardore identidem vſque ad diei crepuſculum, illa ingeminabat verba: Deus meus & omnia, *ſignificans & in Deo eſſe omne bonum, & Deum eſſe ſibi omne bonum, beata anima quæ hoc ſentit. Qua beati viri ſanctitate permotus Bernardus mūdi deſerendi, & ſe illi in diſciplinam tradendi cogitationem ſuſcepit, factuſque eſt, & tempore, & ſanctitate primogenitus S. Franciſci. Cum autem propoſitum ſuū conſilij cauſa B. Franciſco exponeret.* A Deo, *inquit,* hoc conſilium requirendum. *Intrauerunt proinde Eccleſiam Sancti Nicolai mane iam facto, & oratione præmiſſa,* cultor Trinitatis, *ait S. Bonauentura c. 3. in eius vita, ter Euangeliorum librum aperuit, trino expoſcens à Deo teſtimonio ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit Matthai 19. verſ. 21.* Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. *In ſecunda:* Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis, *Luc. 9. v. 3. In tertia verò:* Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, *Luc. 9. v. 20.* Hæc eſt, *ait vir ſanctus,* vita & regula noſtra, omniumq́ qui noſtræ voluerint ſocietati coniungi. *Quid ergo ſibi voluit illa S. Franciſci ſententia:* Deus meus & omnia? *Quid ſignificauit, niſi quod diximus, vniuerſa deſiderabilia in vno poſſideret Deo? Quod & B. Ignatius Societatis Ieſu fundator, & præcipuus*

cipuus Sanctiſſ. Trinitatis amator & cultor, ſolitus eſt dicere: Quid ego extra te velim Domine. *Et vterque id didicit à Dauide & Paulo, illius enim vox eſt Pſ. 72.v.25.* Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? *Huius verò teſtificatio eſt Phil. 3.v. 8.* Exiſtimo omnia detrimentũ eſſe propter eminentem ſcientiam Domini mei Ieſu Chriſti, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. *In quem ſenſum & S.Aug.lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 30. illam Dei promiſſionem Leuit. 26. v. 12.* Ero illorum Deus, *interpretatur*: Ego ero, quæcunque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. *Ecce quomodo longè ampliſſimam, celſiſſimamque de Deo, qui Trinitas eſt, notionem in animis ſuis, & intelligentiam informarunt Sancti, qua vtique re illi maximum honorem habuère: neque enim quiſquam mortalium eſt, qui non reputet, ſe tum in honore eſſe apud aliquem, ſi is omnigenæ virtutis, ſi non ſcientiam ſaltem opinionem de ſe habeat. Nos autem certiſſimè ſcimus, Deum eſſe, quo nihil melius cogitare poſſimus, & ſubmiſſa mente coram illo libenter agnoſcimus.*

Et ſi honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimoniũ virtutis & excellentiæ, vt ex Ariſtotele lib. 1. Ethic.c.5. & 8. Ethic. cap. 8. tradit S. Thom. 2. 2. q. 103. ar. 1. & ſi honor eſt præmium virtutis, *vt ibidem ex eodem Philoſopho lib. 4. Ethic. cap. 3. docet. 4. cernuntur conſequentia. 1. quod coram Deo, qui inſpector eſt cordiũ, teſtimonium conſcientiæ ſufficiat.* Et ideo, *verba ſunt S. Thomæ,* honor quo ad Deum poteſt conſiſtere in ſolo interiori motu cordis, dum ſcilicet aliquis recogitat, vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo, vt Deiparæ, Ioannis Baptiſtæ, Petri, Pauli, Auguſtini, aut etiam

adhuc in mortali vita, ſiue vitali morte degentium. 2. *Quoad homines non poſſit aliquis ferre teſtimonium virtutis aut præſtantiæ, niſi externis ſignis, vt capitis aut corporis humiliatione, geſtu, nutu, verborum emiſſione, occurſu, ſubſecutione, munerum donatione, imaginum inſtitutione, & id genus aliis.* 3. *Conſectarium eſt, quod ſine exiſtimatione & iudicio de alicuius præſtantia, virtutis aut dignitatis externum deferre honorem, irriſio potius ſit, quàm honoratio.* 4. *Quod proindè potiſſime & maximè ſanctiſſimam honoremus Trinitatem ſupremæ illius, ac infinitæ Maieſtatis, dignitatis, ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, clementiæ, iuſtitiæ, & cuiuſuis perfectionis contemplatione, & quanto id crebrius facimus (facere autem ſemper velle debemus) tanto magis ſuperexcellentiſſimam Trinitatem honoramus.*

S. Trinitas, Domine Deus *noſter, da cordi noſtro te deſiderare, deſiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amando mala noſtra redimere, redempta non iterare. S. Aug. c. 1. Med.*

Caput III.

FIDE EXIMIVM SANCTISSIMA Trinitati cultum & honorem humanus animus tribuit.

Qvæcunque ſub fidem cadunt, nõniſi Sanctiſſima Trinitas *hominibus patefecit: ac 1. quod ea diuinus Pater manifeſtauerit, clarum eſt teſtimonium Saluatoris Mat. 16. ver. 17. vbi his S. Petrum, quod eſſet Chriſtus ac Dei viui Filius confitentem, verbis affatur:* Beatus es Simon BarIona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. *S. Leo ſerm. 3. in die anniuerſario ſuæ ad S. Pontificatum*

catum

catum aſſumptionis: Id eſt, *inquit*, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, ſed inſpiratio cœleſtis te inſtruxit, & non caro & ſanguis, ſed ille me tibi, cuius ſum vnigenitus Filius, indicauit. *Nec minus luculentũ eſt teſtimonium Matth.* 11. *v.* 25. Confiteor tibi Pater, *ait*, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic placuit ante te. *Gratias agit, & laudat Patrem, quod fidei & religionis myſteria, non opinione ſua & inflato ſpiritu ſapientibus, ſed demiſſe de ſe ſentientibus, & à mundo contemptis oſtenderit, & declarauerit. Et Ioannis* 6. *verſu* 45. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: *id eſt, cui veritas à Patre manifeſtatur, is fide ad me accedit.*

Quid verò Dei Filius? nonne & ipſe nobis arcana cœleſtis ſapientiæ & occulta aperuit nobis? Ipſe veritas, *Ioan.* 14. *v.* 6. *Ipſe* lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioann.* 1. *v.* 9. *Mattæi* 11. *verſ.* 26. Nemo nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. *Galat.* 1. *verſ.* 11. Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque enim ab homine ego accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. 1. *Ioannis* 5. *verſ.* 20. Et ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus & vita æterna. *Quod ait,* dedit nobis ſenſum, *indicat, quod mentis illuſtrationem intelligentiam ac diuinam cognitionem impertiuerit.*

Spiritus Sanctus pariter eſt inſpirator fidei, doctor ſcientię, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius cauſa virtutis, *vt ait S. Leo ſerm.* 1.

de Pent. Ioan. 14.*v.* 26. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. *Et cap.* 16.*v.* 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Sanctiſsimæ itaque Trinitati Patri, Filio, Spiritui Sancto Catholicæ fidei dogmata reuelanti dum fides adiungitur, ampliſsimus honor impenditur: ſiquidem eo ipſo illam eſſe agnoſcimus. 1. *Sapientiſsimam, vt quæ perſpectiſsima habeat, quæ noſtrum captum excedunt, & intelligentiam fugiunt. Eccli.* 3.*v.* 25. Plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi. *Quæ de cauſa & Apoſtolus licet in tertium raptus cœlum, & arcanorum Dei factus particeps exclamat Rom.* 11. *v.* 33. O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Non eſt inueſtigatio Sapientiæ eius, *Iſa.* 40.*v.* 28.

2. *Iudicamus Beatiſs. Triadem eſſe potentiſsimam, vt quæ plura poſsit & infinito plura quam nos vel cogitatione complecti*: Omnipotens eſt, *ait S. Aug. ſerm.* 119.*de Tempore, c.* 1. ad facienda maiora & minora. Omnipotens eſt ad cœleſtia & terreſtria. Omnipotens eſt ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens eſt ad faciẽda ſpiritalia & corporalia. Omnipotens eſt ad facienda viſibilia & inuiſibilia: magnus in magnis, nec paruus in minimis. Poſtremo omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Iam ego dico quanta non poſsit. Non poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotens. Credite ergo in eum, & confitemini. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem, *Rom.* 10.*v.* 10. *Hæc diuina omnipotentiæ*

tentiæ fides, quaſi reliquorum articulorum & Catholicorum dogmatum eſt fundamentum, inde exordimur Symbolum: Credo in Deum Patrem omnipotentem, *&c. S. Auguſt. Voluſiano percunctanti quomodo Deus è Virgine & conceptus & natus fuerit, reſpondet epiſt.* 3. Ipſa Dei virtus per inuiolatæ matris virginea viſcera, mẽbra infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra iuuenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, nõ erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deũ aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis. *Similiter B. Chryſ. hom.* 65. *in Ioan.* Omnino cum Deus aliquid facit, nulla opus eſt ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? *Eandem cauſam Angelus Rex Gabriel ſciſcitanti Beatiſſ. Virgini, quomodo Virgo eſſet Dei Filiũ paritura? reddidit:* Non erit impoſsibile apud Deũ omne verbum, *Luc.* 1. *v.* 37. *Similiter Abrahamo & Saræ de filio ſenibus promiſſo mirantibus ait Angelus Gen.* 18. *v.* 14. Nunquid Deo quicquam eſt difficile? iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. *B. Aug. ſerm.* 139. *de Tempore c.* 2. Dicit infidelis: Vnde fieri poteſt, vt mortuus reſurgat? Dico ego: Deus eſt, qui facit, & tu dicis, fieri non poteſt? Et quis eſt, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem. Quem tu ergo credis Deum omnipotentem, ipſum ego dico mortuorum ſuſcitatorem. Si dixeris: Non poteſt fieri, derogas omnipotenti. Si autem illum credis omnipotentem, me quare reſpuis iſta dicentem?

Hanc Dei omnipotentiam ſi mentis oculis contemplarentur hæretici, non eſſent hæretici, ad has enim omnes & ſimiles quæſtiones. 1. *Quî potuit ex nihilo exi-*

ſiere mundus? Geneſ. 1. 2. Vnde tanta aquarum inundatio, vt omne animal viuens extingueret, Gen. 7. 3. quomodo cuncta animantia bina in arcam peruenerũt? Gen. 7. 4. quo pacto vxor Loth in ſalis ſtatuam conuerſa eſt, Gen. 19. v. 26. 5. quemadmodum rubus arſit, nec conſumptus eſt? Exod. 3. verſ. 3. 6. Qua ratione Moyſis virga in ſerpentem verſa eſt, & ſerpens rurſum in virgam. Exod. 4. ver. 4. 7. Vnde tanta coturnicum copia, vt iis ſexcenta hominum millia paſcerentur. Num. 11. 8. Qua ſcaturigine è petra bis virga Moyſi percuſſa egreſſa ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta? Num. 20. v. 12. 9. Qui maris rubri & Iordanis curſus cohibitus, & vtriuſque vadum ſicco veſtigio Iſraelitæ penetrarent? Exodi 14. v. 16. Ioſuæ 3. v. 7. 10. Qua violentia aliquando Sol inſtitit? Ioſuæ 10. verſ. 13. Vel etiam reuerſus eſt decem lineis, per gradus, quos deſcenderat, Iſaiæ 38. v. 8. 11. Ex quo vel vnde ferro leuitas, vt natauerit, 4. Reg. 6. v. 6. 12. Quomodo Dei Filius ſine vlla ſui mutatione factus eſt homo, conceptus de Spiritu Sancto, natus ex incorrupta Virgine, ſolo verbo dæmones, morbos, & omnia incommoda depulit, mortuos ad vitam reuocauit, ſeipſum integrum in parua hoſtia, & minima eius particula, & in diuerſiſſimis ac plurimis locis nobis reliquit in Euchariſtia, è clauſo ſepulchro egreſſus, & occluſis ianuis ad diſcipulos introiuit. Vnica ratio facti eſt omnipotentia facientis. Vnica vera & ſolida reſponſio, hæc facta eſſe, quia Deus eſt omnipotens. Omnia quæcunque Dominus voluit, fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis, *Pſal. 134. verſ. 4. Itaque captiuando intellectum in obſequium fidei, 2. Cor. 10. v. 5. caſtè & integrè de Dei omnipotẽtia ſentimus, & hac fide illum ſummoperè honoramus.*

Et 3. eo ipſo, quod Deo arcana nominis ſenſum & intellectũ excedentia manifeſtanti aſſentimur, cenſemus, ipſum eſſe veraciſſimum ſummamque veritatem omnis vanita-

vanitatis & falſitatis expertem. Quemadmodum hoc diſertis verbis tradit B. Ioan. Baptiſta apud S. Ioannem Euang. c. 3. v. 31. 32. vbi de Chriſto ita loquitur: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Qui accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt. i. *Eo ipſo quod doctrinæ Chriſti fidem tribuit, teſtatur, & quaſi adhibito ſigillo profitetur, illam eſſe veram. Nemo enim credit niſi quod verũ eſſe putat, & cum illa ſit doctrina Dei, confirmat Deum eſſe veracem.* Impoſsibile enim eſt mentiri Deum, *Hebr. 6. v. 18.* Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur, *Num. 23. v. 19. Sed vt ait S. Propheta Pſal. 32. v. 4.* Rectum eſt verbum Domini & omnia opera eius in fide. *& Pſal. 144. v. 13.* Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Et denique cum toto mentis nixu in Dei ſententiam imus, exiſtimamus, Deum eſſe optimum, qui nonniſi ad ſempiternam noſtram ſalutem & felicitatem iſta fidei arcana patefecerit. Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. *Tim. 2. v. 4. Et Saluator Ioan. 8. v. 12.* Ego ſum lux mundi (*lumen fidei & veritatis, lumen iuſtitiæ & virtutis vniuerſis præbens hominib.*) qui ſequitur me, (*ducem prælucentem fide & obedientia*) non ambulat in tenebris (*non viuit in erroribus aut peccatis*) ſed habebit lumen vitæ, *ſiue gloriæ ſempiternæ. Ex his conſtat, quod fide permagnũ beatiſſimæ Trinitati mens noſtra honorem habeat. Inde tamen & illud apertum & perſpicuum euadit, quod Chriſtus Dominus S. Petri credentis & confitentis ipſum eſſe promiſſum Meßiam, ac Dei viuentis vnigenitum Filium teſtimonio vicem reddiderit, ex miſericordia partim laudem, partim poteſtatem in ipſum conferendo, & ſe honorantem viciſſim honorando.*

Apoſto-

Apoſtolus etiam Paulus Roman. 4. v. 20. Commendat Abrahamum, quod firmiſſimam Deo, ſibi centenario & Saræ vxori nonagenariæ filium & numeroſiſſimam poſteritatem, & in ea mundi Saluatorem pollicenti fidem adiunxerit, & contra naturæ ſpem in diuinam ſpem ac promiſſionem crediderit cum ingenti honore Dei. In repromiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, plenìſsimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Poſtremò mente Sanctiſſimam honoramus Triadem, quando ſæpè atque adeò aſſiduè de ea cogitamus, diuinarum perſonarum perfectiones contemplamur. Omnes, *inquit S. Baſil. in Pſal. 28. v. 2.* afferte Domino gloriam & honorem, qui de diuinis pro decore ediſſerit, ſic vt nuſquam deerret, aut excidat à recta notione, quæ de Patre tenenda eſt, de diuinitate Vnigeniti, & de Spiritus Sancti maieſtate: Sanè hic affert Domino gloriam & honorem. Gloriam verò hanc intendit & auget, qui rationes aſsignare poteſt, quarum gratia omnia creata ſunt, & per quas continentur omnia, & conſeruantur ab ipſius prouidentia, ad quæq; minutiſsima pertingente, iuxta quas etiam rationes iudicio eius ſiſtentur omnia, exacta eiuſmodi diſpenſatione. Qui inſuper dilucidis rationibus citraque confuſionem vllam per ſe poteſt contemplari ſingula: nec id ſolum, ſed & quæ fuerit contemplatus, eadem quoque poteſt & aliis exprimere, puta de Dei bonitate, deq; eius iuſto iudicio, hic ille eſt, qui affert Domino gloriam & honorem, nimirum vita vſus, quæ huic ſuæ contemplationi concinnè reſpondeat. *Idem S. Baſil. in Pſalm. 33.* Sanè cogitatio, *inquit*, quæ de Deo eſt, ſemel impreſſa eſt & velut ſigillo obſi-

gnata

gnata in præcipua animæ parte, nimirũ in mente, poteſt laus Dei rectè appellari, ſemper in anima exiſtens. *Itaque ex ſententia S. Baſilij aſsidua diuinarum perfectionum conſideratio eſt perpetua Sanctiſſimæ Trinitatis honorificatio & laudatio.*

Auguſtiſſimam Triadem honorat. 1. *Qui diuinas proceſsiones animo agitat & verſat, quomodo ex omni æternitate Filius naſcatur ex Patre; & ex vtroque procedat Spiritus Sanctus, & hæc perſonarum Trinitas ſit vnus Deus.* 2, *Qui ante mentis oculos proponit, quod hæc Trinitas ſola ſit Deus, nec alius quiſquam, Deuter.* 32.*v.*37.39. Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me. *Iſa.* 45.*ver.* 21. Nunquid non ego Dominus, & non eſt Deus vltra abſque me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. 3. *Qui meditatur eius omnipotentiam, vt Iob cap.*42.*v.*1. Scio quia omnia potes & nulla te latet cogitatio. *Vt Ieremias c.*32.*v.* 17. Heu heu heu Domine Deus, ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna & in brachio tuo extento, non erit tibi difficile omne verbum. Fortiſsimè, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi, *vt Mardochæus Heſter* 13.*v.*9. Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrahel. Tu feciſti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es, nec eſt, qui reſiſtat maieſtati tuæ. *Qui ratione animoque luſtrat eius ſuper omnes res conditas excellentiſsimam præſtantiam, vt Salomon Sap.* 11.*v.*22.*&* 23. Multum valere tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram. *Et I-*

ſaias

*ſaias cap.*40.*v.*15.17. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilū & inane reputatæ ſunt ei. 5. *Qui eius cogitat ſapiētiam, vt S. illa Anna* 1.*Reg.* 2.*v.*3. Deus ſcientiarum, Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. *Et Salomon Prouerb.* 21. *verſ.* 30. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. *Vt & Daniel. c.* 2. *à v.*19. *vſq, ad* 23. Tunc Danieli myſterium per viſionem nocte reuelatum eſt, & benedixit Daniel Deum cœli, & locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à ſæculo & vſque in ſæculum: quia ſapientia & fortitudo eius ſunt. Et ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit: dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam. Ipſe reuelat profunda & abſcōdita, & nouit in tenebris cōſtituta: & lux cum eo eſt. 6. *Qui regiam eius maieſtatem, & in vniuerſas res imperium commentatur, vt Dauid Pſal.*144.*v.*13. Regnum tuū regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione. *Et Saluator Matth.* 11.*v.* 25. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ. 7. *Qui eius ſanctitudinem perpendit, vt Dauid Pſal.*5.*v.*5.6. 7. Mane aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem, tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos, odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Vt Habac. c.*1.*v.* 13. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. 8. *Qui ipſius cōſiderat miſericordiam, vt Dauid Pſalm.* 102. *v.* 8.11.12. 13. Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors. Quoniam ſecūdum altitu-

altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat Ortus ab Occidente,longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorũ,miſertus eſt Dominus timentibus ſe,quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. *Vt Moyſes,Exod.34.v.6,*Dominator Domine Deus miſericors & clemens, patiens & multæ miſericordiæ,& verax, qui cuſtodis miſericordiã in millia,qui aufers iniquitatem & ſcelera, *&c.* 9. *Qui mentem refert ad ipſius iuſtitiam,vt Dauid Pſal.* 10. *v.* 6. 7. Pluet Dominus ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur,& ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iuſtus Dominus,& iuſtitias dilexit,æquitatem vidit vultus eius. *Vt Salomon Sap.*12.*v.*15. Cum ſis iuſtus,iuſtè omnia diſponis,ipſum quoq; qui nõ debet puniri, condemnare exterum æſtimas à tua virtute: Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt,& ob hoc quod omnium Dominus es,omnibus te parcere facis. 10. *Qui contemplatur eius bonitatem & beneficentiam, vt Iſa.c.63.v.7.*Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus,& ſuper multitudinem bonorũ domui Iſrael,quę largitus eſt eis ſecundũ indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum. *Vt S.Iaco.c.*1.*v.*17.Omne datum optimum,& omne donum perfectũ deſurſum eſt,deſcendens à Patre luminum.11. *Qui eius meditatur erga nos caritatem,vt Apoſt.Rom.*5.*v.*8. Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus,Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Vt S.Ioan.*1.*ep.c.*4.*v.*9. 10.In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniã Filiũ ſuũ vnig.miſit Deus in mundũ,vt viuamus per eũ.In hoc eſt caritas nõ quaſi nos dilexerimꝰ

Deum,

Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 12. *Qui expendit eius perpetuitatem, & immobilitatem, vt S. Dauid Pſal.* 101.*v.*26. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. *vt Apoſtolus* 1.*Timoth.*1.*v.*17. Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen. Sunt animi noſtri immortales, & Angeli, ſed Dei beneficio & gratia: at Deus eſt immortalis natura ſua, *vt ait S. Hierony. lib.*2.*contra Pelag.c.*12. *Præclarè etiam S. Auguſt.lib.*3. *contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum cap.* 12. Immortalitatem Deus habere dicitur ſolus, 1. *Tim.* 6.*v.*16. quia eſt immutabilis ſolus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque ſecundum modum ſuum nunquam deſinit viuere, habet tamen pro ipſo modo ſuo quandam mortem ſuam: quia ſi iuſtè viuebat, & peccat, moritur iuſtitiæ, ſi peccatrix erat, & iuſtificatur, moritur peccato, vt alias eius mutationes taceam (*verbi gratia, triſtitiæ & lætitiæ, amoris & odij; fiduciæ & diffidentiæ, &c.*) de quibus longum eſt. Et creaturarum natura cœleſtium mori potuit, quia peccare potuit: nam & Angeli peccauerunt, & dæmones facti ſunt, quorum eſt Diabolus princeps. Et qui nõ peccauerunt, peccare potuerunt. Et cuicunque creaturæ rationali præſtatur, vt peccare nõ poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Ac per hoc ſolus Deus

Deus habet immortalitatem, qui non cuiuſque gratia, ſed natura ſua nec potuit, nec poteſt aliqua conuerſione mutari, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare. Cui Deo, id eſt, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, quæ Trinitas vnus eſt Deus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. 13. *Qui eius circumſpicit & reputat prouidentiam rebus conſulentem, non ſolum vniuerſis, ſed etiam ſingulis, quâ &* capillos capitis noſtri numerauit, *Matt.* 10. *v.* 30. *quâ ſine* nec paſſerculus cadit ſuper terram, *ibid. v.* 29. attingit enim à fine vſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. *Sap.* 8. *v.* 1. *Hanc ſpectabat Salomon Sap.* 6. *v.* 8. Non ſubtrahet perſonam cuiuſq; Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. *Et c.* 7. *v.* 16. In manu illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operũ ſcientia, & diſciplina. *Cum corde precamur Deum, vt Anna,* 1. *Reg.* 1. *v.* 13. *cuius vox non audiebatur, & vt Moſes, Exodi* 14. *v.* 14. *quâ precatione, quia teſtamur Deum eſſe auctorem bonorum noſtrorum, ipſoq; nos in omnib. indigere, ipſum ſingillatim omnia nôſſe, omnibus prouidere, omnium miſereri, vtique maximè Deum honoramus. Addo, cùm nos animo ad diuinum cultum offerimus, gratias Deo agimus, illum laudamus, votum illi nuncupamus. Atque hactenus ſatis, multas de Sanctiß. Trinitate meditationes menti ſubiecimus, quæ quantũ & voluntati vtilitatis & ſalutis ſint allaturæ, ſequenti capite videbimus.*

Da beatiſsima Trinitas, vt nunc Maieſtatem tuam perfecta fide cognoſcamus, & eadem; ab hac mortalitate, glorioſa viſione, & ſempiterno amore perfruamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Qqq CAP.

Caput IV.

Quomodo humana voluntas Sanctiſſimam Trinitatem colat & honoret.

Pia voluntas magnus S. Trinitatis honor. Voluntariè, *ait Dauid Pſal.* 53. *v.* 6. ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt, *ſcil. tu Deus bonus, & ſummum bonum, nomen enim pro re ipſa ponitur. Vbi S. Auguſt. in Comm.* Quia cor quærit Deus, ſufficit, vt offeras voluntatē. *Quia igitur ſuperiori capite plurima de Auguſtiſſima Trinitatis perfectionibus documenta ſunt tradita, non eo tantum conſilio, vt iis contemplandis mens & intelligentia noſtra celſiſſimam Triadem honoraret, ſed etiam vt eaſdem voluntati repræſentando ac ſuadendo pius illa diuerſarum virtutum actionibus ter ſacroſanctam Trinitatem veneraretur.* 1. *Vt illi ſuo Deo & ſummo bono cuncta poſthabeat, & illi placere ſtudeat, nolit Mammonam Dei loco habere, Matth.* 6. *v.* 24. *Eph.* 5. *v.* 3. nec ventris ingluuiem vel libidinem, *Philip.* 3. *v.* 19. *aut creatura potius eligat ſeruire quàm Creatori, qui eſt* Deus benedictus in ſæcula, *Romanorum* 1. *v.* 25. 2. *Vt ad diuinam Trinitatem in cœlis contemplandam, amandam, fruendam, quæ eſt hominis & Angeli felicitas, toto naturæ, & gratiæ impetu feratur.* Quémadmodum, *ait Dauid Pſalmo* 41. *verſ.* 1. deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem. *Et Pſalm.* 83. *v.* 1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria tua. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 3. *Vt coram*

ram ſuprema illa & incomparabili Sanctæ Trinitatis excellentia ſe intimè & infimè abiiciat, & ſe prorſus contemnat, 1. *Petri* 5. *verſ.* 5. 6. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis. *Et Iacobi* 4. *verſu* 10. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos. 4. *Vt ante oculos iuſtiſſimi & ſanctiſſimi Domini Dei ſui horreat, deteſtetur, & fugiat omnem impuritatem, & culpam.* Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit, *Ezech.* 33. *verſ.* 12. Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, *vt eſt apud S. Petrum* 1. *epiſt. cap.* 4. *ver.* 18. impius & peccator vbi parebunt? 5. *Vt in oculis ſapientiſſimi inſpectoris vitam ſuam recte ordinet. Prouerb.* 5. *verſ.* 21. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat. *Eccleſiaſt.* 18. *verſ.* 27. Homo ſapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendet ab inertia. *Dies delictorum ſunt, vel tempus prauis moribus corruptum, vel etiam huius vitæ tempus, in quo mille laquei & inſidiæ, vel tempus felicitatis, quæ peccatis occaſionem præbet, tunc vir verè prudens cauet negligentiam, & prætermiſſionem cultus diuini & officij ſui. Epheſ.* 5. *verſu* 15. Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. 6. *Vt ſummam maieſtatem omnibus imperitantem obſeruet, colat, eique in omnibus obtemperet. Optabat hoc Deus Deuteronomij* 5. *verſu* 29. Quis, *ait*, det talem eos habere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis & filiis eorum in ſempiternum. 7. *Vt omnipotentem, cuius ditionem & vindictam declinare non poſſit, timeat offendere. Sapientiæ* 16. *verſu* 13. 14. 15. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad

portus mortis,& reducis. Tuam manum effugere impoſsibile eſt. *Quod & de ſe ipſemet teſtatur Deut.*32.*v.*39. Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam:percutiam,& ego ſanabo, & non eſt,qui de manu mea poſsit eruere. *Proinde S. Eleazarus propoſita ſibi immunitate, ſi ſolum ſimulaſſet ſe carnes porcinas contra legem Domini manducaſſe.* Etſi,*inquit*,non præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. 2. *Mach.* 6. *v.*26. *Et Saluator noſter Luc.* 12. *v.* 5. Oſtendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit,habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis,hunc timete. 8. *Vt immutabili Deo ſemper in melius mutanda voluntas adhæreſcat, Deut.* 13.*v.* 4.Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete,& mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius,ipſi ſeruietis; & ipſi adhærebitis.*Quod quàm ſalutare ſit homini, ſentiebat S.David, cum dicit Pſalm.*72.*v.* 28. Mihi adhærere Deo bonum eſt.*Et B.Auguſt.libr.*10.*Confeſſ. cap.* 28. Cum inhæſero tibi ex omni me, nuſquam erit mihi dolor & labor, & viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, ſubleuas eum,quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum. 9. *Vt in clementiſſimo ac prouidentiſſimo ſpes ſuas omnes collocet, & ſecurè confidat.* Omnem ſollicitudinem veſtram, *ait S.Petrus* 1.*epiſt.* 5. *v.*7. proiiciétes in eum,quoniam ipſi cura eſt de vobis. *S.Aug.in Pſalm.*39.*v.*18.Ego mendicus ſum & pauper,Dominus ſolicitus eſt mei: *ſiue vt ipſe legit*: Dominus curam habebit mei. Iacta, *ait*, in Dominum curam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet,*Pſalm.*54. *verſ.*23. Quid tibi curaturus eſt,quid tibi prouiſurus? Habeat tui curam, qui

fecit

fecit te. Qui habuit tui curam, antequam eſſes, quomodo non habebit curam, cum iam hoc es, quod voluit vt eſſes? Iam enim fidelis es, iam ambulas in via iuſtitiæ. Curam tui non habebit, qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, Matt. 5. v. 46. Te iam iuſtum ex fide viuentem negliget, deſeret, dimittet? Imo verò & hic fouet, & hic adiuuat, & hic neceſſaria ſubminiſtrat, & noxia reſecat. Dando conſolatur, vt permaneas, auferendo corripit, ne pereas. Dominus habet curam tui. Securus eſto, ille protegit, qui te fecit. Nuſquam tibi deeſt, tu illi noli deeſſe. Dominus curam habet mei, Pſalm. 22. v. 4. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Rom. 8. v. 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 10. *Vt optimum, benigniſſimum, amantiſſimum, redamet*, & ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine redamet, *Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37. 1. Ioan. 4. v. 19.* Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. *In Soliloquiis ſuis cap. 19. admodum pia Oratione S. Auguſt. prouocat ſeipſum ad Deum diligendum, quia dilexit prior, totque beneficiis ac tantis præuenit, & maiora promiſit. Tunc igitur ſunt vtiliſſimæ mentis contemplationes plurimumque Sanctiſſimæ Trinitati honoris afferunt, quando iis efficaciter permouetur voluntas, vt omnis generis virtutum actiones erga eandem exerceat:* Nam intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in ſæculum ſæculi, *Pſal. 110. v. 10.* 11. *Vt munificentiſſimo benefactori perpetuas ex intimo corde gratias agat, Eph. 5. v. 20.* Gratias agentes ſemper pro omnibus (*donis*) in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri, *1. Theſſ. 5. ver. 18.* In omnibus, (*quibuſcunque rebus*) gratias agite. *S. Aug. epiſt. 77. docet, gratiarum*

actione nihil eſſe melius. Et *lib. de ſpiritu & litera cap.* 11. Cultus Dei in hoc maximè, *ait idem S. Auguſt.* conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata: vnde in ipſo veriſsimo & ſingulari ſacrificio Domino Deo noſtro gratias agere admonemur, Deus enim bonorum noſtrorum non indiget, *Pſal.* 15. *v.* 1. Voluntariè ſacrificemus tibi, *S. Trinitas*, quia bonum eſt, *Pſal.* 53. *v.* 8.

Caput V.

Noſtra beatiſs. Trinitatem voluntas fide colit, ſpe & caritate.

S*Anctus Auguſtinus in Enchiridio ſuo ad Laurent. cap.* 1. Sicut nemo à ſeipſo, *ait*, eſſe poteſt, ita etiam nemo à ſeipſo ſapiens eſſe poteſt, ſed ab illo illuſtrãte, de quo ſcriptum eſt Eccli. 1. *v.* 1. Omnis ſapientia à Deo eſt, ca. 2. Hominis autẽ ſapientia pietas eſt. *Iob* 28. *v.* 28. Ecce pietas ipſa eſt ſapientia. *Pietatem dixit* θεοσέβειαν, *cultum Dei, c.* 3. *Et quomodo colendus Deus? Fide, Spe, Caritate. Sed cùm Cap. hic* 3. *docuerimus, intellectum fide honorare Sanctiſsimam Trinitatem, quomodo nunc eam fidem ad voluntatem referimus? Vtrumq; rectè.*

Cognoſcendum fidei actum à mente cœleſti gratia & lumine corroborata produci, 1. *Cor.* 13. *v.* 13. *de fide loquens Apoſtolus*: Videmus, *ait*, nunc per ſpeculum in ænigmate. *Videre autem eſt actus intellectus. Et ad Heb.* 11. *v.* 6. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentib. ſe remunerator ſit. *Credere autem eſt aſſentiri firmiter Deo obſcurè reuelanti, tanquam primæ veritati, quæ veritas materia eſt, circa quam intelligentia occupatur.*

Verum vt hunc fidei actum mens eliciat, opus eſt pia volun-

voluntatis affectione mentem ad aſſentiendum inclinante. Rom. 10. v. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, *&c. Corde, id eſt, voluntate: vnde & Ioann. 6. & c. 12. Iudæorum infidelitas cordis duritia appellatur, Luc. 24. ver. 25.* O ſtulti & tardi corde ad credendum. *Et Conc. Trident. Seſſ. 6. cap. 6. ait, hominem diſponere ſe ad iuſtitam, cum à Deo motus liberè mouetur ad credendum. Et Conc. 4. Tolet. cap. 55. & habetur diſt. 55. c. de Iudæis, ſanciuit Iudæos non eſſe ad fidem compellendos, idcirco, quod fides ſit voluntaria. Et vt ait S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 52.* Liberum eſt credere. *Quam veritatem inde epiſtola 1. colligit S. Clemens: quia multis audientibus eandem fidei propoſitionem, aliqui credunt, aliqui non credunt, quia iſti volunt, hi nolunt.* Non omnes, *ait Apoſtolus Rom. 10. v. 16.* obediunt Euangelio, Iſaias enim dicit cap. 53. v. 1. Domine, quis credidit auditui noſtro. *Et ratio eſt, quia ſola veritatis euidentia neceſſitatem aſſentiendi affert intellectui, in fidei autem articulis nõ eſt hæc perſpicuitas, ſed obſcuritas; igitur opus eſt pia voluntatis affectione ad aſſenſum, mentem inducente, quæ & ipſa non nobis ex nobis eſt, ſed ex Dei donatione,* qui operatur in nobis velle & perficere, *Philip. 2. v. 13. Ioan. 15. v. 5.* Sine me nihil poteſtis facere. *1. Cor. 4. v. 7.* Quid habs, quod non accepiſti? *Ioan. 6. v. 44.* Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. *Act. 16. v. 14.* Lydiæ Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebãtur à Paulo. *Hinc S. Ioanes c. 12. ver. 39. ait Iudæos non potuiſſe credere, quia excæcati & indurati erant, id eſt, quia nec Deus illuminauit intellectum, neque inclinauit voluntatem tam efficaciter, quàm eorum praua diſpoſitio moraliter requirebat. Ex hoc ergo capite actus fidei eſt liber, voluntarius & meritorius.* Magnarum hic vigor eſt mentium, *ait S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ. Dom.* & valdè fideliũ lumen animarũ, incunctanter credere, quæ

corporeo non videntur intuitu, & ibi figere deſiderium, quo nequeas inferre cōſpectum. Hæc autem pietas, vnde in noſtris cordibus naſceretur, ſi in iis tantum ſalus noſtra conſiſteret, quæ obtutibus ſubiacerent. Vnde & illi viro, qui de reſurrectione Chriſti videbatur ambigere, niſi in ipſius carne veſtigia paſsionis & viſu exploraſſet & tactu. Quia vidiſti me, inquit Dominus, credidiſti. Beati qui nō viderunt, & crediderūt, Ioan. 20. *Igitur fides actu & intellectus & voluntas pariter Deum honorant.*

Nunc qua ratione fides, ſpes, caritas Sanctiſ. Trinitati cultum adhibeant, conſideremus. Vſurpatur aliquando nomen religionis, & diuini cultus pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque inſtar ſacrificij Deo eſt acceptum. Sic illud Iacobi 1. v. 27. intelligi poteſt: Religio munda & immaculata apud Deū & Patrem hæc eſt viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. *Et paſſim in Scripturis colere Deum, & ſeruire Deo idem ſignificant. Seruitus autem Dei ſe porrigit ad omnia bona opera, quibs Deo obedimus, & placemus, vt Pſal. 2. v. 11.* Seruite Domino in timore. *Luc. 2. v. 37.* Anna non diſcedebat de tēplo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. *& cap. 1. v. 75.* Seruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia. *Sic & S. Auguſt. libr. 10. de Ciuit. Dei cap. 5.* Propheta, *ait*, quærens Deum, peccatis ſuis habere propitium. Si voluiſſes, *inquit Pſal. 50. v. 18.* ſacrificium dediſſem: Vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nō ſpernet. Intueamur, quemadmodum vbi dixit Deum nolle ſacrificium, ibi oſtendit Deum velle ſacrificium. Non vult ergo ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis.

dis. *Hinc & Pſal. 49. v. 14.* Immola Deo ſacrificiū laudis, & redde Altiſsimo vota tua. *Et in epiſtola ad Hebr. 13. verſ. 16.* Benefacere, *inquit Apoſtolus*, & communicatores eſſe nolite obliuiſci, talibus enim ſacrificiis placatur Deus. *Ac per hoc vbi ſcriptum eſt Hoſeæ 6. v. 6.* Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium, nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi. *&c. Ibid. cap. 6. S. Auguſt.* Proinde verum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur, vt ſancta Societate inhæreamus Deo, relatum ſcil. ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſsimus. Vnde & ipſa miſericordia, quâ homini ſubuenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Et ipſe homo Dei nomini conſecratus, & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, vt Deo viuat, ſacrificium eſt. Corpus etiam noſtrū cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus propter Deum, vt non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo, ſacrificium eſt. Ad quod exhortans Apoſtolus ait Rom. 12. v. 1. Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam Deo placentem, rationabile obſequium omnium. Et quanto magis anima ipſa, cum ſe refert ad Deum, vt igne amoris eius accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eiq; tanquam incōmutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit ſacrificium? Quod idem Apoſtolus conſequenter adiungens: Et nolite, inquit, conformari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate mentis veſtræ, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum, &c.

Cum ergo omne ſacrificium ſit cultus Dei, & quodlibet virtutis opus adDei honorem relatum ſit ſacrificiũ, & hoc vtique erit cultus Dei, tantoque ſanctius & anguſtius eo coletur Deus, quanto illa virtus potior fuerit & excellentior, at omnium virtutum nobiliſſimæ ac præſtantiſſimæ ſunt virtutes Theologicæ fides, ſpes, caritas, cum proximè & immediatè attingant ipſum Deum tanquam proprium ſuum obiectum: fides enim credit Deo tanquam primæ, ſummæ, & infallibili veritati, ſpes illum deſiderat & ſperat, vt bonum & felicitas eſt noſtra. Caritas amat Deum, vt ipſe eſt bonum ſuum, vult enim ipſam diuinitatem, & omne bonum ipſi Deo, vt ipſi in ſe bene & optimè ſit, fide igitur ſpe & caritate maximè honoratur & colitur Sanctiſſ. Trinitas Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Quod ſi & preſſius anguſtiuſque nomen diuini cultus ac ſeruitutis vſurpetur, vt religio ſit virtus, quæ debitum Deo cultum tanquam primo omnium rerum principio tribuat, adhuc tamen in colenda ac venerãda Sanctiſſ. Trinitate fides, ſpes, caritas principatũ obtinẽt. Quod vt luculentius conſtet, animaduertendũ eſt in ipſa virtute religionis quatuor actus ſpectari poſſe. 1. eſt conſideratio infinitæ maieſtatis Dei, & quod ab ipſa pendeant vniuerſa. 2. contemplatio noſtri nihili, quod nimirum ex nobis nihil ſimus, nihil habeamus, ſed quicquid vel ſumus, vel habemus Dei eſſe, & à Deo aſſiduè pendere. Atq; hi duo actus tanquam fundamẽtum religioni ſupponuntur. 3. actus in quo religionis natura conſiſtit, eſt profunda mentis ſubmiſſio & inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipſa ſummam Dei amplitudinem & poteſtatem, & contemptiſſimam noſtram conditionem & abiectionem interius teſtetur, & continet duas actiones alteram voluntatis, qui affectus reuerentiæ, quo interna illa honoraria inclinatio eſt volita, alteram intellectus, qua eadem præſtatur, & executioni mandatur, agnoſcendo, & ratiocinando, ac ſpiritali locutione profitendo

ſtendo eius maieſtatem, & ſuam inanitatem, omne bonum ab illo tanquã perenni fonte promanare, & ſe totã ad ipſius obſequium offerendo. Atq; hæc in ipſis etiã Angelis reperiuntur. 4. actus eſt exterior in hominib. ſubmiſſio, capitis, corporiſve inclinatione, & id genus aliis.

Porrò quid nobis magis declarat diuinam præſtantiã omnia efficientem, conſeruantem, & in fines ſuos fortiter & ſuauiter dirigentem, & è contrario quid potius nobis noſtram miſeriam, exiguitatem, vilitatem & inanitatem oſtẽdit, & inculcat quam fides diuinis monumentis tributa? Hinc illæ Sanctorum diuinã excellentiã & ſuam abiectionem, vanitatem ac nihilũ ſpectantium ſententiæ, Gen. 18. v. 26. Loquar ad Dominum meũ cum ſim puluis & cinis, *ait magnus ille Patriarcha Abraham. Et præcipuus Dei amicus Moyſes, vmbrã quaſi illius intuitus, Exod. 34. v. 6.* Dominator Domine Deus, nullus apud te per ſe innocens eſt. *Admiratur S. Iob, quod deſpicatiſſ. hominẽ aliquo in numero præpotens Deus habeat.* Quid eſt homo, *ait c. 7. v. 17.* qa magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuũ? *Idem B. Iob ex auditu Dei & illuſtratione mox ad ipſius profecit reuerentiam, ſuique contemptum c. 42. v. 5. 6.* Auditu auris, *ait*, audiui te, nunc autẽ oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Vbi 70.* Deſpexi meipſum, & putaui me terrã & cinerem. *Et Dauid Pſ. 8.* Domine Domine noſter, quã admirabile eſt nomẽ tuũ in vniuerſa terra. Q̃m eleuata eſt magnificẽtia tua ſuper cœlos. Quid eſt homo, ꝙ memor es eius, aut filius hominis quoniã viſitas eũ? *Et Pſ. 143. v. 3. 4.* Dñe qd eſt homo, qa innotuiſti ei aut filius hominis, quia reputas eũ? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra ꝑtereunt. *Et Deipara Virgo Luc. 1.* Reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuę: ecce n. ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potẽs eſt, & ſanctum nomen eius. *Et Luc. 5. verſ. 8. Petrus*

Chriſti Domini potentiam ſtupens in multa piſcium comprehenſione procidit ad genua illius, & dixit: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.

Neceſſariam etiam à Deo dependentiam & illi cohærendi neceſsitatem, quid clarius nobis oſtendit, quàm fides ſacræ Scripturæ adiuncta? Pſal. 30. *v.* 16. Ego in te ſperaui Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. *S. Hieronymus ex Hebræo vertit:* In manu tua tempora mea. *id eſt, in tua ſolius poteſtate ſunt ſortes, diſpoſitiones ac tempora vitæ, necisque meæ, felicitatis & infelicitatis.* Quomodo poſsit aliquid permanere, *ait Salomon, Sap.* 11. *v.* 25. niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? *Actu.* 17. *v.* 25. Ipſe dat omnibus vitã, & inſpirationem, & omnia. *Et v.* 28. In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus. *Rom.* 11. *v.* 36. Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. *Et quamuis res naturales & in productione, & in conſeruatione, & in efficientia, & in actione à Deo, vt prima ac præcipua cauſa pendeant, tamen multo magis res ſpiritales.* Sine me, *inquit Saluator Ioan.* 15. *v.* 5. nihil poteſtis facere. *Et Apoſtolus* 1. *Cor.* 12. *v.* 3. Nemo poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. *Et* 2. *Cor.* 3. *v.* 6. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Philipp.* 2. *v.* 13. Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere. *S. Auguſt. lib.* 4. *de doctrina Chriſtiana cap.* 15. *hortatur Eccleſiaſten, vt prius ſit Orator, quam dictor:* Quoniam, *inquit*, quis nouit, quid ad præſens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt? Et quis facit, vt quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, niſi in cuius manu ſunt & nos, & ſermones noſtri: *Sap.* 7. *v.* 16. *Et S. Ber. epiſt.* 57. *ad Ogerium:* Quod ſi quid fortè, *ait*, à me audiuiſti, quod poſsit prodeſſe tibi,

tibi, gratias Deo age: in cuius manu ſunt, & nos & ſermones noſtri.

Quantum ad 3. attinet, in quo tota vis & ratio religionis eſt poſita, vt animus Dei dignitatem & ſuam agnoſcens indignitatem humillime ſe Deo ſubmittat: an non hoc efficaciſſime fides, ſpes & caritas perficiunt? Nōne fides Deo tanquam ſuperiori & magiſtro credit, atq; omne ſuum iudicium promptiſſime ſubiicit? Atq; hinc fides ſæpe appellatur religio, quia eſt religionis radix, baſis, regula: ſic vera fides dicitur vera religio, falſa fides falſa religio. Nonne ſpes agnoſcit & teſtatur, hominem ſine Deo beatum eſſe non poſſe, atque omne bonum ab eo ſolo expectandum? Nonne caritas refert & offert tum hominem ipſum, tum ipſius omnia ad Dei obſequium & gloriam?

Denique quantum ad 4. pertinet, fides, ſpes, caritas, non ſolum religionis ipſique adiunctarum virtutum, ſed prorſus omnium aliarū ſunt procreatrices, præceptrices, altrices, perfectrices, vt 1. Cor. c. 13. verſ. 4. 5. 6. 7. & ad Heb. 11. toto pene capite tradit Apoſtolus. Et rationem aſſignat S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 5. ad 1. quia cum virtutes Theologicæ verſentur circa finem vltimum, Deum, imperare actus religionis ac aliarum virtutum. Quamuis & contra fieri poſſit, vt nimirum quis vtatur actu virtutis Theologicæ ad finem religionis, qui eſt honorare Deum, ſic actum fidei ac fiduciæ, quia ad Deum colendū non adhibuêre Moyſes & Aaron, & à Deo obiurgati & puniti ſunt, Num. 20. verſ. 12. Quia non crediſtis mihi, *ait ad illos Deus,* vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrahel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

Maneat ergo firma & certa S. Auguſtini ſententia, quod S. Trinitas Dominus Deus noſter, fide, ſpe, caritate colenda ſit, & tanto religioſius auguſtiuſque colatur, quanto fides certior, ſpes firmior, & ardentior fuerit caritas.

Omni-

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum, & vt mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare quod præcipis.

CAPVT VI.

QVOD FIDE, SPE, CARITATE, Deum non colant hæretici & improbi Catholici.

NOn poſſunt fide Deum Beatiſſ. Trinitatem colere hæretici, cum nullam diuinam fidem habeant; eam ſiquidem perdunt, cum vel ab vnico fidei articulo, aut dogmate pertinaciter diſſentiunt. Sicut enim vnum peccatum mortiferũ caritatem extinguit, ita & vnicus à recta fide diſſenſionis actus, illam interimit: tollit enim formalem Catholicæ fidei rationem, primam ſcilicet veritatem in Scripturis, & Eccleſiæ doctrina reuelatam, vt habet D. Thomas 2.2.q.5. artic.3. Infidelitate, *ait Concil. Trid. Seſſ.6.c.15.* fides amittitur. *Sicut & vna deſperationis actione tota ſpes perditur. S. Aug. lib.*18. *de Ciuit Dei cap.*51. Qui in Eccleſia Chriſti, *inquit*, morbidum aliquid, prauũque ſapiunt, ſi correpti vt rectum ſanumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Cum ergo ſint extra Eccleſiam & corpus Chriſti, non ſunt eius membra, cui tamen improbi fideles adhuc fide inhærent. *Thomæ Apoſtolo ſolam Chriſti reſurrectionem non credenti, ait ipſe Saluator Ioannis* 20.*v.*27. Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. *Et de eadem reſurrectionis fide non Chriſti, ſed communi omnium hominum tractans Apoſtolus*: Hymenæus, *inquit*

quit 2. *Vim.* 2. *v.* 18. Et Philetus à veritate exciderunt, dicentes, reſurrectionem iam eſſe factam, & ſubuerterunt quorundam fidem. *Ergo ad venerandam Sanctiſſimam Trinitatem Deum ac Dominum noſtrum opus eſt integra fide, ita vt perfectiſſimè, & pleniſſimè omnia & ſingula credantur, quæ Eccleſia Catholica proponit credenda.* Non *quod opus aut neceſſarium ſit, vt quiſque de vulgo omnia myſteria Chriſtianæ religionis norit, & ſinguiis aſſenſum tribuat, ſed cum intelligit eſſe dogma & ſententiam Eccleſiæ in ea penitus acquieſcat, quemadmodum fertur de idiota quodam & ſimplice, qui in mortis articulo dæmoni ſuæ fidei rationem poſtulanti reſpondit*: Credo quod Eccleſia. *Iterum tartareo draconi percunctanti: Quid credit Eccleſia? Reſpondit*: Quod ego credo. *Suas autem quæſtiones iterans diabolus, nec aliud reſponſum accipiens, quàm,* Ego credo quod Eccleſia, & Eccleſia credit quod ego: *victus cum dedecore abſceſsit*. Turbam *ait S. Auguſt. cap.* 4. *contra epiſtolam Manichæi*, non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit.

Sed & improborum Catholicorum fides parum aut nihil honoris diuino Numini affert, quamuis enim vera fides ſit, nullius tamen eſt apud Deum pretij, quemadmodum affirmat Apoſtolus Galat. 5. *v.* 6. In Chriſto Ieſu non valet fides, niſi quæ per caritatem operatur: *neque pluris à Deo fit, quam à nobis vile & putre cadauer, quemadmodum teſtatur S. Iacobus cap.* 2. *verſ.* 17. Fides, *ait*, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. *Quod & inculcat ſectariis rurſum verſu* 26. Sicut corpus, *ait*, ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. *Hinc à Theologis affirmatur, & rectiſſimè, quod forma & anima fidei ſit charitas.* Sine charitate, *ait Sanctus Auguſtinus libro decimoquinto de Trinitate, capite decimooctauo*, fides quidẽ poteſt eſſe, ſed non & prodeſſe.

Et rectè

Et rectè, id enim docet Apoſtolus 1.*Cor.*13,*ver.* 2. Si habuero omnem fidem, *ait*, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. *Et ipſe Saluator Matth.*7.*v.*21. Non omnis, *ait*, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorũ. *Et rurſus ibidem v.*26. Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit hæc, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, *&c. Ergo & ad colendam Sanctiſſ. Trinitatem opus eſt fide, quæ caritate ſit prægnans, & bonis operibus fœcunda.*

Sed & illud videndum qua ſpe colenda ſit nobis Sanctiſſima Trinitas, & quidem illa plurima in ſe ſpem ſuã ponentibus bona promiſit, vt Pſal. 90.*v.*14. Quoniam in mè ſperauit, liberabo eum. *Hier.*17,*v.*7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. *Sed non debet hæc ſpes eſſe ieiuna diuini auxilij & æternæ felicitatis exſpectatio, & quaſi arx hærens in aere, opus & ſolido fundamento, quo hæc ſpes nitatur, quod eſt bona cõſcientia, ac virtutum tractatio. Nam vt ait S.Auguſt.præfatione in Pſal.* 31. Ille ſperat, qui bonam conſcientiam gerit. Quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat, niſi damnationem. Vt ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, & vt habeat bonam conſcientiam, credat & operetur: quia quod credit, fidei eſt, quod operatur caritatis eſt. *Idem S.Auguſt.lib.*3.*de doctr.Chriſt.cap.* 10. Spes ſua, *inquit*, cuique eſt in conſcientia propria, quemadmodum ſe ſentit ad dilectionem Dei & proximi cognitionemq́ proficere. *Proinde bonorum operum ſtudium cum ſpe coniungit Scriptura Pſal.* 36.*v.* 3. Spera in Domino, & fac bonitatem. *Tit.*2.*v.*12. Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo exſpectantes beatam ſpem. 1.*Ioan.*

3.*v.*21.

3.v.21. Cariſsimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniã mãdata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus. *Cum ergo ſolida ac firma ſpes ſine bona conſcientia, & virtutis ſtudio eſſe nequeat, per tenuem ſanè & exiguam habet improbus Catholicus. Hæreticus verò prorſus nullam habet ſpem, quia fide caret, qua ſine fide ſpes eſſe non poteſt. Et tantũ abeſt, vt hæreticus bona conſcientia fruatur teſtimonio, vt ſua ipſius mens illum reum peragat, ſupplicii;que addicat. Tit.* 3.v.10. Hæreticum hominem, *ait Apoſtolus,* poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. *S. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium legit:* Hæreticum hominem poſt vnam correptionem euita, ſciẽs, quia peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus.

Igitur tales ſpe ſua Sanctiſſ. Trinitatem honorare nõ poſſunt, & multo minus caritate, quâ penitus vacant. Vt quæ peccato mortifero, cui ob perfidiam & impietatem obnoxii ſunt, expulſa & deleta eſt. Si à fide, *ait S. Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 37.* quiſque ceciderit, à caritate etiam neceſſe eſt, cadat. Porrò, ſi & credit & diligit, bene agendo, & præceptis bonorum morum obtemperãdo efficit, vt etiam ſperet, ſe ad id, quod diligit eſſe venturum.

Neque quacunque caritate colitur Deus, ſed ea quam nobis deſcribit Apoſtolus Rom. 5. v. 5. Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctũ, qui datus eſt nobis, *& 1. Cor. 13. ver. 4.* Caritas patiens eſt, benigna eſt, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, *&c. Hæ virtutes ſociatæ ſunt & connexæ. Fides, ſine exceptione, Catholica omnibus dogmatibus diuinitus per Eccleſiam pate-*

factis firmiſſimè aſſentiens. Spes diuina ope & miſericordia, Chriſti Saluatoris meritis, ac piis operibus fulta & ſubnixa. Caritas ſincera Deum propter ſe, & proximum propter Deum diligens perfectiſſimum ac gratiſſimum S. Trinitati cultũ obſequiumque præſtant. Quemadmodum eas iungit inter ſe conſociatque Apoſtolus 1. Tim.1.v.5. Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & cõſcientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium. *Commentarius Ambroſio tributus*, Caritatem, *inquit*, finem eſſe dixit, id eſt, perfectionis conſummationem omnium præceptorum, quo ſenſu dixit Apoſtolus Rom. 13.v.10. Plenitudo legis eſt dilectio, & Gal.5.v.14. Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *S.Aug.ſer.121.ſui Enchiridij.* Omnis, *inquit*, præcepti finis eſt caritas, id eſt, ad caritatem refertur omne præceptum. *Explanat autem Apoſtoli ſententiam optimè S.Auguſt.in Enchirid.cap.* 40. Cùm diceret caritas, addidit, de corde puro, vt nihil aliud quàm id, quod diligendum eſt, diligatur, vt procedat ex voluntate vacua cupiditate honoris, emolumenti, ac ſimilium rerum. Conſcientiam verò bonam ſubiunxit ꝓpter ſpem. Ille enim ſe ad id, quod credit, & diligit, peruenturum eſſe deſperat, cui malæ conſcientiæ ſcrupulus ineſt. Tertiò, inquit, & fide non ficta. Si enim fides noſtra mendacio caruerit, tunc & non diligimus, quod non eſt diligendum, & rectè viuẽdo id ſperamus, vt nullo modo ſpes noſtra fallatur.

A quibus caritate, ſpe, fide, tãquam ſagittarius à ſcopo aberrantes quidam deflexerunt ad inania & peſtifera dogmata. Homo itaq; fide, ſpe, & caritate ſubnixus, *ait B.Aug.li.1.de doct.Chriſt.c.39.* eaq; incõcuſſe retinens, nõ indiget ſcripturis niſi ad alios inſtruen-

ſtruendos. Itaq; multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicib. viuunt. Quibus tamen quaſi machinis tanta fidei & ſpei & caritatis in eis ſurrexit inſtructio, vt perfectum aliquid tenentes ea, quæ ſunt, ex parte non quærant.

Da Sanctiſſ. Trinitas; ita nos tuam Maieſtatem fide, ſpe; caritate nunc vt veneremur, vt eadem clara viſione, ſecura poſſeſſione, & immenſo amore æternum perfruamur.

CAPVT VII.

APERIVNTVR ALIAE VIAE, ET modi, quibus humana voluntas Sanctiſſ. veneratur Trinitatem.

Reſtantiſſimus beatiſſ. Trinitatem honorandi modus eſt, cum noſtram voluntatem diuinæ volũtati penitus ſubiungimus, & in ea ſuauiter acquieſcimus: ſiue proſperitate nos conſoletur, ſiue aduerſitate emendet. Hoc enim eſt, quod aſſiduè petimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. *Neque enim ſolum precamur, vt Dei voluntas fiat à nobis, eius præcepta obſeruantibus, ſed etiam de nobis, & in nobis paratis patienter & libenter ſuſcipere, quicquid ille vel boni vel mali immiſerit, ſicut Saluator ſupplicabat Matt. 26. v. 42.* Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua, *non tantum à me, ſed etiam de me. Qui & Ioan. 4. v. 34. dixit:* Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. *Saluator diuinæ voluntatis executione tanquam famelicus cibo delectabatur, & idcirco ſe hominem factum confitebatur, Ioan. 6. v. 38.* Deſcendi de cœlo, nõ vt faciam voluntatem meã, ſed voluntatem eius, q miſit me.

Hæc reſignatio ſuæ voluntatis in diuinam eſt opus magnæ caritatis, & eximiæ perfectionis; nam per hoc homo vincit omnes ſuos affectus, & ſe totum accommodat, & componit ad diuinam voluntatem. Hoc præſtitit Iob cap.1.v.21. Dominus, *inquit*, dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *Quaſi dicat: Dominus iſta commodatè dedit, nec à ſe abdicauit dominium, quod ergo ſuum eſt, auferre poteſt, ſit ipſe benedictus, illi agantur gratiæ, illius laudes celebrentur. Pſal. 33. v. 1.* Benedicam Dominum in omni tempore. *Vtcunque ille mecum agat. Omni tempore & aduerſo, & proſpero. S. Auguſt. in Comment. Heli ſacerdos 1. Reg. 3. verſ. 18.* Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. 2. *Regum* 10. *ver.* 12. Eſto vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri: Dominus autem faciet, quod bonum eſt in conſpectu ſuo. 2. *Reg.* 15. *v.* 26. Si dixerit mihi Dominus: Non places, præſto ſum, quod bonũ eſt coram ſe, faciat, *ait S. Dauid* 1. *Machab.* 3. *v.* 60. Melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, ſicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.

Hac re ſolidum fundamentum Chriſtianæ religionis iecit Apoſtolus, Act. 9. v. 6. Domine, *ait*, quid me vis facere? *Et ad Philip.* 1. *v.* 20. Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitã, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. *Et Act.* 21. *v.* 14. Cum ei ſuadere non poſſemus, quieuimus dicentes: Domini voluntas fiat. *Suam Regius Vates voluntatem tanquam gratiſſimum holocauſtum diuinæ voluntati offerebat Dominus, Pſal.* 107. *v.* 1. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. *Prout tibi Domine collibitum fuerit, voluntas mea prompta eſt, & ad aduerſa, & ad proſpera, & ad iucunda, & iniucunda; & ad facilia, & ad difficilia. Et*

Hieron.

Hieron.c.17.v.16. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. *Et S. Aug. lib.10. Confeſſ.c.29.* Tota ſpes mea Domine, *inquit*, in magna valde miſericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis.

Hæc animi æquitas diuino arbitratui ſe permittentis ingentes homini affert vtilitates: nam 1. ſine hac nūquam pace & gaudio fruitur. Iob 9.v.4. Quis reſtitit ei, & pacem habuit? *Quo pertinere poteſt & illud S. Auguſtini dictum lib.1. Conf.c.1.* Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. *Et cap.5.* Quis mihi dabit acquieſcere in te? *Præclarè S. Greg. Naz. epiſt. 63.* Gratias ago, vt in lætis rebus, ita etiam in acerbis, quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerū noſtrarum apud ſummam rationem expers rationis eſſe. *Proinde ſaluberrimum eſt illud apud S. Iobum c.22.v.21.* Conſilium acquieſce ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. *q.d. Accommoda te illi, ad eius te conforma volūtatem, tunc ſtabili cum eo pace & bonorum omnium fructibus perfrueris. Bona autem hæc ſunt. Aegritudinis vacuitas, mentis tranquillitas & ſecuritas: nam diuinæ prouidētiæ & volūtati qui ſe totū permittit, iuxta illud 1. Pet.5. v.7.* Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis: *illi perſuaſiſſimum eſt, Deum eſſe potentiſſimum, & ſapientiſſimum, & optimum, vt & efficaciſſimè valeat, & prouidentiſſimè norit, & amantiſſimè velit, tum vera bona procurare, tum vera mala auertere, vt fiat, quod ait Apoſt. Rom.8.v.28.* Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *S. Ioannes Chryſoſt. hom.14. in epiſt. ad Rom. Apoſtolicam ſententiam hunc in modum explanat:* Inſtruit illos, qui in periculis erant, vt omnino non eligant, quæ ſibi ſtatim videntur eſſe vtilia, ſed quæ ſpiritus ipſe

ſuggerat: multa ſiquidem eſſe, quæ, quum profutura videantur, plurimum tamen aliquando damni ſint datura. Requies enim & à periculis eſſe liberatum, ſecurumq; viuere, id demum videbatur illis multum vtilitatis habere. Et quid mirum, quod illis videbatur, quando idem ipſi quoque B. Paulo ad eum modum habere viſum ſit? Attamen didicit tandem, quæ cõtraria ſunt, vtilia potiſsimum eſſe, qua in re exultauit etiã, poſteaquam eſſet inſtructus. Nam quum ad Dominum oraſſet, vt à periculis liberaretur, audiſſetque dicentem Dominum: Sufficit tibi gratia mea; virtus quippe mea in infirmitate perficitur, exultabat deinceps, vtvt perſecutioné, contumelias, irreparabiliaq; pateretur. Dicebat enim: Placeo mihi in perſecutionibus, in contumeliis, in neceſsitatibus, 2. Cor. 12. à v. 7. vſq; ad 11. Hinc videlicet eſt, quod dixit Rom. 8. ver. 26. Quid enim oremus, quemadmodum oportet, ignoramus, perſuadés omnibus, vt ſpiritui huic ſeſe addicant. Vehementem enim noſtri curam habet Spiritus Sanctus, & hoc eſt, quod Deo ꝓbatur. Scimus, inquit, quia diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Quum dicit, omnia, etiam quæ triſtia videntur, ſimul includit. Nam etiamſi adfuerit tribulatio, ſi paupertas, ſi carceres, ſi fames, ſi mors, & ſi quid aliud eiuſmodi poterit dici, potens eſt tamen Deus in contrarium hæc omnia inuertere, quandoquidem hoc potiſsimum ineffabilem illius virtuté exprimit, quod quæ laborioſa & difficilia videntur, & leuia facit, & ſaluti noſtræ accommoda. Propterea non dicit: Scimus enim, quod diligentibus Deum, nihil moleſti contingit, ſed quod illis in bonum cooperatur, hoc eſt, quod ipſis afflictionibus, ad eorum, quibus inſidiæ ten-

diæ tenduntur, probationem vtitur, id quod multo maioris eſt virtutis, quàm ſi aut illis nihil pateretur obuenire moleſtiarum, aut ſi quam primum quid obuenerit, ſtatim diſſolueret. *Hac Sanctus Chryſoſtomus. Paulina ſententia, quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, conſentanea eſt illa & Sancto Auguſtino digna ſententia lib. 1. Soliloquiorum capite* 15. Conſtanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli eſſe velle quaſi proprius, & in tua poteſtate, ſed eius clementiſsimi & vtiliſsimi Domini te ſeruum eſſe profitere. Ita enim te ad ſe ſubleuare non deſinet, nihilq́ tibi euenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias.

2. *Eiuſmodi homo ſe ſolum Deo committens paratiſſimus & aptiſſimus eſt ad excipienda diuina lumina, Sancti Spiritus impulſus, & cœleſtes ſlatus; tum quia congruenter & appoſite Deo ſuo ſubiunctus & connexus eſt, ex eo tanquam vitali principio ſuccum virtutum, & gratiæ vitam ducit, tum quia ſinum mollem & præparatum offert ad ſpiritalia munera capiendum, eſt enim veluti tractabilis cera, in qua figuræ & imagines facile imprimi poſſunt. Senſit hoc Dauid Pſalmo 61. verſu* 1. Nonne Deo, *inquit,* ſubiecta erit anima mea? *ſe totum illi committens & boni conſulens, quamcunque ille ſortem immiſerit, quid inde?* Ab ipſo enim ſalutare meum, *ab eo vno ſalus mea pendet & promouetur. Nam & ipſe Deus meus eximiam mei curam gerens, & ſalutaris meus, Saluator & defenſor meus, ſuſceptor meus, qui me ad ſe confugientem protegendum ſuſcepit, & proinde non mouebor amplius, non euertent me improborum impugnationes, ſed nec multum perturbabunt.*

Et rurſus verſ. 6. Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea, *te totā eius directioni & prouidentia permittes, & ſine querela, & diffidentia opē ab eo expectās,*

quoniam ab ipſo patientia mea. *S. Hieron.* Præſtolatio mea, id eſt, res patienter ab eo exſpectata obueniet mihi, ideſt, liberatio mea. Ecce quãta bona à Deo ſuo conſequatur animus Deo reſignatus, & mentis promptitudo ad ferendam quamuis ſortem.

3. *Singularem animi demiſſionem, conſtantiam & ſtabilitatem hæc æquanimitas acquirit, comparatque in virtutis ſtudio perſeuerantiam: cum enim non mutabilibus rebus ſuam applicet voluntatem, ſed immutabili affigat Deo, ac cum eo vnus efficiatur ſpiritus, velit, quod ille vult, nolit, quod ille non vult, quantumuis caduca hæc & mortalia labantur, & fluant, ipſe ſtat ſemper idem, ſicut idem eſt, cui perpetuo adhæret.* Mundus, *inquit S. Ioan. 1. epiſt. 2. v. 17.* tranſit & concupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. *Addit huic ſententiæ B. Cypr. in orationis Dominicæ explanatione, & libr. 3. ad Quirin. c. 11. & 19.* Quomodo & Deus manet in æternum. *Addit & S. Aug. tract. 2. in Ioan. epiſt. 1. eadem verba: quia* qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. 1. *Cor. 6. v. 17. Adhærens itaque Deo omni modo immutabili, & ipſe ſuo modo fit immutabilis, S. Bern. ſerm. 21. in Cant.* Eris, *inquit*, inter aduerſa & proſpera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem, vtique hanc inuiolabilem & inconcuſſam conſtantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeq; vendicans tibi, etiam in huius mutabundi ſæculi dubiis euentibus, certisq; defectibus, perennis quodam modo incommutabilitatis ſtatum, dum te cœperis renouare & reformare in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, apud quem nõ eſt trãſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio, Iacob. 1. v. 17. quippe ſicut ipſe eſt, ita & tu eris in hoc mundo. 1. Ioan. 4. v. 17. nec in aduerſis timi-

dus,

dus, nec in proſperis diſſolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem & ſimilitudinem eius, qui ſe fecit, antiqui honoris dignitatem receptare, iam iamq; & recuperare ſe indicat, cum ſibi indignum ducit huic labenti ſæculo conformari, reformari magis ſatagens (iuxta Pauli doctrinam Rom. 12. ver. 2.) in nouitate ſui ſenſus in eam ſimilitudinem, in qua ſe conditam nouit, ac per hoc etiam cogens (vt dignũ eſt) ſæculum iſtud, quod propter ſe factum fuit, verſa vice mirum in modum conformari ſibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria & naturali forma, abiecta degeneri ſpecie recognoſcentia dominum ſuũ, cui ad ſeruiendum creata fuerunt.

4. *Iſta animi æqualitas proprij affectus pondere neutram in partem inclinantis, ſed ſe ad vnius diuinæ voluntatis momentum librantis, hominem aptiſsimum diuini ſpiritus organum ad ſuæ, & alienæ ſalutis procurationem efficit. Sicut enim qui ſui propoſiti tenax eſt, cum ſe non aliò facilè ſinat inflecti, multas neceſſe eſt ſibi vias obſtruat, & oportunitates rectè agendi intercipiat, quas illi ſuggerit Deus, ita* qui non, quę ſua ſunt, quærit, ſed quæ Ieſu Chriſti, *Philip. 2. verſ. 21. nullo priuati conſilij, ac ſtudij vinculo aſtrictus ad omnia miniſteria, loca, tempora, ad quæ eum Deus vocat, aduolat, & cum reuocat* Deus, *reuolat. Quo inſtrumento ad ipſius nutum parato, vt efficacius aptiusque vtatur, Deus variis ſemper donis & virtutibus illud præparat, & adornat.*

5. *Ipſa honeſtas, quæ omni pondere grauior habenda eſt, cuius & natura ſumus appetentiſsimi, ſtudioſiſsimique, ita vt ſi eius quaſi lumẽ aſpexerimus, nihil eſt, quod vt eo potiamur, non parati ſimus & ferre & perpeti. Hæc, inquam, honeſtas ſummo iure à nobis poſtulat, vt vltro nos Deo offeramus, & ad eius vniuerſos nutus ac*

voluntatis indicia conuertamus: nam 1. velimus nolimus, quicquid ſumus, non vno, ſed plurimis nominibus Dei ſumus. Ipſe ex nihilo condidit nos, ipſe in nihilum recaſuros conſeruat nos, ipſe perditos morte ſua redemit. Totos ergo nos debemus Conditori, Conſeruatori, Liberatori. Et praſcribemus ſcilicet Deo, quid de nobis ſtatuere debeat, ſuáve non vtetur arbitratu ſuo, ſed libidine noſtra. Quid præpoſterum magis? Dei Optimi Maximi ſerui ſumus natura, hac enim conditione gignimur, vt procreanti nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus. Deum time & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo, *ait Eccleſ. cap. 12. v. 13. id eſt, ad hoc conditus eſt homo, vt Deum ſuum reuereatur, colat, amet.*

Sumus & ſerui emptione, 1. Cor. 6. v. 20. Non eſtis veſtri, pretio enim empti eſtis magno. *Et ad quid?* Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorũ liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, *Luc. 1. verſ. 15. Quod & aliis verbis indicat Apoſtolus 2. Corinth. 5. ver. 15. cum ait*: Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. *Sumus & ſerui cõductione. Ipſe enim Deus æternæ felicitatis mercede, omnem noſtram induſtriam operamque emit, Matt. 20. v. 2. Quapropter ſi eſſe volumus, qui eſſe debemus, miniſtri Dei, ſine eius placito, nec pedem, nec digitum mouere, & ex illius nutu ac voluntate totam noſtram vitam, & ſingulas actiones gubernare nos decet. Hoc enim proborum ſeruorum munus eſt, vt quemadmodum Dauid ait Pſal. 122. oculi eorum ſunt ſemper in manibus dominorum eorumque nutus & mandata obſeruent, ac e-ueſtigio exequantur.*

Quàm verò abſurdum, quàm præpoſterum, quàm indecens & intolerabile eſſet, ſi ſeruus ea tantum mandata accipere & conficere velit, quæ ſibi probarentur,

& ad-

& adlubeſcerent? Et quid indignius, quàm vt Chriſtianus, qui quotidie rogat, vt Dei voluntas & in ipſo, & ab ipſo perficiatur, ſuam audeat diuinæ voluntati anteponere? Poſſet nos Deus inuitos & tergiuerſantes ad quoduis ſuum obſequium cogere, ſed cupit ideo voluntarios, ampliſſimis vt nos muneribus & præmiis afficiat. Et quæſo quam illi ſeruitutem ſeruire poſſumus? vt vel minimam beneficiorum ipſius partem compenſemus? Ille immenſo amore omnia ſua ad noſtram ſalutem contulit, immo & ſeipſum totum impendit, & nos vermiculi dubitamus, cunctamur imperata nobis vtilia, & illi minimè commoda, in ipſius gratiam præſtare?

6. *Quod ſi vel Sanctorum exempla, vel vtilitates noſtra, vel mira iucunditas, vel honeſtatis ſplendor, & dignitas pertinacem animum minus mouent, frangunt, emolliunt, vt ad omne & quoduis Dei obſequium & arbitrium ſeſe accommodet, certe peruincet ipſa neceſſitas, non qua compellatur, vt iuſtè agat, ſed qua damnetur, vt iuſtè pœnas luat, Iſa. 46. v. 10.* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. *Heſt. 13. verſ. 9.* Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ. *Pſalmo 110. verſ. 2.* Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.

In cuius Pſalmi Commentario beatiſſimus Auguſtinus: Non ſic, *ait*, conſtituta ſunt opera Domini, vt creatura in arbitrio libero conſtituta creatoris ſuperet voluntatem: etiamſi contra eius faciat voluntatem: Non vult DEVS, vt pecces: nam prohibet: tamen ſi peccaueris, non putes, hominem feciſſe, quod voluit, & DEO accidiſſe, quod noluit. Sicut enim vult, vt homo non peccet, ita vult peccanti parce-

parcere, vt reuertatur, & viuat: ita vult poſtremo in peccato perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat. Ita quicquid elegeris, omnipontenti non deerit, vnde ſuam de te compleat voluntatem. *Sic ergo homo qui benefacere & amantem Dei voluntatem contempſerit, iuſtam & vindicantem voluntatem Dei nunquam effugiet. Prou. 1. v. 24. Iſa. 65. v. 12.* Sumus in poteſtate Dei, ſicut lutum in manu figuli. *Iſai. 45. v. 9.* Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ. Nunquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt. *Ierem. 18. v. 6.* Ecce ſicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. *Rom. 9. v. 20. 21.* Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Nam vt ait Salomon Sap. 15. v. 7.* Horum vaſorum quis ſit vſus, iudex eſt figulus. *Quare ergo vis teipſum formare, & non Deo formandũ tradere? Et quidem ſi te totum ad Dei fingentis figurantiſque manum accommodaueris, faciet te vas miſericordiæ, vas in honorem, vas præparatum in gloriam. Si verò te ipſius manui ſubtraxeris, permittet te fieri vas iræ & vindicis iuſtitiæ, vas in contumeliam, vas aptatum in interitum, vt ad Rom. 9. & 2. Tim. 2. loquitur Apoſtolus:* Quid odit, aut punit Deus, *ait S. Bern. ſer. 3. de Reſurr. Domini,* præter propriam voluntatem? Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit. In quẽ enim ignis ille deſæuiet niſi in propriam voluntatem? *Vtinam velut iumentum, quod nihil ſuo impetu facit, ſed ita ſe mouet, vt ab hero & ſeſſore ſuo moueatur, me præſtem tibi Deus meus: ſic enim conſtanter in amicitia tua perſeuerabo, & tu tanquam amantiſſimus Pater tenerrimum & imbecillum filiolum ſuum, prouidentia tua manu prehendens, & per iuſtitiæ ſemitam*

tam deduces ad ſempiternum & beatiſſimum regnum tuum. Talis erat vir ſecundum cor tuum, vnde & dicebat Pſal. 72. *v.* 23. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.

CAPVT VIII.

QVOMODO VOCE S. TRINITAS laudetur.

QVoniam hactenus docuimus, mente & voluntate honoranda vt ſit & laudanda Beatiſſima Trinitas, nunc explicandum venit, quo pacto & voce à nobis celebranda ſit, exemplo Regij Vatis, qui ait Pſal. 50. *v.* 17. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. *Pſal.* 34. *v.* 28. Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. *Pſal.* 70. *v.* 8. Repleatur os meũ laude, vt cantem gloriam tuam tota die laudem tuam. *& v.* 15. Os meum annunciabit iuſtitiam tuam tota die ſalutare tuum.

Et quidem voce præcellentiſſimam dilaudemus Triadem, cum quas de ea notiones animo formauimus, & cum pias, quas de eadem affectiones voluntate parturiuimus, verbis in lucem, ac aliorum notitiam, & aures efferimus, de quibus cap. 1. 2. 3. 4. 5. *actum ſatis.*

Cum fidem Summæ Trinitatis, quâ corde credimus ad iuſtitiam, ore confitemur ad ſalutem, *Rom.* 10. *v.* 10. *Quod quantopere diuino Numini placeat, ſatis oſtendit Saluator Matth.* 10. *v.* 32. Omnis, *ait*, qui confitebitur me coram hominibus, cõfitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt, *Hæc enim diuina Trinitatis in rerum perſpicien-*

tia ſapientiam, in affirmatione veritatem, in præſtando potentiam commendamus.

1. *Cum ſpem noſtram in Beatiſſ. Triadem excitatam verbis teſtamur, & prædicamus eius benignitatem & miſericordiam, eius in Chriſti donatione, nobis felicitatem merentis, caritatem, eius in puritate conſcientiæ, per S. Spiritus gratiam tributa, bonitatem.*

2. *Cum Beatiſſ. Trinitatis caritatem ſermone noſtro in aliis excitamus, immenſam illius bonitatem, præſtãtiam, pulchritudinem, ſuauitatem, & erga nos beneficentiam extollendo.*

3. *Cum alios ad præcellentiſſimæ Triadis cultum exhortamur, cum S. Dauide, qui ait Pſal.* 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. *Et Pſal.* 94. *v.* 1. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, *&c.*

4. *Cum alios fidem religionemq; ſuper omnia benedictæ Trinitatis docemus: Vt Dauid in perſona Chriſti Pſ.* 21. *v.* 23. *Heb.* 2. *v.* 12. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.

5. *Cum diuinas laudes decãtamus, Pſ.* 68. *v.* 31. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. *Pſal.* 94. *v.* 1. in pſalmis iubilemus ei. *Eph.* 5. *v.* 29. Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.

6. *Cum conceptis Altiſſimæ Trinitati verbis votum nuncupamus. Pſal.* 65. *v.* 13. 14. Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ deſtruxerunt labia mea, & locutum eſt os meũ in tribulatione mea, *id eſt: Ingrediar Domine ſanctam ædem tuam, ibique offeram tibi holocauſta, ſiue ſacrificia in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, quæ ſacrificia cum vehementer affligerer, & ope atque auxilio indigerem, diſtinctè promiſi.*

7. *Cum pia colloquia ad Auguſtiſſ. Trinitatis laudem inſtitui-*

inſtituimus, 1. *Petr.* 4. v. 11. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.

8. *Cum percepta à B. Trinitate beneficia aliis commemoramus, Pſal.* 65. v. 15. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamaui (*petens ipſius beneficia*) & exaltaui ſub lingua mea, *id eſt, laudaui Deum meum, & pro acceptis beneficiis gratias egi.*

9. *Cum licitè per Deum ſiue S. Trinitatem iuramus, eamque in veritatis teſtem adhibemus, quando aliter fidem facere non poſſumus, & ſic ad diuinum teſtimoniũ & opem confugimus. Liciti iuramenti ratio præſcribitur, Ierem.* 4. v. 2. Iurabis, viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia. *Debet iuramentum coniunctum eſſe cum veritate, & iuſtitia, & iudicio, vt res vera ſit & certa, nec dubia, res etiam iuſta & licita, res non futilis, ſed grauis, quæ iuramento confirmatur, & tunc fiat cum debitâ diſcretione & reuerentia.*

10. *Cum Beatiſſ. Trinitati preces adhibemus, legendo de ea corollam, Litanias, in honorem ipſius, dicendo ter Pater, & Aue, hymnum Te Deum laudamus, & id genus alia.*

Benedicamus & laudemus te omni tempore, & quantum humana ſinit fragilitas aſſiduè, ô Beatiſſima Trinitas, Deus noſter, & omne bonum noſtrum.

* * *

CAP.

Capvt IX

Psalmvs 144. *Explanatvr.*

Illuſtre Sanctiſſimam Trinitatem Deum noſtrum voce laudãdi exemplar eſt Pſalmus 144. *in quo Dauid Deum laudibus ornat:* 1. *propter naturã præſtantiam* v. 3. 2. *propter admirabilia ipſius opera* v. 4. 3. *propter eximias ipſius Regni conditiones*, v. 10. 4. *propter vere regias in ipſo virtutes*, v. 14. *Pſalmi verba, & eius Paraphraſin, maioris lucis & iucunditatis cauſa ſubiiciemus.*

Verſus 1. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. *O Deus, qui amore & obſeruantia meus, & poteſtate omnium rerũ Rex & moderator es, te eſſentia tua altiſsimum, meis etiam laudibus exaltabo, vt altiſſimus, magnitudine, gloria, ſanctitate, potentia, ſapientia, bonitate, immenſitate, infinitate, ſiimiliter ab omnibus habearis, & prædiceris, & laudabo nomen tuũ, hoc eſt, teipſum, in omni æternitate.*

Verſ. 2. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculũ ſæculi. (*S. Hierony. & Auguſtin. in æternum & vltra*) *Et vt huius laudationis deſiderium meum aliis indicem, repeto, quod ante dixi: Per ſingulos dies, perpetuò, & tam in aduerſis, quàm proſperis, dum hîc vixero, te celebrabo, & poſtea in cœleſti patria nunquam à laudibus tuis ceſſabo, quid enim rectius fecerim?*

Verſ. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. *S. Hieronymus:* Et magnificentiæ eius non eſt inuentio, *Et meritiſsimè id quidem, ac ſummo iure: nam Dominus magnus eſt natura ſua, quæ eſt latitudine immenſa, longitudine æterna, ſublimitate altiſsima, profunditate incompre-*

comprehenſibilis. S. Bern. lib. 5. de Conſid. in fine: Diuina, *inquit*, eſſentia res vna cum ſit, eſt tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter caritatem, ſublimitas propter maieſtatem, profunditas propter ſapientiam. *S. Greg.* 11. *Mor. c.* 10. *&* 11. *in illud Iobi* 11. *v.* 8. *&* 9. Excelſior cœlo eſt: & quid facies? profundior inferno: & vnde cognoſces? Longior terra menſura eius, & latior mari. Per latitudinem accipit Dei charitatem, per longitudinem, longanimitatem, per ſublimitatem incomprehenſibilitatem Dei, quâ in cœlis à Sanctis licet clariſsimè viſus nequit comprehendi, per profundum incõprehenſibilitatem iudiciorum Dei in puniendis damnatis. *Et ob hãc magnitudinem eſt laudabilis valde, & ſine modo laudabilis: quia & eius magnitudo eſt interminata & infinita. S. Hieron. in Commen.* Qui ſine fine magnus, ſine fine laudabilis. *Et S. Aug.* Noli putare eũ, cuius magnitudinis finis non eſt, ſufficienter poſſe laudare. Illius magnitudo ſine fine eſt, & tua laudatio ſine fine ſit.

Verſ. 4. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. *Etſi autẽ Domine Deus ſummopere prædicabilis ſis, propter infinitam & incõprehenſam naturæ tuæ præſtantiam, tamen non ſolus ego, ſed & vniuerſæ hominum ſibi ſuccedentiũ generationes mirabilia opera tua conſiderabunt, admirabuntur, & potentiã tuam, quæ in his elucet & cernitur, deprædicabũt.* Patres hæc nota facient filiis, *Pſ.* 77. *v.* 5. & populus, qui creabitur, laudabit te Dominũ, *Pſ.* 101. *v.* 19. *Eccli.* 42. *v.* 17. Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ cõfirmauit omnipot. Dñs ſtabiliri in gloria ſua.

Verſ. 5. Magnificentiã ſanctitatis tuę loquētur, & mirabilia tua narrabunt. *Et quidem tria operum tuorum genera omnes generationes dilaudabũnt, ob ſin-*

 gularem

dicabunt benignitatem, eſt enim Dominus paternè clemens, & miſericors, noſtras miſerias, creando, gubernãdo, iuſtificãdo tollẽs, inſuper & patiens eſt, longanimis, tard' ad irã, & perſeuerãter; & abundãter miſericors eſt.

Ver. 9. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. *S. Hier. in Comm. huius Pſ.* Miſeratione ſua omne opus quod facit, & protegit. *Quam miſericordiæ ſuæ copiam & affluẽtiam eo ipſo declarat, quod ſine rerum delectu, ſine perſonarum diſcrimine erga omnes omnino ſit benignus, & multipl ces ac variæ miſerationes eius ſuper omnes res ab ipſo conditas effundantur, extendantur, & in illis clariſſimè reſplendeant.* Ipſe Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, *Matt.* 5. *Verùm non omnibus parem miſericordiam & bonitatem impendit, ſed iis potiſſimum, qui pio puroque corde, & illum reuerentur & implorant, Pſ.* 85. Tu Domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. *Pſal.* 102. Quoniã ſecundum altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiã ſuam ſuper timentes ſe. Quomodo miſeretur pater filiorũ, miſertus eſt Dominus timentib. ſe. Miſericordia Domini ab æterno, & vſq; in æternũ ſuper timentes eũ. *Quin & miſericordia Dei ſuper omnia opera eius, quia omnib. eius excellit operib. vt hic docet S. Hilar. Deo propriũ eſt miſereri, & parcere, & omnipotentiã ſuã parcẽdo & miſerẽdo potiſſ. manifeſtat, de qua re S. Th.* 2. 2. *q.* 30. *ar.* 4.

V. 10. Cõfiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. *Itaq; laudẽt te Deus, & potẽtia, & iuſtitia, & bonitatis opera, de quib. hactenus dixi, quæ talia ſunt, vt nihil eis addi, nihil detrahi poſſit:* quia omnia in mẽſura, & numero, & põdere diſpoſuiſti. *Sap.* 11. *v.* 21. *Et quia fideles & ſancti tui tua benignitatis magis ſunt participes, & rectius Maieſt. tuã ac ſtupẽda opera cognoſcũt & expendũt, ſe ſuũq;*

ſtudium tuis dedicent laudibus, ac regnum tuum prædicatione efferant.

Verſ. 11. Gloriam regni tui dicent & potentiã tuam loquentur. *Magnificentiam regni tui, ac gloriã, tuamque omnipotentiam illuſtri laude celebrabũt, quæ gloria, & potentia regni tui in eo conſiſtit, quod cum terreni reges pauciſſimis hominibus imperent, & tenuiſſimas opes habeãt, tu omnes Angelos, homines, dæmones ſubiectos habeas, & quicquid in cœlo, terra, & mari eſt, opes tuæ ſunt, quas pro arbitratu tuo exaggerare potes. S. Hieron. in Comment. huius Pſalm.* Gloriam regni tui dicent, vt ab omnibus deſideretur, & potentiam tuam loquentur, vt ab omnibus timeatur.

Verſ. 12. Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. *Vt homines doceant, & intelligere faciant poteſtatem, ac ſplendorem, & præſtantiam excellentiſſimi regni tui, cuius comparatione nihil ſunt regna terrena: nã huius ſeculi reges ſic dominantur ſubditis, vt etiam illis ſeruiant: quia pendent ab illis, & ſine illis nihil poſſunt, ſic affluunt diuitiis, vt ſemper egeant, & cogantur à ſubditis exigere vectigalia & tributa, & adhuc plerunque obſtringantur ære alieno. At ea eſt Domine Deus amplitudo & maieſtas regni tui, vt nulli ſeruias, nullius opera indigeas, eſt tibi omnium rerum copia ſine inopia, quid enim deeſſe poteſt Omnipotenti? Reges terreni gaudent quidem honore, ſed diſcruciantur, & mira formidine, at tu Deus meus cum tranquillitate & ſecuritate regnas, nemo enim tibi nocere poteſt.*

Verſ. 13. Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. *Reges terræ breui tempore regnant, at tuum regnum æternum eſt, initio carens & fine, complectens omnia ſæcula præterita, præſentia, futura, & omnes ſibi mutuo ſuccedentes hominum generationes.*

Fidelis

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operib. ſuis. *Ad huius præſtantiſſimi regni adminiſtrationem accedunt & regiæ Dei virtutes: nam in omnibus ſuis promiſſis verax eſt, & ea conſtanter implet, & eſt ſanctus, innocens, & immaculatus, ac probus, vt nihil reprehendi poſſit, in omnibus factis ipſius.*

Verſ. 14. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos. *Neque Dominus Rex optimus more regum terrenorum afflictorum curam negligit, ſed ruentes in peccatum excipit, ſuſtentat, confirmat, ne cadant, & collapſos ſubleuat, ne intereant, modo ipſi ſuſtentari & erigi velint, ipſe enim ſemper pronus paratuſque eſt ad ſuſtinendum & ſubleuandum, Hoſeæ* 13. v. 9. Perditio tua Iſrahel, ex me tantummodo auxilium tuum, *neque vllus vnquā tenetur, ne ruat; neque è caſu ſubleuatur, niſi manu Dei. Quin etiam ſecundum corpus ſuos* Dominus *ſæpe periculis, morbis ac morti ſubducit, & cum in diſcrimen, ægrotationem aut mortis fauces inciderint, clementer liberat.*

Verſ. 15. Oculi omnium ſperant in te Domine, & tu das illorum eſcam in tempore oportuno. *Quin & ea Domine regia tua virtus eſt, qua non expilas ſubditos tuos, ſed magna liberalitate alis vt filios, proinde & omnium viuentium oculi ad te ſuſpiciunt, alimenta & vitæ ſuſtentationem præſtolātes, neque tu pro bonitate tua illorum ſpem fruſtrans, & exſpectationem, ſed conuenientem cuiuſque naturæ cibum tempore oportuno, ſecundum anni varietatem, ſecundum illorum neceſſitatem & inediam, ſecundum meritum ipſorum ſuppeditas.*

Verſ. 16. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Neque reſtricte cibaria Dei, ſed liberaliter plena, aperta, ac larga manu, & non ſolum hominem, ſed & reliquas animantes, abundanti refectione ſatias. Quod ſi aliqui premantur inopia, id*

diuitum facit vel auaritia multo plura quàm opus habent conſeruantium, vel luxus in res vanas effundentiũ, vel hominum peccata Dei benignitatem a ſe auertentiũ, vel pauperum nequitia Deo non fidentium, aut victu veſtituque congruenti non contentorum.

Verſ. 17. Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operib. ſuis. *Eſt & illa regia Domini virtus iuſtitia, ſiquidem in omnibus ſuis inſtitutis iuſtus & ſanctus eſt, nihil iniquum committens, etiamſi prouidentiæ & adminiſtrationis ipſius ratio ſæpe homines lateat.*

Verſ. 18. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. *Eſt etiã regia Dei Domini noſtri virtus, quod nulli ad ſe accedenti, atque auxilium imploranti ſui copiam non faciat, & opem non ferat, modo inuocent eũ in veritate fidei, ſpei, caritatis, attentionis & pij deſiderij, Deut.* 4. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. *Iſa.* 65. *v.* 24. Erit antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam.

Verſ. 19. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. *Eſt præterea diuini Regis virtus benignitas, quâ ſubditos precantes exaudit, & quicquid ipſum timentes oſtendere, & ipſius gratiæ & amori omnia poſthabentes poſtulauerint concedere ad ſalutem, non tamen ſemper ad voluntatem. Quanquam qui Deum piè colunt, ſe ſuaque omnia ipſius arbitratui ſubmittunt, & ideo nihil vnquam petunt.*

Verſ. 20. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. *Vltima diuini Regis virtus, eſt prouidentia, quâ iuſtos dilectores ſuos, protegit & defendit, ne illis impij noceant, vel non tantum noceant, quantũ velint, & ſi ab illis patiantur, facit vt paſ-*

vt paſſio illius non nocumentum, ſed emolumentum afferat, quia diligentibus Deum omnia cooperantur & cedunt in bonum. *Rom. 8. Omnes autem peccatores diſperdet, vel reſipiſcentibus impertiendo iuſtitiam, vel obſtinatis perpetuam irrogando pœnam.*

Verſ. 21. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini eius in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. *Proinde propter hæc omnia, id eſt, propter infinitam Dei excellentiam, propter naturæ, iuſtitiæ, ac gratiæ opera, propter regnum ipſius, & incomparabilem principatum, propter virtutes ipſius omnibus numeris & partibus abſolutiſſimas Domini laudes ſemper os meum loquetur; & digniſſimũ eſt, quod & vehementer opto & diſcupio, vt omnis caro, omnis homo, omne quod ſpirat, & viuit, perpetuo & ſine intermiſſione nomen ipſius, id eſt, hunc Dominum Deum noſtrum collaudet.*

CAPVT X.

QVIBVS OPERIBVS HONORANDA colendaq; ſit Beatiſſ. Trinitas.

SAnctiſſimæ Trinitati, cum ſit primum omnium rerum principium, & proinde omni perfectione abſolutiſſimum, eximius ei honor tanquam tributum, huius excellentiæ teſtimonium cum profunda noſtra ſubmiſſione, vt qui quicquid ſumus aut habemus, ab ipſa accepimus, perpetuo debetur. Teſtamur autem hanc diuinam Auguſtiſſimæ Trinitatis præſtantiam cumprimis ſacrificio, de quo Doctorum Princeps Sanctus Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei c. 4. Scriptum eſt, *inquit*, ſacrificans Diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Nam vt alia taceã, quæ pertinent ad religionis obſequiũ, quo colitur Deus, ſacrificium certè nullus hominum eſt, qui audeat dicere, deberi, niſi Deo ſoli. Multa denique de

cultu diuino vſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis: ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: Si autem eis multum additur, & adorandi. Quis verò ſacrificandū cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit? Quam porro antiquus ſit in ſacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel ſatis indicant, quorum maioris Deus reprobauit, minoris aſpexit, *Gen.4. Quod autem ſuum & proprium noui Teſtamenti ſacrificium ſit, declarat S. Cyprian. epiſt. 63. ad Cæcilium:* Quis, *inquit*, magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſc. corpus & ſanguinem. *Hoc verò ſacrificium nulli niſi Auguſtiſſimæ Trinitati offertur, quo pertinet & illa ſacrificantis Sacerdotis precatio:* Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam Paſsionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, *&c. Et in fine*: Placeat tibi Sancta Trinitas obſequiū ſeruitutis meæ, & præſta, vt hoc ſacrificium, quod oculis tuæ diuinæ Maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, ſit, te miſerante, propitiabile. Per Chriſtum Dominū noſtrū.

Hinc & S. Fulgentius li. 2. ad Monimum c. 5. Si qui, *inquit*, Catholici fideles, huius Sacramenti nunc vſque videbantur ignari, deinceps ſcire debent omne cuiuslibet honorificentiæ & ſacrificij ſalutaris obſequium, & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, hoc eſt, S. Trinitati ab Eccleſia Catholica pariter exhiberi. Neque enim præiudicium Filio vel S. Spiritui comparatur, dum ad Patris perſo-

perſonam precatio ab offerente dirigitur. Cuius conſummatio dum Filij & Spiritus S. cōplectitur nomen, oſtendit nullum eſſe in Trinitate diſcrimen. Quia dum ad ſolius Patris perſonā honoris ſermo dirigitur, bene credētis fide tota Trinitas honoratur. Et cum ad Patrem litantis deſtinatur intentio, ſacrificij munus omni Trinitati vno eodemq́; offertur litantis officio. Nos itaque dum Trinitati, quæ vnus & verus eſt Deus, vnum ſacrificium offerimus, vanis hæreticorum non moueamur obiectis. Cum ad hoc ſequendum, & robuſtiſsimè retinendum, & diuinitùs ꝓmulgatis inſtruamur oraculis, & præcedentium Sanctorum firmemur exemplis. *Hoc autem ſacrificio maximus Sanctiſſ. Trinitati honos habetur, quemadmodum teſtatur Pſal. 49. v. 23.* Sacrificium laudis honorificabit me. *Vt exponit S. Aug. lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 21. & quia ita Sanctiſſ. Trinitati proprium eſt, vt nulli creaturæ deferri poſſit.*

Sunt enim & aliæ actiones, quibus Sanctiſſ. honoramus Trinitatem, ſed quæ illi poſſunt eſſe cum aliis communes, vt genuflexio, capitis apertio, corporis inclinatio, erectio ſtatuæ, pictura, inſtitutio & obſeruatio feſti, imaginis exoſculatio, & ad oculos aut pectus admotio, oblatio primorum fructuum, decimarum, donorum ſacrorum aureorum, argēteorum largitio, vel decens vſus, cereorum accenſio, quilibet apparatus, quo diuinam teſtamur excellentiam, & id genus alia. Iſtæ enim actiones & latriæ eſſe poſſunt, vt ſoli Deo præſtentur, & eſſe poſſunt duliæ, vt etiam Angelis & ſanctis hominibus exhibeantur, aut politicæ obſeruantiæ, vt cæteris aliqua excellentia eminentibus tribuantur, quarum actionum diſcrimen ex hominis ea officia reddentis pendet exiſtimatione & iudicio: nam ſi præſtentur vt primo rerum principio, & bonorum omnium fonti, diuinus eſt cultus,

*ſi vt ſanctimonia, dignitate, ſapientia, virtute, præſtanti, humanus cultus eſt. Quo etiam modo licet Scriptura nos perſæpè commonefaciat, vt Deum adoremus, quaſi illi ſoli adoratio conueniat, vt Pſ.*65.*v.*4. Omnis terra adoret te Deus. *& Pſalm.*94.*v.*6. Venite adoremus & procidamus ante Deum. *Apoc.* 14.*v.*7. Adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum: *Tamen hanc ipſam adorationē, quæ nihil eſt aliud quàm honor externo corporis geſtu exhibitus, etiam hominibus rectè tributam legimus, Abraham Angelos, quos homines arbitrabatur,* adorauit in terram, *Geneſ.*18.*verſ.*2. *Similiter Loth* adorauit Angelos pronus in terram, *Geneſ.*19.*ver.*1. Inclinauit ſe Bethſabee, & adorauit Regem, 3.*Regum cap.*1.*verſ.*16.*& verſ.*23. Nathan Propheta adorauit Regem pronus in terram. *Itaque adoratio & externa corporis ſubmiſſio, ſi deferatur vt Deo, vt eius diuinitatem teſtemur, cultus latriæ eſt, & ſoli Deo conſentaneus, ſi vt ſancto & amico Dei eſt dulia, ſi vt ſapienti, potenti, benefactori eſt ciuilis obſeruantia. Eundem in modum Deuteronomij* 6.*verſ.*13.*& cap.*10. *verſu* 20. Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſeruies. *Et Matthæi* 4.*verſu* 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Et tum Apoſtolus Galat.* 5.*verſu* 13. Per charitatem ſpiritus, *inquit*, ſeruite inuicem. *Sic Deum amore & honore, externiſque geſtibus colimus, iiſdem & parentes, & principes, & alios colimus, ſed multum diſſimili mente ac voluntate* Deo *primi fructus decimæ dona offerantur, & quid prohibet, quin egenis, principibus, amicis, benefactoribus offerantur? At ſacrificium nulli niſi vero Deo offerri poteſt, quantumuis quiſpiam hoc immolare vt creaturæ non creatori decerneret. Quod iterum optimè docet Sanctus Auguſtinus libro* 20. *contra Fauſtum Manichæum capite* 21. Populus Chriſtianus, *inquit*, memorias martyrium religioſa ſolenni-

tatc

tate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum, aſsiſtens aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit, vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adiuuante poſſumus. *Quæ eadem & docet S. Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 27. Et ſicut ſacrificium nonniſi Sanctiſſ. offertur Trinitati, ita neque altaria, neque templa, niſi ipſi eriguntur, quatenus videlicet ad ſacrificium offerendum ſunt.* Nonne ſi alicui ſancto Angelo excellentiſsimo, *ait S. Aug. lib. 1. contra Maximinum arg.* 11. de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſeruitutem, quæ vni tantum debetur Deo. *Itaque templa & altaria, quatenus ſacrificio deſtinantur, ſoli ponuntur Deo; appellantur autem templa S. Petri, Sancti Pauli, S. Martini, S. Ignatij, vt à ſe inuicem diſtinguantur, & quod ad ſimilium Sanctorum memoriam, & interceſſionem dicata ſint, vt ibi tanquam patroni colantur. Verùm & ſacræ ædes, quas & baſilicas appellamus, quatenus ſunt conditoria, ſanctarum reliquiarum ſepulchra, & Sanctorum monumenta rectè Sanctis conduntur, & extruuntur, ſicut & altaria, quibus tamen nullo prætextu fit ſacrificium, alioquin quot millia Martyrum mortem deuitare potuiſſent, ſi non Deo ſe velle ſacrificare, vt Cæſari, vt Ioui cogitaſſent? Hinc Sanctus Auguſtinus libro 22. de Ciuitate Dei c. 10.* Nos

autem

autem martyribus noſtris, nõ templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorũ apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus.

*Denique actione noſtra perpetuo Auguſtiß. colitur Trinitas, cum omnia noſtra inſtituta, & opera ad ipſius gloriam referimus, & cum illius imploratione auſpicamur: quemadmodum nos hortatur Saluator Matth.*5. *v.*17. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificẽt Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. *Idem nos monet Apoſtolus* 1. *Cor.*10. *v.*31. Siue manducatis, *inquit*, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Et Coll.*3. *v.* 17. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti (*facite*) gratias agentes Deo & Patri per ipſum. *Maxima laudis & meriti eſt, actu ſemper cuncta noſtra opera ad Dei gloriam referre. Proximum eſt, vt virtute id fiat, cum negotium multis actionibus conficiẽdum, diuini honoris propoſito inchoatur. Extremum & minimum eſt, vt eiuſmodi ſint opera noſtra, vt apta ſint & habilia ad Sanctiſ. Trinitatis gloriam excitandam, vel amplificandam, & quod huic aduerſatur, ne vnquam committatur. Quo ſenſu dixit S. Auguſt. in Pſal.*34. Quicquid egeris, benè age, & laudaſti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die.

Sanè primi Chriſtiani, vt ſingula opera ſua actu in Deum, vt ſcopum & vltimum finem dirigerent, initio cuiuſque actionis ſe ſigno Crucis conſignabant, quaſi dicerent: Hoc opus a Deo inchoetur, ab illo perficiatur, & in illo terminetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. *S. Hieron. epiſt.*22. *ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis*: Ad omnem actum, *inquit*, ad omnem inceſſum manus pingat crucem. *Et antiquiſſimus ille ac doctiſſimus Tertullianus libr. de corona militis, traditiones non ſcriptas enumerans:*

rans: Ad omnem, *inquit*, progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas & lumina, ad cubilia & ſedilia, quæcunque nos conuerſatio exercet frontem crucis ſignaculo terimus.

AD AVGVSTISS. TRINITATEM Operis concluſio.

Benedicta ſis ô S. Trinitas, atque indiuiſa vnitas, confiteor tibi; quia feciſti mecum miſericordiam tuam, tuo inſtinctu & auſpicio hoc Opus ſuſcepi, tuo ductu & auxilio ad vmbilicum & finem perduxi, in quo quicquid rectè ac piè dictum, id tuum donum eſt, ſi quid perperam, vel minus commodè, id meum erratū, pro illo tuæ diuinæ benignitati gratias ago, pro hoc, ab æquitate tua veniam deprecor, & Romanæ S. Eccleſiæ iudicio, & cenſuræ libentiſſimè ſubmitto; quanquam de bonitate tua ductrice mea confidam, me ad nullum in fide errorem impegiſſe, ſed neque paululum inclinaſſe. Merces mea laus & gloria tua, quam vnicam vt ſcopum ſpectaui. Concede autem, & fac, ô Beatiſſima Trinitas, vt qui hæc legerint, vnà mecum in amorem, honorem, ac cultum tuum rapiantur, & vehementer inflammentur, & te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum, ac Summum bonum noſtrum æternis in terra, & in cœlo laudibus proſequantur. Te enim decet, ô præcellentiſſima Trinitas, omnis laus, omnis honor, omnis gloria, omne imperium, in ſæcula ſæculorum, Amen.

* * *

VOTVM

VOTVM
TRINO ET VNI DEO.

TRi- vne magni luminis Arbiter,
Rex Entheorum conditor orbium,
Rerumq; ſolers architecte
Aſtrigeris operoſe ſignis:
Tibi omnis vni perpete iubilo
Voluptuoſi gloria carminis
Debetur, vni Seraphinæ
Pſalma Tibi modulantur odæ:
Nam quâ refoſsis pontus hiatibus
Et hoc eſt illo vortice fluctuat,
Spumamq; ructans fert fragoſis
Imbriciter ſcopulis procellam;
Quaque euoluto planior æquore
Aer procaci panditur Aeolo,
Euroq; delaſſatus acres
Penniger anteuolat volucres:
Hac ſe tua altis Gloria niſibus
Sublata fundit, robur & arduo
Triforme nutu cuncta latè
Omnipotente ſatu profundit.
Quin aſtrilucis ignea molibus
Stellantis aulæ Curia, Numine
Gyratilis Tuo, ſub altos
Cardinibus ſinuatur axes.
Faue ô tuorum viuida mancipûm
Spes vna, mundi ſublica labidi,
Interque lethi tortuoſos
Anchora non peritura fluctus.

Vides

Vides vt Orco deditâ turbido
Quà quà furentes turbinet Hæreſis
Obſcœna tedas, Præſulemque
Effera Romuleum laceſſat.
Non luctuoſo ſordida puluere
Bellona Martem ceſſat in vltimos
Quaſſare caſus, dum cruentis
Agmina centuriat maniplis:
Nec deliquatis ebria fæcibus
Fortuna ſæuo deſinit impetu,
Morboſque, Peſtemque, & pereſâ
Fruge famem populis propinans:
Tu ſolus aulæ Rector Olympicæ
Frenare luctum ſufficis, igneâ
Si blandus æthrâ, lacrymoſo
Sidereum caput orbe tollas,
Manuque forti nubila differas,
Et Cerberinas Eumenidum faces
Mergens Auerno fulminoſis
Concutias Acherontia flammis:
Age ergo rerum Vita perennium
Rex vni-trino Numine fulgurans,
Eccleſiamque, orbemque fixâ
Eripe tot Furiis ſaburrâ.
Fac laureatas picta corollulas
Pax, arma Diti ſontica deſecret,
Metuq; pulſo, faſtuoſâ
Temperiem reuehat quadrigâ.
Romana fluctus Petra reciprocos
Non fracta frangat, diſsipet impiæ
Commenta turbæ, ac Orthodoxo
Perpetuum dominetur orbe.
Quin tot fragores inter, ad impigros
Deflecte blandus lumina Pannonas,
Primâq; cura *FERDINANDVM*
Auſtriacis tueare regnis.

Hinc

Hinc Marcomannis imperet arcibus,
Quâ Boiohemo climate regiæ
Pragam ſub altam ſtructiones
In Morauos ſpeculantur agros.
Inde Hiſtrienſem victor in Adriam,
Sclauoſque ſceptrum ſtringat,& aureâ
Hunnos ſerenans pace,viuat
Turcigenæ metuendus hoſti.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

INDEX

INDEX TESTIMONIORVM EX SACRIS LITERIS depromptorum.

Geneſis.

Cap. 1. verſ. 3. Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, pagina 329
ver. 14. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora 902
verſ. 26 Faciamus nobis hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram 92. 163. 332
cap. 2. v. 22. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt 94
c. 4. v. 1. Poſſedi hominem per Deum 188
c. 6. v. 5. 6. Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, tactus dolore cordis intrinſecus, &c. 47
c. 15. v. 1. Noli timere Abram: ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis 802
c. 17. v. 1. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me & eſto perfectus 799
c. 18. v. 27. Loquar ad Dominũ cum ſim puluis & cinis 41
cap. 19. v. 24. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo 95
c. 22. v. 18. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes 296
c. 25. v. 21. Deprecatus eſt Iſaac pro vxore ſua, eò quod eſſet ſterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ 188
c. 30. v. 1. Cernens autem Rachel quod infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar 188
c. 32. v. 30. Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt a-

nima mea 633
c.35.v.11.*Ego Dominus omnipotens creſce & multiplicare* 799
c.45.v.8. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum* 69
c.49.v.10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium* 292
c.50.v.19. *Nũ Dei reſiſtere poſſumus voluntati?* 71
v.20. *Vos cogitaſtis de me malũ: ſed vertit illud Deus in bonũ, vt exaltaret me ſicut in præſentiarum cernitis, & ſaluos faceret populos multos* 72

Exodus

Cap.3.v.6. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob,* 95.v.14.15. *Ego ſum, qui ſum: Sic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me* 34.59
c.4.v.11.12. *Quis fecit os hominis? perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboq; te, quid loquaris* 391
c.9.v.14. *Vt ſcias, quod non ſit ſimilis mei in omni terra* 174
c.10.v.22.23. *Factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus,* *Nemo vidit fratrẽ ſuũ* 356
c.12.v.46. *Os illius non confringetis* 295
c.13.v.21. *Dominus præcedebat eos ad oſtendẽdam viam per diẽ in columna nubis, vt dux eſſet itineris vtroq; tẽpore* 386
c.14.v.15 *Decantauerunt Domine nomen ſanctum tuum & victricem manum tuam laudauerunt pariter* 391
c.15.v.3. *Dominus quaſi vir pugnator omnip. nom. eius* 382
v.11. *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine quis ſimilis tui* 174
c.16.v.10. *Ecce gloria Dei apparuit in nube* 116
c.19.v.9. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis* 116
c.20.v.2. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de &c.* 273.388
v.5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatẽ patrũ in filios in tertiam & quartam, &c.* 800
v.11. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt* 374
c.23.v.4. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum* 944
v.14. *Tribus vicibus per ſingulos annos*

annosmihi feſta celebrab.953
c.32.v 34.Ego in die vltionis vi ſitabo & hoc peccatū, &c.831
c.33.v.13.Oſten te mihi faciem tuam vt ſciam te 635
v.19. Egō oſtendam tibi omne bonum 59
v.20. Non poteris videre faciē meam,nō n videbit me, &c. 635
v.23.Videbis poſteriora mea:faciē autē meā vidīre, &c. ibi.
c.34.v.5.Cum deſcendiſſet Dominus per nubē ſtetit Moyſes cum eo,inuocans, &c. 116
v.6.7.Dominator Domine Deus miſericors & clemens,patiēs, multa miſericordiæ, & verax,qui cuſtodis,&c. 9

Leuiticus

c.20.v.23.Cuſtodite leges meas atq; iudicia, & facite ea 308
c.22.ver.33. Ego Dominus,qui ſanctifico vos 286.420
c.26.v.11.12.Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea,ambulabo, &c. 428

Numerorum

Cap.6.v.23.Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere Aaron & filiis eius: ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis 692
c.11.v.23.Nunquid manus Domini inualida. &? 799
v.25.Deſcendit Dominus per nubem, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, &c. 549
c.12.v.6.Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad illum 633
c.21.v.4.Et tædere cæpit populū itineris ac laboris, locutuſq; eſt contra Deum &c. 267

Deuteronomius

Cap.4.v.7.Non eſt alia natio tā grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris 672
v.35.Dominus ipſe eſt Deus,& non eſt alius præter eum 1
v.39.Scito ergo hodie & cogitato in corde tuo,quod Dominus ipſe ſit Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum, &c. 1
c.5.v.29.Quis det talem eos habere mentē,vt timeant 979
c.6.v.4.Audi Iſrael, Dominus Deus noſter,Dom.&c.1. 95
v.13.Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſeruies 282.689
v.15.Dominū Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies 311
v.25.Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,&c. 689

Cap. 9. v. 23. 24. Contempſiſtis imperium Domini Dei veſtri & non credidiſtis ei, neq; vocem eius audire voluiſtis 388
Cap. 10. v. 20. Dominum Deum tuum timebis, & ei ſeruies, ipſi adhærebis, iurabiſque in nomine illius 311
c. 13. v. 4. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite 309. 689. 980
c. 22. v. 1. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo 944
c. 32. v. 5. 6. Generatio praua atque peruerſa, haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens, &c. 85. 182
v. 35. Mea eſt vltio, & ego retribuam 801
v. 37. Vbi ſunt dij eorũ, in quibus habebant fiduciam? 973
v. 39. Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me 798. 980
v. 40. Viuo ego in æternum 281

Ioſue

Cap. 24. v. 24. Nunc ergo timete Dominum, & ſeruite ei corde perfecto atque veriſſimo 309

Regum 1.

Cap. 2. v. 2. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter 19
v. 3. Deus ſcientiarum Dominus eſt 65
v 30. Qui contemnunt me, erunt ignobiles 696
c. 3. v. 18. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat 73
c. 10. v. 6. Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alterum 596
c. 14. v. 6. Non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis 75
v. 20. Seruite Domino in omni corde veſtro. Et nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt 311
v. 24. Igitur timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro 312
c. 16. v. 7. Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor 66
v. 13. Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, &c. 550

Regum 2.

Cap. 7. v. 22. *Idcirco magnificatus es Domine: quia non eſt ſimilis tui* 20.174
c. 10. ver. 12. *Dominus faciat, quod bonum eſt in conſpectu ſuo* 73.996
c. 15 v. 26. *Si dixerit mihi Dominus: nō places, praſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe* 73.996
c. 23. v. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam* 253

Regum 3.

Cap. 8 v. 23. *Domine Deus Iſrahel, non eſt ſimilis tui Deus in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum* 1
v. 27. *Cœli cœlorum capere te non poſſunt, quanto minus domus hæc?* 281
c. 17. ver. 21 *Expandit ſe ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, &c.* 299

Regum 4.

Cap. 4. v. 33. *Ingreſſus clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad Dominū* 299

Paralipomenon 1.

Cp. 17. v. 20. *Domine non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſque te* 60
c. 28. v. 9. *Tu autem Salomon fili mi, ſcito, Deum Patris tui & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario* 287. 372
c. 29. v. 11. *Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, atq; victoria, & tibi laus, &c.* 10

Paralipomenon 2.

Cap. 6. ver. 18. *Cœlum & cœli cœlorum non te capiunt* 42
v. 20. *Redde vnicuique ſecundū vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo, tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum* 377
c. 16. v. 9. *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram* 65

Tobiæ

Cap. 3. v. 26. *Mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia* 584
c. 12. v. 6. *Benedicite Deum cœli & coram omnibus viuentibus confitemini illi, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam* 821
v. 7. *Opera Dei reuelare & confiteri, honorificum eſt* 913
v. 18. *Cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram, ipſum*

benedicite 69

c.13.v.4. Confitemini Domino filij Iſrael & in conſpectu gentium laudate eum: quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant Deum, vt vos enarretis mirabilia eius 382

v.9.10. Ego & anima mea in Deo lætabimur. Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, &c. 467

Iudith

C.15.v.10 Tu gloria Ieruſalē, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, &c. 866

Eſther

Cap. 13.v.9. Domine, Domine Rex Omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & nō eſt, qui tuæ reſiſtere poſſit voluntati 71.602.973

c.14.v.14. Domine, qui habes omnem ſcientiam 65

Iob

Cap.1.v.6. Cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, aſſtitit etiam inter eos Satan 229

c.5.v.6. Nihil in terra ſine cauſa fit 77

c.8.v.9. Heſterni ſumus & ignoramus, quoniā ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram 43

c.10.v.9.10.11. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum, &c. 189

c.11.v.7.8.9. Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum omnipotentem reperies, &c 24

c.12.v.7. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi 945

v.13. Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam 905

c.14.v.1. Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, &c. 42.386

c.15.v.26. Cucurrit impius aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt 48

c.19.v.25.26. Scio quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. 254

c.21.v.22. Nunquid Deum docebit quiſpiam ſapientiam, qui excelſos iudicat? 65

c.25.v.3. Nunquid eſt numerus militum eius? 895

v.6. Homo putredo, & filius hominis vermis 44.354
c.28. v. 13. Neſcit homo huius diuinæ ſapientiæ pretium 449
v.24. Ipſe fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt, reſpi it 65
c.33 v.4. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me 99.676
c.34. v. 21.22. Oculi eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Nō ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem 65
c.35. v. 6. 7. 8. Si peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, &c. 47
c.36. v.26. Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul 16
v.37. Concentum cœli quis dormire faciet? 822
c.38. v.7. Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei 229 882
v.28.29. Quis eſt pluuiæ Pater? aut quis genuit ſtillas roris? de cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit? 186
v.41. Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum? 927
c.39. v. 30. Vbicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt aquila 922
c.42. v.2. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio 66.287

Pſalmi

Pſal.2. v.4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos 48
v.7. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te 195.249
v.12. Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus, & percatis de via iuſta 309
Pſal.4. v.5. Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini 333
Pſal. 5. v.3. Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus 253
Pſal. 6. v.6. In inferno quis cōfitebitur tibi? 215

Pſalm.7.v.10.Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum ſcrutans corda, & renes Deus 172
v.18. Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius 215
Pſal.8.v.3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem 391
Pſal.9.v.6. Dixit in corde ſuo: nō mouebor in æternum 333
Pſal.15.v.11. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem 295
Pſal.17.v.32. Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum? 2
Pſal.21.v.13. Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te 247
v.28. Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius 296
Pſ.22.v.1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit 77
Pſal.23.ver.3. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius 654
v.7. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ 295
Pſal.24 v.5. Tu es Deus Saluator meus 351
v.12.13 Quis eſt homo, qui timet Dominum, legem ſtatuit ei, in via, quam elegit, anima eius in bonis demorabitur 449
Pſal 2 .v.1. Iudi a me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum 807
v.4. Non ſedi cum concilio vanitatis & cum iniqua agentibus non introibo 807
Pſal.26.v.20. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me 929
Pſal.30.v.20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te 466.470
Pſ.32.v.6. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum? 97 329
v.8. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem 309
Pſal.33.v.1. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper

per

per laus eius in ore meo 271 654
verſ.4. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum 655
v.6. Accedite ad eum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur 666
Pſal.34.v.10. Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi 60.465.655
v.18. Confitebor tibi in Eccleſia magna 216
Pſal.35.v.6. Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes 105
v.8. Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus 78
v.9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ 479
v.10. In lumine tuo videbimus lumen 99
Pſalm.37.v.10. Quoniam ante te eſt omne deſiderium meũ, & gemitus meus à te non eſt abſconditus 66
Pſal.38.v.6. Vniuerſa vanitas omnis homo viuens 42
Pſal.40.v.10. Etenim homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem 293
Pſal 44.v.8. Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis 111.576
Pſalm, 46.v.3. Magnus Deus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus 280
Pſal.49.v.11. Pulchritudo agri [illegible]um eſt 60
v.15. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me 218
verſ.16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuũ? 279
v.24. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei. 216
Pſal.50.v.9. Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor 424
v.15. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuũ ne auferas à me 544
Pſal.54.v.18. Veſperi & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudies vocem meam 953

v.23. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iuſto* 77

Pſalm. 66. *v.* 8. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ* 98

Pſal. 67. *v.* 19. *Aſcendiſti in altum cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus* 295

Pſal. 68. *v.* 22. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto* 295

v.25. *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos* 296

Pſal. 71. *v.* 18 *Benedictus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus* 298 679

Pſal. 72. *v.* 25. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? pag.* 481. 524. 763

Pſal. 74. *verſ.* 2. *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo* 801

Pſalm. 75. *v.* 2. *Notus in Iudæa Deus, in Iſrahel magnum nomen eius* 458

Pſal. 77. *v.* 39. *Caro & ſpiritus vadens & non rediens* 44

Pſal. 81 *verſ.* 6. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* 227

Pſalm. 82. *v.* 19. *Et cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra* 60

Pſal. 83. *v.* 3. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum* 469

v. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te, pag.* 643

v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus* 304

Pſal. 85. *v.* 2. *Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum* 856

v. 8. *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine, & non eſt ſecundũ opera tua* 31. 212

v. 10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus* 2. 298

Pſal. 88. *v.* 6. 7. 8. 9. *Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum, &c.* 20

Pſal. 89. *v.* 2. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo, & vſque*

vſque in ſæculum tu es Deus 43

Pſal. 91. ver. 4. 5. 6. Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo, &cæt. 482. 913

v. 9. Tu altiſſimus in æternum Domine 60

Pſal 93. v. 7. 8 9. 10. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, &c. 20. 60

v. 12. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum 449

Pſal. 94. v. 6. Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos 215

Pſalm. 95. v. 4. Quoniam omnes Dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit 285

Pſal. 101. v. 25. 26. 27. 28. In generationem anni tui. Initio tu Domine terram fundaſti, &c. 41. 43. 282

Pſalm. 102. ver. 13. Quomodo pater miſeretur filiorum, miſertus eſt Dominus timētibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum 210

v. 20. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius 819

Pſal. 103. v. 24. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua 895

v. 27. Omnia à te exſpectant, vt des illis eſcam in tempore 33

Pſal. 105. v. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus 281

ver. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? 649

Pſalm. 109. v. 3. Ex vtero ante Luciferū genui te 195. 249. 320

v. 4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &cæt. 350

Pſalm. 118. verſ. 2. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo 449

Pſal. 120. v. 4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael 919

Pſ. 131. v. 1. Quā bonum, & quā iucun-

iucundum habitare fratres in vnum 482

Pſal.134.v.6. Omnia quæcunque Dominus voluit, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſsis 69

Pſal.135.v.1.2.3. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. 659

Pſal.138.v.1.2.3.4.5. Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeßionem meam, &c. 67

v.17. Mihi nimis honorati ſunt amici tui Deus 659

Pſalm.142.v.10. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam 382.498

Pſal.143.v.4. Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt 42

Pſal.144. per totum 108. & ſeqq.

Pſal.147.v.9. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael 15

Pſal.148.v.1. Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis 819

v.5. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt 75.329

Prouerbia.

Cap.1.v.24. ad 32. Quia vocaui, & renuiſtis, &c. ego quoq; in interitu veſtro gaudebo, & ſubſannabo 48.72

c.3.v.19. Dominus ſapiẽtia fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia 69.108

c.5.v.21. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius dinumerat 65.979

c.8.v.17. Ego diligentes me diligo 212.515

v.23.24.25. Dominus poſſedit me initio viarum ſuarũ, antequam quicquam faceret à principio, &c. 285

v.29. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens 285

v.30. Et delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tẽpore 108

c.10.v.1. Filius ſapiens lætificat patrem 222.243

v.12. Vniuerſa delicta operit caritas 5.13

cap.15.v.3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos 45

c.16.v.9. Cor hominis diſponit viam ſuam ſed Domini, eſt dirigere greſſus eius 290

v.33.

v.33. Sortes mittuntur in ſinũ, ſed à Domino temperantur 79

c.17.v.6. Gloria filiorum patres eorum 219.866

c.18.v.1. Quærit occaſiones,qui vult recedere ab amico 757

v.3. Nõ recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris, quæ verſantur in corde eius 622

c.19.v.21. Multæ cogitationes in corde viri,voluntas autem Domini permanebit 69

c.21.v.15. Gaudium iuſto eſt facere iudicium 475

c.22.v.1. Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, ſuper aurum & argentum gratia bona 804

v.6. Adoleſcens iuxta viam ſuã, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea 622

c.24.v.12. Scrutatorem animæ tuæ nihil fallit 66

c.30.v.4. Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod nomẽ eſt eius? & quod nomen filij eius ſi noſti? 180.321

ver.24. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus,&c. 905

v.30. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum 900

Eccleſiaſtes.

Cap.5.v.5. Ne dicas coram Angelo. Non eſt prouidentia, ne forte iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum 81

c.8.v.11. Etenim quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala 354

c.17.v.28. Quam magna miſericordia Domini;& propitiatio illius conuertentibus ad ſe 210

Canticum Canticorum.

Cap.1.v.1. Oſculetur me oſculo oris ſui 490

c.2.v.3. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo 477

v.5.6. Fulcite me floribus,ſtipate me malis, quia amore langueo,&c. 477

c.3.v.5. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas ceruoſque camporum,ne ſuſcitetis,neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit 479

c.4.v.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te 428

c.5.v.

c.5.v.1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi* 479

v.6. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt* 477

v.8. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meũ, vt nuncietis ei, quia amore langueo* 473

c.8.v.6.7. *Lampades eius lampades ignis & flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, &c.* 524

Liber Sapientiæ.

Cap.1.v.3. *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo. Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia* 563

v.5. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu* 543

v.6. *Benignus eſt ſpiritus ſapiẽtiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus* 377

v.7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiã habet vocis* 375.685

c.4.v.8.9.10.11. *Propoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, &c.* 53

c.6.v.8. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter illi cura eſt de omnib.* 78.977

c.7.v.16. *In manu illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia, & diſciplina* 81.977

v.27. *In ſeipſa manens innouat omnia* 41.561

c.9.v.10. *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecũ laboret, vt ſciam, quid acceptum ſit apud te* 561

v.13. *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus* 596

v.14. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ* 290

c.10.v.10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi ſcientiã Sanctor.* 500

c.11.v.11. *Sine illius voluntate nihil permanet, & ſine illius imperio nihil conſeruatur* 286

v.21. *Omnia in menſura & numero*

mero & pondere diſpoſuiſti 919

v.21. Multum valere tibi ſoli ſuperat ſemper & virtuti brachij tui quis reſiſtet? 973

v.22. Quoniam tanquã momẽtum ſtateræ eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram 658

v.25. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti 937

v.26. Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? 70. 375

c.12.v.1. O quam bonus & ſuauis eſt Domine Spritus tuus in omnibus 382.465

v.13. Non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus 2

c.13.v.5. A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri 17

v.9. Si enim tantum potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo huius dominum non facilius inuenerunt? 17

c.15.v.7. Horum vaſorum quis ſit vſus, iudex eſt figulus 1004

c.16.v.14. Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem 979

c.17.v.10. Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium cõdemnationis, ſemper enim præſumit ſæua perturbata cõſcientia 623

c.71.v.23. Eſt ſpiritus intelligentiæ ſanctus omnem habens virtutem 382

Eccleſiaſticus

Cap.1 ver.8. Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis 760

c.2.v.9. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia 485

c.3.v.3. Deus honorauit patrẽ in filiis 222

v.8. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt 226

v.13. Gloria hominis ex honore patris ſui 219.866

v.20. Quanto magnus es, humilia te in omnib. & corã Deo inuenies &c. 656

c.6.v.16. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inueniunt illum 482

c.7.v.25. Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum 941

c.11.v.30. Ante mortem ne laudes hominem quenquam, quia in filiis ſuis cognoſcitur vir 243

c.13.v.1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui cõmunicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam 622

v.19. Omne animal diligit ſibi ſimile, & omnis homo proximum ſibi 942

c.17.v.6.7. Poſuit oculum ſuũ ſuper corda illorum, oſtendere illi magnalia operum ſuorum 878

v.10. Creauit Deus homines, vt nomen ſanctificationis eius collaudent, & glorientur in mirabilibus illius 664

c.22.v.3. Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato 243

c.23.verſ.28.29. Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominũ, &c. 67

c.24.v.5. Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam 321

ver.27. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum 473

c.30.v.16. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium 466

c.32.v.17. Benedicito Deum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis 479

c.38.v.16. Secundum iudiciũ contege corpus mortui, & nõ deſpicias ſepulturam illius 942

c.39.v.8. Si Dominus magnus voluerit ſpiritu intelligentiæ replebit illum 69

v.41. Et nunc in omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini 650

c.41.v.15. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quã mille theſauri pretioſi & magni, 804

c.42.v.20. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab illo omnis ſermo 287

c.43.v.32. Glorificantes Dominum

num quantumcunque pote-ritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius 649

c.47.v.9. In omni opere dedit confeſsionem ſancto & excelſo in verbo gloriæ 650

c.51.v.14. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei 254. 321

Iſaias.

Cap.1. ver.2. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me 85.182.127

v.18. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum quaſi nix dealbabuntur 424

c.4. v.4. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit, de medio eius in ſpiritu iudicij & ſpiritu ardoris 376. 424

c.7.v.14. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel 292.377

c.9.v.6. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. 254

c.11.v.1.2. Et egredietur virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet, &c 111

v.10. Erit radix Ieſſe, & qui exſurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt 307

c.25.v.3. Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem. 948

c.30 v.20.21. Non faciet Dominus auolare te vltra doctorem & oculi tui videntes præceptorem tuum, &c. 111

c.35.v.4.5.6. Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum, &c. 254. 286. 292

c.38. ver 2.3. Obſecro Domine, memento quaſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate 805

c.40 v.11. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos & in ſinu ſuo leuabit fœtus, ipſe portabit 477

v.12. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? 11

v.17. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo 432. 657

v.25. Et cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus? 174

v.26. Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte; quis creauit hæc? &c. 11.17
v.28. Nunquid neſcis, aut non vidiſti? Deus ſempiternus Dominus, &c. 11.43
c.41. v.1. Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum 802
v.23. Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos 290.377
c.42. v.1. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, cõplacuit ſibi in eo anima mea, &c. 111
v.2. Cum tranſieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te, &c. 740
v.5. Qui ſtabiliuit terram, & quæ in ea ſunt, deditque ſpiritum populo, qui eſt ſuper illum 563
c.43. v.6. Dicam Aquiloni, da: & Auſtro, noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ 227
v.7. Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meã creaui eum, formaui eum, & feci eum 664
v.10. Ego ipſe ſum, ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit 798
v.11. Ego ſum Dominus, & abſque me nõ eſt Saluator. 260. 802
v.25. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me 303
c.44. v.3. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam 588
v.4. Ego ſum Dominus extendens cœlos ſolus ſtabiliens terram & nullus mecum. 259
v.6. Ego primus & nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus, quis ſimilis mei? 798
c.45. v.5. Ego Dominus, & nõ eſt amplius: extra me non eſt Deus 2
v.6. Ego Dominus, & non eſt alter 2
v.14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, &c. 254
v.18. Ego Dominus, & non eſt alius 2
v.19. Non dixi ſemini Iacob: fruſtra quærite me 802
v.21. Nunquid non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque

abſque me? &c. 2.160
v.22. Conuertimini & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius 2
c.46. v.5. Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? 60.174
v.10. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet 71
c.48. v.12. Audite me Iacob & Iſrahel, quem ego voco, ego ipſe, ego primus & ego nouiſſimus, &c. 108
v.16. Antequam fieret, ibi eram: Et nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius 383
v.17. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas 449
c.49. v.4. Inuanum laboraui ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi 623
v.6. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcipiendas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas, &c. 296
v.15. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui 938
c.52. v.5. 6. Dicit Dominus: iugiter tota die nomen meum blaſphematur, propter hoc ſciet populus meus nomen meum, &c. 255
c.53. v.7. Tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit 349
v.8. Generationem eius quis enarrabit? 321
v.11. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit 304
c.58. v.11. Requiem tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, &c. 449
c.59. v.7. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem innocentem 540
c.61. v.1. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, &c. 292 350.559
v.10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo quia induit me veſtimentis, &c. 469
c.63. v.10. Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt & affli-

xerunt Spiritum Sanctum eius, & conuerſus eſt eis in inimicum 47.388
v.15. Attende de cœlo, & vide de habitaculo ſancto, & gloriæ tuæ, vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua? &c. 183
c.65. v.12. Vocaui & non reſpondiſtis, locutus ſum, & nõ audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis 72
c.66. v.1. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedũ meorum 42.685.802
v.2. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? 549
v.9. Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam? ſi ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero? 20
v.12.13. Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis: Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos 476.938

Ieremias

c.2. v.12.13. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc & portæ eius deſolamini, &c. 54
c.3. v.19. Ego autem dixi, quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem, hæreditatem præclaram, &c. 477
c.4. v.2. Et iurabis: Viuit Dominus in veritate & in iudicio, & in iuſtitia 311
c.9. v.23. Qui gloriatur, in hoc glorietur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus 219
c.10. v.11. Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra, & de ſub cœlo 285
c.11. v.7. Ego tanquam agnus manſuetus, qui portatur ad victimam 349
v.20. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſte, & probas renes & corda 289
c.14. v.16. Effundam ſuper eos malum ſuum 48
c.17. v.7. Benedictus vir, qui cõfidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius 307
v.10. Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile quis cognoſcet illud? 66.801
c.18. v.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei 625
c.20. v.13. Et tu Domine exercituum,

cituum, probator iuſti, qui vides renes & cor 289

c.23.v.5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, &c. 255.347

v.24. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus 42.28:.381.802

v.29. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis? 612

c.26.v.12.13. Dominus miſit me, vt prophetarem ad domum iſtam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audiſtis, &c. 625

c.31.v 9. Factus ſum Iſraeli Pater: & Ephraim primogenitus meus 234

c.32.v.17. Heu, heu, heu, Domine Deus, ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum 75.374.895

v.19. Domine Deus cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam: vt reddat vnicuique ſecundum vias ſuas 66

c.33.v.8. Propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerũt mihi, & ſpreuerunt me 47

Baruch

Cap.3.v.25. Magnus eſt, & nõ habet finem, excelſus & immenſus 41

v.34. Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, &c. 897

v.36. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum 53.255.292

v.38. Hic enim eſt Deus noſter, qui in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt 346

Ezechiel

Cap.8.v.8. Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete per circuitum 539

c.18.v.23. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij? dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat 622

v.30. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas 621

c.20.ver.27. *Blaſphemauerunt me pa res veſtri, cum ſpreuiſſent me contemnentes* 47
c.33. v.11. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij. ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viu t* 621
v.14. *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur* 615
c.36.v.25.26.27. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnib. inquinamentis veſtris, &c.* 422.427.588
c.37.v.28. *Scient gentes, quia ego Dominus ſanctificator Iſrael* 420
c.39.v.29. *Non abſcondam vltra faciem meam ab eis, eò quod effuderim ſpiritũ meũ ſuper omnem domum Iſrael* 588

Daniel

Cap. :. v.58. *Benedicite Angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula* 820
v.92. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei* 230
c.6.v.26. *Ipſe eſt Deus viuens & æternus in ſæcula* 281
c.7.v.9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda.* 623
v.10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebãt ei* 896

Oſeas

Cap. 1. v. 9. *Et erit in loco vbi dicetur eis: non populus meus vos, dicetur eis: Filij Dei viuentis* 227
c.4.v.1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem cõcitauit Deum ſuum* 47
v.11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor* 622
c.5. v.4. *Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Dominum: quia ſpiritus fornicationũ in medio eor.* 622
c.6.v.3. *Viuificabit nos poſt duos dies, & in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius* 295.684
v.6. *Miſericordiam magis volo quam ſacrificium* 985
c. 13. v. 4. *Ego ſum Dominus*

Deus & Saluator non eſt præter me 260.286.802
v.9. *Perditio tua Iſrael, tantũmodo in me auxilium tuum* 72

Ioel

Cap.2.v.28. *Effundam ſpiritũ meum ſuper omnem carnem* 296.588
v.32. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, 312

Amos

Cap.3.v.2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ* 304
c.4 v.13. *Ecce ego firmans montes, & creans ſpiritum* 365.593
c.5.v.4. *Quærite me, & viuetis* 802

Ionas

Cap.3.v.4. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, &c.* 625

Micheas

Cap.2.v.13. *Aſcendet iter pandens ante eos* 296
c.5.v.2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda* 255

Habacuc

Cap.1.v.13. *Mundi ſunt oculi eius, & reſpicere ad iniquitatem non poterit* 283
c.3.v.18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo* 469

Zacharias

Cap.3. v.8. *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem.* 347
c.6.v.12. *Ecce vir Oriens nomen eius* ibid.
c.9. v.9. *Exulta ſatis filia Sion: iubila filia Ieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator* 293
c.11.v.12. *Appenderunt mercedem meam triginta Argẽteis, & dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium decorum, pretium quo appretiatus ſum ab eis.* 293
c.12.v.10. *Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precũ* 84.255.588
c.13.v.7. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis* 294

Malachias

Cap.1.v.6. *Filius honorat patrem, & ſeruus dominũ ſuũ: Si ergo*

Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? 8.183

c.1.v.2. Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo 696

v.10. Nunquid non Pater vnus omnium noſtrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? 182

c.3.v.2. Et ſtatim veniet ad tẽplum ſanctum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis 282

v.6. Ego Deus, & non mutor 41.282.801

v.36. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam 292

Machabæorum 1.

Cap. 3. v. 60. Sicut voluntas fuerit in cœlo, ſic faciat 73.996

c.12.v.9. Nos cum nullo horum indigeremus habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris maluimus mittere ad vos, &c. 483

Machabæorum 2.

Cap. 1, v. 24. Domine Deus omnium creator terribilis, & fortis, iuſtus & miſericors, &c. 12.60

v.25. Solus eſt bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus, & omnipotens, & æternus 658

c.7.v.22. Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum & animã donaui vobis, &c. 188 326

Actus Apoſtolorum.

Cap. 1. verſ. 7. Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate 184

c. 2. v. 1. Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco 599

v.2. Factus eſt repente de cœlo ſonus tãquam aduenientis ſpiritus vehementis 593

v.4. Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis 391.542.612

v.38. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donũ Spiritus Sancti 548

c.3, v.12. Viri Iſraelitæ quid mirami-

miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate feceri-mus hunc ambulare 299
c.4 v.11. Non eſt in aliquo alio ſalus 286
c.5.v.32. Nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus S. quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi 550
v.41. Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati 592
c.6.v.10. Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur 595
c.7.v.30. Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi 636
v.51. Dura ceruice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis 389
v.53. Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis 636
v.58. Domine Ieſu accipe ſpiritum meum 283.312
c.8.v.17. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S. 550
v.20. Pecunia tua tecum ſit in perditionem 546
c.9.v.31. Eccleſia ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione S. Spiritus replebatur 452
c.10.v.19. Dixit ſpiritus Petro: Ecce viri tres quærunt te, ſurge ergo & deſcende 378
v.38. Deus vnxit Ieſum Spiritu S. & virtute 110.350
verſ.44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus S. ſuper omnes, qui audiebant verbum 550
c.13.v.19. Amodo dixi vobis, priuſquam fiat, vt cum factũ fuerit, credatis, quia ego ſum 290
v.38.39. Per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, ab omnibus, in quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari 457
v.47. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ 348
c.16.v.6. Vetati ſunt à Spiritu S. loqui verbum Dei in Aſia 378
c.17.v.14. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem 676

v.27.Quærere Deum ſi forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum 17

v.28.In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus 286

c.19.v.6.Et cum illis impoſuiſſet manus Paulus, venit Spiritus S.ſuper eos 550

c.20.v.28.Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos 270

c.21.v.14. Cum ei ſuadere non poſſemus, quieuimus, dicentes, Domini voluntas fiat 996

c.23. v.11. Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus, ait: Cōſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari 278

Epiſtola S. Pauli ad Romanos

Cap.1.v.3. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute 262

c.3.v.22. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eū 306.458

v.23.Omnes peccauerunt [...] gent gloria Dei

c.4.v.22.Quod ſi Deus vo[...] ſtendere iram, & nota[...] cere potentiam ſuam, [...] nuit in multa patienti[a] ira, &c.

c.5.v.2.Gloriamur in ſpe g[...] filiorum Dei 219[...]

v.3. Sicut ſocij paſſionum [...] ſic eritis & conſolationū

v.5. Cari as Dei diffuſa [...] cord bus noſtris, per Spi[...] S.qui datus eſt nobis [...]

c.8.v.2.Lex ſpiritus vitæ non [li]berauit eos à lege peccati [et] mortis [...]

v.3. Miſit filium ſuum De[us] in ſimilitudinem carnis pe[c]cati 383.67[...]

v.9.Si quis Spiritum Chriſti n[on] habet, hic non eſt eius 53[...]

v.11. Quod ſi ſpiritus eius qu[i] ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis. &c. 6[...]

v.14. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei 418. 498.542

v.15.Non enim accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei 457.183.237

v.17. Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem

autem Chriſti 208.241

v.26. Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus 84.366.455

v.29. Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus 187.208.247.

v.31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 680

v.32. Proprio filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum 322.383

v.33 Deus eſt qui iuſtificat 303

c.9.v.1. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu Sancto 311.

v.5. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula 265

c.10.v.13. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit 218

v.14. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? 218. 312.

v.17. Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Chriſti 228

c.11 v.33. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! 968

v.35. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? 596:303

c.13.v.12. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis 227

c.14.v.17. Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. 111.462.470

c.15.v.4. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiã & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus 483

v.5. Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere 592

v.8. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum 357

v.16. Vt fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata in Spiritu S. 421

Ad Corinthios I.

Cap.1.v.24. Nos prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam 280.358

v.30.

v.30. *Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia in Deo* 348
v.31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur* 219
c.2.v.9. *Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, &c.* 620
v.14. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* 465.545
c.3.v.16.17. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, &c.* 562
c.4.v.15. *Nam etſi multa millia habeatis pædagogorum in Chriſto, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui* 224
c.6.v.11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, &c.* 321.375.424 669
v.17. *Quis ſic delectat, quam ille qui fecit omnia, quæ delectant* 474
v.19.20. *An neſcitis, quia membra veſtra ſunt templum Spiritus Sancti, qui in vobis eſt?* 371.562
c.8.v.4. *Scimus, quia nullus eſt Deus niſi vnus* 2
v.6 *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia* 286
c.9.v.24. *Sic currite vt comprehendatis* 27
c.10 v.9. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentib. perierunt* 267.309
c.11 v.1. *Eſtote imitatores mei ſicut & ego Chriſti* 244.312
v.7. *Vir non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt* 344
c.12.v.4.5.6 *Diuiſiones gratiarum ſunt idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum, &c.* 144.373.682
v.7.8.9.10.11. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: A' ij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, &c.* 507
c.13.v.12. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt* 45
c.15.v 37. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* 478

Ad Corinthios 2.

Cap.1.v.2. *Gratia vobis & pax, à Deo Patre noſtro & Domino*

mino Ieſu Chriſto 312
v.3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, &c. 209.392.452
v.14. Vos gloria noſtra in die Domini noſtri Ieſu Chriſti 478
c.2.v.10. Nobis reuelauit Deus per Spiritum ſuum 537
v.12. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpirituus qui ex Deo eſt 537
ver.14. Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu 478
c.3.v.5. Non ſumus autem ſufficientes cogitare aliquid ex nobis &c. 540
c.4.v.3. Vt non fulgeat illuminatio gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei 342
c.5.v.15. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt 668. 1002
v.20. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos 453
c.6.v.18. Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias 184.477
c.7.v.4. Repletus ſum conſolatione ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſt. 454
c.8.v.2. In multo experimento tribulationis abūdantia gaudij ipſorum fuit 454
c.11.v.2. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto 477
c.12.v.1. Si gloriari oportet (nō expedit quidem) veniam autem ad viſiones & reuelationes Domini, &c. 634
v.10. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus 454
c.13.v.13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti. & charitas Dei & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis, Amen 146

Ad Galatas

Cap.1.v.1. Paulus Apoſtolus nō ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum 267
v.3. Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino noſtro, qui dedit ſemetipſum 658
v.8.9. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euāgelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vob, anathema ſit 267

v.11.No-

v.11. *Notum vobis facio, fratres, Euangelium, quod eſt euangelizatum à me* 267

c.2.v.20. *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me* 680

v.21. *Si per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt* 457

c.3.v.20. *Deus vnus eſt* 2

v.26. *Omnes enim filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu* 229

c.4.v.v.4. *Miſit Deus filium ſuum, &c. vt adoptionem filiorum reciperemus* 236.322 558

v.6. *Quoniam autem eſtis filij miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra* 237.457. 659

v.7. *Quid ſi filius & hæres per Deum, &c.* 241

v.19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* 224

v.31. *Itaque fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus donauit* 457

c.5.v.6. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium* 229

v.12. *Vos in libertatem vocati eſtis,* 458

v.22. *Et fructus ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax,* 111. 470

c.6 v.14. *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti* 310

Ad Epheſios

Cap. 1.v.1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum* 208

v.3.4. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione, &c.* 208.661

v.5. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem per Ieſum Chriſtum, in ipſum* 237

v.6. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo* 240

v.11. *Qui operatur omnia ſecūdum conſilium voluntatis ſuæ* 62.69

c.2.v.4. *Deus qui diues eſt in miſericordia propter nimiā caritatem ſuam, qua dilexit nos, &c.* 264

v.19. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei* 231

c.3.v.14.15. *Huius rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* 181.230

v.20.

v. 20. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis 673
c. 4. v. 5. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma 772
v. 6. Vnus Deus & Pater omniũ qui ſuper omnes & per omnia, & in omnib. 146
v. 8. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti 267
v. 16. Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentũ Dei 583
v. 17. 18. 19. Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate &c. 536
v. 22. Hoc dico & teſtificor in Domino, deponere vos ſecundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem. 877
c. 5. v. 1. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij cariſſimi 244
v. 2. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis 680
v. 6. Propter quæ venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ 226
v. 26. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea 286
c. 6. v. 16. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi excipere 704

Ad Philippenſes

C. 1. v. 20. Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem 996
c. 2. v. 6. Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, &c. 268. 354. 678.
v. 7. Qui cum in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit. 264
v. 15. Sitis ſine querela, & ſimplices filij Dei 228
v. 22. Timotheus ſicut patri filius mecum ſeruiuit in Euangelio 226
c. 3. v. 3. Non ſumus circumciſi, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu 310
v. 8. Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Domini mei Ieſu Chriſti 965

v.20.Saluatorem reſpectamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum 286

v.21.Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ 387

c.4.v.1. Itaque fratres mei cariſsimi & deſideratiſsimi, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino cariſsimi 478

Ad Coloſſenſes.

Cap.1.v.15. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ 342

v.16.17.In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, &c. 259.286

c.2.v. 3. In Chriſto Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi 280

c.3.v.1. Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens 894

v.9 Expoliantes vos veterem hominem actibus ſuis, & induentes nouum 345

v.14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis 522

v.15.16. Quodcunque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. 311

v.24. Domino Chriſto ſeruite 311

Ad Theſſalonicenſes.

Cap.1.v.6. Vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini excipientes verbum in tribulatione multa 470

c.2.v. 19.20. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ, &c. 478.866

c.3.v.23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia 286

c.4.v.3. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra 71

c.5 v.5. Omnes vos filij lucis eſtis, & filij dici 216

v.8. Nos qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei 525

Ad Theſſalonicenſes 2.

Cap.2.v.16. Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit cõſolationem æternam, &c. 453

Ad Timotheum 1.

Cap.1.v.5. Finis præcepti eſt caritas, de corde puro, & conſcientia bona 994

v.9. Liberauit nos Deus, & vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, &c. 260

v.12. Gratias ago ei, qui me cõfortauit

ſortauit Ieſu Chriſto, qui me fidelem exiſtimauit, ponens in miniſterio 311 670
verſ. 15. Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere 340
v. 17. Inuiſibili & incorruptibili ſoli Deo 41. 658
c. 2. ver. 5. Vnus Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus 1
c. 6. v. 14. 15. Serues mandatū ſine macula irreprehenſibile, vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, 12. 154
v. 16. Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominū vidit, ſed nec videre poteſt 44

Ad Timotheum. 2.

Cap. 1. v. 10. Deus liberauit nos & vocauit vocatione ſua ſanctâ 681
c. 2. v. 26. Reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem 541
c. 4. v. 8. In reliquo repoſita mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex 304

Ad Titum.

Cap. 1. v. 16. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negāt, cum ſint abominati & incredibiles 278
c. 2. v. 11. Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri 269
v. 13. Exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei 269
c. 3. v. 5. Secundum miſericordiā ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S. &c. 577
v. 6. Spiritum S. effudit abunde in nos Deus 5[illegible]3
v. 7. Vt iuſtificati hæredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ 241
v. 10. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita 993

Ad Hebræos.

Cap. 1. v. 2. Deus Filium conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula 109 239. 286
v. 3. Portans omnia verbo virtutis ſuæ 70
v. 4. Tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit 249
v. 5. Cui Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te 230. 233.
v. 6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit & adorēt eum omnes

 Angeli

Angeli Dei 247
c.2.v.10. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem ſalutis eorum, per paſsionem conſummare* 228
v.11.12. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes, &c.* 356.420
v.14. *Quia pueri communicarunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem* 340
c.4.v.13. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius* 45
c.5.v.9. *Sibi obedientibus factus eſt ſalutis æternæ* 309
c.9.v.14. *Chriſtus per Spiritum Sanctũ obtulit ſemetipſum immaculatum Deo* 383.667 68
c.10. verſ. 10. *In qua voluntate ſanctificati ſumus* 287
v.19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Chriſti* 457
c.11.v.6. *Accedentem ad Deum oportet credere* 306
c.12.v.9. *Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, &c* 189
v.22. *Acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſt.* 231
c.13.v.8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe, & in ſecula* 281
v.12. *Vt Ieſus ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra caſtra &c.* 287.421

Epiſtola S. Iacobi.

Cap.1.v.17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt à Patre luminum, apud quem nõ eſt cõmutatio, &c.* 41.83.184
8. *Voluntariè genuit nos verbo virtutis, vt ſimus initium aliquod, &c.* 184.187.228
v.27. *Religio munda apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas, in tribulatione* 184.222

Epiſtola S. Petri 1.

Cap.1.v.11. *De qua ſalute ſcrutati ſunt, & exquiſierunt Prophetæ ſcrutantes* 292
v.17. *Et ſi Patrem inuocatis eũ, qui ſine acceptione perſonarum iudicat, ſecũdum vniuſcuiuſque opus, &c.* 184
v.23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili*

per verbum Dei viui 128
c.2.v.11.12. Cariſſimi, obſecro vos, tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam 871
c.4.v.8. Caritas operit multitudinem peccatorum 513
c.5.v.6.7. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis, &c. 77
v.8. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide 704
v.10. Deus omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam, in Chriſto Ieſu modicum paſſos, ipſe perficiet 671

Epiſtola S. Petri 2.

Cap.2.v.21. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu S. inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines 253.378
c.3.v.13. Nouos vero cœlos, & nouam terram ſecundũ promiſſa ipſius exſpectamus. 387

Epiſt. S. Ioannis 1.

Cap.1.v.2. Manus noſtra contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt 328
v.5. Deus lux eſt 13.602
c.2.v.1.2. Si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum 184.454
v.6. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare 312
v.15. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo 545
v.25. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium, & Patrem habet 675
v.27. Vnctio eius docet vos de omnibus 603
c.3.v.1. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus 184.237.242
v.2. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt 187.345
v.10. Deus nouit omnia 65
v.14. Nos ſcimus, quoniã tranſlati ſumus de morte, &c. 513
v.16. In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam, &c. 263.680

cap. 4 v. 7. Cariſſimi di'igamus nos inuicem quia charitas ex Deo eſt 5 3
v. 9. In hoc apparuit caritas Dei in nobis quon am Filium ſuũ vnig nitũ miſit Deus in mundum, vt v uamus per eũ 247
v. 16. Deus caritas eſt, & qui manet in char tate, in Deo manet 52, 565. 567
c. 5 v. 7 8. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt, &c. 138. 328
v. 1. Vitam aeternam dedit nobis Pater, & hac vita in Filio eius eſt 260
v. 20. Et ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius hic eſt verus Deus, & vita aeterna 262, 282

Epiſtola B. Iudæ.

Verſ. 5. 6. Ieſus populum de terra Aegypti ſaluans ſeruando eos qui non crediderunt, perdidit, &c. 273
v. 24. 25. Ei autem qui potens eſt vos conſeruare ſub peccato, & conſtituere ante conſpectum gloria ſua 673

Apocalypſis.

Cap. 1. v 2. Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti 528
v. 4. Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt 38
v. 8. Ego ſum α & ω principium & finis 280
c. 2. v. 17. Vincenti dabo manna abſconditum 464
v. 23 Ego ſum ſcrutans corda, & probans renes 289
c. 3. v. 18. Suadeo tibi à me emere aurum ignitum probatum, vt locuples fias 524
v. 20. Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meã, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum 942
c. 4. v. 8. Requiem non habebant die ac nocte di ẽtia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt 140
v. 10. Procedebant viginti quatuor ſeniores anteſedentem in throno 656
c. 5 v. 11. & ſeqq. ad finem. Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni. &c. 668
c. 7. v. 9. Vidi turbam magnam

quam

quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, &c. 824

v.11 *Omnes Angeli ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum* 656

c.11.v.17. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es* 311

c.14.v.7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, &c.* 281

c.15.v.3.4. *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſta & vera ſunt via tua, &c.* 13

c.19.v.5. *Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli, & magni* 689.821

v.8. *Poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hac oſtendebat, &c.* 232

v.12. *Erat veſtitus veſte aſperſa ſanguine, & nomen eius verbum Dei* 329

c.21.v.1. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam* 337

v.5. *Ecce noua facio omnia* 387

ver.23. *Et ciuitas non eget Sole, neque Luna vt luceant in ea: Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus* 631

c.22.v.3.4. *Serui eius ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum* 643

v.16. *Ego Ieſus ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina* 347

INDEX RERVM ET VERBORVM POTIORVM QVÆ in hoc Opere continentur.

A

Acacius.

SAnct. Acacius pro confeſsione S. Trinitatis martyriũ ſubiit 786

Adoptio.

Adoptio quid ſit,& quæ ad illam conditiones requirantur 253

Adoptionis diuinæ & humanæ magnũ diſcrimen ibi.

Adoptio non eſt conceſſa antiquis Patribus,niſi per Chriſtũ,& propter Chriſtum 237

Adoptator eſt Deus ibid.

Adoptionis beneficiũ merito noſtro non tributum eſt 238

Adoptionis finis quis ſit 241

Adoptionis beneficium poſtulat,vt noſtris operibus gratos nos exhibeamus ibd.

Aegrotus.

Aegroti per Baptiſmum ſanati 708.725

Aegroti per inuocationem S.Trinitatis liberati morbis 724

Aegroti panibus benedictis ſumptis cõualuerunt 729

Aeternitas Dei.

Deus eſt æternus 10.43.281

S.Alexander.

S.Alexander pro cõfeſsione veri Dei dira paſſus eſt 783

Amor Dei.

Deus ſuper omnia amandus 7.57.58.63.214.459.689

Quid ametur,quando Deus amatur 21

Dei amor parentum amori anteponendus 214

Angeli.

Angeli ſunt filij Dei adoptiui 230

Angeli non ſunt ſuperiores hominibus adoptionis gratia ibid.

Angelus cur à S.Ioanne adorari noluerit. 232

Angeli ſunt innumerabiles 896
Angeli à S. Trinitate acceperunt, vt Chriſtum agnoſcerent, & venerarentur 255. & ſeqq.
Conditi ſunt, vt S. Trinitatem laudent 664
In cœlis glorificant S. Trinitatem 101. 815
Cur ter dicant in cœlis *Sanctus* ibid.
Alter alterũ ad laudes Dei cohortatur ibid.
Sunt filij Dei 229

Anima.

Anima à ſolo Deo creatur 189
Anima expiata eſt ſedes Spiritus S. 428

S. Anno Archiep. Colon.

S. Annoni patefit diuinitùs S. Trinitas 618

Apis.

Apum mirabilia opera 908

Apoſtoli.

Apoſtoli omnibus ſine delectu fidei dogmata exponere iuſsi 117
Baptizare iuſsi ibid.
Vſi trina lotione in Baptiſmo 123
In ſuo ſymbolo profitẽtur S. Trinitatem 132
Non ſtatim acceperunt omnium dogmatum cognitionem 447

Aqua.

Aqua ſignificat Spiritum S. 139
Conſecratur in nomine S. Trinitatis 721

Aquila.

Aquila pullos Solem cogit intueri 929
Pullorum alterũ nido exturbat 930
Cum Deo comparatur 931

Aranea.

Aranea mirabilis ſolertiæ in texenda tela 922

Arrius, Arriani.

Arrius ob contemptum S. Trinitatis miſerè periit 697
Arrianus in dogmatis ſui probationem annulum ex feruẽti aqua educturus manum comburit, 737
Arriani ex tectis iacula mittentes, Chriſtianos ad tẽplum ituros occiderunt 761
Filio Dei Aeternitatem, & diuinitatem furantur 203
Arrianus dum cæco ſimulato viſum vult reſtituere,

eum verè cæcum efficit 727

Aſcenſio.

Aſcenſio Chriſti prædicta 295

Attributum.

Quot & quæ Attributorum genera de Deo colligantur 16

Quibus viis per creaturas Attributorum Dei notitiam acquiramus 17

Attributa poſitiua vnde cognoſcantur ibi.

Vnde cognoſcantur negatiua 21

Attributorum multitudo nō excludit vnitatem Dei 49

Attributum vnum idem eſt cum altero ibid.

Auis.

Aues incitant ad laudandū Deum 883

Omni auium generi peculiare quid admirandum natura dedit 921

B

Baptiſmus.

Baptiſmus Chriſti indicat S. Trinitatem 114.117

Paruulis prodeſt fides eorū, à quibus offeruntur in Baptiſmo conſecrandi 120

Baptizādis neceſſaria eſt fides in S. Trinitatem 118. 127

Baptiſmus ad ſalutem neceſſarius 120

In neceſsitate conferri poteſt à quouis homine ibidem

A pueris rite collatus, validus eſt 121

In Baptiſmo Filij Dei efficimur 705

In Baptiſmo omnes Trinitatis perſonæ intendi debent ibid.

Baptiſmi materia & trina ablutio S. Trinitatem repręſentant 123

Trina ablutio in Baptiſmo ab Apoſtolis accepta ibidem

Trina ablutio præfertur vni merſioni 124. & ſeq.

Baptiſmatis vnda tribus vndis miraculoſe creuit 126

Baptizandus mundo & diabolo abrenunciant 127. & ſeq.

Baptizandus ſe Chriſto & Deo addicit 129

Baptiſmus Sacramentum fidei eſt 130

S. Barbara.

S. Barbara à patre decollatur 790

Beatitudo, Beati.

Beatitudo quid ſit 640. quā excel-

excellens 26.61
Quare illam omnes non conſequantur 70.71
Beati per eſſentiam vident S.Trinit. 640.250.45

Beneficentia Dei.

Deus ab ęterno cœleſte nobis regnū apparauit 208
Virtutes impertiuit ad cœleſte regnum impetrandum ibid
Nos ſolatur 209
Eſt perfugiū peccaotrū 210
Beneficentia Dei erga homines maxima eſt 659
Cultus ſui remunerator eſt liberaliſsimus 802.1014
Erga omnes creaturas ſine exceptione eſt beneficētiſsimus 926.1013

Bonitas Dei.

Deus eſt ſummum bonum 559.64.802
Bonitas triplex eſt 57
Deus bono ſuo bonus eſt 58.281
Deus ſibi ſufficiens eſt ſua bonitate 61
Bonitas D E I quam late ſe diffundat 105

C.

Cancer.

Cancer oſtreis vt inſidietur 914

Canis.

Canis acrē habet ſenſū 924

Caritas.

Caritas præcipuum beneficium eſt 492
Neceſſaria eſt ad vitam æternam ibid
Eſt fructus Spiritus S. 502
Per caritatem diligitur Deus & proximus 512
Caritas expiat peccata 513
Copulat animas D E O vt ſponſas ſponſo 514
Eſt oleum prudentum Virginum 515
Reddit caros Deo ibid
Eſt hominis bonitas 517
In actibus caritatis conſiſtit operoſa iuſtitia 518
Caritas eſt diſtantia inter filios Dei & diaboli 519
Eſt virtutum Creatrix & Conſeruatrix ibid
Eſt Chriſtiani hominis perfectio 522
Poſsidentem locupletat 524
Eſt aurum puriſsimum ibid
Eſt thorax inexpugnabilis contra mundum, carnem, dœmonem 525
Eſt laboris merces 527
Maxime accepta Spiritui S. 550
Caritate colitur D E V S, & quali 993

Caro.

Caro ſignificat verbum diuinum 139

S.Cecilia.

S. Cecilia de S. Trinitatis myſterio informat Tiburtium ſponſi ſui fratrem 171

Cete.

Cete maxima ſũt mole corporis 903

A piſciculo quodam ducũtur ob viſũ hebetem 943

Cherubin.

Cherubin laudant S.Trinitatem 101 & ſeqq 815

Chriſtus.

Chriſtus, quale nomen ſit 350

Chriſtus venit in nomine Patris & quare 107

Chriſtus eſt primus & nouiſsimus 108

Miſſus eſt à Patre & Spiritu S. 110

In Chriſti nomine ſubauditur, vngens, vnctus, vnctio ibid

Chriſtus formam ſerui accepit, ſed electi 111

Chriſto data omnis poteſtas 116

Chriſtus colit Patrem conſideratione Maieſtatis Omnipotentiæ, Iuſtitiæ diuinæ 211

Colit Patrem amore 212

Prædicatione Maieſtatis 215

Agnitione beneficiorũ acceptorum 139

Inuocatione 217

Gloriatur de ſuo Patre 219

Honorauit Patrem obedientia ibid

Timore 221

Solus eſt Filius DEI naturalis 233. 249. 276

Promeritus eſt hominibus adoptationem 234. 239

Eſt vnigenitus Dei 246

Eſt Dei primogenitus 247

Eſt Deus 247. 259

Sine exceptione in Scripturis nominatur DEVS 258

Depellit à nobis mortem animæ & corporis 260

Secundum humanam naturam ex Dauidis poſteritate natus, & ab æterno definitus eſt, vt ſit verus Dei filius 262

Non eſt purus homo 267

Liberauit Iſrahelitas de ſeruitute Aegyptiaca 273

Chriſto grata eſt diuinitatis ſuæ agnitio 277

Chriſti confeſsio qualis eſſe debeat 278

Chriſto conueniunt proprietates diuinæ 280

Eſt Omnipotens ibid
Sapiens ibid
Eſſentia ſua bonus 281
Immenſus ibid
Aeternus ibid
Habet templum 282
Tribuere poteſt quæ à ſe poſtulantur ibid
Facit eadem quæ Pater 284
Creat 285
Conſeruat 259.286
Saluat 286
Sanctificat ibid
Inſpicit corda 287
Futura præſciuit 284
Docuit Prophetas ea quæ de ſe prædixerunt 291
Diuinitatem eius Sibyllæ teſtantur 297
Comprehendit eſſentiam diuinam 303
Homines & Angelos ad vitam elegit ibid
Condonat peccata ib
Mortuos reſuſcitat 304
Cur dicatur Filius, Vnigenitus, Verbum, Sapientia 314
Vis, Veritas, Lux, Vita, Iuſtitia 315
Sanctificatio, Redemptio, Chriſtus 316
Oſtium, Paſtor, Ouis 317
Imago 341.342
Seipſum Filium hominis nominat 353.357
Eſt homo 354
Frater noſter 356
Eſt Aduocatus & Patronus noſter 454
Semper clare vidit myſterium S. Trinit. 631
Homines emit & redemit 668
Laudat S. Trinitatem 814

Ciconia.

Ciconia pietatis Symbolũ 932
Parentes ſenes tergo vehit ibid

Clodoueus Fran. Rex.

Clodoueus cum parte exercitꝰ baptizatur 119.709

Cœlum.

Cœlorum magnitudo quãta 896

Cognitio Dei.

Cognitio Dei in hac vita eſt obſcura 15.24.& ſeq.
Vnde hauriatur 15
Cognoſcere Deum procul, quid ſit 16
Adnitendum ad cognitionem Dei 28.644
Non eſt in omnibus æqualis 644

Columba.

Columba emiſſa ex arca fuit Symbolum Spiritus S. in Baptiſmo operantis 94
Ter emiſſa indicabat Sanct. Trinita

Trinitatem ibid
Oliuæ ramum ferens ſignificat Spiritum Sanctum offerre homini lenitatē 550
Illa in qua apparuit Spiritus Sanctus non fuit aſſumpta ad perſonam illius 572
Probabile eſt illam in qua Spiritus Sanctus apparuit fuiſſe apparentem tantum 574

Concilium.

Concilij veritas eſt à Spiritu Sancto 444
Concilio præſens eſt Deus ibid

Concupiſcentia.

Concupiſcentiam carnis odit Spiritus S. 545
Concupiſcentiam oculorū odit Spiritus S. 546

Confirmatio.

Confirmationis Sacramento confertur gratia ſeptiformis Spiritus Sancti 716
Confirmationis forma quę ſit 717
In Confirmationis Sacramento neceſſaria eſt inuocatio S.Trinitatis 718
In Confirmatione & Chriſmate miracula contigerunt ibid.

Conſtantinus Magnus.

Conſtantinus Magnus à lepra liberatur 708

Conſtantinus Imp.

Conſtantinus Imperator in impietate Arriana obijt

Coruus.

Corui recens excluſi à parentibus deſeruntur, & ſingulari prouidētia Dei aluntur 928

Creatio. Creator. Creatura.

Creatio triplex eſt 426
Creatio inuitat creaturas ad laudandū Deum 662
Per creationem diſtinguitur verus Deus à falſis 285
Creatio oſtendit Chriſti diuinitatem 259
Propter creationem Deus dicitur Pater 186
Creator agnoſcitur ex mūdi opificio 17. 18. 945
Omnes Creaturæ Creatorem demonſtrant, ſed non omnes eodem modo 950
Omnis Creatura clamat Sanctam Trinitatē Creatorem ſuum eſſe 952
Creaturæ irrationales laudant Deum perfectionibus ſuis naturalibus 885

Ad Creaturæ eſſentiam videtur pertinere imperfectio 21

Crux.

Crux fugat dœmones 704
Crucis ſigno cæcus illuminatus 728
Crucis ſigno curatus febricitans . ibid
Ad Crucem à Conſtantino poſitā facta miracula 816

Cultus diuinus.

Deus Pater à nobis honorandus conſideratione Maieſtatis diuinæ 211
Omnipotentiæ ibid
Iuſtitiæ ibid
Gratiarum actione 217.311
Vitæ ſanctimonia 222
Deum autem ſalutis datorem implorare eximius honor eſt 217
Chriuſts colendus eſt fide 306
Amore 308
Mandatorum obſeruatione ibid
Timore 309
Adoratione 311
Iuramento ib. Seruitio ibid
Imitatione vitæ eius 312
Deus colitur non ob ſuam indigentiam, ſed ob noſtram vtilitatem 691
Cultus diuinus ſub præceptum cadit 690
Offert præſentem, & æternam ſalutem 692
Offenſam Dei tollit 696
Laudat ſeipſum Deus 797 803

D.

Dœmon.

Dœmones agnouerũt Chriſtum eſſe filium Dei 279
Probabile non agnouiſſe myſterium liberationis noſtræ per mortem Chriſti 279
Dœmonum obiectio eſt gratis data 509
Dœmon nominationem S. Trinit. ferre nequit 702
Dœmones exorciſmis Eccleſiæ eijciuntur 703

Dauid.

Dauid laudat Deum 10
Cognouit S. Trinitatem 96

Delphinus.

Delphin natura quæſit 938
Hominem vt amicum adit 939
Muſica delectatur 940
Prolis ſuæ eſt amans ibid
Ieſum repræſentat 941

Deus.

Vide Eſſentia Dei.

Diuinitas.

Diuini-

Diuinitatem ipſe Deus colit 798

Dominus.

Domini nomen conuenit toti Trinitati 95
Domini nomine Deus noſtram erga ſe reuerentiã & metum vult prolicere 183

Donum.

Donum tria comprehendit 496
Diſtinguitur à donato 497
Donum Spiritus S. quid ſit 498
Dona Spiritus Sancti ſunt ſeptem ibid
Donum intellectus quid ſit 500
Donum ſapientiæ quid 500 507
Donum ſcientiæ ibid
Donum conſilij, fortitudinis 501
Donum pietatis, timoris Domini 502
Donum ſapientiæ eſt gratia gratis data 508

E.

Eccleſia.

Eccleſia cur in ſacrificio vſurpat hymnũ Sanct° 105
Eccleſia ſola à S. Spiritu veritatem docetur, & id duobus modis 436
Eccleſiæ iudicio ſtandum 440
Eccleſia peragit ſacrificium cum laude S. Trinit. 826
Abſoluit omnes ſuas preces cum laude S. Trinitatis ibid

Elephas.

Elephas maximum & fortiſsimũ animal 899. 904
Ad bellum aptus ibid
Homini erranti viam monſtrat 943

S. Elzearius.

S. Elzearius perpetuam coluit virginitatem, & aſsidue orauit 519
Vidit proceſsionem fidei, & Spiritus S. nec tamen effari potuit ibid

Emanuel.

Emanuel quid ſit 292

S. Epipodius.

S. Epipodius ob S. Trinitatis confeſsionem obtrũcatur 781

S. Ermigildus Rex.

S. Ermigildus Rex ob San. Trinitatis confeſsionem Martyrium ſubijt 743

Eſſentia Dei.

Deus definiri nequit 30
Poteſt aliquo modo deſcribi ibid. 36. 37
Facilius dicitur, quid non ſit,

ſit, quam quod ſit Deus 31.46.178
Eſſentia DEI comparatur circulo 32
Deus deſcribitur ex comparatione ad creaturas 32.38
Ex attributis abſolutis 34
Eſſentia DEI eſt æternitas 35.43
Deus deſcribitur ex natura ſua 38
Eſſentia diuina non eſt generans, nequè genita 205

Evangelium.

Evangelium continet tres veritates 434
Evangelium S. Ioann. ſcriptum eſt ob Chriſti diuinitatem adſtruendam 267

Excellentia Dei.

Deus ita eſt excellens vt omnia habeat natura ſuà, quæ alij alunde 12.13.14
Totus mundus DEO comparatus nihil eſt 11.53.174.657.960
Excellentia Dei ducit nos in cognitionem attributorum Dei abſolutorum & poſitiuorum 19
Omnia nobiliori quodam modo ſunt in DEO 19.20
Omnia antequam fierent, in Deo vita fuerunt 20.59
Deus caret imperfectionibus creaturarum 21

Exiſtentia.

Exiſtentia proprie eſt DEI 34
Eſſe, abſolute creaturis non conuenit 35

F.

Fides.

Fides eſt gratia gratis data 508
Neceſſaria eſt ad ſalutem 535
Potiſsimum verſatur circa myſterium S. Trinitat. & Incarnationis 631
Dœmones repellit 704
Fidei myſteria ſola S. Trinitas patefecit 966
Fide maxime colitur S. Trinitas 968
Fidei actus quo producatur 982
Ad fidei actum requiritur pia voluntas inclinans 983
Fides DEI præſtantiam & noſtram miſeriam oſtendit 987
Oſtendit dependentiam à DEO 988

Filius.

Filius DEI non generatur de ni-

de nihilo, neque de alterius ſubſtantia 200
Non accepit partem ſubſtantiæ Patris ibid
Filij nomen in Scripturis varie ſumitur 224
Filios plurimos habet Deus 227.233
Filium naturalē vnum habet Deus 233
Filius bonus eſt decus parentis, malus vero eius eſt ignomina 243
Filij referre ſolent patrum mores ibid
Filius Dei cum Patre producit Spiritum Sanctum 412
Filius miſſus eſt 554.559
Filius illuminat homines 682
Inhabitat homines 683
Omnibus bonis cumulat ibid
Viuificat 682
Omnia implet 685
Glorificat Patrem 811
Glorificat Spiritum Sanctum 812

Fons.

Fons aquæ viuæ Deus eſt 54
Fons comparatur Spiritui S. 589

Formica.

Formica vigilantiſsimum & prouidentiſsimum animal 906

Fructus Spiritus.

Fructus Spiritus S. qui ſint 502
Aduerſus fructus Spiritus non eſt lex 603
Fructus Spiritus non omnes ab Apoſtolo enumerati 504

I.

Gabriel.

Gabriel S. Trinitatem annuntiauit 112
Non aperuit B. Virgini, & quare 113
Edocuit D. V. diuinitatis Chriſti myſterium 256

Gallina.

Gallina diuinæ bonitatis indicina

Gaudium.

Gaudium eſt fructus Spiritus S. 502
Ex amore naſcitur 528

Generatio.

Generatio Chriſti humana & temporalis incomprehenſibibis 324
Inexplicabilis 325
Generationem humanam quamlibet non penetramus 326
Generatio humana quotuplex 386

Gentilis.

Gentiles non agnoſcūt Trinitatem 160

Agno-

Agnouerunt Deum eſſe vnum 3
Gentium ad Chriſtum cōuerſio prędicta 296
Non excuſantur per ignorationem Dei 536

Gratia.

Gratia eſt forma adoptationis in filios Dei 234.240
Gratia gratis data inducit hominem ad amorem Dei 507
Tribuitur citra meritum ibidem
Gratiæ gratis datæ quęnam ſint ibid.
Gratia S. Spiritus nobis eſt neceſſaria 537
Non informat mentem niſi pulſis peccatis 543
Spiritus S. gratia per Chriſtum in nos effunditur 577
Gratię gratis datę iuſtis cōmunes ſunt cum impiis 510
Gratiam conſequimur per inuocationem S. Trinitatis 717

S. Gregorius Taumat.

S. Gregorius Taumat. Origenis diſcipulus 615
Patefit illi cœlitus myſterium Sanctæ Trinitatis ibidem

Grus.

Grues ſollicitè dormiunt 917
Cum pygmæis dimicant 918
Cum triangulari figura volitent ibid.

H

Hæreſis, Hæreticus.

Hæreſes ab Eccleſiæ præſidibus corrigendæ 445
Hęretici fide ſua Deum non colunt 990
Hęretici nullā habent ſpem 993
Sunt vitandi ibid.
Non ſunt admittendi ad ſuſceptionem alicuius è Baptiſmo 120

Halcedo.

Halcedo qualis auis 927
Cum ouis incubat, venti & fluctus maris ceſſant ibidem

Halicetus.

Halicetus pullos Solem intueri cogit 930

S. Hilarius.

S. Hilarius inuocatione S. Trinitatis inſulam ſerpētibus liberat 745

Hirundo.
Hirundo docet, neminem ob paupertatem debere deſperare 929
Excæcatis pullis viſum reſtituit ibid.
Homo.
Homo maxime mutabilis. 42. finitus. 43
Creatus eſt ad laudem S. Trinitatis 877
Ad ſimilitudinem S. Trinitatis factus eſt 83. 873
Illuſtriorem S. Trinitatis imaginem exprimit, Angelis exceptis, quam alia 93
Quomodo ſit imago Dei 344
Homines ſunt filij Dei 227
Non ſunt Angelis inferiores adoptionis gratia, & conſortio diuinę naturæ 230
Cur ſtaturæ ſint erectæ 958
Homines cum Angelis vnam conſtituunt familiam 231
Angelos vt proximos amare debent ibid
Homo frater eſt Chriſti 247
Eſt templum Spiritus Sancti 398
Homo felix eſt quem Spiritus S. erudit 449
Homo mittere poteſt diuinas perſonas, & quomodo 560
Homines beati ab Angelis imitantur ad laudes S. Triadis 821
Cum Angelis laudant Sanctam Trinitatem 821
Hoſanna.
Hoſanna quid ſit 106
Humilitas.
Humilitas conciliat gratiam S. Spiritus 549
Humilitas maximus S. Trinitatis eſt cultus 1015
Hunnericus VVand. Rex.
Hunner. ſupplicijs affecit S. Triados cultores 773
Ob contemptum S. Trinitatis miſere obijt 698
I.
Ieſus.
Ieſus, quale nomen 351
Nomen Ieſu proprie verbo incarnato impoſitum ibid.
Nomen Ieſu maluit verbũ quam Iudicis 342
B. Ignatius Loiola.
B. Ignatius Loiola aſsidue coluit S. Trinitatem 628
Apparuit illi S. Trinitas in perſonis diſtinctis, vna eſſentia ibid
Ignis.
Ignis pro Deo cultus 601

Immenſitas Dei.
Deus eſt immenſus & quid hoc ſit 42.281.648
Ipſe Deus laudat ſuam immenſitatem 802
Immutabilitas Dei.
Deus eſt immutabilis 10. 14.41.49.282.
Immutabilitatem ſuam ipſe Deus laudat 801
Imperator.
Imperator coronatur in nomine Trinitatis 721
Impius.
Impij fide Deus non colitur 991
Inæſtimabilitas Dei.
Deus eſt inæſtimabilis 53
Creaturæ nulla poteſt eſſe æſtimatio cum Deo ib.
vide excellentia Dei.
Incarnatio.
Incarnatio comparatur muſicæ 166
Incarnationem gentiles nō agnouerunt 161
Incarnationem Angeli venerantur 231
Incarnatio facta eſt aſſumptione humanæ naturæ ad verbum 334
Incarnatio cur in verbo facta 335.336.338.340
Incarnatio non fuit vnicus modus ſaluandi homines 340
Incarnationem perfecit ſpiritus Sanctus 383
Incomprehenſibilitas Dei.
Deus eſt incomprehenſibilis à creatura 25.44. 154
Deus ſe ſolum comprehendit 25
Ineffabilitas Dei.
Deus eſt ineffabilis 6.8.9. 24.31 45.180.
Infinitas Dei.
Deus eſt infinitus 40
Infinitum eſſe quid ſit ib.
Intellectus.
Intellectus humanus SS. Trinitatem comprehendere nequit 154
Facilius agnoſcit Deitatem quam Trinitatem 155
Inuiolabilitas Dei.
Deo nulla creatura nocere poteſt 47
Inuiſibilitas Dei.
Deus fugit aſpectum humanum 12.44.637
Iob.
S. Iob agnouit Trinitatem 96.99
S. Iſacius.
S. Iſacius in ſpinas cōiectus 791
Iſaias.
Iſaiæ reuelata Sancta Trinitas 102

Iudicium.

Iudicium extremum dicitur regeneratio 357

Iuſtitia Dei.

Deus eſt iuſtus 10.50.1014
Eſt iuſtitiæ fons 14
Iuſtitiam ſuam ipſe Deus laudat 801

Iuſtus.

Iuſti homines ſunt filij Dei adoptiui 234
Iuſtus peculiari ratione eſt imago Dei 345
Iuſtus extra Eccleſiam Catholicam nemo fieri poteſt 422
Iuſti iucundam ducunt vitam 464
Multa habent gaudia 475
Iuſtis exhibet ſe Deus vt Regem 476
Vt ſponſum 477.
Vt Patrem ibi.
Vt Dominum beneuolum & paſtorem ibid.
Vt Imperatorem ibi.
Iuſtos Deus facit ardere amore proximi 478
Iuſti introducuntur à Deo in cellam vinariam. ibidem
Gaudent in Deo 480
Gaudent ex piorum familiaritate 482
Ex conſcientiæ puritate 484
Iuſto dat ſe Deus 496.563
Iuſtus horret peccatum 541
Nullum ſermonem mali profert ibi.
Magna alacritate præcepta diuina obſeruat 541

L

Laus.

Laus propria ſuperbia eſt 803
Laudare ſeipſum, quando liceat 804

Lazarus.

Lazarus ob ſororis fidem vitæ reſtitutus 277

Leo, Leopardus.

Leo æger quomodo ſanetur 926
Leopardus æger vt ſanetur ibid.

Liberatio.

Liberatio hominum facta à S. Trinitate 681
Oſtendit indiuiduam Trinitatis actionem ibid.

Locutio.

Locutio ſoli intelligēti creaturæ conuenit 332
Locutio alia exterior, alia interior ibi.
Locutio interior producit verbum 333

Maieſtas

M

Maieſtas Dei.

Maieſtas Dei, demiſsiſsimo cultu honoranda eſt 282

Vide excellentia Dei.

Manſuetudo.

Manſuetudo eſt fructus S. Spiritus 503

Conciliat S. Spiritum 549

S. Margareta.

S. Margareta dæmonem fugat 629

Oſtenſa illi fuit S. Trinitas ibid.

S. Martha.

S. Martha agnouit diuinitatem Chriſti 276

S. Martinus.

S. Martinus Turonen. mortuos excitauit 733

Arrianis ſe oppoſuit 747

Imminentem ex veneno mortem oratione repulit 748

Martyr.

Martyres agunt gratias Deo quod pro illo occidantur 778

Supplicium beneficij loco numerant 779

Ad ſupplicium maturant, vti ad epulum 780

Matrimonium.

In matrimonio contrahendo inuocatur S. Trinitas 719

Miles.

Miles nouus creatur in nomine S. Trinitatis 722

Miraculum.

Miracula quę à Chriſto patrata 298

Miracula propria virtute Chriſtus patrauit 300

Miracula Chriſti indicant eum eſſe Deum 298

Miſericordia Dei.

Deus eſt miſericors 9

Miſericordiam ſuam ipſe Deus laudat 800

Miſsio.

Miſsio in diuinis quid ſit 556

Miſsio ſempiterna diuinæ perſonæ temporalem habet effectum 558

Inter miſsionem Filij & Spiritus S. magnum diſcrimen 560

Miſsio diuinæ perſonę quotuplex ſit 561

Miſsio ſpiritus viſibilis duplex 570

Miſsio prima Spiritus S. viſibilis fuit 572

Monarchia.

Monarchiæ regimen optimum eſt 5

Moyſes.

Moſes S. Trinitatem agnouit 91

Mundus.

Mundi ordo & ſymmetria ſapientiam DEI indicat 902
Mundi pulchritudo DEI pulchritudinem oſtendit 913

N.

Natura.

Natura vnum ducem poſtulat 5
Naturæ Dei & creaturæ nulla conuenientia 196

Nomen.

Nomina Dei magnifica 179
Nomina abſtracta pro concretis Chriſto tribuuntur 348
Nomina ducta ab officijs Chriſto tribuuntur 349
Nomina Chriſti præcipua ſunt duo 350

Nubes.

In nube oſtendi ſolet Dei maieſtas 115
Nubes lucida Spiritum S. indicat ibid.
Nubes ſolet eſſe miniſtra in rebus diuinis 591
Comparatur Spiritui Sancto 591

O.

Obedientia.

Obedientia honorandus Deus Pater 220
Obedientia eſt acceptiſsima Spiritui S. 550

Omnipotentia Dei.

Deus eſt omnipotens 74. 280. 968
Deo factu omnia poſsibilia ſunt 75
Deus multa poteſt facere, quæ non facit ibid.
Omnipotentiam ſuam ipſe Deus laudat 799
Omnipotentia res conſeruantur ibid.

Opera.

Operibus bonis inuigilandum 461

Opes.

Opes contemnendæ 461

Oraculum.

Oraculũ ethnicum declarauit S. Trinitatem 160

Oratio.

Oratio eſt actus Religionis 956
Oratio Dominica ad totam Trinitatem dirigitur 191
In Oratione Dominica cur dicatur Pater noſter, nõ Deus noſter 192
Oratione loquimur DEO 484
Oratio aduocat Spiritum S. 551.
Oratione laudatur DEVS 977

P.

Paſsio.

Paſsio Chriſti prædicta 294

Paſsio-

Paſsionem Chriſti operatus eſt Pater 679
Operatus paſsionem eſt Filius & Spiritus S. 680

Pater.

Nomen Patris aliquando commune eſt toti Trinitati, aliquando tantum perſonale 192. 195. 195
Patris nomine, obſeruantiam noſtram Deus vult pollicere 183
Patris nomine Deus ſæpius appellatur in nouo Teſtamento quam vetere, & cur ibid
Patris nomine quare Deus appelletur 186. 313
Deus eſt Pater maxime hominum iuſtorum 186
Deus potiori iure Pater eſt quam quæuis creatura 188. 844
Cauſæ cur Deus Pater vocetur in totam Trinitatem cadunt 191
Deus dicitur Pater noſter ex tempore quo conditi ſumus 195
Nomē Patris in diuinis magis proprie perſonaliter dicitur quam eſſentialiter 196
Deus Pater rectius appellatur Pater filij in diuinis quam homines ſuorum filiorum 198
Pater dicitur ingenitus, & quomodo 201
Dicitur innaſcibilis 202
Patri conuenit principij nomen 204
Pater non eſt miſſus 554. 559
Pater eſt Deus 206
Deus Pater à Chriſto, & à nobis eſt colendus 212
DEO Patri gratiſsimus eſt cultus filio ſuo exhibitus 313
Pater miracula patrat 679
Illuminat nos 682
Inhabitat nos 683

Patientia.

Patienter iniurias ferre debemus 461

Patres.

Patrum lectio gaudio plena. 483
Patres vnanimiter S. Trinitatem confitentur 148

Peccatum, Peccator.

Peccatum peccanti nocet 47. 48
Quæ mala inducat animæ 425
Fugat Spiritum Sanctum 545

Diſcedere à nobis facit S. Trinitatem 569
Condonatur à S. Trinitate 681
Peccatores ſunt infelices 539
Peccatores omnes Deus vult ſaluos fieri 621. 778

S. Pelagia.

S. Pelagia martyrium ſubit 790

Perdix.

Perdix aliena oua diripit, & fouet 925
Pro pullis obiicit ſe diſcrimini 934

Perſona.

Perſona ſecunda S. Trinitatis tria potiſsimum nomina habet 320
Secunda Perſona propriè Filius eſt ibid. 321
Eſt ſapientia Patris 321
Tertia Perſona eſt Spiritus Sanctus 418
Perſonæ diuinæ donantur cum ſanctificantibus donis 565
Per amorem in animam illabuntur 568
Perſona vna diuina non honoratur abſque alia 674
Perſonis ſingulis cur propriæ adſcribantur actiones 687

Philoſophia.

Philoſophia ſimilitudinem aliquam gerit S. Trinitatis 167

Phœnix.

Phœnix longam viuit vitã, & vt reuiuiſicat 897
Phœnicem non eſſe vnicũ, eſt veriſimile 898

Pœnitentia.

Pœnitentia conſeruat gratiam S. Spiritus 548
Pœnitentiæ Sacramentum à S. Trinitate vim habet 712
Sacramenti Pœnitẽtiæ forma quæ ſit 713

Polypus.

Polypus omnium rerũ, quibus adhæret, colorem ſubit 915

Præcepta diuina.

Præcepta diuina iucunda ſunt & facilia, quando Spiritus Sanctus adiuuat 463
Præceptorum obſeruatio neceſſaria eſt ad ſalutem 535

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio ad gloriam & gratiam ab omni æternitate à Deo facta eſt 661

Productio, Proceſsio.

Productio in diuinis Filio nihil demit 202

Duplex

Duplex eſt 248
Proceſsio ſecundæ perſonę eſt vera generatio 321
Eſt ineffabilis 323
Proceſsio Spiritus S. non eſt generatio 363
Proceſsionis Spiritus S. Myſterium ſuperat intellectum humanum 365
Proceſsionum conſideratione colitur S. Trinitas 973

Propheta, Prophetia.

Prophetæ inſtructi à Chriſto 291
Prophetæ omnia Chriſti opera futura prædixerunt 292. & ſeqq.
Prophetia eſt gratia gratis data 509

Protoplaſti.

Protoplaſti non fuerunt filij hominum 356

Prouidentia.

Prouidentia quid ſit 77
Prouidentia aliqua eſt ibi.
Prouidentia Dei ſingularis erga homines, & præſertim pios 78. 1014
Prouidentiam Dei improbi non euadunt 79
Prouidentiæ Dei nos commendare debemus 184

Puritas Dei.

Deus nullis ſordibus poteſt inquinari 46

R

Ratio.

Ratio dictat vnum eſſe Deũ 4
Ratio laudat S. Trinitatem habẽdo de illa magnam exiſtimationem 959

Religio.

Religio vnde dicta, & quid ſit 955
Actu religionis Deus colendus 83
Religio noſtra erga Deum Spiritui S. adſcribenda 369
Religio aliquando ſumitur pro cuiuſque virtutis officio 984
In virtute Religionis quæ ſpectanda 986

Reſurrectio.

Reſurrectio Chriſti prædicta 295
Reſurrectio Chriſti facta à Spiritu S. 384. 680
Reſurrectionẽ Chriſti perfecit Pater & Filius 680
Reſurrectio dicitur regeneratio 387

Rex.

Rex coronatur in nomine S. Trinitatis 722
Regis felicitas in quo conſiſtat 864
Reges omnes, volentes nolentes Deum obſeruare

debent 961

S,Rupertus VVormatienſis Epiſcopus.

S. Rupertus pro confeſsione S. Trinitatis virgis cæſus & vrbe eiectus 782

S.

Sacerdos.

Sacerdos debet habere doctrinam & integritatem vitæ 443

Sacerdotis benedictio efficax 693

Sacrificium.

Sacrificio præcipue colitur S. Trinitas 1015

Sacrificium ſoli offertur S. Trinitati 1016

Sanctificatio.

Sanctificatio eſt opus Trinitatis 420

Cur tribuatur Spiritui S. 421

Sanctificatio quam Spiritus Sanctus tribuit, qualis ſit 423

Sapientia Dei.

Deus omnimodam ſapientiam habet 280

Sapientiã Dei indicat mundi machina 330. 902

Sapientia Dei inuentrix eſt & moderatrix omnium rerum. 69

Deus ſolus ſapiens eſt 65

Scientia Dei.

Deus omnia videt 45. 65

Omnia comprehendit 65

Quare Deus omnia ſciat 66

DEVS videt cogitationes hominum ib.

Nouit præterita & futura 67

Seraphin.

Seraphin laudant S. Trinitatem 101. & ſeq.

Sibyllæ.

Sibyllæ teſtantur Chriſti diuinitatem 297

Paſsionem eius prædixerunt ibid

Simplicitas Dei.

Deus eſt omnino ſimplex, & omnis compoſitionis expers 49. 798

Non habet ſapientiam inhærentem vt anima hominis 51

Sol.

Sol multis partibus ſuperat terram 896

Quantum ſpatium 24. horis percurrat 897

Maxime inter aſtra maieſtatem Dei indicat 902

Sortitio.

Sortitio ſit cum prouidentia Dei. 79

Spes.

Spes de vita æterna conſequenda gaudium parit iuſtis

iuſtis 485
Spes omnem moleſtiam abſtergit ibid
Spe colitur S. Trinitas 992
Qualis ſpes eſſe debeat ib.

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sanctus eſt Deus 56.370.566
Spiritus Sancti eſt officium monere & inſpirare 111
Non poteſt dici Trinitas, Filius, Pater 142.364
Spiritus Sancti miſsio prænunciata 296
Spiritus Sancti diuinitatem quidam fruſtra negant 362.365.& ſeqq.
Spiritus Sanctus habet perfectiſsimam rerum omnium ſcientiam 371
Habet abſolutam voluntatem, & ſummam libertatem in bonis diſtribuendis 372 594
Creauit vniuerſum 375
Conſeruat omnia ibid.
Efficit hominem iuſtũ ibid
Arcana cordis videt 377. 433
Prænunciat futura 378
Eccleſiam gubernat ibid
Eſt æternus 380
Immenſus 381
Omnipotens 382
Eſſentia ſua bonus ib.
Miſit, & ſanctitate donauit Chriſtum 383
Liberauit Iſraelitas ex Aegypto 388
Colluſtrat animos lumine veritatis 389
Iubet diuinitus cognita alijs communicanda 391
Conſolatur homines 392. 452
Spiritui Sancto conueniũt diuina nomina 393
In omni operatione ad extra coniunctus eſt Patri & Filio 396
Habet templum 398
Procedit à Patre, & Filio 404
Principaliter quomodo ꝓcedat à Patre 413
Simplicem habet eſſentiam 416
Doctrinam Chriſti illuſtrat 407
Sanctus non participatione ſanctitatis, ſed vt infinita ſanctitas 419
Ad ſanctificandum homines miſſus eſt 422
Ornat animam redintegratam 427
Inſidet animæ expiatæ non otioſus 429
Eſt Spiritus veritatis 432

Docet veritatem reducendo in memoriam, quæ obliuione deperierant. 437
Obſcuros Chriſti ſermones explicat ibid.
Multa patefecit, quæ Chriſtus vel nō expreſsit, vel non docuit 438
Vaticinia explicauit 440
Docet Eccleſiam verū Scripturæ ſenſum, & gubernationem rectam ibi.
Docet per cathedram S. Petri & Succeſſorum eius 442
Dicitur Paracletus 452
Omnes ad gratiam ſuam inuitat 458
Conſolatio eius requiritur ad vitiorum deuitationem 462
Hortatur ad gaudia iuſtorum 467
Magna gaudia tribuit 470
Eſt Patris & Filij vnitas, caritas, communicatio 488 489
Eſt donum Patris & Filij 493
Neceſſarius eſt hominibus 534
Miſſus eſt 555. 559
Non datur per donum fidei informis 564
In ſubſtantia ſua non deſcēdit ſuper Chriſtum baptizatum 575
In ſpecie columbæ cur ad Chriſtum venerit 576. & ſeqq.
Comparatur aquæ 588
Afflictiones huius ſæculi in gaudium conuertit 592
Vento comparatur 594
Vento ſæpe demonſtratus eſt 593
Sub ſenſum non cadit, ſed operationes quædam eius 594
Vias illius nemo intelligit 596
Iuſtos ad virtutem inuitat ibid.
Improbos commonet, ſuppliciorum terrore, & peccatorum agnitione 597
Fletum excitat in pœnitentibus 598
Potentes deponit ibid.
Mundat animam ibid. 602
Apparet in igne 599
Coniunctas ſibi mentes illuminat 603
Inflammat animos amore ſuo 604
Imbecilles confirmat 605
Apparet in linguis diſpertitis 611
Patrat miracula 679
Donat ſeipſum 681
Inhabitat homines 683

Largi-

Largitur munera ibid.
Viuificat 684
Omnia implet 685
Filium glorificat 813

Stella.

Stellæ quædã ſuperant terram magnitudine 897

Stellio

Stellio qualẽ animal 905
Stellionatus crimen quid ſit 906

Superbia.

Superbia odioſa eſt Spiritui Sancto 547

T

S. Tatianus.

S. Tatianus vltro S. Trinitatem confitens interimitur 786

Tempeſtas.

Tempeſtates inuocatione S. Trinitatis ſedantur 731

Templum.

Templa dedicantur in nomine S. Trinitatis 723

Theodoſius Imp.

Theodoſius iubet coli Sanctam Trinitatem 860
Hæreticos compeſcuit 447
Per Baptiſmum à morbo liberatur 709
Arrianorum conuenticula prohibuit. 810

Tigris.

Tigris catulorum ſuorum amans 936
Qua arte illi auferãtur 937

Torpedo.

Torpedo lacertos firmiſſimos ſtupefacit 916

Transfiguratio.

In transfiguratione Domini cur fuerit nubes 586
Cur fuerit lucida nub. 592

Trinitas.

Trinitas perſonarum eſt in Deo 136.138.139
Trinitas vnus eſt Deus 51. 86.118.140
Trinitas perſonarũ in Deo non excludit ſimplicitatem 49
Trinitas potius dicẽdus eſt Deus, quàm triplex 50
Trinitas non eſt nata de B. Virgine 87
Non eſt paſſa ibidem
Trinitas non repugnat veteri Teſtamento 89
Trinitas clarè manifeſtatã Patriarchis & Prophetis 90.& ſeqq.
Trinitas in operib. Dei nobis declaratur 91
In Trinitate non credendi tres dij 93
Tota Trinitas vniuerſum creauit 97.677
Trinitas indicatur in Baptiſmo Chriſti 14
In forma baptizandi à Chriſto tra-

ſto tradita 116
S. Trinitatis confeſsio eſt primarium Chriſtianę fidei dogma, & aliorum articulorum baſis 130
Trinitas in Deo colēda 144 648.655.689.
In Trinitate eſt ordo originis, non tamen dignitatis 145
Dignitas in Trinitate eſt coæqualis 151
Trinitas difficilior eſt intellectu quàm Deitas 155
Trinitatis myſterium inexplicabile ibi.
Cur lumine naturę cognoſci nequeat 158
Agentibus ſine fide non agnita 160
Trinitatem oraculum ethnicum declarauit ibid.
Trinitas nulla apta ſimilitudine explicari poteſt 174.177
Cur nominibus Patris, Filij & Spiritus S. indicetur 180
Manifeſtatur adoleſcenti improbo 623
De S. Trinitate ambigenti ſcrupulus eximitur 630
A nulla creatura ſatis laudari poteſt 649.959
Laudatur depoſitione curarum terrenarum 652
Deuitatione peccatorum ibid.
Mente & voluntate 957
Trinitas omnia confert 665
S. Trinitatis honos infinitis modis creaturarum honorem ſuperat 656
S. Trinitas liberauit nos à morte 667
Iuſtificat homines 669
Benigne exaudit preces noſtras 672
Tota Trinitas operatur ad extra 674.676
Trinitas punit ſuos hoſtes 697
Trinitatis inuocatio auertit dæmonum tentationes 700.& ſeqq.
Sitibundis aquam impetrat 732
Repreſsit vim veneni in poculo exhibiti 739
Liberauit incendio ſanctimonialem ibi.
Paraliticum ſanat 740
S. Trinitas ſe confitentibus linguam præciſam reddit 744

V

Valens Imp.

Valens Imperator combuſtus 792

Ventus.

Ventus.

Ventorum excitatione Maieſtas diuina oſtenſa 593
Venti nomen tertiæ S. Trinitatis perſonæ conuenit 594

Verbum.

Verbum diuinum non eſt Pater, nec Spiritus S. 142
Non eſt Trinitas ibi.
Eſt verus Deus ibid.
Verbi nomen eſt maximè ſignificatiuum proceſſionis propriæ ſecundæ perſonæ 329
Verbi nomen rectè tribuitur Filio 331
Verbum diuinum non eſt tale, quale humanum & Angelicum 333
Verba hominum & Angelorum multa ſunt 334
Sunt infirma ibid.
Verbum diuinum quando producatur ibid.

Veritas.

Veritas eſt triplex 434

S. Victoria.

S. Victoria grauiter torta ob S. Trinitatis confeſſionem 768

Vnctio extrema.

Extrema vnctio fit cum inuocatione Sanctæ Trinitatis 719

Vnitas Dei.

Deus eſt vnus 1.5.153
Vnitatem Dei Scripturæ docent 1.2
Adſtruunt illā Patres, Concilia &c. 2.3
Vnitatem Dei gentiles agnouerunt 3
Vnitatem Dei ratio conuincit 4

Voluntas.

Deus habet liberrimam & efficaciſsimam voluntatem 69
Voluntas Dei eſt eſſentia eius, & immutabilis ibid.
Eſt Conſeruatrix rerum 70
Cupit humanam ſalutem ibid.
Voluntas ſigni & beneplaciti quid ſit ibid.
Voluntas Dei quomodo velit omnes ſaluos fieri 71
Voluntati Dei nihil reſiſtere poteſt ibi.
Volūtati Dei noſtram ſubmittere debemus 73.81
Voluntas hominis pia eſt honor S. Trinitatis 978
Voluntas Deo ſe ſubmittens, ei eſt accepta 995
Magnas affert vtilitates. 997

Vox.
Voce laudatur S. Trinitas, pias de ea notiones conceptas proferendo 1005
Alios ad cultum illius excitando 1006
Conceptis verbis votum ei nuncupando ibid.
Licite iurando 1007
Vrſa, Vrſus.
Vrſa ſauciata ſibiipſi medetur 925
Vrſus æger vt ſanetur 926
Vrſa informi partui lingendo ſpeciem inducit 936

INDEX

INDEX TESTIMONIORVM EX EVANGELIIS DESVMPTORVM.

Euangelium S. Matthæi.

CAp.1.v.16. *De Maria natus eſt IESVS qui vocatur Chriſtus* 355

v.21. *Vocabis nomẽ eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorũ* 260.286.351

c.3.v.11. *Ego quidem baptizo vos in aqua & pœnitentia: qui autem poſt me venturus, fortior me eſt.&c.* 376.589

v.16.17. *Baptizatus Ieſus confeſtim aſcendit de aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli.&c.* 114

c.4.v.10. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſerui es* 2.689

c.5.v.8. *Beati mundo corde quoniam ipſi DEVM videbunt* 45.155.640

v.9. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur* 243

v.12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis* 485

v.16. *Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona* 183.222.460.867

v.23. *Omnis qui iraſcitur fratrĩ ſuo, reus erit iudicio* 460

v.29. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam, in corde ſuo* 480

v.39. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit.&c.* 461

v.44.45. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt.&c.* 243.460

v.48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* 183.244.460

c.6.v.1. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab illis* 518

v.14. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis de-*

licta veſtra 183
v.19.20. Nolite theſaurizare vobis thaſauros in terra.&c. 461
v.24. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ 461
v.26. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt.&c. 77
c.7.v.11.Si vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter 184
v.17. Omnis arbor bona fructus bonos facit 54
v.19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur 504
v.21. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum 71. 196. 220
v.22. Dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus. &c. 516
v. 26. Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam 309
c.8.v.12. Filij regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentiũ 245
v.20. Vulpes foueam habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet 353
v.26. Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta trãquillitas magna 594
v.29. Duo habẽtes dæmonia clamauerunt dicentes. Quid nobis & tibi Fili Dei? Veniſti huc ante tmp⁹ torquere nos 278
c.9.v.2. Confide fili remittũtur tibi peccata tua 302
v.4. Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? 287
v.6. Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata 354
v.15. Nunquid poſſunt filij ſpõſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus 477
c.10.v.5. In viam gentium ne abieritis & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis 458
v.16. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum 456
v.17. Cauete autem ab hominibus, tradent enim vos in concilijs & in Synagogis ſuis flagellabunt vos 456
v.20. Non vos eſtis qui loquimini

ni, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis 391. 404.542.

v.21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater Filium, & inſurgent filij in parentes 456

v.22. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum 462

verſ. 29. 30. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet. &c. 184

v.37. Qui amat Patrem aut matrẽ ſuper me, non eſt me dignus 7.190.215.308.460

c.11.v.4. Ite & renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant. &c. 293

v.12. Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud 462

v.25. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. 16. 206.215

v.27. Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare 16.157.217

v.28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos 458

c.12.v.28. Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia, igitur peruenit in vos regnũ Dei 378.383

v.36.37. Dico autem vobis quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo. &c. 461

v.50. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt 197

c.13. v.33. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptũ mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. &c. 953

v.37. Qui ſeminat bonũ ſemen, eſt filius hominis 353

v. 43. Tunc fulgebunt iuſti ſicut Sol, in regno Patris eorum 184

c.14.v.33. Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum dicentes: Vere Filius Dei es 262

c.16.v.17. Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt 16.157

v.27. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cũ Angelis ſuis. &c. 197.306.354.

v.24. Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me 461

c.17.v.2.3. Reſplẽduit facies eius ſicut Sol, & veſtimenta eius alba facta ſunt ſicut nix &c. 115

v.5. Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui 249. 308
v. 22. Filius hominis tradendus eſt in manus hominum 353
c.18.v.3. Amen, Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum 461
v. 10. Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt 634
v. 11. Venit Filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat 353
v.20. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum 281
c.19.v.17. Vnus eſt bonus Deus 2.
v.18. Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in Sede Maieſtatis ſuæ 387
v. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus 964
v.26. Apud Deum omnia poſſibilia ſunt 74
c.20.v.15. An oculus tuus nequã eſt, quia ego bonus ſũ 281
v. 18. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum 290
v. 28. Filius hõis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare 353
c.22.v.37. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo 308. 459
v. 39. Diliges proximum tuum ſicut teipſum 460
c. 27. Et Patrem nolite vocare ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt 190
v.15. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam. &c. 226
v.37. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. &c. 72
c.24.v.28. Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabantur & aquilæ 922
v. 42. Vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit 919
c. 25. v.13. Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam 461
v.21. Euge ſerue bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam 477. 528
v.30. Cum venerit filius hominis in Maieſtate ſua 306
v. 34. Venite benedicti Patris mei,

mei, poſſdete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi 97.207.208
c.26.v.42. Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua 73
v.53. An putas quia non poſſum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim millia Angelorum 75
c.27. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant. &c. 262
c.28.v.3. Erat aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix 636
v.18.19.20. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, &c. 116.280.385

Euangelium S.Marci.

c.1.v.32. Afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes 301
v.34. Et non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum 279
c.2.v.8. Quo cognito ſtatim Ieſus Spiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dixit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris 287
c.4.v.39. Exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari. Tace, obmuteſce, & ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna 300
c.5.v.7. Quid mihi & tibi Ieſu Fili Dei altiſſimi? 278
v.41. Puella tibi dico ſurge, & confeſtim ſurrexit illa 300
c.6.v.56. Quocunque loco introibat, in vicos, vel in villas, vel in ciuitates. &c. 301
c.7.v.34. Suſpiciens in cœlum ingemuit 217
c.9.v.25. Surde & mute Spiritus ego præcipio tibi, exi ab eo 300.
c.10.v.18. Nemo bonus niſi vnus Deus 383
c.12.v.19. Audi Iſrabel Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt 2
v.32. Bone Magiſter in veritate dixiſti, quia eſt vnus Deus & non eſt alius præter eũ 2.
c.13.v.11. Non vos eſtis loquentes ſed Spiritus Sanctus 391
c.14.v.30. Amen dico tibi quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus 291
c.16.v.15. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ 458
v.17. In nomine meo dæmonia eijcient linguis loquentur nouis

uis, ſerpentes tollent. &c. 300

Euangelium S. Lucæ.

c.1. v.4. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum* 355
v.16. *Multos filiorum Iſrahel conuertet ad Dominum Deum ipſorum. &c.* 256
v.32. *Paries filium & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit magnus & filius altiſſimi vocabitur* 356
v.35. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. &c.* 112. 417. 678
v.36. *Exſurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione* 542
v.37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum* 74
v. 47. *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit Spiritus meus in DEO ſalutari meo* 468
v.48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* 41
v.78. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto* 347
c.2. v.32. *Lumen ad reuelationẽ gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrahel* 348
v.48. 49. *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce ego & Pater tuus dolentes quærabamus te* 214
c.4. v.18. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me* 303
c.5. v.24. *Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata* 304
v.32. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam* 340
c.6. v.35. *Eritis filij Altiſſimi* 60
v.36. *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt* 344
c.7. v.15. *Adoleſcens tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus* 390
v.47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* 613
c.9. v.55. *Neſcitis cuius Spiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare* 549
c.10. v.20. *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis* 485
c.11. v.13. *Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater noſter de cœlo dabit Spiritũ bonũ petẽtibus ſe* 682. 382. 551
v.21. 22. *Qui fortem illum armatum*

tum draconem atrium ſuum cuſtodientem, ipſe fortior ſuperueniens vicit 346
c.12.v.5. *Oſtendam vobis quem timeatis, timete eum qui poſt quam occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam* 459
v.12. *Spiritus Sanctus docebit vos in ipſa hora quid oporteat vos dicere* 389
v.24. *Conſiderate coruos quia non ſeminant, neq; metunt* 928
v.32. *Nolite timere puſillꝰ grex, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis agnum* 208
v.33.34. *Vendite quæ poſsideris & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt. &c.* 460
c.14.v.26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & matrem, & ſororem, & filios &c.* 460
c.15.v.32. *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt* 252
c.18.v.1. *Oportet ſemper orare & nunquam deficere* 460
v.19. *Nemo bonus niſi ſolus Deus* 281
c.19.v.10. *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat* 340
c.21.v.34. *Attendite vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate* 461
c.22.v.27. *Ego in medio veſtrũ ſum, ſicut qui miniſtrat* 264
c.23. v.34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt* 218
v.46. *Pater, in manus tuas cõmendo ſpiritum meum* 283

Euangelium S. Ioannis.

c.1.v.1. *In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum,* 207.247.328
v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt* 109.259.366
v.4. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* 20.59
v.12. *Quotquot eum receperunt dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* 185.236.237.261
v.14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre* 197.246.328.571
v.16. *Ex plenitudine illius omnes accepimus &c.* 498
v.18. *Deum nemo vidit vnquã vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit* 157. 175. 197. 246. 322. 637
v.29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* 304
v. 32. *Vidi ſpiritum deſcen-*

dentem quaſi columbam de cælo,& manſit ſuper eũ 572
c.2.v.16. Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis 197.212.
v.19. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud 680
c.3.v.5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnũ Dei 120.386
v.8. Spiritus vbi vult, ſpirat & vocem eius audis 111
v.13. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis, qui eſt in cælo 281.354
v.16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, &c. 209. 211. 246. 306. 322. 679
v.17. Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum 130
v. 21. Cariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum 993
v.29. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum gaudio gaudet propter vocem ſponſi 469
v.35. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius 197 222
c.4. v.4. Deus Spiritus eſt 36
v.14. Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam 589
v.23.24. Venit hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit. &c. 184.207
v. 34. Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius, qui miſit me 220
c.5. v.17. Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor 249
v.18. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere. &c. 253
v.19. Quæcunque enim ille facit, & filius ſimiliter facit 250.284.300
v. 21. Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat 207.304
v.22. Omne iudicium filio dedit Pater 111
v. 23. Omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem 305.313 459
v.37. Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimoniũ perhibuit de me. &c. 637
v. 43. Ego veni in nomine Patris

tris mei 107.138

c.6.v.38. *Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã, ſed voluntatem eius, qui miſit me* 73.219

v.40. *Hæc eſt volũtas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam* 222

v.44. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eũ* 209

v.45. *Eſt ſcriptum in Prophetis:* Et omnes docibiles Dei 389

v.46. *Non quia Patrem vidit quiſquã, niſi is qui eſt à* Deo, *hic vidit Patrem* 637

v.57. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, &c.* 110

c.7.v.18. *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit, &c.* 811

v.37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, &c.* 458.590

c.8.v.12. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris* 260.348

v.29. *Pater qui me miſit, mecũ eſt, & non reliquit me ſolum* 219.383

v.42. *Ego ex* Deo *Patre proceſſi* 248

v.49. *Honorifico Patrem meum* 211.812

v.58. *Amen Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum* 250

c.10.v.10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant* 339

v.15. *Sicut me nouit Pater, & ego agnoſco Patrem* 303

v.17. *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, & iterum ſumo eam* 680

v.25. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me* 250.302

v.27.23. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, &c.* 250.304

v.29.30. *Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt, &c.* 217.94.196.321

c.11.v.4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei* 262

v.41. *Ieſus ſubleuatis ſurſum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me* 217.672

c.12.v.26. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cœlis* 659.313

v.27.28. *Pater ſaluifica me ex hac hora: Pater clarifica nomen tuum* 218

v.46. *Ego lux in mundum veni, vt o-*

vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat 348
v.47.Non veni vt iudicem mūdum, ſed vt ſaluificem mundum 352
v.49. Quj miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar 219
c.13.v.33. Filioli adhuc modicū vobiſcum ſum 185
c.14.v.1. Creditis in Deum, & in me credite 251
v.9. Qui videt me, videt & Patrem meum 94.252.342
v.10. Pater in me manens ipſe facit opera 207.217.383
v.11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite 302
v.14.15.16.17. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ſi diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. 136.282.312.452.545.563
v.18. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos 185
v.21. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eū, & manifeſtabo ei meipſum 214.516.641
v.23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum 428
v.25.26. Paracletus autem Spiritus Sanctus quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis 138.111
c.15.v.9.10. Manete in dilectione mea, ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, &c. 212
v.24. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum 254.301
v.26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me 138.248.404
c.16.v.2. Abſque ſynagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur, obſequium præſtare ſe Domino 456
v.23. Amen Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis 672
v.27. Ipſe Pater amat vos, quia vos amaſtis me, & credidiſti quia ego à Deo exiui 31

v. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum* 556
c. 17. v. 1. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te* 218
v. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deū, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* 207. 211. 631
v. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mūdo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt* 218
v. 11. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos* 211. 218. 417
v. 24. *Dilexiſti me ante conſtitutionem mundi* 207
v. 25. *Pater iuſte, mundus te nō cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me miſiſti* 211
c. 18. v. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* 219
c. 19. v. 7. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit* 253
c. 20. v. 17. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum* 247
v. 22. *Accipite Spiritum Sanctū, quorum dimittetis peccata, dimittuntur eis* 377. 564
v. 29. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt* 277
c. 21. v. 5. *Pueri nunquid pulmētarium habetis?* 185
v. 16. 17. *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te* 280. 289

Index in Euangelia ob futuram libri craſsitudinem prætermiſſus, ſed facile quæ ad eam explanationem, pertinent, reperiet induſtrius Lector, ſi Rerum, & maximè Euangeliſtarum Indicem conſuluerit, qui & idcirco ad calcem ſepoſitus eſt.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

θαυκασικὸν pro θαυκασικον. cuſpide pro criſpide 5. Mundi deeſt ſignum? Triuno pro Trinuno li.12. Auernus pro Auernas v.14. auſa pro auſu v.18. quot pro quod li. 2. v.1.

In Carmine Græco, in ſecundi Epigrammatis ver.1. Αἰδομένοιο *pro* Αἰθομένοιο. *in eod. v.* κοτεων *pro* κοτέων. *in eod.* ποτὲ *pro* ποτε *in eiuſdem Carminis v. 5.* περισκελάσας *pro* περιπελάσας. *v. 8.* χέλιος. *v.11.* σαρκὸς *pro* σαρκός. *v. 12.* πυρὸς *pro* πυρός. *v.20. eiuſdem Epigram.* Ὥς *pro* Ως. *v.22.* πυρὸς *pro* πυράς.

In Idyllio : *v.11. Inhoſpitales pro in hoſpitales. v.16. ſacrificium pro ſacrificij. v.29. vero pro verò. v.30. ſcelus, pro ſielus. v.31. ſpirantique Patri, pro ſpiranti Patre. v.39. inoris pro in oris. v.47. armi pro anni. v.59. latrator pro labator.*

Pagina 2. linea 24. Bono lege Benè. pag. 7. l. 35. Lucroni lege Lutconi. 8. 5. Quiſquam, Quiſquis. 15. 18. intentis mentis. 16. 10. vel Vel 26. 14. via. via? 28. 24. quoniam quantum. 30. 22. earum idemque earundemque. 31. 21. Quia quod Quicquid. 35. 14. deformes deiformes. 47. 21. accepit accipit. 48. 21. inuiabilis inuiolabilis. 50. 22. quoniam quantum. 50. 24. finit ſunt. 53. 24. habere homini. 57. vl. immotam innatam. 60. penult. ergo ſuperfluum. 67. 3. Fulgentius Fulgoſus. 69. 28. non noſter. 72. 27. Rom. 4. Rom. 9. 75. 22. voluntas poteſtas. 88. 13. mira mea. 89. 20. addendum teſtimoniis. 90. 32. dictrice ductrice. 96. 28. accilinus attulimus. 100. 24. amabant clamabant. 102. 18. Sanctus Auguſtinus Sancti Auguſtini. 120. 24. poſsit poteſt. 121. penult. Aſcenſione Aſceci. 129. 5. Seſſ. Libro. 143. 12. Spiritu adde, ad Patrem. 146. penul. qui adde, eſt. Ibidem in omnibus adde, nobis. 149. 9. interpretes adde, 1. Parte. 151. 32. trinomium trinonimum. 155. 18. quod ſuperfluum. 158. 4. timidus tumidus. Ibid. 11. naturale adde, lumen. Ibid. 20. coniunctio conuictio. 173. 9. relationem ralationem. 178. 11. conuenire conuenere. 181. 2. gratiam gentium. 192. 24. Dominum dicendum. 200. 9. generationem generatione. 202. 4. multum nullum. 216. 11. id vt. 233. 11. venerantur veneratur. Ibid. 18. Proximi ergo comma addendum, 244. 26. cumque eumque. 248. 23. Sua ipſorum natura Suam ipſorum naturam, 275. 24. inuicit vicit. 278. 27. nimus minis. 283. 25. reſpice reſipiſce. pag. 286. 27. pranunciarunt lege pranunciauit. 29[illegible]

lius. 26

*lin.26.ſuſcipiendas ſuſcitandas.*297.32.*mentibus membris.*298.8. *gratos gentes.Ibid.*15.*Per Dominum Per te Dominum.*300.2. *ſanat ſanet.*304.23.*pro pio.*319.13.*gratiæ irriguantur gratia irrigantur. Ibid.*27.*Anctorem Autor eſt.*346,*Cap.*4.*Cap.*9.350.33. *humanitate humanitati.*353.*penult.nuncius munius.*362.3.*voluit volunt. Ib.*11.*ſuperbiam ſuperbam. Ib.*13.*pro pio.*373.18.*teſtis rectis.*365.25.*tectis rectis.*374.4.*vberiorem vberioremve.*375.34.*id idem.*376.26.*explicatura explicatio.*379.13.*ducti docti.Ibid.*34. *iuuent viuant.*567.23.*inuitauit inuitant.*390.7.*quoniam quātum.*391.29.*Lucæ Luciæ.*392.16.*ide idem.*395.15.*cum eum.*396.14.*Et libro adde,octauo.*425.12.*alia atra. Ibidem* 32.*mirè abundat.*429.33.*fratre facere.*450.32.*precandum peccandum.*454.11. *ibant adde,gaudentes.*457.27.*ſeruorum adde,fuit.Ibid.vlt. donauit liberauit.*466.8.*quoniam quantum.*496.18.*donatim donaturi.*500.17.*quam qua.*501.17.*ſententiam ſcientiam.*517.2.*dicens Dominus.*517.28.*caritatis caritas.*522.18.*radice caritate.*528 32.*declinabit delineabit.*530.20.*natura materia.*534.*vlt.ipſis ipſi.* 535.*penult. Aung.ſig. Auguſt.*551.*vlt. perſeuerantis perſeuerantes.* 565.*perſona felicem p.*15.*perſonæ & felicem.*572.*penult. definit deſunt.*575.6.*oculus oculis.*580.22.*imitarèt initiaret.*585.2.*natura materia.*586.2.*nos ſuperfluum.*587.4.*quia qui à.*588.32. *cap.quaſt.*592.23.*ſperat ſpirat.*594.6.*veritas ventus.*606.29.*Exiuit Exeunt.*607.29.*imo nec.*610.*penult. ſi ſtagis ſi magis.*613.7. *vnitatis vnitati.*614.8.*vnam vnum. Ibid.*14.*Deum ſuperfluum.* 617.22.*vos eos.Ibid.vlt.ſpecum ſpeciem.*638.20.*in ore in ora.*619. *Viſio S.Trinitatis adde,Elzeario Comiti exhibita.*620.15.*quoniā quantum.*621.7.*exilium exitium.*627.25.*alis aliis.*632.4.*docuit decuit.Ibid.*11.*S.Shomæ S.Thomæ.*640.*antepenul.capax eſt Adde, potiatur.*641.14,*quanta quantæ.*649.21.*Domini Dominum.*654 16.*diutius adde,&.Ibid.*21.*neceſſitatis adde,opera.*656.22.*intelligunt intelliguntur.*658.7.*Lucæ* 8.*Lucæ* 18.665.13.*conſeruantur conſeruante.*675.32.*maiori memori.*683.11.*noſtro modo.*696 17.*per eas pereas.*697.30.*extra exta.*698.31.*cunctos cunctis.*704. 11.*venatorum vexatorum.*710.1.*deeſt hic titulus: Mater filiolum Baptiſmi in nomine S.Trinitatis ſuſcepti conſideratione ad martyrium hortatur, & inducit.*712.10.*actu æſtu.*720.19.*hic tui.*722 *penult.*

*penult.pietati pietatè.*725.4.*cum eum.*730.8. *Liberet liberes.*734
15.*dæmonum redundans.*746.23.*tantum latum.*757.24.*bellica-
rum rerum bellicoſum virum.Ibi.*32.*Ianſoni Ianſenij.*759.14.*te-
ctis lectis.*762.24.*pretio prælio.*763.15. *infantulam infantulum.*
767.26.*homins homini.*768.1.*pepercisti peperiſti.*773.14.*man-
datis inauditis.Ib.*19.*bellatoris bellatores.* 774.1.*faſciculus faſci-
calis.*784.5.*audientes audentes.*785.28.*quia qui.* 788.4. *bonore
horrore.*790.1.*omnium ouium.*791.24.*palmeis paliuris.* 797.11.
*imitabilia commutabilia.*847.7. *alterum alteram. Ibid.*19. *in S.
Pont.in S.Pent.*849.11.*vero vera.Ib.qua eſt eſt redundat.* 863.11.
vbi vt. 867.22.*qua quam.*869.27.*teſtatum teſtarum.*879. *antep.
intueri vulneri.*884.32.*cata canta.*892.16.*vultu vultum.*893.11.
*quoniam quantum.*897.16.*videre ridere.* 900.14. *natura noſtra.
Ib.*26.*cælis illis.*906.21.*pretioſum penſum.*907.7.*vnguicolis vn-
guiculis.Ibid.*17.*tanta tam.*909.8.*efficiens officiens.*914.32. *indi-
cium iudicium.* 978. 40.*faciem adde* Dei. *Ibid.* 42. *tua Domini.*
980.1.*portus portæ.Ibid.*9.*non in.*983.*vlt.q.qua.*984.10.*volun-
tas voluntatis.*985.28.*omnium veſtrum.*989.18.*praeptrices præ-
ceptrices.*991.1.*Vim. Thim.*996.32.*Dominus dicens.* 997.1. *Hie-
ron.Hierem.Ib.* 4.*à fine hom.*14.*hom.*15.1005.21. *dilaudemus di-
laudamus.*1013.27.*fruſtrans fruſtraris. Ibid.*34. Dei *Deus.* 1014.
27.*oſtendere offendere.Ibid.*31.*vnquam iniquum.*1022.12.*eſt &.
Ibid.*15.*imbriciter imbricitor.Ibid.*21.*fundit libras.*1023.1.*dedita
didita.*

[illegible] Google

Digitized by Google

5-3-1